R. P.

LODOVICI MOLINAE,

PRIMARII QVONDAM
IN EBORENSI ACADEMIA
SAC. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,
E SOCIETATE IESV,

DE IVSTITIA ET IVRE

TOMVS SEXTVS.

De iudicio & exequutione Iustitiæ per publicas Potestates.



ANTVERPIÆ,
Sumptibus Martini Nutii
Ioannis Hetsroy.
Cum gratia & priuilegio,
M. DC. IX.

INDEX
DISPVTATIONVM,
QVAE HOC TOMO
SEXTO CON-
TINENTVR.

1. Discrimen inter correctionem fraternã & iudicialem. Et quarũ virtutum actus sit iudiciũ, iustitiaq; executio per potestates publicas, materia scilicet & obiectũ huius quinti de iustitia tractatus, ad quod cætera, de quibus in eo est sermo, attributionem habent. 2737.
2. Iurisdictio quid. Et de discrimine inter potestatem ordinis, & potestatem iurisdictionis. 2739.
3. Quanta iurisdictio sit in potestatibus laicis, maxime supremis. Et num in potestate suprema huius regni ac Lusitani, hoc est in Rege, tota reip. iurisdictio resideat. 2744.
4. Num iurisdictio tota Ecclesiæ in summo Pontifice resideat, ab eoq; in cæteras ecclesiasticas potestates ecclesiastica iurisdictio deriuetur. 2748.
5. De diuisione iurisdictionis latè sumptæ in merum imperium, mixtum imperium, & in iurisdictionem pręsę sumptam. Et de officio iudicis nobili, & de iudicis officio mercenario. 2752.
6. Sex gradus meri imperii. Totidem distinguantur mixti imperii, & totidem iurisdictionis. Et quando mixtum imperium alicui a Principe conceditur, in quibus gradibus concedi censeatur. 2755.
7. Episcopis, legatis Sedis Apostolicæ, & Prælatis inferioribus, etiam religionis, in sibi subditos, quantum imperii ac iurisdictionis competat. 2759.
8. Iudex latissimè sumptus, vt comprehendit potestatem omnem, alius ordinarius, alius delegatus, & alius arbiter. Et quis sit iudex ordinarius. 2763.
9. Legatorum Sedis Apostolicæ quidam iudices non sunt; alii verò sunt iudices, & tam qui sunt à látere, quam qui à látere non sunt, iudices sunt ordinarii: & quanta eorum sit iurisdictio. 2767.
10. Vicarii Episcoporum & aliorum ordinariorum, qui iudices ordinarii, qui non item. Et quanta eorum iurisdictio. Et vbi Episcopi & Archiepiscopi, ipsorumq; vicarii, possint causas audire. 2776.
11. Capitulum sede vacante, & eius generalis vicarius seu prouisor, an iudices sint ordinarii. Et quanta eorum sit iurisdictio. 2785.
12. De iudicibus constitutis à dominis infra Regem diuersorum suorum populorum, num ordinarii sint. Et num tam illi, quam alii ministri publici ab eisdem dominis constituti, vna cum ipsis dominis exspirent. 2798.
13. De correctore & vicario illius, quem in hoc regno tiniente seu alcalde maior vocant, num iudices sint ordinarii. Et num aliis iudicibus ordinariis fas sit vicarios sibi crecare. Num item auditores prætoriorum huius regni supremique senatus iudices sint ordinarii. 2805.
14. Iudices seu potestates delegatæ quæ sint. Et quomodo potestas delegata ab ordinaria decernatur. 2811.
15. Delegare aut etiam subdelegare quis possit, quis non item. 2814.
16. Delegans quousque cogere alios possit, vt delegati ipsius sint. Et quæ requirantur, vt causam possit delegare. 2817.
17. Quas causas delegare non possint iudices ordinarii. Et num quo ad id discrimen sit inter ius canonicum & ciuile. 2820.
18. Nudum aliquod ministerium, quando lege, priuilegio, aut alia ratione, alicui muneri, vt prælati, annectitur, an possit delegari. Et num derogatum sit hodie facultati absoluendi in foro conscientiæ a crimine hæresis occulto, & ab aliis criminibus de cœna Domini, Episcopis à Tridentino concilio concessæ. Et quando nudum ministerium, non annexum alicui muneri, conceditur, num delegari possit. 2822.
19. Iurisdictio ordinaria non exspirat, etiam re integra, exspirante concedente iurisdictione. Iurisdictio verò delegata, re integra, exspirat in delegato exspirante in delegante iurisdictione: secus re non integra. Et quando res integra dicatur. 2825.
20. Gratia quando morte, aut aliter exspirante in concedente iurisdictione, etiam re integra, non exspiret, & quando exspiret, etiam re non integra. Et num delegati executores quo ad aliquam gratiam, morte eos delegantis, etiam re integra, non exspirent. 2828.
21. Delegatus variis modis potest subdelegare. Et quando iurisdictio tunc in subdelegante aut in subdelegato exspiret. Et quando a subdelegato appellandum sit ad subdelegantem. Et quando delegator constitutos in dignitate sub nomine dignitatis, num in ea delegatione succedat, qui succedit in ea dignitate. 2833.
22. De delegato vt procedat appellatione postposita. Et quatenus in executione procedere possit, si ab eo appelletur: atque de subdelegatione ab illo facta, & ad quem à tali subdelegato appelletur. 2837.
23. Suspicio quousque aduersus delegatum & ordinarium de iure ciuili & canonico locum habeat, iudicemq; impediat aut nõ. Excõmunicatio item

delegantis quousque impediat aut non impediat iurisdictionem delegati; & ordinarii excommunicatio iurisdictionem sui vicarii. 2839.

24. *Quot modis contingat multos ad aliquid delegari: quãdo eorum aliquis recusatur, quis de causa suspicionis recusare debeat; quousque subdelegare singuli possint; ad quem ab ipsis sit appellandum. Quando necesse sit omnes simul concurrere, quando non item. Si discordent, quorum sententiæ sit standum. Et quid, quo ad hoc, quando multi iudices ordinarii eandem causam definiunt. 2854.*

25. *Delegatus ostendere tenetur se habere eam iurisdictionem, neque rescripti limites excedere potest. Et quæ necessaria sint, vt esse possit delegatus. Atq; vbi, & num gratis, exercere suam iurisdictionem debeat. 2863.*

26. *De potestate delegati summi Pontificis. Et num exequutioni mandare possit sententiam à se latam. Et quid quo ad hoc de delegatis aliorum. 2870.*

27. *Delegati iurisdictio quãdo exspiret, quòd functus sit iam suo munere, vel quòd elapsum sit tempus illi præscriptum, intra quod causam finiret. Et quantum temporis sit ei concessum, vt sententiam à se latam executioni mandet. 2876.*

28. *Num inquisitores hæreticæ prauitatis iudices sint delegati, an ordinarii. Et multa circa illorum iurisdictionem. 2880.*

29. *Conseruatores num iudices sint delegati: quanta eorum sit iurisdictio. Et qui in conseruatores eligi possint. 2904.*

30. *De arbitris & compromisso. Et quod discrimen sit inter arbitros preße, & arbitratores, & inter amicabiliter compositores. 2908.*

31. *Discrimen inter arbitros iuris, & arbitros compromissarios, de quibus præcipuè est hoc loco sermo. Et de arbitris testamentariis. 2921.*

32. *De compromisso in arbitrum, nec in arbitratorem. Et de variis illius modis. 2924.*

33. *De variis clausulis appositis interdum in compromisso. Et de potestate arbitris & arbitratoribus compromisso eis clausulis data. 2929.*

34. *Compromissum si solo pacto nudo fuit celebratũ, consentientibus compromissariis, hoc est arbitris, quousque partes compromittentes & arbitros obliget de iure ciuili & de huius regni, & de canonico iure, secuto & emologato arbitrio, aut illo nondum emologato vel secuto. 2956.*

35. *Si compromissum in arbitros stipulatione sit vallatum, aut etiam in eo vel in compromisso pacto nudo celebrato, si apposita fuit pœna, quousque arbitros & partes obliget, secuto & emologato. Et quousque appellare ab arbitrio liceat, aut non liceat de iure ciuili, canonico, huius regni, & Lusitano, hæc examinantur. 2943.*

36. *Compromissum iuramento confirmatum, quas vires habeat. 2970.*

37. *A sententia arbitrorum iuris an liceat appellare. 2978.*

38. *De compromisso in arbitratorem preße, quousque varie effectum actio ex illo resultet aut non. Et nũ in sententia arbitratoria locum emologatio habeat. Et quousq;, & intra quantum tempus reductio illius ad limites æquitatis peti possit, & apud quem. 2980.*

39. *Qui arbitri & arbitratores esse non possint aut possint. 2989.*

40. *Circa quæ compromitti non possint. Et quis compromittere possit. 2994.*

41. *Ex quibus causis arbiter, qui munus acceptauit, nec teneatur, nec cogi possit, ferre arbitrium, seu sententiam, neque in causa progredi. 3000.*

42. *Quando in multos est compromissum, sine tanquam in arbitros, siue tanquam in arbitratores, num necesse sit omnes concurrant. Et si discordẽt, quorum sententiæ sit standum. 3003.*

43. *Compromißum quando exspiret. Et quando arbitri aut partes prorogare possint tempus in compromisso præscriptum. 3009.*

44. *Arbitri quo in loco cognoscere de causa debeant ac sententiam proferre. Et num diebus feriatis vel in loco sacro id efficere possint. Et ad quæ eorum sententia se extendere possit. 3013.*

45. *Sententia arbitri intra quantum tempus expleri debeat. Et ad quem iudicem pertineat, executionem illius aduersus morosum cogere ac efficere. 3016.*

46. *Quid & quotuplex sit lex. Et de lege Dei incommutabili ac æterna, itemque de lege peccati. 3019.*

47. *Lex naturalis num indita nobis sit. Et quid sit in nobis. Et de synderesi & conscientia. 3058.*

48. *Vtrùm lex naturalis sit vna, ac sit de omnibus virtutum actibus. 3065.*

49. *Vtrùm lex naturalis sit eadem apud omnes. Et num mutationem suscipiat, aut aboleri ab hominum cordibus possit. 3067.*

50. *Vtrùm lex vetus bona atque à Deo fuerit. 3074.*

51. *Vtrùm lex vetus soli Israelitico populo, quem solum obligauerit, dari debuerit. 3096.*

52. *Vtrùm lex vetus conuenienter tempore Moysis à Deo lata sit. Et num vetus Testamentum tempore Abrahami inceperit, vetusq; ac nouum Testamentum veram Testamenti rationem habeant. Et à quo puncto computari debeant quadringenti triginta anni, post quos Paulus ad Galatas 3 ait legem veterem fuisse latam. 3101.*

53. *Quotuplicia sint præcepta veteris legis. 3117.*

54. *Num ad præceptorum veteris legis obseruationem inducere Deus, dum lex illa perseuerauit, filios Israël debuerit temporalibus præmiis ac suppliciis. 3125.*

55. *Vtrùm præcepta omnia moralia ad legem naturæ pertineant, sintq; de omnium virtutum actibus. 3133.*

56. *De præceptis decalogi. 3135.*

57. *Vtrum in præceptis decalogi diuina saltem potentia locum habeat dispensatio. 3143.*

58. *Vtrùm modus virtutis cadat sub præcepto. 3157.*

59. *Vtrùm modus caritatis cadat sub præcepto diuinæ legis. 3160.*

60. *Vtrum præcepta moralia veteris legis iustificarent. 3170.*

61. *De cæremonialibus veteris legis præceptis. Et nũ fuerint ante legem scriptam, virtutemq; tunc habuerint iustificandi. 3171.*

62. *Vtrùm cæremonialia veteris legis præcepta ita cessauerint, vt absque lethali culpa seruari nequeant. 3174.*

63. *De iudicialibus veteris legis præceptis. 3198.*

64. *De lege noua, euangelica ve, ac gratiæ. 3200.*

65. *Vtrùm lex noua fuerit alia à veteri. Et num iusti veteris Testamenti filii fuerint Dei adoptiui. 3204.*

66. *Vtrùm lex noua veterem impleuerit, in eaq; fuerit contenta. Et num lex vetus grauior noua sit. 3208.*

67. *De quibus lex noua disponat. Et de Euangelicis consiliis.* 3211.
68. *Humanam legem, tam ciuilem quàm Ecclesiasticam, quis condere possit, & quousque subditorum acceptatione pendeat, cuiusque virtutis ac potentiæ actus ea sit, quomodo à lege Dei æterna deriuetur, quid sit, & num à lege naturali deriuetur, melius ne sit legibus quam præpositorum prudentia respublicas gubernari.* 3212.
69. *Quas conditiones humana lex habere debeat. Et num ius gentium positiuum ius an naturale sit.* 3215.
70. *Lex humana, vt obliget, num promulgationem requirat. Et num statim promulgata obliget, an post duos menses. Et quid de lege summi Pontificis.* 3221.
71. *Vtrùm de essentia legis humanæ ac constitutionis sit, vt sit scripta. Et num ignorantia legis seu iuris excuset. Et qualiter legis ignorantia probari possit.* 3229.
72. *Vtrùm lex humana generalis esse debeat, & vniuersa vitia prohibere, omniumq; virtutum actus præcipere.* 3245.
73. *Vtrùm humana lex obliget in conscientia foro; eáque de re hæretici confutantur.* 3246.

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE, QVAE HOC TOMO SEXTO CONTINENTVR.

Disp. 4.

Pasce agnos & oues meas. Ioan. 22.

Disp. 46.

A sæculo fregisti iugum, rupisti vincula, dixisti, non seruiam. Hierem. 2.

Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum, subjice humerum tuum, & porta illam, & ne accedieris vinculis illius. Eccles. 6.

Qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorũ. Matt. 7.

Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est. Matth. 12.

Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Rom. 2.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, confidis te esse ducem cæcorũ, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ ac veritatis in lege. Qui ergo aliũ doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis nõ mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autẽ præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. Si igitur præputiũ iustitias legis custodiat, nõnne præputiũ illius in circumcisionem reputabitur? & iudicabit, qui ex natura est præputium legem consummans te, qui per litteram & circumcisionẽ præuaricator legis est? Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis, non in littera, cuius laus non est in hominibus, sed ex Deo est. Ibidem.

Multi dicunt, quis ostendit nobis bona. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. Psal. 4.

Reuelatur ira Dei de illo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorũ, qui veritatem Dei in iniustitia detinẽt: quia quod notũ est Dei, manifestũ est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, nõ sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedũ, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c. Rom. 1.

Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Ibidem.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & confirmabo super domum Israel, & super domũ Iuda Testamentum nouum, non secundùm Testamentum quod feci patribus eorũ, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corda eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Hebr. 8.

Non, quod volo bonum, hoc ago: sed odi malum, illud facio. Velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis. Rom. 7.

Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus. Iob 28.

Quando præparabat cælos, aderam. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos. Prouer. 8.

Quis concludit ostiis mare? circumdedi illud

lud terminis meis, & posui vectem & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Iob 38.

Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiã. Pro. 8.

Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentũ, ante solis occasum reddes ei. Exo. 22.

Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Isaiæ 66.

Fiat lux & facta est lux. Gen. 1.

Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Psal. 32.

Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Rom. 8. Disp. 47.

Quis posuit in visceribus hominis sapientiam? Iob 38.

Propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Vt quid iudicatur ab aliena conscientia. 1 Cor. 10.

Ideoq; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiã propter conscientiam. Rom. 13.

Finis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona. 1 Timoth. 1.

Habens fidem & conscientiam bonã, quam quidẽ repellẽtes circa fidẽ naufragauerũt. Ibi.

Habentes mysterium fidei in conscientia pura. 1 Timoth. 3.

Cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura. 2 Timoth. 1.

Inquinata est eorũ mens & cõscientia Tit. 1.

Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem. Heb. 9.

Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Ibid.

Ideo quòd nullam haberent vltrà conscientiam peccati cultores semel mundati. Heb. 10.

Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corde à conscientia mala. Ibid.

Ego in omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum. Act. 23.

In hoc & ipse studeo sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper. Act. 24.

Conscientiam habentes bonam. 1 Petr. 3.

Non est in conscientia nostra, quis posuerit eam in marsupiis nostris. Gen. 43.

Scit conscientia tua, quin & tu maledixisti aliis. Eccl. 7.

Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est. Rom. 9.

Gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ, quòd in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, & gratia Dei conuersati sumus. 2 Corinth. 1.

Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis nostris manifestos nos esse. 2 Cor. 5.

Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelso. Iob 16.

Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. 1 Cor. 4.

Disp. 50.

Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Ioann. 5.

Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur. Hebr. 8.

Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent. Ezech. 20.

Lex iram operatur, vbi enim non est lex, neque præuaricatio. Rom. 4.

Lex subintrauit, vt abũdaret delictũ. Rõ. 5.

Occasione accepta, peccatum per mandatũ operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum non erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatũ, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortẽ. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Rom. 7.

Dei perfecta sunt opera. Deut. 32.

Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Hebr. 7.

Quò mihi multitudinem victimarũ vestrarũ, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorũ nolui. Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambuletis in atriis meis? Ne offeratis vltrà sacrificium frustra. Neomeniam & sabbatũ vestrũ, & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cætus vestri. Calendas vestras & solemnitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis. Isaiæ 1.

Non sum locutus cũ patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti de verbo holocausto matũ & victimarum. Ierem. 7.

Num quid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis. Psal. 49.

Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Psal. 50.

Sacrificiũ & oblationes noluisti, aures autẽ perfe-

perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti. Pſal. 39.

Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Heb. 10.

Oculum pro oculo, dentem pro dente. Mat. 5.

Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexterã maxillam tuam, præbe illi & alteram. Matth. 5.

Qui ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita ſunt eis eloquia Dei. Rom. 3.

Qui annunciat verbum ſuum Iacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Pſal. 147.

Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Iſrael voluntates ſuas, miſerator & miſericors Dominus. Pſal. 102.

Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum & iuſtum & bonũ. Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit, ſed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem. Vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim, quòd lex ſpiritualis eſt: ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Rom. 7.

Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Ibid.

Condelector legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Ibid.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ibid.

Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Ibid.

Igitur ego ipſe mente ſeruio legi Dei: carne autem legi peccati. Ibid.

Scimus quia bona eſt lex, ſi quis ea legitimè vtatur. 1 Tim. 1.

Quid igitur lex? Propter tranſgreſſionem poſita eſt, miniſtrata per angelos in manu mediatoris. Priùs autem quàm veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidẽ quæ reuelanda erat. Gal. 3.

Pædagogus noſter fuit in Chriſto. Ibid.

Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Rom. 10.

Nolite putare, quoniam veni ſoluere legẽ aut Prophetas; non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum aut vnus apex nõ præteribit à lege, donec omnia fiant. Matth. 5.

Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed legem ſtatuimus. Rom. 3.

Lex per Moyſem data eſt: Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Ioann. 1.

Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ, inuenimus Ieſum. Ibid.

Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioann. 3.

Vos adoratis quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus: quia ſalus ex Iudæis eſt. Ioann. 4.

Ego miſi vos metere, quod vos non laboraſtis, alii laborauerunt, & vos in labores eorum introiſtis. Ibid.

Scrutamini ſcripturas: illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Ioann. 5.

Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si crederitis Moyſi, credetis forſitan & mihi. Ibid.

Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras. Matth. 5.

Honora patrem tuũ & matrẽ tuã. Exo. 20.

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum; tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec. Pſal. 109.

Hic eſt calix ſanguinis mei, noui & æterni Teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Marc. 11. Lucæ 22.

Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, cuius liuore ſanati ſumus. Iſai. 35.

Princeps pacis. Iſai. 9.

Melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus promiſſionibus ſancitum eſt. Hebr. 8.

Dicendo autẽ nouum veterauit priſus. Ibi.

Agnus occiſus ab origine mundi. Apoca. 13.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo. Lucæ 23.

Et benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ. Gen. 22.

Non eſt in aliquo alio ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Actor. 4.

Leuauit Abraham oculos, viditq́ poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem aſſumens, obtulit holocauſtum pro filio: Appellauitq́ nomen loci illius, Dominus videt. Gen. 22.

Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt. Ioann. 8.

Quid igitur lex? propter tranſgreſſionem poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Gal. 3.

Si enim qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, &c. Hebr. 2.

Hic eſt, qui fuit in eccleſia, in ſolitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis. Actor. 7.

Qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum,

rum, & non custodistis. Ibid.

Apparuit q; illi Dominus in flamma ignis de medio rubi. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi. Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos. Exod. 3.

Apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns admiratus est visum. Et accedente illo vt cõsideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens, Ego sum Deus patrum tuorũ, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Act. 7.

Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham. At ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. Gen. 22.

Et ecce, Angelus Domini de cælo clamauit, dicens, Abraham, Abraham. Qui respondit, Adsum. Dixit q; ei: Non extendas manũ tuam super puerum, neque facias illi quidquã. Nunc cognoui, quòd timeas Dominum, & non pepercisti filio tuo propter me. Ibid.

Venerunt q; duo angeli Sodomam. Gen. 19.

Multifariam, multis q; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula. Hebr. 1.

Deum nemo vidit; vnquam vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Ioann. 1.

Prophetam de gente tua & fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Oreb, quando concio congregata est atque dixisti: Vltrà non audiam vocem Domini mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus, Bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetur q; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam. Deut. 18.

Dominus est filius hominis etiam sabbathi. Matth. 12.

Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbatho. Iesus autem respondit eis: Pater meus, &c. Ioann. 5.

Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solùm soluebat sabbathum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Ibid.

Non licet tibi tollere grabatum tuum. Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum & ambula. Ibid.

Iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus suis, quas operata es. Ezech. 16.

Et pollui eos in muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vulvam, propter delicta sua, & scient, quia ego Dominus. Ezec. 20.

Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes, &c. Sed hoc verbum præcepi eis dicens, audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quã mandaui vobis, vt bene sit vobis: & non audierunt, neque inclinauerunt aurem suam. Ierem. 7.

Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oues vestras, & boues, in omni loco, in quo memoriã fuerit nominis mei: veniã ad te & benedicã tibi. Quòd si altare lapideum feceris mihi, nõ ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eum, polluetur. Exod. 20.

Tulit de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo in Galgalis. Ait Samuel. Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quàm victima, aut auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. 1 Reg. 5.

Misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocaustum. Oseæ 6.

Bene, magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum. Marci 12.

Iesus autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei. Ibi. Disp. 51.

Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lumen Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Isaiæ 29.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Psal. 2.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, vt vocem meam audiant, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Ioan. 10.

Quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel. Lucæ 2.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Marci 16.

Nunc autem in Christo Iesu, vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit

fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ, soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semet ipso, in vnum nouum hominem, faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semet ipso, & veniens euangelizet pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem. Ephes. 2.

Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen. Rom. 9.

Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi; Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerũ filiorum Israel. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atq; portauit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit, &c. Deut. 32.

Omnis alienigena non comedet ex eo. Quòd si quis peregrinorũ in vestrã voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritq; sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos. Exodi 12.

Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridum, vt faciatis vnum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo quàm vos. Matt. 23.

Iudæi quoque & proselyti. Act. 2.

Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ. Gal. 5.

Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possideam, cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terras earũ: sed quia illæ egerunt impiè, & trœcunte te, deletæ sunt: & vt impleret verbum suum Dominus, quod sub iuramẽto pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Scito ergo, quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus. Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine: & ex eo die quo egressus es de Aegypto vsque ad locum istum, semper aduersus Dominum contendisti, &c. Deut. 9.

Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (vt secũdùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui Rom. 9.

Per me metipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Gen. 22.

Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem. Exodi 3.

Disp. 52.

Fratres, secundùm hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Gal. 3.

Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum fecit ad euacuandam promissionem. Ibid.

Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: sed qui de ancilla, secundùm carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per Allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte Sina. Gal. 4.

Venit Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia; respondit q; omnis populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, & manè consurgens ædificauit altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitq; iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolauerunt q; victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulitq; Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assumensq; volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt, Omnia quæ loquutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem sparsit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepegit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus suis. Exodi 24.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam

riam domui Israel & domui Iuda fœdus nouũ, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: pactũ quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorũ, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Ierem. 31.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domũ Iuda Testamentum nouum, non secundùm testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentũ, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, &c. Hebr. 8.

Ideo noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamẽto, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim Testamentũ est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatũ est, alioquin nondum valet, dũ viuit qui testatus est. Vnde nec primũ quidem sine sanguine dicatũ est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populũ asperſit, dicens: Hic sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter asperſit, & omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Hebr. 9.

Quorum adoptio est filiorum, & gloria & Testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa. Rom. 9.

Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine. 1 Cor. 11.

Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti. 2 Cor. 3.

Vsque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur. Ibid.

Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur. Marci 14.

Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine. Lucæ 22.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti: Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis. Lucæ 1.

Non custodierunt Testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Psal. 77.

Cor eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Ibid.

Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita. Psal. 88.

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersus sanctos tuos. Dixerunt: Venite, disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltrà. Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul aduersum te testamentum, disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitæ, Moab, & Agareni, Gebal. Psal. 82.

In diebus illis exierunt ex Israel filii iniquí, & suaserunt multis dicentes, Eamus & disponamus testamentum cum gentibus, quæ circà nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala. 1 Mach. 1.

Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinũ Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè & Lazarum in sinu eius. Lucæ 16.

Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Gen. 15.

Descendam ad filium meum lugens in infernum. Gen. 37.

Egressus est vnus, & dixistis, Bestia deuorauit eum, & huc vsque non comparet. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Gen. 44.

Salutare tuum exspectabo, Domine. Ge. 49.

Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos. 3 Reg. 2.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescit in spe. Psal. 15.

Quoniã non derelinquis animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Ibid.

Quòd autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit, Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & alias dicit, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Dauid enim in sua generatione, cùm administrasset voluntatem Dei, dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem autem Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem. Act. 13.

Viri Israelitæ audite verba hæc: Iesum Nazarenum

zarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis, & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid dicit in eum, Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quia à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionē. Notas mihi feciſti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernū diē. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Act. 2.

Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor, cùm apparuerit gloria tua. Psal. 16.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Psal. 35.

Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. Psal. 149. Exultationes in faucibus eorum. Ibid.

In domo Patris mansiones multæ sunt. Ioann. 14.

Gratiam & gloriam dabit Dominus. Psal. 85.

Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum. Eccli. 18.

Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo. Ierem. 31.

Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis; sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus æternæ vitæ resurrectione suscitabit. 2 Machab. 7.

Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Sapient. 4.

Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt eum, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Iob 19.

Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium his, mundari; ipsa autem cælestia, melioribus hostiis quàm istis. Hebr. 9.

Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Aegypti. Exodi 12.

Viri fratres & patres, audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, cùm esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorū, & habitauit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis: Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis, sed promisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium. Act. 7.

Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omniq; cognatione sua, filii Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleuerunt; terrā. Surrexit interea Rex nouus super Aegyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum: Ecce populus filiorum Israel multus & fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum. Exodi 1.

Scito præscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo. Et post hæc egredientur cum magna substantia. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. Gen. 15. Disp. 53.

Et ostendi vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis, mihiq; mandauit in illo tempore, vt docerem vos cæremonias & iudicia, quæ facere deberetis in terra, quam possessuri estis. Deut. 4.

Hæc sunt præcepta & cæremoniæ atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos. Deut. 6.

Offeret vitulum de armento holocaustum in odorem suauissimum Domino, & sacrificium eius ac liba, vt cæremoniæ postulant. Num. 15.

Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii in cæremoniis Leuitarum. Exodi 38.

Hæc est vnctio Aaron & filiorum eius in cæremoniis Domini in die, quo obtulit illos Moyses, vt sacerdotio fungerentur. Leuit. 7.

Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Rom. 13.

Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est omnis lex

&

& Prophetæ. Matth. 7.

Finis præcepti est caritas, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. 1 Timoth. 1.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatũ. Secundũ autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ. Matt. 22.

Qui non diligit fratrem suum, quẽ videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. 1 Ioan. 1.

Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Rom. 13.

Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum. Ioan. 14.

Qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est. 1 Ioan. 2.

Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. Exodi 22.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Psal. 92.

Disp. 54.

Cùm occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebãt ad Deum, & rememorati sunt, quia Deus adiutor eorum est, & Deus excelsus redemptor eorum est. Psal. 77.

Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malũ coram Domino Deo vestro, testes inuoco hodie cælũ & terram, citò perituros vos esse de terra, quã transito Iordane possessuri estis, non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus, atque dispergetin omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus. Cumq; quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum. Si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ meæ, postquam te inuenerint omnia quæ prædicta sunt, &c. Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Deut. 4.

Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra, venientq; super te vniuersæ benedictiones istæ, & apprehendent te; si tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, benedictus tu in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorũ tuorũ, greges armentorũ tuorum, & caulæ ouium tuarũ. Benedicta horrea & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te, corruentes in conspectu tuo. Per vnam viam veniet contra te, & per septem fugient à facie tua. Emittet Dominus benedictionem super collaria tua, & super omnia opera manuum tuarum, benedicetq; tibi in terra, quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius. Videbunt te omnes terrarum populi, quòd nomen Domini inuocatũ sit super te, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu ventris tui, & fructu iumentorũ tuorum, fructu terræ tuæ, quã iurauit Dominus patribus tuis, vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurum suum optimũ, cælum, vt tribuat pluuiam terræ in tempore suo, benedicetq; cũctis operibus manuum tuarum. Deut. 28.

Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra germinabit semen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendet messiũ tritura vindemiã, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pauore habitabitis in terra vestra. Dabo pacẽ in finibus vestris; dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos vestros. Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vestris centum alienos: & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri in conspectu vestro. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum, & vetera vobis superuenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, qui eduxi vos de terra Aegyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi cathenas cervicum vestrarum, vt incederetis erecti. Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constitu-

tuta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter, in egestate & ardore, qui conficiat oculos vestros, & cõsumat animas vestras. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his, qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboq; vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneam. Consumetur incassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. Si ambulaueritis ex aduerso, nec volueritis audire me, addam plagas vestras vsque in septuplũ propter peccata vestra: emittamq; in vos bestias agri, quæ consumant vos & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant, desertæq; fiẽt viæ vestræ. Quòd si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contra vos aduersus incedã, & percutiam vos septies propter peccata vestra, inducamq; super vos gladium, vltorẽ fœderis mei. Cumq; confugeritis in vrbes, mittã pestilentiam in medio vestri, & trademini in manibus hostium, postquam confregero baculum panis vestri: ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me, & ego incedam aduersus vos in furore contrario, & corripiam vos septem plagis propter peccata vestra, & simulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abominabitur vos anima mea, in tantum, vt ciuitates vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam sanctuaria vestra, nec recipiam vltra odorẽ suauissimum. Dispergamq; terram vestram, & stupebunt super ea inimici vestri, cùm habitatores illius fuerint. Vos autem dispergam in gentes, & euaginabo super vos gladium, eritq; terra vestra deserta, & ciuitates vestræ dirutæ. Leuit. 26.

Animaduerte sermonem, & intelligę visionem. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbẽ sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus Sanctorum. Scito ergo & animaduerte. Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem. Daniel. 9.

Ecce dedi eum testem gentibus, ducẽ & præceptorem populis. Isaiæ 55.

Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Micheas 5.

Hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ: & rursus ædificabitur platea & muri, in angustia temporũ. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, post finem belli desolatio: confirmabit autẽ pactũ multis hebdomada vna. Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Daniel. 9.

Cùm autem videritis abominationem. Orate vt non fiat fuga vestra in hieme vel sabbatho. Matth. 24.

Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quoniam appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius, discedant. Lucæ 21.

Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Psal. 49.

Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur. Lucæ 1.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorũ est regnum cælorum. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnũ cælorum. Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Matt. 5.

Omnes qui pie volunt viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2 Timoth. 3.

Disp. 55.

Coram cano capite surge, & honora personam senis. Leuit. 19.

Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, &c. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Exodi 20.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ. Prou. 25.

Disp. 56.

Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas. Et scripsit in tabula verba fœderis decem. Cumq; descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas testimonii. Exodi 34.

In Oreb prouocasti eum, & iratus delere te voluit, quando ascendi in montē, vt acciperē duas tabulas lapideas pacti, quod pepegit vobiscū Deus: & perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedēs, & aquam non bibens. Deditq; mihi Dominus duas tabulas lapideas, scriptas digito Dei, & continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est. Cumq; transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis. Cumq; de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, vidissemq; vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, & deseruisse velociter viam eius, quam vobis ostenderam, proieci tabulas de manibus meis, confregiq; eas in conspectu vestro. Deut. 9.

In tempore illo dixit Dominus ad me, dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesq; arcam ligneam: & scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesq; eas in arca. Feci igitur arcam de lignis Setim: cumq; dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus. Scripsitq; in tabulis iuxta id, quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio igni, quando populus congregatus est, & dedit eas mihi. Rursusq; de monte descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus. Deut. 10.

Accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cælum, erantq; in eo tenebræ & nubes & caligo. Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit, vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. Deut. 4.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, nec asinum, neque omnia, quæ illius sunt. Exodi 20.

Neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neque coles: ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, & in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me. Et faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non con. &c.

Audi Israel, Dominus Deus noster vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Deut. 6.

Non inueniatur in te, qui lustret filiū suum, aut filiam, ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Deut. 18.

Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Num. 30.

Non stabis contra sanguinem proximi tui. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Coram cæco non pones offendiculum. Leuit. 19.

Non erit meretrix de filiabus Israel; nec scortator de filiis Israel. Deut. 23.

Cum masculo ne commiscearis coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Leuit. 18.

Non habebis in sæculo diuersa pondera, maius & minus: nec erit in domo tua modius, maior & minor: pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominabitur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Deuter. 25.

In iudicio plurimorum non acquiesces sententiæ, vt à vero deuies. Mendacium fugies. Exodi 23.

Non mentiemini, non eris criminator nec susurro in populo. Leuit. 19.

Disp. 57.

Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum. Oseæ 1.

Dices omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea, & vestem. Exodi 11.

Fecerunt filii Israel, sicut præceperat Dominus Moysi, & petierunt ab Aegyptiis vasa argentea & aurea, vestemq; plurimam. Dedit autem Dominus gratiam populo coram Aegyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt Aegyptios. Exodi 12.

Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Rom. 1.

Et reddidit illis mercedem laborum suorum. Sap. 10.

Disp. 59.

Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6.

Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini. 1 Corinth. 11.

Qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est. 1 Ioan. 2.

Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est. 1 Ioan. 4.

Hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. 1 Ioan. 5.

Hæc est caritas, vt ambulemus secundùm mandata eius. 2 Ioan. 1.

Non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo. 3 Reg. 14.

In toto corde meo exquisiui te. Psal. 118.

Inuenies eum, si tamen in toto corde quæsieris eum. Deut. 4.

In tota voluntate quæsierunt eum & inuenerunt. 2 Paral. 15.

Reuersus est ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi. 4. Reg. 23.

Disp. 60.

Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo. Rom. 3.

Si enim per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Gal. 2.

Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Rom. 2.

Lex non est ex fide, qui fecerit ea, viuet ex illis. Gal. 3.

Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in illis. Leuit. 18.

Disp. 61.

Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis. Gen. 9.

Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos, bene agetis. Act. 15.

Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Ioan. 7.

Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & feminam. Gen. 7.

Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Gen. 9.

Quæ est parabola temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus, & in variis baptismatibus & iustitiis carnis, vsque ad tempus correctionis. Hebr. 9.

Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Hebr. 10.

Disp. 62.

Hic liber mandatorum Dei & lex est, quæ in æternum. Baruch 4.

Erit vobis hoc legitimũ sempiternũ. Leu. 16.

Lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificaremur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo. Gal. 3.

Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis, quoniam Abraham duos filios habuit, &c. Sed quid dicit? Ejice ancillam & filium eius, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Gal. 4.

Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Ibid.

Nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini. Gal. 5.

Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat. Hebr. 7.

Aufert primũ, vt sequens statuat. Heb. 10.

Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Ibid.

Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11.

Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum. Act. 10.

Quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominum non accipit. Gal. 3.

Restiti ei in faciem, qui reprehensibilis erat, & cùm vidissem quòd non rectè ambularet ad veritatem euangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo cogis gentes Iudaizare? Ibid.

Consummatum est. Ioan. 19.

Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum. Matth. 27.

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Hebr. 9.

Nisi

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ioan. 3.

Si non venissem & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Ioan. 15.

Omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. Et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. Matth. 11.

Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Ioan. 6.

A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur: & violenti rapiunt illud. Matt. 11.

Ex illo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Lucæ 16.

Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Lucæ 1.

Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem. Rom. 4.

Cùm esset gentilis, non est compulsus circumcidi. Gal. 2. Disp. 64.

Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnibus & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gratia Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non: sed per legem fidei. Rom. 3.

Fides per caritatem operatur. Gal. 5.

Et statuam illis testamentum alterum sempiternum, vt sim illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Baruch 2.

Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Matt. 24.

Filioli, nouissima hora est. 1 Ioan. 2.

Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum. Hebr. vlt.

Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam & viuentem, accedamus. Hebr. 10.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Lucæ 23.

Vt maneat vobiscum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ioan. 14.

Nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus. Ioan. 7.

Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio. Matt. 24.

Sed dico. Numquid audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Rom. 10. Psal. 18.

Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Psal. 21.

Disp. 65.

Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum seruitutis iterum adoptionis filiorum. Rom. 8.

Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt adoptionem filiorum redemptionis reciperemus. Gal. 4.

In propria venit, & sui eum nō receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ioan. 1.

Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filii Dei nominemur & simus. 1 Ioann. 3.

Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me. Isaiæ 1.

Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Tit. 3.

Quorum adoptio est filiorum. Rom. 9.

Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus seruientes. Gal. 4.

Si filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Rom. 8.

Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini. Psal. 81.

Peccauerunt ei, & non filii eius in sordibus. Deut. 32.

Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius, in caritate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ. Ephes. 1.

Quos præscìuit & prædestinauit conformes fieri imagini filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Rom. 8.

Disp. 66.

Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Rom. 8.

Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum: quæ sunt vmbra futurorum. Coloss. 2.

Quasi sit rota in medio rotæ. Ezech. 1.

Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus? Actor. 15.

Disp. 69.

Hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare. Lucæ 14.

Disp. 71.

Qui citò credit, leuis est corde. Eccles. 19.

Disp. 73.

Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Act. 5.

Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille passus, vade cum eo & alia duo. Matth. 5.

Serui subditi estote dominis, non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. 1 Petri 2.

Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. Matth. vlt.

Israel, audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea viuas. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Deut. 4.

Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam aut minuas. Deuter. 12.

Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster. Isaiæ 33.

Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & seruare. Iacobi 4.

Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominis & doctrinis; ideo, ecce, ego addam, &c. Isaiæ 29.

Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens; Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè est à me. Sine causa enim colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Matth. 15. Marc. 7.

Vbi spiritus Domini, ibi libertas. 2 Cor. 3.

State & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Gal. 5.

Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum. 1 Cor. 7.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore. Ephes. 6.

Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. 1 Cor. 7.

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Matth. 19.

Attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Sap. 8.

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Dei minister est tibi in bonum. si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Rom. 13.

Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire. Tit. 3.

Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei. 1. Pet. 2.

Regem honorificate. Subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Ibid.

Subiecti inuicem in timore Christi. Mulieres viris subditæ sint, sicut Domino: sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Ephes. 5.

Obedite parentibus vestris in Domino. Serui subditi estote dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus. Philip. 6.

Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Prouerb. 8.

Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministret Domino, morietur homo ille, & auferes malum de Israel. Deut. 17.

Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Matth. 16.

Alligant enim onera grauia & importabilia, digito autem suo nolunt ea mouere. Matthæi 23.

Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Lucæ 10.

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis; ipsi enim peruigilant, tanquam pro animabus vestris rationem reddituri. Hebr. 13.

Per transiens ciuitates, præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & seniorum. Act. 15.

Tradebant eis custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis & senioribus, qui erant in Ierusalem. Act. 16.

Laudo vos, quòd sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 1. Cor. 11.

Scitis, quæ præcepta dederim vobis: qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui Spiritum suum sanctum nobis dedit. 1. Thessal. 4.

Confidimus de vobis, fratres, in Domino, quoniam quæcunque præcipimus, & facitis & facietis. Cùm essemus apud vos, denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate, &

ne

ne commiſceamini cum illo. 2. Theſſal. 3.

Conſerua, fili mi, præcepta patris tui. Prouerb. 6.

Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris & matris imperium, & coërcitus obedire contempſerit, apprehendent eum, & ducent ad ſeniores ciuitatis illius, & ad portam iudicii, dicentq; ad eos: Filius noſter iſte proteruus & contumax eſt, monita noſtra audire contemnit, come ſationibus vacat & luxuriæ, atque conuiuiis. Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat. Deuter. 21.

Docentes vos ſeruare omnia, quæ mandaui vobis. Matt. 28.

Facite igitur & ſeruate, quæ præcepit Dominus Deus vobis. Non declinabitis neque ad dextram neque ad ſiniſtram, ſed per viam, quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis, vt viuatis, & bene ſit vobis. Deut. 5.

Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quidquam, nec minuas. Deuter. 12.

Scripſit, vt quartam decimam & quintam decimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno, ſolemni celebrarent honore. Eſther 9.

Suſceperunt q; Iudæi in ſolemnem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cæperant. Suſceperunt Iudæi ſuper ſe & ſemen ſuum, & ſuper cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate tranſigere. Ibid.

Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore in præſentem diem. Iudith vlt.

Statuit Iudas & fratres eius, & vniuerſa eccleſia Iſrael, vt ageretur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per dies octo. 1 Machab. 4.

Et factum eſt hoc: ex die illo conſtitutum & præfixum & quaſi lex in Iſrael. 1 Reg. 30.

APPRO-

APPROBATIO.

Sextus hic Tomus de Iuſtitia, Eximii Doctoris Ludouici Molinæ, non ſolùm approbationem, ſed longam commendationem multis nominibus meretur: quippe in quo, quicquid de iudicio & executione iuſtitiæ per publicas poteſtates tractari poteſt, doctè & ſolidè eluceat, & legum tractationem, longè vtilem, cuius progreſſui mors inuîdit, contineat. Vnde ad commune Theologicæ & Chriſtianæ reipu. bonum typis mandari oportere cenſeo. Antuerp. in Seminario Epiſcopali 17 Ianuarii, 1608.

Laurentius Beyerlinck, Antuerp.

S. Theol. Licent. Eccleſ. Antuerp. Canonicus, & librorum Cenſor.

DE IVRISDICTIONE ET VARIIS GENERIBVS POTESTATVM PVBLICARVM, IVDICVMVE.

TRACTATVS QVINTVS.

TOMVS SEXTVS.

Discrimen inter correctionem fraternam & iudicialem. Et quarum virtutum actus sit iudicium, iustitiæq; exequutio per potestates publicas, materia scilicet ac obiectum huius quinti de iustitia tractatus, ad quod cætera, de quibus in eo est sermo, attributionem habent. Disput. 1.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit correctio fraterna, & ad quarum virtutum actum spectet.*
2. *Correctio iudicialis respicit peccatum proximi, quatenus cadit in detrimentum alterius, ac boni communis.*

1 SVPRA in hac 2. 2. q. 33. art. 1. dum de correctione fraterna nobis erat sermo, fraternam correctionem à iudiciali distinximus. Dicebamus verò, correctionẽ fraternam, iuxta diuum Thomam eo in loco, esse adhibitionem remedii peccato proximi, quatenus ipsimet nocet. Quo fit, vt ea correctio pro fine bonum ac emendã ipsius peccantis habeat: & vt ex eo fine sit dimetiendum, quantum in ea correctione progrediendum sit, aut non sit, vt ibidem & aliis articulis in ea quæstione sequentibus copiosè explanauimus. Est autem ea correctio actus misericordiæ ac caritatis proximi, quo quis illi impedire aut ab eo depellere peccati miseriam conatur, conseruareque aut inducere in illum bonum peccato contrarium. Tametsi prælatus velut ex iustitia ratione officii arctiusque ad id teneatur: atque pro potestate, quam in subditum in bonum illius habet, paternè, aliteréque, quàm ad alios, pertineat corrigere eum suum subditum, pænam videlicet illi comminando, aut etiam infligendo, maximè si admonitiones ac obiurgationes viderit ad id non sufficere, vt ibidem dictum est.

2 Correctionem verò iudicialem ibidem dicebamus respicere peccatum proximi, quatenus cedit in detrimentum aliorum ac boni communis. Eam verò esse dicebamus actum iustitiæ, quo iusta pœna, in vindictam de eo peccato, infligitur, atque in satisfactionem eo læsi vel boni communis. Corrigere autem eo modo statuendo pœnam iustam, eamque infligendo, dicebamus pertinere ad solas publicas potestates: tametsi læsus intendere ac petere possit vt ea pœna per publicas potestates decernatur ac infligatur, aliique ad eandem correctionem interuenire soleant, vt ex dicendis in progressu huius tractatus erit manifestum. Quia ergo huiusmodi correctio actus est iustitiæ, partim commutatiuæ, & partim vindicatiuæ, vt subjiciemus, de ea differere ad hunc quintum de iustitia tractatum spectat.

B Non solùm autem de ea correctione, quæ idcirco iudicialis dicitur, quòd publico iudicio iudicisque autoritate fiat, futurus nobis est sermo in hoc quinto de iustitia tractatu, sed vniuersim etiam de iudicio, iustitiæque exequutione publica autoritate, & de iis, quæ hæc concernunt, ad eaque attributionem habent. Quæ sanè non solùm habent locum in criminibus delictisve puniendis, in quo prædicta correctio cernitur, sed etiam in definiendis ciuilibus causis, in exequutioneque eorum, quæ circa illas iudicata definitaque fuerint, & in plerisque aliis statuendis ac exequendis, quæ commune reipublicæ bonum efflagitat. Atque hæc omnia C disputanda ac explicanda in hoc quinto tractatu remanent in complementum eorum, quæ ad iustitiam commutatiuam spectant. Meminisse enim oportet, nos tractatu 1. in calce Disp. 12 ostendisse, actum, quo iudex potestásve publica ius dicit, iustitiamque administrat, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, adiudicando ac tribuendo vnicuique, quod ad ipsum spectat, & delicta puniendo, quin & actus omnes, quibus ea omnia statuit ac efficit, quæ publicum reipublicæ bonum partiũque eius efflagitant, si præcisè spectentur, quatenus potestas publica id eis præstat ac efficit, quod ex officio suo ac munere tenetur, esse actus iustitiæ commutatiuæ, impe- D ratos à iustitia legali per politicam ac regitiuã prudẽtiam, quæ in ea publica potestate, eo magis, quo superior est, architectonicè residèt, vt eodem tractatu 1. disputa. 1. copiosè explanatũ fuit. Etenim, vt tractatu 2. disp. 25. & aliàs dictum est, reipublicæ partes idcirco tributa & alia stipendia soluunt, communiaque bona deputata habent, quibus princeps & publici alii ministri

nistri potiuntur, eisque obedientiam ac reuerē-
tiam exhibēt, vt ius ipsis dicant, ipsos defendant
ac regant, & omnia alia præstent, quæ ad totius
reipublicæ ac partium eius bonum expedientia
ac necessaria viderint, ad idque quasi mercede
conductas eis omnibus emolumentis publicas
potestates habent: eaque de causa, si ex omissio-
ne alicuius eorum, quæ publicæ potestates ex
suo officio atque ex iustitia commutatiua pro
eis emolumentis facere tenentur, damnum a-
liquod partibus reipublicæ obueniat, restituere
illud eis tenentur. Item si in criminibus ius par-
ti læsæ non dicant, crimina competenti pœna ad
læsi petitionem non puniendo, aut ad petitionē
eorum, ad quos eas iniurias prosequi spectat, le-
thaliter sanè contra iustitiam peccant, restitue-
reque tenentur damna, si quæ ea de causa illis
obuenerunt: quòd si solam iniuriam sine dam-
no ea in re illis intulerunt, puniri ea de causa in
residentia aut à sublimioribus potestatibus de-
bent, pœnamque subire lata aduersus eos sentē-
tia. Potestates item publicæ ius in ciuilibus di-
cendo, iustitiamque partibus administrando,
ea etiam ratione actum iustitiæ commutatiuæ
exercent, quatenus cum eo cooperantur, à cu-
ius parte iustitia commutatiua pugnat, alterū-
que illā cū eo seruare decernūt ac cogunt, vt in
calce eiusdem Disp. 12. dictum est. Quatenus au-
tem in criminalibus pœnam iustam decernunt
ac infligunt in vindictam pro criminibus pa-
tratis, atque in læsi ac boni communis satisfa-
ctionem, eatenus sanè actum iustitiæ commu-
tatiuæ non exercent, sed iustitiæ vindicatiuæ,
quæ deficit ab integra ratione commutatiuæ iu-
stitiæ, illi tamen est affinis, atque inter partes
potentiales illius computatur, vt eadem Disp.
12 explicatum fuit: qua etiam ratione ad hunc
quintum de iustitia tractatum de ea agere spe-
ctat.

A principio eius, de quo tota futura est disputatio, initium sumamus. Quia verò iurisdictio est id, à quo publicæ potestates formaliter habent, vt publicæ potestates sint, ab illius explanatione erit initium sumendum.

Iurisdictio à glossa *l. 1. ff. de iurisdictione omnium iudicum*, quam sequuntur Bart. ibi, *Panor. c. quod sedem de offic. ordi. Nauar. de datis & acceptis not ab. 32. num. 47. Sylu. verb. iurisdictio*, & communiter iurisperiti, in hunc modum definitur: *Est potestas de publico introducta cum necessitate iurisdicendi & æquitatis statuendæ*, hoc est, statuendi quod æquum est. Affirmant verò dici à nominibus *ius* & *ditio*, nomenque *ditio* imperium ac potestatem significare, quasi iurisdictio idem sit, quod potestas iuris, dicendi scilicet. Cæterùm tunc scribendum esset iuriſditio, sine c, vt ab aliquibus scribitur: & non iurisdictio, vt communiter scribitur. 1

Alii verò rectiùs dicunt, iurisdictionem dici à dictione iuris: dicere verò ius esse non solùm sententiam pronunciare & definire quid ius æquitasque contineat, sed etiam legibus ac præceptis gubernare, iustitiam administrare, atque vniuersim personam publicam in alios vt in sibi subditos potestatem habentem facere circa illos, quicquid pro potestate, qua sibi subduntur, efficere potest. Quo fit, vt iurisdictio *sit facultas alicuius autoritatem & eminentiam super alios habentis ad eorum regimen & gubernationem*, vt cum Victoria & Nauar. consentaneè ad diuum Thomam tractatu 2. disp. 21 definiuimus potestatem iurisdictionis in genere. Iurisdictio enim & potestas iurisdictionis idem sunt. Neque enim sumimus hoc loco iurisdictionē pro iurisdictionis actu ac exercitio, dictionéve actuali iuris, sed pro facultate ac potentia ad eum exercendum, quæ etiam potestas iurisdictionis nūcupatur, à qua, nomine abstracti concretum significando, qui illam habent, potestates publicæ nuncupantur, vt disput. 21 citata dictum est. Hinc iam patet, iurisdictionem, de qua loquimur, esse id à quo potestates publicæ formaliter habent, quòd sint publicæ potestates: facultas enim seu potentia exercēdi actus iurisdictionis circa sibi subditos, exercendi, inquam, plures aut pauciores actus, & circa plures aut pauciores subditos, prout vnaquęque publicarum potestatum fuerit superior aut inferior, & latiorem aut minùs latam habuerit eam facultatem ac iurisdictionem communicatam, est id, à quo vnaquæque publicarum potestatum formaliter dicitur publica potestas, hoc est, publica pollens potestate, nomine abstracti significato concreto. Inde vteriùs patet, habere iurisdictionem, facultatémve seu potentiam iurisdictionis, relatiuum esse ad ea, ad quæ ea facultas in inferiores ac subditos se extendit, estque ea facultas habitudo quædam ad illa.

Ex dictis autem facilè iam erit distinguere in ministris Ecclesiæ potestatem ordinis à potestate iurisdictionis. Potestas quippe ordinis effectum respicit, quem quis ratione ordinis efficere potest, non quia ad illum exequendum ius habeat pro potestate regendi ac gubernandi sibi concessa, sed quia facultas ac potentia, quam mediante ordine suscepit, ex se atque ex institutione Christi id efficere habet. Potestas verò 2

iuris-

Iurisdictio quid. Et de discrimine inter potestatem ordinis & potestatem iurisdictionis. Disp. 2.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit iurisdictio: vnde deriuetur ipsum nomen Iurisdictio: à iurisdictione publicæ potestates formaliter habent, quòd sint publicæ potestates.*
2. *Quomodo differant potestas ordinis & potestas iurisdictionis.*
3. *Varia exempla, quibus ostenditur potestas ordinis & potestas iurisdictionis.*
4. *Nomine iurisdictionis, quoad actum illius, comprehenditur non solum iudicium, & ferre sententiam in subditos, sed etiam leges condere, publicos ministros creare, & alia eiusmodi.*
5. *Plenior Iurisdictionis definitio, quæ omnes nempe eius partes complectitur.*

INitium explanationis ordinis iudiciorum, iustitiæque exequutionis per potestates publicas, non aliunde possumus commodiùs sumere, quàm à potestatibus ipsis publicis, à quibus iudicium exequutioque iustitiæ emanare debet. Ita enim fiet, vt à fonte nobilissimoque

iurisdictionis respicit effectum, quem quis effi- A
cere potest, quia ad eum exequendum ius habet pro potestate regendi ac gubernandi, quæ in ipso est. Quo fit, vt si ad aliquid efficiendum simul in Ecclesiæ ministro requiratur potestas ordinis & iurisdictionis, effectus ille vt emanat ab vna earum potestatum, dicatur effectus potestatis ordinis, & vt emanat ab alia, dicatur effectus potestatis iurisdictionis.

3 Exempla hæc omnia dilucidiora reddent. Si Episcopus aliquis ordinet subditum alterius diœcesis, in quem nullam ad id iurisdictionem habeat; ille quidem ita ordinatus characterem recipiet, manebitque ordinatus: Episcopus tamen, qui eum ordinauit, non exercuit actum B
iurisdictionis: quoniam non exercuit actum circa id, quod ipsius regimini ac gubernationi esset ea in parte subiectum. Quare effectus ille in eum ita ordinatum inductus fuit solùm effectus potestatis ordinis, quatenus facultas & potentia, quam per episcopatus ordinem ille Episcopus accepit, dum Episcopus ordinatus fuit, ex se & ex Christi ordinatione habet eum effectum inducere, quotiescunque sacramentũ ordinis administratur. Quòd si tunc sibi quo ad id subditum ordinaret, idem effectus similiter esset potestatis ordinis, veruntamen illum per ordinis potestatem inducendo, exerceret simul actum iurisdictionis sibi subditum ita ordinan- C
do, atque adeò effectus idem, vt emanaret à potestate iurisdictionis ad illum in eum subditum inducendum, esset simul effectus potestatis iurisdictionis. Quòd si aliquis electus ac confirmatus esset Episcopus, nondumque esset consecratus, haberet quidem potestatem iurisdictionis, non tamen potestatem ordinis Episcopalis: eaque de causa excommunicare posset, & absoluere ab excommunicatione, cæteraque in suo Episcopatu exercere, quæ sunt solius iurisdictionis episcopalis, non verò ea, quæ Episcopi ratione ordinis episcopalis possunt exercere; atque si ea efficere attentaret, effectum non induceret.

Si item laicus infantem antea non baptizatum baptizet, inducet in illum mediante baptismo effectum regenerationis spiritualis: is tamen effectus non erit potestatis ordinis, vt ex se liquet, sed erit effectus virtutis baptismi, qui, vt sit validus, nullum ordinem in illum adhibentẽ requirit. Neque baptizans tunc exercebit actum iurisdictionis, nihil impediente, quòd in casu necessitatis non solùm licitè id efficiat, sed etiam ad id teneatur sub culpa lethali, si non adsit clericus, qui illum extremè indigentem baptizet. Ratio autem est, quoniam laicus ille tunc baptizans, non exercet actum, illum baptizandi tanquam superior in sibi sub- E
ditum, qui potestatẽ ad id in eum habeat. Idem dic, si simplex sacerdos idem efficeret. Quamuis enim laicus in præsentia sacerdotis baptizare non possit, id propterea est, quoniam congruit baptismum potiùs per clericum, quàm per laicum, administrari: & quoniam id ita ea de causa ab Ecclesia sancitum est: nõ verò quasi ordo sacerdotalis ad baptismum aut ad baptismi effectum operetur: neque simplex sacerdos superior est baptizandi, vt in eo euentu iurisdictionis actum exercere dicatur. Si verò proprius illius, ratione parentum, parochus illum baptizaret, aut alius de commissione parochi, diceretur exercere actum iurisdictionis: quoniam ad id ius ac potestatem superioris haberet ordinariam aut delegatam. Quando autem dicitur, parochum non habere iurisdictionem in foro exteriori, sed solùm in foro conscientiæ, sermo est de iurisdictione iudiciaria & cum vi coërciua: non verò de iurisdictione latiùs sumpta, vt de ea nunc loquimur, pro exercitio actus potestatis, quam in sibi subditos quis habet. Neque enim est negandum parochum superiorem suo modo esse suorum parochianorum, estò vim coërciuam in illos non habeat, neque eorum prælatus aut iudex dicendus sit.

Quando item episcopus calices aut Ecclesias consecrat, benedicit corporalia, & alia similia efficit, quæ de iure solùm humano & statuto Ecclesiæ annexa sunt ordini Episcopali, vt bene *Castrus 2. de iusta hæret. punit. c. 22. concluſ. 3.* ait, si ea quidem in sua diœcesi exerceat, & circa sibi subditos, ac circa res Ecclesiarum sibi subditarum, actum sanè exercet potestatis iurisdictionis, non verò simpliciter potestatis ordinis episcopalis, quasi potestas illa sit ab ordine, atque adeò iure diuino instituta: sic enim quemadmodum summus Pontifex non potest concedere iis, qui episcopi non sunt, vt alios ordinibus sacris initient, ita nec illis concedere posset, vt illa alia efficerent: quippe cùm nihil in contrarium circa ea possit, quæ sunt de iure diuino: cùm tamen illa alia verè aliis ab episcopis posset concedere, & sæpe per priuilegium concessa sint multis superioribus religionum. Similiter quemadmodum summus Pontifex efficere non potest, vt ordinatus ab episcopo hæretico non sit ordinatus: ita efficere non posset, vt ecclesia ab hæretico episcopo consecrata non esset consecrata, si talis consecratio effectus esset ordinis episcopalis, & non nudæ iurisdictionis: contrarium verò colligitur apertè ex c. ecclesiis, & ex duobus sequentibus, de consecr. dist. 1. quo in loco pro non consecratis habentur, iubenturq; de nouo consecrari. Sunt ergo illa commemorata ordinis episcopalis, nõ quasi actus illi validè facti ab ordine à potestatéve ordinis episcopalis emanent, sintque iure diuino instituta tanquam effectus ordinis episcopalis, sed quoniam per ecclesiam illa attributa sunt episcopali ordini, eo quòd congruat vt ab episcopis exerceantur. Quia ergo potestas illa iure humano est instituta, ordinique illi eodem iure humano meritò attributa annexaque fuit, dispositioni summi Pontificis potestas illa subiacet, vt illam communicare aliis possit, & vt eam auferre possit ab episcopis, actúmve illius ita illis impedire, vt irritum sit quicquid quo ad illum attentauerint: quemadmodum ex capitibus citatis constat, abstulisse eam potestatem ab episcopis hæreticis, irritumque reddidisse actum illius, si eum exercere attentarent.

Aliud postremum adhibeamus exemplum. Quia ad effectum sacramenti pœnitentiæ, ad ipsumque sacramentum conficiendum, simul ex parte absoluentis, illudque administrantis, requiruntur potestas ordinis & iurisdictionis: eo quòd iudicium illud, vt & quodcunque aliud, sit nullum, nisi in iudicantis, quoad id, subditum exerceatur; consequens profectò est, vt si

vel absoluens sacerdos non sit, estò parochus sit, & iurisdictionem ad absoluendum habeat, vel iurisdictione ad absoluendum careat, neque sacramentum conficiatur, neque per consequens sacramenti effectus fiat ac sequatur, vt suo in loco est dicendum.

4 Ex explanatione vocabuli, iurisdictio, quam sequimur, atque ex hactenus dictis constat, nomine iurisdictionis quoad actum illius, comprehendi non solùm iudicium, ferreque sententiã in subditos, sed etiam leges illis condere, præcepta alia eis iniungere, ministros publicos illis creare, vt iudices, tabelliones, &c. sententias exequutioni mandare, atque adeò malefactores per se, aut per ministros ad id deputatos, morte pœnisque aliis iustis afficere, emancipare filios familias, minoribus orfanis tutores ac curatores creare ac tribuere, ætatem eorum supplere, illos ante tempus à iure præfinitum à curatoribus eximendo, beneficium restitutionis in integrum illis & ecclesiis concedere, atque vniuersim ea omnia vnamquamque publicarum potestatum, tam secularem quàm ecclesiasticam, in suos subditos & in res sibi subiectas in conscientiæ & in exteriori foro exercere ac efficere, ad quæ regimen & potestas ipsius non impedita sese extendit. Dixi, non impedita: quoniam aliquando potestas ita impeditur, manens solùm quasi in habitu, vt si actum exercere attentet, is actus sit nullus: atque tunc, qui eam eo modo impeditam habet, carere iurisdictione dicitur, quod intelligendum est, quoad exercitium illius, ob impedimentũ superueniẽs, quòd non finit actum validum ab ea manare, vt in excommunicato ac suspenso ab officio constat in euentibus, in quibus acta per illos sunt nulla. Neque enim propter excommunicationem, aut suspensionem amittit officium, superioritatem, ac potestatem habitualem in alios, quæ verè in se est potestas iurisdictionis, sed solùm ita habet illam alligatã ac impeditam, vt si in actum prodeat, actus sit nullus, quod est carere pro tunc iurisdictione quoad actus illius, ob id impedimentum adueniens. Neque quando ab eo tollitur postea excõmunicatio aut suspensio, confertur illi potestas iurisdictionis, sed solùm tollitur à potestate iurisdictionis impedimentum, quo alligata & impedita erat, ne prodire in actum validum possit.

5 Sanè definitio iurisdictionis à glossa tradita, & à iurisperitis communiter recepta, nec apta nec cauta mihi videtur, nec omnem iurisdictionem videtur comprehẽdere. In eo enim, quòd dicit, de publico introducta, comprehendere non videtur iurisdictionem à Christo ecclesiæ traditam, quæ non de publico, hoc est, reipublicæ autoritate, est introducta, sed à Christo collata. Neque omni seculari iurisdictioni ea pars definitionis competere videtur, nisi intelligatur mediatè vel immediatè. Neque omnes, qui iurisdictionem habent, necessitatem habẽt iurisdicendi, exercendive actum iurisdictionis, statuendique æquitatem. Prætermissa ergo ea definitione, & prætermissis aliis, quas *Turrecremata lib. 1. summæ. c. 96. Alfonsius à Castro. 2. de iusta hæret. punit. c. 21.* & alii adducunt, sic possumus definire iurisdictionem latissimè sumptam: *Est facultas seu ius faciendi vnumquemque circa ea, quæ sibi tanquam superiori subduntur, ea omnia, ad quæ munus suum superioris se extendit.* Ius verò relatio quædam est ad ea, ad quæ est id ius. Per particulam verò, facultas seu ius, rejiciuntur à ratione iurisdictionis ea omnia, quæ non sunt ius ad aliquid, aut ad aliqua: per reliquum verò definitionis rejiciuntur à ratione iurisdictionis iura omnia, quæ non sunt superioris ad faciendum ea, quæ ad suum munus spectant. Quòd si id ius sit aliquando impeditum in superiori, rationem superioris retinente, tunc erit in eo iurisdictio impedita ab actus exequutione. Porrò nomine superioris in re proposita, etiam intelligimus confessarium, qui ordinariam seu commissam ac delegatam habet facultatem audiendi confessiones: est enim minister ac superior iudexque loco Dei in foro conscientiæ eius, qui se ipsum illi subdit in confessione, vt pœnitentiæ sacramentum ei administret. Intelligimus etiam eum, qui facultate alterius, aut etiam eorum, qui illi, annuente iure, subduntur, munus superioris exercet, vt sunt iudices arbitri, & est episcopus, qui episcopalia in eum exercet, qui non est sibi subditus, ex commissione tamen episcopi illius.

Quanta iurisdictio sit in potestatibus laicis, maximè supremis. Et num in potestate suprema huius regni, ac Lusitani, hoc est, in Rege, tota reipublicæ iurisdictio resideat. Disp. 3.

SVMMARIVM.

1. *Repetuntur nonnulla prius dicta.*
2. *Tota regni Hispaniæ iurisdictio est in Rege, & à Rege in alios deriuatur. Si tamen casu ita regnum vacaret, vt nullus superstes esset, qui ius ea via ad regnum haberet, tunc totum ius ad ipsam remp. deuoluitur: vel etiam si Rex in tyrannidem declinaret, vel aliquid Reip. non expediens moliretur.*
3. *Iurisdictio quæ Regum donatione est in aliis, à Regibus deriuatur.*
4. *Iurisdictio tota est de iure communi in supremo Principe.*
5. *Tota iurisdictio reip. Lusitanæ residet in Rege Lusitano.*

1 TRactatu 2. Disp. 21 ostendimus, quid potestas in genere sit, eamque diuisimus in secularem & ecclesiasticam, & quid vtraque sit explanauimus. A disputatione verò 22 de origine secularis potestatis egimus, tum eius, quæ est in capite familiæ, tum vxoris cõparatione & filiorũ, quæ duæ potestates de iure sunt naturali, quã etiam cõparatione mãcipiorum, ac aliorum famulorum mercede conductorũ, quarum potestatum tituli sunt de iure humano, titulis autem suppositis, de iure sunt naturali, vt hæc omnia ibi exposita sunt: tum etiam eius, quam diximus iure naturali esse in toto corpore reipublicæ comparatione omnium partium, quibus constat. Inde verò de iure humano, pro arbitratu diuersarum rerumpublicarum, diximus Disp. 23 ortas fuisse varias supremas rerumpublicarum potestates, vel monarchicam, seu regiam, vel aristocratiam, hoc est, paucorum optimatum regimen supremum, vel democratiam

tiam, id est, multorum supremum regimen: A ortasque fuisse singulas harum trium supremarum potestatum, cum maiori vel minori potestate, prout respublicæ, vnde ortum habuerunt, plus vel minus potestatis eis conferre voluerunt, aut prout iure belli iusti vna respublica in aliam plus vel minus potestatis ritè comparauit. Ab his autem supremis potestatibus, aut simul etiam interdum ab ipsa republica in prima sui regiminis constitutione, descendunt cæteræ infra illas potestates seculares, cum maiori vel cum minori iurisdictione, tum quoad territorium, seu districtum, maioremque vel minorem subditorum multitudinem, tum etiã quoad quantitatem potestatis in illos, prout vnicuique earum fuerit concessum aut denegatum: Vnde cùm hæc omnia ab arbitrio rerumpublicarum potestatumque superiorum pendeant, multumque temporis progressu varientur, non solùm in diuersis rebuspublicis, sed etiam in vna & eadem, sub artem non cadunt, neque de illis vlla certa regula tradi potest, sed in vnaquaque republica sensu, vsuque, & experientia intelligi & addisci debet, vtrùm vna aut pluribus supremis potestatibus gubernetur, & quãta in illa aut in illis pluribus iurisdictio ac potestas sit, & quantum pendeat aut non pendeat in ea à republica, & quæ inferiores potestates in ea republica institutæ sint, & quanta cum amplitudine iurisdictionis, tam quoad territorium ac districtum, quàm etiam quoad iurisdictionis actus.

Ex dictis etiam eisdé disputationibus, & tractatu. 3. Disp. 2 constat, quantum variæ respublicæ potestatis reliquerint patribus familias quoad vim coërciuam, criminumque punitionem, comparatione vxoris, liberorum, mancipiorum, ac famulorum, itemque magistris liberalium ac mechanicarum artium comparatione eorum, quos instruunt, & aliis similibus aliorum moderatoribus, & quæ aliis reipublicæ potestatibus, quæ magis propriè publicæ potestates dicuntur ac sunt, reseruauerint. Disputatione item 27 ostendimus, quanam ratione omnes vniuersim potestates ita generatim cõmemoratæ à Deo mediatè vel immediatè descendant, locoque Dei vnaquæque in suo ordine ac gradu præcipiant, illisque obediatur.

Nobis itaque non est animus de singulis laicis publicis potestatibus, non solùm aliarum rerumpublicarum, sed neq; huius Castellanæ disputare, tametsi infrà à Disp. 8. dum potestates publicas in ordinarias & delegatas diuidemus, multaque circa illas disputabimus, tractatum quoque addentes de iudicibus arbitris, & de arbitratoribus, multa admiscere conabimur de laicis publicis potestatibus in particulari huius Castellani regni.

Placuit verò in hac disputatione examinare, non quidem de supremis potestatibus aliarum rerumpublicarum, inter illas computando etiã Romanam quoad Imperium, libere Augusto Cæsaris & successoribus illius ab illa republica lege publica tributum, vt melius eo modo gubernaretur, viaque bellis ciuilibus ac seditionibus præcluderetur, quæ ipsam eneruabant ac deuastabant; sed solùm de suprema monarchia seu regia potestate huius Castellæ regni, à qua cæteræ inferiores laicæ potestates in eo descendunt, num in illa tota iurisdictio, quæ naturali iure reipublicæ Castellanæ competit, resideat, an non, sed coarctata in aliquo Regibus huius regni fuerit communicata, ita quòd aliqua iurisdictio in republica ipsa remaneat, quam Regibus non communicauerit, & in qua Reges huius regni à republica dependeant. Idem examinabimus de suprema Regum Lusitanorum potestate. Sequenti verò disputatione de summis Pontificibus similiter examinabimus, num tota iurisdictio ecclesiæ in eis resideat.

Quod itaque ad hoc Castellæ regum attinet, 2
meritò *Couar. de pract. qq. c. 1. n. 9.* & alii affirmant, totam huius reipublicæ iurisdictionem esse in Rege, & à Rege deriuatam esse ac deriuari in alios. Quicquid enim esset tempore Gothorum vsque ad Rodericum, qui Hispanias amisit (de qua re aliqua diximus tractatu 2. Disp. 576.) post occupatas Hispanias à Mauris, Pelagius, qui de regia stirpe Gothorum erat, in Regem ab Hispaniarum reliquiis creatus fuit, cui iurisdictionem omnem administrationemque totam supra se contulerunt, voluerunt que vt regnum deinceps, non electione, vt illuc vsq; sed hæreditario iure in posteros Regis descenderet, vt disp. 576 citata dictum comprobatũque fuit: id quod vsus perpetuus, & consuetudo ab illis temporibus ad hæc vsque nostra ætate testatur ac confirmat. Quo fit, vt respublica hæc iam hodie auferre non possit à Rege, & ab iis, qui ius ad regnum habent, ius illud transmissionis regni ac successionis in illo sanguinis atque hæreditario iure, ipsis inuitis, vt ex dictis tracta. 2. disp. 23 & 576 liquet. Si tamen casu ita regnum vacaret, vt nullus omnino superstes esset, qui ius ea via ad regnum haberet, tunc totum ius & administratio reipublicæ deuolueretur ad ipsam rempublicam, vt erat antequam sibi moderatorem constitueret, ac proinde integrum tunc ipsi esset, vel cõstituere sibi de nouo Regem, quem vellet, legibusque, quibus vellet, eum astringere, arctando ac minuendo illi iurisdictionem, vel eligere sibi quoduis aliud regiminis genus vellet, vt *Couar. c. 1. citato, & c. 4. sequenti in calce. n. 3.* doctoresque communiter affirmant, satisque cõstat ex dictis tractatu 2. disp. 23 & 29. Adhuc autem in republica iurisdictio perseuerat, vt si Rex in tyrannidem declinaret, aut id, quod omnino reipublicæ non expediret, efficere vellet, illi posset resistere, sibique ipsi consulere, vt ex se & ex dictis disp. 23 citata constat.

Dixi, totam huius reipublicæ iurisdictionem 3
esse in Rege, & à Rege deriuatam esse ac deriuari in alios: quoniam iurisdictio, quæ Regum donatione, aut alia ratione, est in optimatibus & in aliis, in obsequiorum, aut in rei alicuius alterius recõpensationem, sanè à Lege fuit illis collata, effectaque propria illorum. In hoc ergo sensu dicimus, residere totam huius reipublicæ iurisdictionem in Rege, quòd respublica nihil illius sibi reseruauerit, & quòd quicquid illius est alienatum ac effectum aliorum proprium, à Regibus fuit deriuatum, itemq; quoniam, qui eam obtinent, adhuc Regibus manent subiecti, etiam quoad ipsammet iurisdictionem, quantum sibi Reges reseruarunt, & quantum postulat commune bonum, regiaque suprema potestas. Reliquum verò totius reipu-

blicæ iurisdictionis, quod alienatum non est, A à Rege deriuatur in potestates illi subordinatas, atque à Rege pendet.

Illud admonuerim, si quando Pelagius creatus fuit Rex, aliqui erant optimates inter illas Hispaniarum reliquias, qui iurisdictionem aliquam suam propriam habebant, illam deriuatam non fuisse à Rege Pelagio, neque à successoribus illius, sed ex antecessoribus, aliquóve alio titulo comparatam fuisse.

4 Similiter doctores affirmant, iurisdictionem totam esse de iure communi in supremo principe iuxta *l.1.ff.de const. prin. & alia iura.* & consentiunt, *l.2.5.7.& 8.titu.1.p.2.* eos referunt ac sequuntur *Grego. Lopez l.2.citata, Couar.n.9.citato.* B *Marãta de ord.iud.par.4.dist.5.n.3.& Aluar.velas. de iure emph.q.8.a n.20.* Ex eo, quòd tota huius reipublicæ iurisdictio in Rege in sensu explicato resideat, colligunt *Couar.c.1.citato.n.9. Grego. Lopez l.2.titu.1.part.2.* verb. *iusticia è escarmiento,* & verb. *por priuilegio,* post Baldum, Auendaniũ, & alios, quos copiosiùs, quàm alii, refert *Aluar. velas. de iure emph. q.18.a n.20.* præsumptionem esse, quamcunque iurisdictionem oppidi, castri, aut aliam, ad Regem pertinere: eaque de causa, quando quis contendit ad se pertinere, ipse, & non Rex, id probare debet, atque si sufficienter non probet ad se pertinere, succumbet, estò in possessione illius sit, eaque spoliabitur. Probare C autem debet, vel legitimum titulum ac concessionem illius, vel legitimam præscriptionẽ, quæ non minor sufficit, quàm immemorabilis sine titulo, & centenaria cum titulo, imò in Lusitania neque immemorabili possessione præscribitur, sed necesse est possessorem, legitimum titulum ostendere, alioquin succumbit, eaque iurisdictione spoliatur, vt hæc omnia latissimè ostendimus tractatu. 2. disp 75. à §. quoniam vt tractatu, &c. eaque de causa quo ad hoc non amplius immoror, & hæc omnia habentur *l.4.tit.1. lib.2.ord.quæ est l.2.titu.1.lib.4.nouæ collect.l.6.tit. 13.lib.3.ord. quæ est l.1.titu.15.lib.4.nouæ collect.& lib.2.Lusitanarum ord. titu.26.§.15.& 52.* D

5 Sicut dictum est, iurisdictionem totam huius reipublicæ residere in Rege: ita dicendum similiter est, iurisdictionem totam reipublicæ Lusitanæ residere in Rege Lusitano. Cùm enim Hericus exterus, primus Lusitaniæ Comes, à Rege Castellæ, vnà cum filia Regis, Lusitaniam titulo Comitis accepisset ob suppetias, quas aduersus Mauros secum attulerat, resque ab eo præclarè gestas; populique Lusitani postea Alfonsum Henriquez eius filium, Regem Lusitaniæ acclamassent, sibi eum in Regem eligentes; sanè potestatem ac dominium, quod Rex Castellæ in ipsos tunc habebat, illi tribuendo, instar Regis Castellæ voluerunt, vt regnum in Alfonsi E Henriquez, posteros hæreditario ac sanguinis iure deriuaretur: id quod perpetuò seruatum fuit, neque vnquam apparuit vllum vestigium, quòd populi respublicáve Lusitana aliquid iurisdictionis sibi asseruauerint, quam in Regem non transtulerint. Quo fit, vt dicendum similiter sit, iurisdictionem totam reipublicæ Lusitanæ residere in Lusitaniæ Rege, vt de Rege Castellæ dictum est.

Num iurisdictio tota ecclesiæ in summo Pontifice resideat, ab eoq; in cæteras ecclesiasticas potestates ecclesiastica iurisdictio deriuetur. Disp. 4.

SVMMARIVM.

1. *TOta Ecclesiæ iurisdictio est in summo Pontifice, ab eoq; in alias deriuatur Ecclesiasticas potestates.*
2. *Quædam Pontificiæ potestatis exempla.*
3. *Apostoli acceperunt parem cum Petro potestatem in totum ecclesiæ corpus, sed illa cum ipsorum vnoquoque terminata est.*
4. *Diœceses ab aliis Apostolis constitutæ perseuerare poterant in modo electionis episcoporum, ipsis ab Apostolis constituto, interim dum aliud cathedra Petri quoad id non statuebat.*
5. *Pontifici licet iurisdictionem aliis restringere, alios ex toto ea priuare: & ad eum tanquam ad supremam potestatem sit in quacunque causa appellatio.*
6. *Pontifex potest per se ipsum in quibuscunque subditis suorum inferiorum exercere, quidquid potestates inferiores exercere in illos possunt.*
7. *Pontifex potest à iurisdictione episcoporum eximere, quos ab illorum iurisdictione iudicauerit eximi expedire.*
8. *Tota ecclesiæ iurisdictio ampliori quodammodo residet in Pontifice summo, quam iurisdictio tota ciuilis residet in Rege.*
9. *Cum de iure diuino sit esse in ecclesia parochos & episcopos, non potest Pontifex efficere, vt nulli omnino episcopi vel Parochi sint.*
10. *Episcopus in sua Diœcesi integram habet iurisdictionem sub summo Pontifice.*
11. *Episcopus non potest Parochos iurisdictione in suos parochianos priuare.*

DIcendum est (vt ex parte in materia de fide q.1.art.10. fuit à nobis dictum) in sequẽti sensu iurisdictionem totam ecclesiæ residere 1 in summo Pontifice, & ab eo in reliquas ecclesiasticas potestates deriuari. In primis, quòd in totũ ecclesiæ corpus, & in singula ecclesiæ mẽbra, iure diuino plenam habet potestatem, quã Christus Petro, & in illo summis omnibus Põtificibus illius successoribus, Matth. 16 promisit, ac Ioan. 22 tradidit, dum illi dixit: *Pasce agnos & oues meas,* nullam excipiendo, sed totius sui ouilis curam plenam absque vlla limitatione ac coarctatione illi tribuendo. Quo fit, vt nullus de ecclesia exemptus esse possit à iurisdictione, legibus, regimine, ac potestate summi Pontificis.

Deinde, quoniam à summo Pontifice iurisdi- 2 ctio tota deriuatur, tam in conscientiæ, quàm in exteriori foro, in reliquas ecclesiæ potestates ipsi subordinatas, vt in Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, parochos, prælatos omnes religionum, & in quoscunque alios iudices ac superiores ecclesiasticos. Atque hoc non solùm, quòd post apostolos ad ipsum solũ pertineat diuidere totum ecclesiæ corpus in patriarchatus, metropoles, diœceses, & paræcias, præscribereque patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac parochis, quantum iurisdictio vniuscuiusque eorum quoad subditos se extendere debeat, & quod ad ipsum spectet, postquã eo modo totũ

ecclę-

ecclesiæ corpus diuiserit, iterũ diœceses vnire, aut paræscias, vel iã diuisas partiri adhuc in plures, vt expedire iudicauerit: sed etiam quòd ad ipsum attineat creare ac cõstituere Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, parochosq; omnes, atq; adeò ipse est, qui illis tribuit & à quo accipiũt iurisdictionẽ: per consequens autẽ, qui ab his ita creatis iurisdictionẽ quamuis accipiunt, pro potestate ad illã concedendam, quæ eorum cuique cõuenit, mediatè illã à summo Pontifice accipiunt. Cũ verò ad summũ Pontificẽ quoque pertineat, religiones approbare, earũque superioribus iurisdictionẽ in ipsis subditos cõferre, & deniq; quoscunq; alios iudices ecclesiasticos in ecclesia mediatè vel immediatè constituere, eisque omnibus iurisdictionem conferre: cõsequens profectò est, vt ab ipso, tanquam à fonte, iurisdictio tota ecclesiæ, quæ in aliis omnibus ecclesiasticis potestatibus est, emanet ac deriuetur, ab ipsoque tota dependeat.

Quòd si aliquibus quondam permittebatur, aut hodie permittitur, eligere sibi episcopos, aut simile aliud sine recursu ad summũ Pontificem efficere, id sanè erat expressè aut tacitè cõcedẽte id summo Pontifice, vel quia non erat facilis ad ipsum accessus, vt in ecclesiis in regionibus longinquis ab Apostolis, & ab illorũ successoribus in principio ecclesiæ fundatis, vel aliqua alia iusta de causa: vnde illa quoque iurisdictio à summo Pontifice tacitè vel expressè illam concedente deriuabatur.

3 Dixi paulo superiùs, ad solum summum Pontificẽ, post apostolos, pertinere diuidere totum ecclesiæ corpus in patriarchatus, metropoles, diœceses, &c. quoniam, vt in materia de fide. q. 1. art. 10 dictũ est, reliqui apostoli parẽ cum Petro iurisdictionis potestatẽ in totũ ecclesiæ corpus à Christo acceperunt ad ecclesiã fundandã: illã tamen acceperunt finiendã cũ ipsorũ vnoquoque, neq; transituram ad episcopos, qui ipsorũ loco in ecclesia succedunt, non quidẽ in apostolatu, ratione cuius apostoli eam vniuersalẽ potestatẽ iurisdictionis à Christo acceperũt, sed in dignitate episcopali tanquã summi Pontificis ex Christi institutione coadiutores, vt art. 10. citato cõprobatũ fuit. Vnde apostoli, dũ viuebant, independẽter à Petro diuidere poterant diœceses ac paræscias in locis, in quibus prædicabant ac fundabant ecclesias, & ad quę alios destinabant, qui prædicarent & fundarent ecclesias, cõstituereq; ibi poterãt Episcopos & parochos: apostolis autẽ defunctis, illa omnia subiecta manebãt soli Petro, & successoribus illius, tanquã supremo capiti & pastori vniuersali totius ecclesiæ, cui reliqui omnes subordinantur, & à quo, in sensu explicato, & adhuc magis explicando, pẽdent. Atque, cùm Turrecremata in reliquis, quę hactenus dicta sũt, & quæ subjiciemus, nobiscũ cõsentiat in locis infrà citãdis; in eo tamen doctrina eius nobis nõ probatur, quòd affirmet, reliquos apostolos non accepisse immediatè à Christo iurisdictionẽ vniuersalem in orbem, sed eam accepisse immediatè à Petro, & mediatè à Christo: contrarium verò, cum multis aliis, nos ostendimus art. 10. citato.

4 Illud nobis probatur, quod *Victoria relect. 2. de potestate ecclesiæ. q. 2. à n. 27.* ait, diœceses scilicet cõstitutas ab aliis apostolis à Petro, perseuerare potuisse in modo electionis Episcoporum, atq; aliorũ rectorũ ecclesiç, ipsis ab aliis apostolis cõstituto, interim dum aliud cathedra Petri quoad id nõ statuebat. Id quippe potestate iurisdictionis immediatè à Christo deriuata cõstitutũ erat, tametsi iure diuino, mortuis apostolis ea omnia subiecta manerẽt dispositioni cathedræ Petri: eaq; de causa diœceses illæ perseuerare in eo modo ab apostolis instituto, iure optimo potuerũt, interim dũ aliud ex cathedra Petri nõ statuebatur. Quare si aliquis cõstitutus erat ab apostolis metropolitanus, aut patriarcha alicuius prouinciæ, aut aliquarũ prouinciarũ, cũ potestate vt diœceses ac paræscias diuideret, is, dilatata fide in ea prouincia, aut in eis prouinciis, diuide. re diœceses ac parœcias poterat, interim dũ ex cathedra Petri aliud nõ statuebatur ac præcipiebatur. Atq; si ab apostolis institutũ fuit, vt clerici, vel omnes, vel aliqui, Episcopũ eligerẽt in aliqua diœcesi, id sanè obseruãdũ erat, interim dũ aliud ex cathedra Petri nõ decernebatur. Similiter si ab apostolis erat sancitũ, vt episcopi parochos in suis diœcesibus eligerẽt ac cõstituerẽt, id etiam seruandum erat. Omnes tamen ecclesiæ ab aliis apostolis eo modo fundatæ ex euangelio ipso, atque ex doctrina ipsorummet apostolorum, intelligebant dependentiam, quam quoad iurisdictionem à cathedra Petri habebant.

Id verò difficile mihi quin & falsum videtur, quod Victoria subiungit, & sequitur *Ledesmus 2. 4. q. 20. art. 4.* vnũquemq; videlicet episcopum potuisse eligere sibi successorẽ, interim dũ aliud ex cathedra Petri non statuebatur. Nisi enim id ipsis efficere cõcessum ab apostolis fuisset, id sanè nõ potuissent: creditu tamẽ est difficilimum, apostolos id illis cõcessisse, disposuisseque vt id possent efficere: cùm inde oriri multa ac grauia mala facilè possent: ob quæ art. 10. citato aduersus Victoriam cum communi doctorum sententia ostendimus, summos Pontifices eligere sibi nõ posse successores. Et quoniã hęc omnia ad loca alia spectat copiosiùs disputare, idcirco summatim illa hoc loco asserimus ac definimus.

Præterea in hoc sensu tota ecclesiæ iurisdictio 5
residet in summo Põtifice, ab eoq; in alios deriuatur, pẽdetq; ab eo, quòd summus Põtifex ex causa restringere iurisdictionẽ potest reliquis, quin & illos iurisdictione tota interdũ priuare, vt expedire iudicauerit. Et quòd à quocũq; iudice ac superiore fas est in quacunq; causa ac grauamine appellare ad summũ Põtificẽ, tanquã ad supremã potestatẽ, à qua omnes aliæ pẽdẽt, & cui subjiciũtur, vt 2. q. 6. per multa capita liquet. Et quãuis interdũ summus Põtifex cõcedat, vt postposita appellatione procedatur, falsq; tunc iis, quibus id cõceditur, sit appellationẽ nõ admittere, si viderint ad illã legitimã causã nõ esse, procedereq; nõ secùs possint in causa, atq; si appellatũ nõ esset, sẽper tamẽ recursus ad summũ Põtificẽ patet, vt, si de grauamine apud illum cõstiterit, prouideat vt res postulauerit. Et quoniã corrigere summus Põtifex potest ac punire excessus õnes quarumcunq; potestatum ecclesiasticarum, de eisq; inquirere, vt recta efflagitauerit ratio.

Item in hoc sensu tota iurisdictio ecclesiæ in 6
summo Pontifice residet, & ab eo pendet, quòd per se ipsum exercere in quibuscunque subditis suorum inferiorum potest, quicquid potestates inferiores exercere in illos possunt, vt illos absoluere, ordinare, punire, &c.

Quemadmodum etiam episcopi possunt per se A *d. 20. q.1. art. 4.* & alii.
ipsos in quoscunque parochianos cuiuscunque
parochi suę diœcesis exercere quicquid parochi
in illos exercere possunt. Tota quippe iurisdi-
ctio atque administratio ecclesiæ ad summum
Pontificẽ pertinet. Quia tamen illã totã exẽqui
per se ipsum non potest, constitutum à Christo
fuit, vt in ecclesia essent episcopi, qui adiutores
ipsius essent & quasi administri, quibus partem
suæ solicitudinis impartiretur, non ita quasi à se
adimeret, abdicaret, ac alienaret eam suæ pote-
statis partem, sed ita vt, manente in ipso integra
ac plena potestate, partem illis concederet ac
communicaret sub sua. Non secùs atque Rex
iudicibus ordinariis, quos sub se constituit, ita B causa priuare eum illo.
potestatẽ tribuit, vt nullã sibimet potestatẽ adi-
mat, sed integrũ sibi ipsi relinquat ea omnia per
se ipsum efficere, ad quæ illis potestatẽ ordina-
riã tribuit. Et quia hoc modo episcopi potestatẽ
à summo Pontifice ex Christi institutione ac-
cipiunt, *Gregorius quartus. c. decreto*, & *Vigilius. c.
qui se, 2. q. 6.* inquiunt, *Romana ecclesia, quæ prima
est, ita vices suas aliis impertiuit ecclesiis, vt in par-
te sint vocatæ solicitudinis, non in plenitudinẽ pote-
statis.* Simili quoque ratione, quia Episcopi nõ
possunt per se ipsos in tota sua diœcesi id totum
exercere, quod ad ipsorũ iurisdictionẽ ac pote-
statẽ pertinet, à Christo fuit institutũ, vt esset pa-
rochi, qui adiutores & quasi administri Episco- C tifici fuerit id reseruatum.
porũ essent. Atq; ita, quãdo Episcopi aliquos in
sacerdotes ordinant, sic dicũt: *Quanto fragiliores
sumus, tanto amplius necessariis auxiliis indigemus.*
Licèt ergo parochi vel à summo Pontifice, vel
ab Episcopo, immmediatè iurisdictionem in si-
bi subditos accipiant, non tamen idcirco iuris-
dictio minuitur Episcoporum, quasi non pos-
sint per se ipsos in subditos parochorum ea
omnia exercere, quæ parochi possunt.

7 Ex eo, quòd iurisdictio tota ecclesiæ in sensu
hactenus explicato residet in summo Pontifice,
& quòd in omnes subditos Episcoporum possit
quicquid Episcopi in illos possunt, prouenit,
quòd summus Pontifex eximere à iurisdictione E- D
piscoporũ possit, quos ab illorũ iurisdictione ex-
imi iudicauerit expedire: vt plurimũ religiosos
per priuilegia eis concessa ab illorũ iurisdictio-
ne eximit. Prouenit quoque, quòd summus Põ-
tifex cõcedere possit facultatẽ ac iurisdictionem
audiendi confessiones, & alia eiusmodi exer-
cendi in diœcesis quorumcumque Episcopo-
rum, quibuscunque expedire iudicauerit, idque
Episcopis etiam inuitis.

8 Ex hactenus dictis patet, iurisdictionem to-
tam ecclesiæ iure diuino in summo Põtifice re-
sidere, & ab eo in reliquos deriuari ac pendẽre,
quodammodo ampliori quodam modo, quam
iurisdictio tota ciuilis resideat in Rege: quippe E
cùm summus Pontifex non possit à se abdicare
partem iurisdictionis, maximè in præiudicium
successorũ: quemadmodum disputatione præ-
cedente est dictum. Regem abdicare posse à se
partem suæ iurisdictionis, ita illam magnato a-
licui concedendo, vt ea pars iurisdictionis in
ipso non maneat.

Hactenus dicta probat inter alios latè ac do-
ctè *Turrecremata part. 2. summæ a c. 53. vsque ad
69.* & in eis conueniunt, *Cai. tractatu de autori-
tate Papæ. c. 3. & 4. & in Apologia part. 1. c. 4. Victo.
relect. 2. de potestate ecclesiæ. q. 2. a n. 8. Sotus in 4.*

9 Illud verò obserua, cùm de iure diuino sit,
esse in ecclesia Episcopos & parochos, quibus
sub summo Pontifice gubernetur, id ita Christo
instituente ac iubente, tametsi tot vel tot Epi-
scopos ac parochos esse, hosque vel illos in par-
ticulari creari, vt huius vel illius loci Episcopi
aut parochi sint, pendens sit à summi Pontificis
arbitrio ac beneplacito, summum Pontificem
efficere non posse, vt nulli omnino sint Episco-
pi aut parochi in ecclesia, vt bene Sotus vbi su-
prà & alii notarunt. Imò postquam episcopatus
ritè alicui est collatus, aut beneficium aliud, non
potest summus Pontifex absque rationabili

10 Illud itẽ obserua, munus Episcopi ex institu-
tione Christi esse, vt quantũ ex se est, integrã E-
piscopus iurisdictionẽ in sua diœcesi habeat; ea-
que de causa eo ipso, quòd aliquis creatus est E-
piscopus alicuius diœcesis, habere sub sũmo Põ-
tifice cẽsetur integrã in sibi subditos iurisdictio-
nẽ, nisi quatenus legibus summi Pontificis, aut
cõsuetudine, restricta ac reseruata cẽsetur sum-
mo Põtifici. Quo fit, vt Episcopi cõcedere in sua
diœcesi possint leges, quas viderint expedire, ta-
metsi ab illis appellari ad summum Pontificem
possit, & instituere curatos, dispensare in votis,
& similia alia facere, nisi quatenus summo Pon-

11 Quia itẽ parochi cũ beneficio curato, ex Chri-
sti institutione, sub Episcopis sunt in ecclesia: at-
q; quantũ ex se est ex suo munere illis conuenit
habere ordinariã ac plenã iurisdictionẽ in foro
cõsciẽtiæ in suos parochianos, tametsi Episcopi
in illos exercere per se ipsos possint quicquid
parochi possunt, vt suprà dictũ est, quin & aliis,
quibus expedire viderint, cõcedere possint fa-
cultatẽ audiendi cõfessiones eorundẽ parochia-
norũ: consequens esse, vt licitè Episcopus ex ra-
tionabili causa restringere possit iurisdictionem
parochorũ, sibi reseruando casus aliquos; nõ ta-
men ex toto posse eos priuare iurisdictione in
sibi subditos, nisi eos ineptos ad audiẽdas cõfes-
siones iudicaret, aut vrgens alia causa id suade-
ret: imò neq; restringere potest plus iusto illorũ
iurisdictionem, tot casus absque rationabili cau-
sa reseruando, vt id in iniustũ subditorũ grauamẽ cedat, atque in irrationabilẽ ac iniustam re-
strictionem iurisdictionis parochorum: talis
quippe reseruatio esset inualida ac nulla, vt So-
tus & Ledesmius in 4. dum sermo illis est de ca-
sibus reseruatis, affirmant. Tametsi, meo iudi-
cio, tutũ non esset quicquam propria autoritate
audere contra reseruationem Episcoporum.

De potestate summi Põtificis diximus tracta-
tũ. 2. disp. 21. & 29. & in materia de fide q. 1. art. 10.
neque hìc est aptus locus plura de illa dicendi.

De diuisione iurisdictionis latè sumptæ, in merum imperium, mixtum imperium, & in iurisdictionem pressè sumptam. Et de officio iudicis nobili, & de iudicis officio mercenario. Disp. 5.

SVMMARIVM.

1. *IVrisdictio externa diuisa est, in imperium, & in iurisdictionem pressè sumptam: imperiũ rursum in merum imperium & in mixtum.*
2. *Quid sit imperium, & quid sit iurisdictio pressè sumpta.*

3. *Quid*

3. *Quid sit officium iudicis mercenarium.*
4. *Quid sit officium iudicis nobile.*
5. *Quid sit imperium merum, quid sit imperium mixtum.*

1 IVrisdictio disp. 2. definita ac explicata, ad externum attinens forum, diuiditur immediatè in imperium & in iurisdictionem presè sumptam. Quæ ob sui imperfectionem nomen diuisi retinet. Rursus imperium diuiditur in merum imperium, & in mixtum imperium. Atque ita tria constituuntur membra iurisdictionis latè sumptæ, vt notant *Bart. l. imperium. ff. de iurisdict. omnium iud. Panor. c. quod sedem de offic. ord.* & alii.

2 Imperium in hunc modum definitur à Bart. & à Panor. locis citatis: *Est iurisdictio, quæ exercetur officio iudicis nobili.* Iurisdictio verò presè sumpta sic ab eisdem autoribus definitur: *Est iurisdictio, quæ exercetur officio iudicis mercenario.*

3 Officium autem iudicis mercenarium sic definitur à *Bart. l. i. n. 12. ff. de iurisd. omn. iud.* & à *Panor. c. 2. de offic. iud. n. 3.* Est officium iudicis, quod deseruit actioni, intellige merè ciuili, quæ propriè actio appellatur. Dicitur autem mercenarium, quasi mancipatum ac seruiens actioni, vt mercenarius operi. Actio enim merè ciuilis, qua de interesse aliquo inter partes agitur, ad quam earum id, de quo litigatur, pertineat, hoc ex se habet, ex naturáve eius actionis, quòd iudex non mouetur motu suo proprio ad exequutionem sui muneris circa eam actionem, sed ad partium solùm petitionem, & vt exigunt vt pro suo suo munere procedat: vnde partibus cessantibus, aut secum transigentibus, cessat iudex, neque ex suo munere habet se amplius quoad id intromittere. Neque per idem mercenarium officium iudex habet concedere beneficium aliquod, etiam ad merè ciuiliter agendum, vt concedere minori aut ecclesiæ beneficium restitutionis in integrum, aut aliquid aliud, sed id totum pertinet ad officiū iudicis nobile. Quia itaque officium iudicis mercenarium eo modo est mancipatum ac deseruiens actioni merè ciuili, eíve, quod partes requirunt, vt velut de suo nihil per id officium concedat iudex, neque se intromittat, (vt de suo habet se intromittere in criminalibus ad delicta punienda, quatenus nociua sunt, præiudiciumque afferunt bono communi, estò per accidens in aliquibus prohibitum ei sit procedere, nisi ad petitionem ac accusationem partis) appellatur officium mercenarium & seruiens actioni, diciturque à doctoribus non per se stare, sed quasi subiectum esse & mancipatum actioni merè ciuili, eíque quod partes intendunt, siue ante litem contestatam, vt in citatione, & in aliis, quæ litis antecedunt contestationem, siue post contestatam litem vsque ad definitiuam sententiam, siue etiam in exequutione postea sententiæ, vt ibidem Bart. notat.

4 Officium verò iudicis nobile definitur ibidē ab eisdem autoribus, esse quod non deseruit actioni, sed per se stat, atque ex illo iudex procedit ad aliquid faciendum, aut concedendū, quoniam id sibi pro suo munere competit, pro suáque potestate, siue procedat ex solo suo motu, vt ad inquirendum de aliquo crimine, ad legem ferendam, aut ad aliud simile; siue procedat ad petitionem alicuius, vt cōcedendo restitutionē in integrum, emancipando, puniendo ad instātiam, accusationéque partis offensæ, aut alio simili modo ad alterius instantiam procedat. Et quia punire delicta ad iudicem ex suo munere spectat, quatenus in detrimentum boni cōmunis redundant, consequens profectò est, vt omnis pœnæ inflictio ad officiū iudicis nobile atq; adeò ad imperium pertineat, nihil impediente quòd iudex postulante ac accusante parte læsa illam infligat, & quòd in aliquibus euentibus, vel quòd iniuriæ leues admodum sint, vel aliis iustis de causis, vt in hoc regno circa adulteriū prohibitum per accidens iudici sit, procedere ad pœnæ inflictionem id non postulante parte læsa, aut parte læsa condonante delictum: respicitur enim ad id, quod est per se, non verò ad id, quod per accidens aliquando euenit atque est sancitum. In hac autem materia iurisdictionis, imperii, ac officii iudicis nobilis, nomine iudicis quæcunque potestas publica intelligitur, etiam Rex atque summus Pontifex, siue iudicent, siue quemcunque iurisdictionis alium actum exerceant, vt leges ferendo, veniam ætatis aut beneficium restitutionis in integrū cōcedendo, legitimando, emancipando, & similia alia iurisdictionis exercendo, vt ex definitionibus traditis, & ex tradendis, liquidò constat.

5 Merum imperium à Bart. l. imperium citata, & à Panor. c. quod sedem citato sic definitur: Est iurisdictio, quæ exercetur officio iudicis nobili publicam vtilitatem respiciente. Vt condere leges est actus meri imperii: quoniam lex publicam vtilitatem respicit, non huius vel illius particularis. Malefactores item inquirere, eosque punire, actus sunt meri imperii; quoniam pœna infligitur in cōmune bonum, quod delicto fuit læsum, & cuius iudex est custos, estò simul intendatur iusta vindicta ac satisfactio partis læsæ.

Mixtum verò imperium sic ab eisdem autoribus ibidem definitur: Est iurisdictio, quę exercetur officio iudicis nobili priuatam vtilitatem respiciente, vt concedere alicui restitutionem in integrum, est actus mixti imperii. Emancipare aliquem, concedere alicui veniam ætatis, & similia alia efficere, quæ in priuatam eorum vtilitatem, quibus conceduntur, iudicis officio fiunt, tametsi in cōmune reipublicæ bonū dirigantur, vt & cætera, quæ quocunque iudicis officio, etiam mercenario, exercentur, in commune reipublicæ bonum mediatè redundant, actus sunt mixti imperii.

Itaque iurisdictio presè sumpta differt ab imperio, quod exerceatur iudicis officio mercenario, & imperium iudicis officio nobili. Merum verò imperium differt à mixto, quòd imperium merum nobili officio iudicis exerceatur respiciente publicam vtilitatem: mixtū verò imperium exerceatur eodem iudicis officio nobili respiciente priuatam vtilitatem. Atque mixtum nuncupatur, quoniam quatenus exercetur officio nobili, participat de imperio: quatenus verò respicit priuatam vtilitatem, participat de iurisdictione presè sumpta, ad differentiam meri imperii, quod quia respicit publicam vtilitatem, non ita participat de iurisdictione presè sumpta.

Sex

Sex gradus meri imperii. Totidem distinguuntur mixti imperii, & totidem iurisdictionis. Et quando mixtum imperium alicui à principe conceditur, in quibus gradibus concedi censeatur. Disp. 6.

SVMMARIVM.

1. *Sex sunt gradus imperii meri, primus vocatur imperium merum maximum, secundus maius, tertius magnum, quartus paruum, quintus minus, sextus minimum.*
2. *Sunt etiam sex gradus in imperio mixto, & sex in iurisdictione presè sumpta.*
3. *Licèt Princeps alicui totam iurisdictionem ciuilem alicuius loci concedat, & etiam criminalem cum mero & mixto imperio, non ideo tamen concedit illi, quæ propria sunt Principis, ratione suæ supremæ potestatis.*
4. *Quamuis Pontifex legato à látere suas vices committat in prouincia, ad quam eum destinat, non tamen concedit illi, quæ sunt primi gradus meri aut mixti imperii.*
5. *Præsides prouinciarum & alii iudices ordinarii habent imperium merum in secundo gradu. In Hispania correctores locorum & alii iudices ordinarii iudicant de omnibus causis criminalibus meri imperii in secundo & sequentibus gradibus; inde verò appellatur ad regia prætoria. Aliter porrò in Lusitania.*
6. *Quando aliquod dominium temporale donatum est ecclesiis particularibus, tum in causis ciuilibus & criminalibus non est appellandum ad Principem regni, sed ad superiores potestates ecclesiæ: nisi dominium donatum sit cum reseruatione mixti ac meri imperii primi gradus apud principem sæcularem.*

1 BArt. l. imperium citata, & cum eo Panor. c. quod sedem citato, sex gradus meri imperii distinguunt. Primum, quem appellant maximum. Eius gradus est potestas condendi legem, quæ rempublicam totam obliget: quod soli supremæ potestati laicæ ac ecclesiasticæ conuenit. Est etiã potestas cudendi monetã, & in summo Pontifice potestas conuocandi vniuersale concilium. Est itẽ potestas indicendi ac inferendi bellum. Est quoque, quòd ad ipsum vltimò appelletur, atque adeò potestas cognoscendi vltimò de omnibus causis. Est præterea potestas instituendi tabelliones, & alios ministros publicos, & potestas imponendi tributa, & similia alia faciendi, quæ suprema potestas sibi reseruat, vt sibi ratione suę supremę potestatis cõueniãt.

Secundũ appellant merũ imperiũ maius. Eius gradus est potestas malefactores puniẽdi pœna amissionis vitæ, aut mẽbri, illos mutilando. Itẽ est potestas puniẽdi illos morte ciuili, eos in seruitutẽ redigẽdo, aut deputãdo illos ad metalla, per quã pœnã quondã libertas amittebatur: in quibus euentibus maxima capitis diminutio de iuri ciuili cõmuni incurrebatur, vt tractatu 2. disp. 9. explanatũ est. De iure itẽ canonico potestas degradandi aliquẽ, eumq; curiæ tradendi sæculari, vltimo supplicio æquiparatur, eaq; de causa ad merũ imperiũ maius ea potestas pertinet. Detrudere itẽ aliquẽ in pœnã in carcerem perpetuũ, morti ciuili canonico iure æquiparatur, eaq; de causa potestas puniendi ea pœna ad merum imperium maius spectat. Ad quem etiã gradum spectat excommunicare aliquem, quãdo non fit ad petitionẽ alicuius, in bonum priuatũ illius, vt illi debitũ soluatur, aut vt malè vsurpatũ illi restituatur. Hæc Panormit. vbi suprà.

Tertium appellant merũ imperium magnũ. Eius gradus est potestas damnandi perpetuæ amissionis ciuitatis, vt quando quis aqua & igni interdicebatur, aut in insulã deportabatur: quę pœna capitis media diminutio in iure dicitur, vt eadem disp. 9 citata dictum est. De iure autem canonico aliquando pœna amissionis libertatis atque etiã deportationis imponitur: tametsi Panor. vbi suprà dicat, hanc non esse iam in vsu.

Quartum appellant merum imperium paruum. Eius gradus est potestas relegandi aliquẽ, vel eum puniendi acriter in corpore, vt pœna flagellorum, aut subjiciendi illum torturæ in criminali causa. Quæ pœnæ locum etiam habent in foro ecclesiastico.

Quintum appellant merum imperium minus. Eius gradus est potestas leuiter coërcendi in corpore.

Sextum appellant merum imperium minimum. Huius gradus est potestas puniendi mulcta, seu pœna aliqua pecuniaria leni. Hæc autem & præcedens potestas iudicibus ecclesiasticis, sicut & secularibus, competit.

Quando autem grauis mulcta pecuniaria esset imponenda propter aliquod delictum, ob circunstantias aliquas, cõmutando pœnam corporalẽ in pecuniariam, vt ob nobilitatem, aut alia ratione, fortasse commutatio pertineret ad mixtum imperium, quando in vtilitatem eius fieret, cui commutatur. Inflictio autem eius pœnæ ad eum gradum meri imperii pertineret, ad quem pertineret corporalis pœna, quæ alioquin imponenda foret; nisi in pecuniariam commutaretur.

Mixtum imperium distinguit etiam Bart. l. 2 imperium citata in sex alios similes gradus. Primum appellat mixtũ imperiũ maximũ. Ad hunc gradum pertinet potestas ad ea, quæ cùm mixti sint imperii, soli principi conueniunt, quia ad illa non solet aliis potestatẽ concedere. Eiusmodi sunt, cõcedere minoribus veniã ętatis, legitimare illegitimũ, famã restituere infami, illũ ad pristinum reducendo statũ, remittere pœnã delicti, quando nõ est pars læsa, aut suorũ prosequens iniuriã, quæ accuset, vel quando reipublicæ expedit illã remittere; facta cõpetenti cõpensatione parti læsæ, itẽ cõcedere vt procedatur appellatione postposita, concedere vt iterum cognoscatur de re, quæ in iudicatã transiuit, sententiamque reuocare, quæ in rem transiuit iudicatam, & sunt similia alia. Reliquos autẽ gradus, quos Bart. prosequitur, quique conueniunt potestatibus inferioribus, vt cõcedere restitutionẽ in integrũ, cõstituere tutorẽ aut curatorẽ, interponere autoritatem in emãcipatione, & similia alia facere, quæ ad iudicis officium nobile spectant, necesse non est, nos hoc loco prosequi.

Simili modo distinguit Bart. ibidem iurisdictionem presè sumptam in sex alios gradus. Nullus tamen est soli principi reseruatus: eaque de causa illos etiam hoc loco non prosequor.

Illud verò est obseruandũ, estò princeps alicui cõcedat iurisdictionem totam alicuius loci 3 ciui-

ciuilem & criminalem cum mero ac mixto imperio, non propterea censeri cõcedere illi, quæ propria sunt principis ratione suæ supremæ potestatis, ac proinde non censeri illi concedere, quæ pertinent ad primum gradũ meri imperii, neq; itẽ ea, quæ pertinent ad primũ gradũ mixti imperii, iuxta ea, quæ de primo gradu meri imperii & de primo gradu mixti imperii proximè explicata sunt, nisi sufficienter exprimatur ac explicetur cõcedi aliquid eorũ in particulari: tunc̃que id solũ, quod ita sufficienter fuerit expressũ, cẽsetur cõcessum, & nõ reliqua, quæ cõcessa nõ fuerint. Ita colligitur apertè ex. c. quod translationẽ de officio legati, & ex lib. 2. Lusita. ord. tit. 26. quin & ibi habetur expresè, affirmãque doctores, quos *Ant. Gom. l. 40. Tauri in calce. n. 10.* refert ac sequitur, cæteriq; doctores cõmuniter. Vnde nomine meri imperii in similibus cõcessionibus, & sæpe in cõmuni vsu loquẽdi doctorũ, solùm intelligitur, quod pertinet ad secundũ gradũ meri imperii, & longè maiori cũ ratione, quod pertinet ad tertiũ, & ad sequentes gradus mixti imperii. Arbitror autẽ eũ loquẽdi vsum ortũ habuisse ex *l. imperiũ. ff. de iurisd. omn. iud.* quo in loco sic dicitur: *Merũ imperiũ est habere gladii potestatẽ in facinorosos homines*, hoc est, habere potestatẽ puniẽdi pæna capitali. Quod, iuxta glossam, & Bart. ibi, cõmuneq; doctorum sententiã, nõ est explicatio meri imperii in tota sua latitudine, quasi ibi definitio imperii tradatur, sed est explicatio illius per exẽplũ. Eodem modo sumitur mixtũ imperiũ. l. 18. tit. 4. part. 3. simili quoq; modo nomine mixti imperii in similibus cõcessionibus, vsuq; loquentiũ, solùm intelligitur, quod pertinet ad sequentes gradus mixti imperii post primum illius gradum, ortumque id videtur habuisse ex eadem lege, vbi similiter mixtum imperium explicatur exemplo pertinente ad sequentes gradus mixti imperii post gradum primum.

4 Eodem modo ex eo, quòd summus Pontifex legato à látere suas vices in prouincia, ad quam eum destinat, committat, nõ censetur ea illi cõcedere, quæ sunt primi gradus meri aut mixti imperii, qualia sunt, quæ ex se soli sedi apostolicæ cõueniũt, aut quæ in signũ priuilegii principalis sibi reseruat, vt patet. c. nisi, & copiosiùs. c. quod trãslationẽ de officio legati, vt sunt trãsferre episcopũ vnum de vno episcopatu in aliũ, subjicere vnã cathedralem ecclesiam alteri, vnire episcopatus, aut eos diuidere, de quibus duobus capitibus citatis dictũ est, & pertinent ad primum gradum mixti imperii, & sunt similia alia, quæ cõmemorant glossa. c, quod translationẽ citato, & latiùs *Sylu. verb. casus. n. 2.* & alii: Vnde, vt eorũ aliquid conueniat legato, necesse est, vt specialiter ei concedatur. Eiusmodi sunt dispensatio in matrimonio, & similia alia, quæ soli apostolicæ sedi sunt reseruata. Possunt tamẽ legati à látere absoluere percussorem ecclesiastici, etiam in casu soli apostolicæ sedi reseruato: quoniam id quasi ex consuetudine censetur ei concessum, vt habetur *c. quod translationem* citato, *iuncto. c. excommunicatis eod. titu. & tracta. 3. disp. 58*, est dictum.

5 De iure cõmuni Præsidibus prouinciarum & aliis iudicibus ordinariis cõmittebatur merum imperium in secundo gradu & in sequentibus, & iurisdictio in causis, quæ excedebant trecentos aureos. Iudicibus verò ciuitatũ solùm cõcedebatur cognoscere de minoribus delictis, & ea punire, & de causis ciuilibus, quæ nõ excedebãt trecentos aureos, vt notant *Bart. l. imperiũ. ff. de iurisd. omn. iud. & Panor. c. quod sedem de offic. ord. n. vlt. iuxta authenticum de defensorib. ciuit. §. & iudicare, & §. audient*, iuncta *l. illicitas. §. qui vniuersas*, & glossa ibi. *ff. de offic. præs.* In hoc autem regno Correctores locorum, ad quæ mittũtur, & alii iudices ordinarii locorũ, ad quę nec Correctores nec Assistentes mittuntur, iudicãt in prima instantia de omnibus causis criminalibus meri imperii in secundo & sequẽtibus gradibus, & de causis omnibus ciuilibus: inde verò appellatur ad regia prætoria. Atque in quibus causis fas est iudicibus nõ admittere appellationẽ, sed ea nõ curata, mandare sententiã exequutioni, illam exequutioni mandant, estò mortis pænam ea sententia cõtineat. Ita *Couar. de pract. qq. c. 4.* iuncto. *c. 23.* & alii doctores communiter, estque vsu receptum. In Lusitania verò iudices locorum, qui pedanei non sunt, & Correctores, quorum munus longè diuersum est à munere Correctorum huius regni, etiã in prima instantia cognoscunt de eisdem causis: cæterùm in causis criminalibus, in quibus mors est infligenda, & in quibusdam aliis, non solũ tenentur semper admittere appellationem ad curiam, sed etiã ipsi, lata sententia, appellare tenẽtur ex parte iustitiæ, vt in superiori tribunali eiusmodi causæ semper vltimò definiantur. Ita habetur *lib. 5. ord. titu. 1. & 42.* Idem ait *Iul. Clarus lib. 5. sent. §. vlt. q. 40.* seruari in Mediolanensi ducatu.

Quantum autem iurisdictionis, aut meri & mixti imperii, domini oppidorum habeant in locis suis, ex titulis, quibus ea oppida iurisdictioque in illis concessa sunt, est addiscendum: & num ad ipsos, aut ad iudices ab ipsis cõstitutos, concessa sit prima appellatio: vltima enim semper ad supremũ principẽ spectat. Quomodo autẽ intelligendæ sint concessiones iurisdictionis aut meri ac mixti imperii factæ in Lusitania optimatibus, etiã si verbis amplis concessæ sint, habetur 2. lib. ord. titu. 26. per totum titulum.

6 Quod verò attinet ad iurisdictionem secularem quondam donatam vel ecclesiæ Romanæ, vel priuatis ecclesiis, vt Toletanæ, Conchensi, Bracharensi, Conimbriensi, & aliis, est obseruãdũ. Quòd cũ respublica ecclesiæ distincta sit à secularibus rebus publicis principũ christianorũ, illisque superior, cui cæteræ subordinantur, sicut earum finis naturalis ad finẽ supernaturalem ecclesiæ ordinatur, vt tracta. 2. à disp. 21 explanatũ fuit, quãuis exemptio omnimoda à supremo principe, vt ad illum non appelletur, & vt ei legibusq; illius nõ pareatur, cõcedi alicui subditorũ nõ possit, neq; id præscribi à subdito aduersus supremũ principẽ possit, vt eodẽ tracta. 2. disp. 74. cũ cõmuni doctorum sententia est dictum; nihilominus tẽporale dominiũ concedi potest à principe Christiano vel Romanæ ecclesiæ, vel particularibus ecclesiis in suo regno sitis, õnino exẽptũ quoad iurisdictionẽ secularẽ à tali principe, semelq; ritè donatũ, reuocari aut restringi nõ posse eã donationẽ: eo quòd reipublicæ distinctæ aut parti reipublicæ distinctæ ea donatio sit facta. Sic partim à Constantinõ Imperatore, & partim ab aliis, ecclesiæ Romanæ dona-

donatum fuit totum suum patrimonium domi- A nii temporalis in illius splendorem, omnino exemptum ab omni principe seculari, vt tracta. 2. disp. 25. dictum comprobatumque fuit. Quod si simili modo dominium aliquod temporale iurisdictionis latè sumptæ donatum sit ecclesiis particularibus, tunc in causis criminalibus & ciuilibus eius dominii appellandum non est ad principem eius prouinciæ aut regni, sed ad superiores potestates ecclesiæ, ad ministróve ad id ab eis deputatos, vtà ministris Episcopi, cuius ecclesię sit id dominiũ tẽporale, ad Archiepiscopum, aut à ministris Archiepiscopi, ad sũmum Pontificem, vt habetur. *c. Romana. §. debet de appellat. lib. 6.* Si autem dominium donatũ sit B cum reseruatione meri ac mixti imperii primi gradus apud principem secularem eius prouinciæ, tunc in prædictis causis non ad superiores potestates ecclesiasticas est appellandum, sed ad principẽ secularẽ, illiúsve suprema prætoria, vt eodem. *c. Romana. §. debet citato*, satis perspicuè habetur. Sic Reges Castellæ, & Lusitaniæ, quin & Galliæ, vt Couar. c. 4 citato & alii referunt, semper censuerunt, non aliter donasse ecclesiis ac religionibus dominiũ tẽporale oppidorum, quæ ad ipsas pertinent, quã sibi reseruando primũ gradum meri ac mixti imperii, ac proinde perinde subiecta eis ea dominia temporalia iurisdictionis manent, ac subiecta eis manent do- C minia iurisdictionis magnatuum eiusdẽ regni, appellandũque proinde est in causis ciuilibus & criminalibus eorũ dominiorum ad Regem, & ad ipsius prætoria, seruata iurisdictione tota eis concessa primæ aut etiam secundæ instantiæ, si ex suis titulis constat hanc etiam habere, nõ verò est appellandum ad superiores ecclesiasticas potestates. Ita habetur. *l. 8. tit. 3. lib. 1. nouæ collect.* & in Lusitania *lib. 2. ord. titu. 26.* Adde, sæpe eiusmodi dominia iurisdictionis secularis oppidorũ aliquorum translata à magnatibus fuisse in religiones, & in alias ecclesias, nec potuisse ad illas, sine speciali alia principis concessione, transire maiorem iurisdictionem in ea oppida, D quàm magnates illi in ea habuerint.

Quæ iurisdictio præscribi à subditis non possit aduersus supremam potestatem ecclesiasticã, aut aduersus supremam laicam potestatẽ, & quæ præscribi possit, & quanto tempore cum titulo, aut sine titulo, & quid ea de re habeat ius Lusitanum, tracta. 2. disp. 74 & 75. à §. quoniam vt tractatu, &c. copiosè est dictum.

Episcopis, legatis sedis apostolicæ, & prælatis inferioribus, etiam religionis, in sibi subditos, quantum imperii ac iurisdictionis competat. Disp. 7.

SVMMARIVM.

1. *EPiscopi & legati Apostolici in ecclesiastico foro ea omnia habẽt, quæ sunt imperii, præterquam in primo gradu meri ac mixti imperii.*
2. *Prælati inferiores Episcopis regulariter non habent ea quæ sunt imperii, nisi quæ sunt de minori & minimo imperio.*
3. *Prælati religiosorum possunt punire subditos iuxta statuta suarum religionum: at non licet eis degradare.*
4. *Num prælati religiosorum suos subditos ad triremes damnare possint.*
5. *Crimina religiosorum, ad sanctæ inquisitionis tribunal spectantia, punienda sunt non per ipsorum prælatos, sed per inquisitores hæreseos, aut per episcopos.*
6. *Ordinarius potest exercere suam iurisdictionem in quoscunque exemptos, quando delictum commissum est extra locum exemptum: secus autem quando delictum est commissum in loco exempto.*

VT bene *Panor. c. quod sedem de off. ord.* ait, e- 1 piscopi & legati summi Pontificis in ecclesiastico foro ea omnia habent, quæ sunt imperii, præterquam in primo gradu meri ac mixti imperii, iuxta *c. 1. de off. ord.* & facilè constat ex dictis copiosè à nobis tractatu 3. Disp. 49. Tametsi pænam sanguinis imponere non possint, neque exequutioni illam mandare, sed quando erit imponenda ob delicti atrocitatem, degradare poterunt ac tradere delinquentem curiæ seculari, vt ibidem fuit explicatum. Vbi etiam est dictum, punire eos posse flagellorum pœna, quamuis rarò id efficere debeant, & mittere in triremes, degradando, saltem verbaliter, quos ita miserint. Inquisitores item hæreticæ prauitatis ea habent, quæ sunt meri imperii in secundo gradu, & in reliquis inferioribus: tametsi pœnã sanguinis imponere non possint: sed quando delictum ea pœna est dignum, relaxare debeant delinquentes brachio seculari, iuxta ea quæ Disp. 49 citata dicta etiam sunt.

Prælati Episcopis inferiores, regulariter non 2 habent ea, quæ sunt imperii, ni si quę sunt de minori & minimo imperio. Possunt tamen excommunicare, quod ad secundum gradum meri imperii, vt disputatione præcedente est dictum, spectat.

Prælati verò religiosorum, iuxta Panor. *c. quod* 3 *sedem* citato in fine, *& latius. c. cùm contingat de foro competenti, & c. cùm ab ecclesiarum de off. ord.* punire sibi subditos possunt iuxta statuta suarum religionum, atque vbi statuta pœnam non statuerint, punire debent iuxta canonicas leges, vt delicta postulauerint, vt colligitur ex. c. ea quæ de statu monach. Modò tamen ad degradationẽ non procedant, quæ pœna solùm per Episcopos locorum imponi potest: quia ad eum pertinet degradare, ad quem pertinet ordinare. Nauar. c. non dicatis. *12. q. 1. n. 63.* hæc admittit in prælatis religiosorum, qui exẽpti sunt ab ordinario, quales ait esse hodie ferè omnes, saltem per cõmunicationem priuilegiorum aliorum ordinum. Eiusmodi enim prælati (maximè prouinciales) iurisdictionem habent quasi episcopalem suorum religiosorum comparatione, iuxta glos- E sam *Clem. 1. de rebus eccles. non alien. verb. proprii*, & consentit, *c. abbates de priuil.* Vnde credo eos, non secùs atque Episcopos, posse verbaliter sibi subditos degradare, & tradere eos puniendos iudicibus secularibus, quando excessus id commeruerunt: maximè hodie post definitionem concilii Tridentini sess. 13. c. 4. de reform. tracta. 3. Disput. 49 relatam, qua Episcopis per se aut per suum vicarium concessum est id efficere, sine interuentu aliorum Episcoporum, aut cuiusuis alterius quo ad id: tota autem correctio ac punitio eiusmodi prælatis incumbit suorum religiosorum in-

independenter ab Episcopo. De aliis verò religiosis, qui ab Episcopo exempti non sunt, ait ibidem Nauarrus, eos de iure communi solùm posse de iis cognoscere, quæ sunt contra regulã, atque iuxta præscriptum regulæ dumtaxat: ex communi tamen consuetudine posse eos de aliis etiam cognoscere, absque præiudicio tamen ordinarii loci, ita vt ordinarius quoque possit de eis cognoscere: atque, si de eis ordinarius cognoscere attentet, cessare debet is prælatus de eisdem cognoscere.

4 Vtrùm autem prælati religiosorum exemptorum ab ordinariis damnare sibi subditos possint pœna triremium, quando culpæ tanta pœna fuerint dignæ, expediensque id iudicabitur. *Nauar. c. nullam. 18. q. 2. n. vlt.* qui tertius est illius commentarius de regularib. quæstionem in vtramque partem disputat, affirmatque de consuetudine id eos posse efficere, nihil impediente, quòd manus violentæ per laicum triremi præpositum in illos injiciantur, illos flagellando ac percutiendo. Id enim ex consuetudine præscripta absque excommunicationis pœna liciteque fieri potest, vt bene ibi ait Nauarrus: quoniam consuetudo vim habere quo ad id potest aduersus contrariam humani iuris legem. Consentiunt, quæ diximus tracta. 3 Disp. 49 & 51. Illa item adiuuat priuilegium à Pio 2 generali ac aliis prælatis inferioribus ordini Carmelitarum concessum, quo per communicationem priuilegiorũ cæteri religiosi exempti communiter gaudent, vt scilicet omnes & singulos suos religiosos apostatas, criminosos, incorrigibiles, aut delinquẽtes fratres eiusdem ordinis, possent punire, non solùm pœnis ordinis statutis cõtentis, sed etiam acrioribus, tam per se, quàm per locorum ordinarios, officiales, seu alios ministros, infra tamẽ vltimũ supplicium ac mutilationem, & modò, si torturæ subjiciendi essent, id fieret de consensu atque in presentia duorum fratrum antiquiorum eiusdem ordinis. Ita habetur in compẽdio priuileg. fratr. Minor. verb. *apostata. §. 19.* Vide ibidem verb. *correctio.* & verb. *eiectio.* Porrò quãdo religiosus aliquis triremibus in pœnam esset adigendus, in pœnam quoque spoliandus esset habitu ordinis iuxta ordinis priuilegia, de qua pœna inter alios Nauar. c. statuimus. 19. q. 3. n. 34. qui quartus est commentarius illius de regularibus, tradenduſque esset triremibus indutus vestibus secularibus ei pœnæ sustinendæ aptis, vt fieri consueuit.

5 Crimina verò religiosorum ad tribunal Sanctæ inquisitionis attinentia punienda sunt, non per ipsorum prælatos, sed per inquisitores hæreticæ prauitatis, vnà cum Episcopo districti, ad quod pertinet is religiosus. In prouinciis autem, in quibus non sunt inquisitores, per Episcopos sunt punienda ea crimina, vt colligitur ex *c. ad abolendam de hæret. ex. c. accusatus. §. vlt. de hæret. lib. 6.* & ex aliis iuribus. *Simancas in institutionib. titu. 34. n. 32.* refert, sancitum esse, vt priusquam inquisitores particulares procedant ad comprehendendos religiosos, & alias insignes personas, consulant inquisitorem generalem. Quod ille rectè intelligit ac limitat, nisi esset periculum in mora.

6 *Capite volentes de priuileg. lib. 6.* innouato per concilium Tridentinum *sess. 7. c. 14. de reformat.* sancitum est, vt ordinarius possit exercere suam iurisdictionem in quoscunque exemptos, quando delictum est commissum extra locum exemptum, & in territorio suæ iurisdictionis, aut cõtractus est celebratus extra locum exemptum, & in territorio suæ iurisdictionis; vel quando res, de qua exempti conueniuntur, est extra locum exemptum, & in territorio iurisdictionis suæ. Secùs autem quando delictum est commissum in loco exempto, aut contractus est celebratus in loco exempto, vel res, circa quam exemptus conuenitur, est in loco exempto: nam tunc exempti gaudent suo priuilegio. Item in tribus prioribus euentibus, in quibus dictum est, exemptum posse conueniri coram ordinario, solus is ordinarius potest exercere in eos suam iurisdictionem, in cuius territorio seu districto commissum est delictum, aut celebratus est contractus, vel constituta est res, circa quam exemptus conuenitur. Quare si religiosus ita exemptus commisit delictum, aut celebrauit contractum, in vna diœcesi, & commoretur in alia, in qua suum monasterium ac domicilium habeat, vel res, circa quam religiosi alicuius monasterii conueniuntur, sit in vna diœcesi, & monasterium in alia, ordinarius loci, in quo est monasterium ac domicilium eorum religiosorum, nihil suæ iurisdictionis potest in eos exercere, neque potest eos compellere vt in alia diœcesi respondeant, aut eos illuc mittere, vt habetur eodem c. volentes citato, sed solùm id potest ordinarius illius alterius diœcesi. Quia verò concilium Tridentinum solùm id caput innouauit, vt solùm eam vim haberet, quã habebat quando fuit conditum, & quando in sua erat viridi obseruantia, nihil quo ad illa addendo: caputq; illud vim non habebat, quando priuilegiũ continebat, vt conueniri non possent etiam de factis, sitis, ac celebratis extra locũ exemptũ, maximè cum sufficienti derogatione eius capitis: consequẽs profectò est, vt cùm regulariter monasteria illud priuilegium habeant, hoc posteriori modo concessum, saltem per communicationem priuilegiorum, vim quoque hodie id caput non habeat, etiam post illius innouationem factam in concilio Tridentino, vt rectè *Nauarrus. c. non dicatis citato. n. 63.* affirmat.

Obserua tamen, concilium Tridentinum c. 14. citato subiungere, clericos aut religiosos cõmorantes extra suum monasterium, quocunque modo exemptos, posse in causis ciuilibus mercedum, & in causis miserabilium personarum, conueniri coram ordinario eius loci, in quo cõmorantur, & ab eo compelli soluere ea debita, nihil impediente quòd eiusmodi exempti habeant in eodem loco iudicem sibi ab Apostolica Sede deputatum, vt coram eo conueniantur. Insuper statuit, vt iidem possint in aliis causis ciuilibus conueniri coram ordinario eius loci, & compelli ab eo soluere debita, dummodo in eo loco non habeant iudicem sibi à Sede Apostolica deputatum. Atque in vtroque euentu derogat concilium priuilegiis omnibus & exemptionibus in contrarium concessis.

Duo obserua. Vnum est: Tunc extra monasterium commorari, quando sedem & habitationem, vt studii causa, aut ad agenda ibi negotia, vel alia simili de causa, extra monasterium habet, secùs quando habitat in residentia monasterii, aut egreditur reuersurus sine mora ad monaste-

rium. Alterum verò est, religiosos particulares non commorantes extra monasterium, pro delicto commisso extra sepra monasterii, aut pro contractu extra sepra monasterii celebrato, cõueniendum esse corã suo superiore, hoc est, coram prælato sui monasterii, qui est suus iudex ordinarius, &, vt bene Nauar. c. non dicatis n. 6 ait, non coram conseruatore monasterii, neque coram aliquo alio. Neque in hoc euentu loquitur decretum illud concilii Tridentini. Neque item decretum, de quo proximè subiungo sermonem. De eo tamen religioso loquitur. c. 14. sessionis 25, de quo vlteriùs sermonem facio.

Idem *concilium sess. 6. c. 3.* episcopis concedit, vt tanquam Sedis Apostolicæ delegati possint quemcunque regularem extra suum monasterium degentem, si deliquerit, visitare, punire ac corrigere secundùm canonicas sanctiones, nihil impediente quocunq; priuilegio sui ordinis.

Idem *concilium sess. 25. c. 14.* statuit, vt si regularis ab episcopo exemptus, & intra claustra monasterii degens, ita extra ea claustra deliquerit, vt populo sit scandalo, teneatur illius superior, episcopo instante, seu id præscribente ac monente, illum seuerè punire intra tempus, quod episcopus ad id præscripserit, de eaque punitione certiorem episcopum facere: alioqum is superior à suo superiore officio priuetur, & episcopus punire eum regularem possit, qui ita extra claustra deliquerit.

Idem *concilium sess. 21. c. 8.* circa monasteria cõmendata, etiam abbatias, prioratus, & præposituras nuncupatas, in quibus viget obseruantia regularis, iniungit episcopis, vt paternis admonitionibus prouideant, tum vt eorum regularių superiores iuxta ipsorum regularia instituta debitam viuendi rationem obseruent, tum etiam vt subditos suos eam obseruari faciant, eosq; in officio contineant ac moderentur. Quòd si admoniti, intra sex menses eos subditos non visitauerint vel correxerint, tunc episcopi, etiam vt delegati sedis apostolicæ, eos visitare possint & corrigere, prout ipsi superiores possent, iuxta eorum instituta, quibuscunq; appellationibus, priuilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.

Superiores quarumcunq; religionum, etiam si exemptæ ab ordinariis non sint, capere possunt suos subditos fugiẽtes, vbicunq; eos repererint, absque cuiusquam facultate, qui ibi iurisdictionem habeat. Quoniam eiusmodi superiores ius in eos suos subditos habent vt in rẽ propriam, quam quisque, vbicunque eam repererit, capere potest. Ita cum Bart. & cum communi doctorum sententia, argumento multorum iurium, Nauar. c. nullam citato n. 50.

Iudex latissimè sumptus, vt comprehendit potestatem omnem, alius ordinarius, alius delegatus, & alius arbiter. Et quis sit iudex ordinarius. Disp. 8.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo diuidatur iudex latissimè sumptus.*
2. *Quid sit iudex ordinarius.*
3. *Iudices & potestates ordinariæ sunt etiam non solum suprema, a qua aliæ deriuatur, sed etiam quæ à suprema deriuantur: modò tamen ex proprio munere ad id creato iurisdictionem exerceant.*
4. *Præterea iudices ordinarii sunt, qui inter aliquos alicuius professionis ab eis qui eius professionis sunt eliguntur, vt de iis rebus præcipuè iudicent, quæ ad eam professionem spectant: id tamen fieri non potest absque speciali Regis mandato aut approbatione.*
5. *Qui sint in Hispania* Veedores, *& quod eorum munus, & alia eiusmodi munia, quæ sunt officii cuiusque in particulari.*
6. *Inter potestates ecclesiasticas sunt etiam potestates ordinariæ: item in religionibus.*

IVdex hoc loco latissimè sumitur, pro quacũque potestate, etiam suprema, tam laica, quàm ecclesiastica. Rex quippe ac summus Pontifex sunt iudices supremi, a quibus, in sensu Disp. 3 & 4 explanato, iurisdictio tota in alios deriuatur. 1

Quòd verò iudex, ita latissimè sumptus, sufficienter diuidatur in tria illa membra in titulo Disputationis proposita, quæ eadem tradit *l. 1. titu. 4 par. 3.* in hunc modum cum communi doctorum sententia colligitur. Quoniam legitimus iudex vno ex his duobus modis esse potest. Nempe vel per potestatem non mendicatam ab illis in singulari, inter quos exercere debet iudicium, sed quam ex suo habet munere, aut certè legitimè ex illo participatam, qui ex suo munere illam habet: vel per potestatem ab illis ipsis in singulari mendicatam, inter quos exercere debet iudicium, qui in ipsum compromittunt, vt stent illius sententiæ; eúmve in iudicem controuersiæ, quæ inter ipsos est, sibi eligunt, non resistente, sed potiùs id approbante ac concedente republica suis legibus. Si hoc posteriori modo aliquis sit iudex, dicitur atq; est iudex arbiter: neq; eius potestas est simpliciter ac propriè iurisdictio. Si verò illo priori modo sit iudex, esse id iterum potest vno è duobus modis. Quoniã vel per potestatem ac iurisdictionem, quam habet ex suo munere: vel non per potestatem ac iurisdictionem, quam habeat ex suo munere, sed solùm ex commissione alterius, illius vices ea in parte gerendo, & non suum proprium aliquod munus exercendo. Si priori illo modo aliquis sit iudex, dicitur ac est iudex ordinarius: si verò posteriori modo, est iudex delegatus.

Hinc iudicem ordinarium, seu potiùs potestatem ordinariam, sic possumus definire: Est, quæ ex suo munere iurisdictionẽ exercet. Quòd si illam exerceat iudicando, partiumque controuersias dirimendo, & vniuersim quo ad ea, quæ ad contentiosum forum spectant, dicitur exercere contentiosam iurisdictionem. Si verò eam exerceat quo ad ea, quæ ad forũ contẽtiosum non spectant, vt circa collationem beneficiorum, quæ ad ipsum conferre spectat, quo ad cõcessionem priuilegiorum, ordinum, & quo ad similia alia, quæ ad contentiosum forum non pertinent, dicitur exercere voluntariam iurisdictionem. 2

Sunt verò potestates ordinarię, non sola suprema, à qua aliæ deriuantur, sed etiam quæ à suprema deriuantur; modò tamen ex proprio munere ad id creato ac constituto iurisdictionem exerceant, & non quasi nudas alterius vices, absque munere proprio, gerentes. Quo fit, vt proconsules ac præsides, qui prouinciis, & prætores, qui ciuitatibus moderandis præficiebantur, 3

tur,& qui hodie in his regiminibus illis respondent, iudices sint ordinarii. Errat verò *Sotus. 5. de iustitia.q.4.art. 1.* contra caput legatos de officio legat. lib. 6. & contra alia apertissima iura ciuilia, communemque doctorum sententiam, sub potestate delegata, & non sub ordinaria, illos connumerans. Correctores, quos in hoc regno & in Lusitania vocant, (tametsi maior sit eorum iurisdictio in hoc regno, quàm in Lusitania, nec in Lusitania vicariis vtantur, vt in hoc regno in suos vicarios eis vtuntur, quos *tinientes* & *Alcaldes maiores* vocant) & iudices alii in hoc regno locorum, ad quæ correctores non mittuntur, & in Lusitania iudices *das comarcas*, quos vocant, siue à Rege mittantur, quos in eo regno *Iuizes de fora* idcirco dicuntur, siue electione in ipsismet populis creentur, itemque iudices, qui pedanei in iure dicuntur, & de minimis in paruis oppidis iudicant, omnes sunt iudices ordinarii, & inter tales computantur *lib. 1. Lusitanorum ordinationum titu. 44.* & consentiunt *l. 1. titu. 4. part. 3.l. 1. & sequentes titu. 15. lib. 2.ord.* quæ sunt *l. 1. & sequentes titu.9.lib.3.nouæ collect.* Vsque ad quam autem quantitatem cognoscere possint iudices pedanei in Lusitania, prout maiora vel minora fuerint oppidula, in quibus sunt pedanei iudices constituti, habetur ad finem tituli.44.citati. In hoc autem regno Carolus quintus hanc *12. legem titu. 9.lib. 3. nouæ collect.* circa eiusmodi pedaneos iudices constituit: *Mandamos, que de aqui adelante en los lugares que tienen costumbre, que los alcaldes dellos conozcan hasta sesenta marauedis, que de aqui adelante puedan conocer hasta en quantia de cien marauedis.*

4 Iudices præterea ordinarii sunt, qui inter aliquos alicuius professionis, aut officii, ab iis, qui eius professionis aut officii sunt, vel à maiori illorum parte, vel ab iis, quibus electio à communitate ipsa est commissa, eliguntur, vt de iis rebus præcisè iudicent, quæ ad eam professionem aut officium spectant. Vt sunt iudices mercatorum aliquibus in locis, à communitate mercatorum eo in loco electi, vt Burgis, Hispali, Olyssipone, & in aliis similibus locis. Quòd si negotiatio mari fiat, consul constitui ab eis solet, qui de iis, quæ circa eam maritimam negotiationem eueniunt, controuersiásve, quæ inde oriuntur, iudicent. Atque ea iurisdictio consulatus maris appellatur: suntque quo ad illa peculiaria statuta ac leges sancitæ, quæ leges consulatus maris nuncupantur, & iuxta eas, & iuxta consuetudines circa eam negotiationem receptas iudicatur; alioquin ad ius commune recurritur ad eas controuersias definiendas ac dirimendas. Tales etiam sunt iudices diuersorum officiorum, quo ad illa, quæ ad ea officia spectãt, à communitate eorum, qui de eo officio sunt electi ac constituti. Et tales sunt iudices à quacunque alia confraternitate ac congregatione constituti & electi, vt in iis præcisè iudicent inter eos, qui de ea confraternitate aut congregatione sunt, quę ad ipsam confraternitatem ac congregationem spectant, non verò quo ad alia. Hos omnes iudices esse ordinarios, tametsi integrum sit actoribus, non coram illis contendere eis de rebus, sed coram iudice loci ordinario, habetur *l. vlt. C. de iurisd. omn. iud. l.1 & 2.titu. 4. part. 3.* & consentit communis doctorum sententia. Obserua tamen eiusmodi iudices à lege, quæ eos ita eligi ac creari permittit ac concedit, habere, quòd iudices sint ordinarii: vnde à lege atque republica habent iurisdictionem, sed mediante electione eorum, quibus eligere eos in iudices est permissum ac concessum.

Illud deinde obserua, in hoc regno lege 17. titu.15.lib.2. ord. sic esse disp̃situm: *Porque los officios de los alcaldes de los fisicos, curujanos y de otros especiales officios de Iuizes, tienen y redundan en perjuizio de la nuestra ordinaria jurisdiction de las nuestras ciudades è villas è lugares, nos los reuocamos, è mandamos que no vsen de los tales officios, los que assi dellos son proueidos, sin nuestro mandado.* Greg. Lopez. l. 1. citata verb. *menester es*, ait, Eiusmodi iudices videri propter hanc legem cessare in hoc regno, vt vti non possint suo munere sine speciali mandato Regis. Vnde ait, speciali approbatione Regis esse Burgis Priorem & consules mercatorum, vt ex quadam pragmatica catholicorum Regum Ferdinandi & Elizabethæ constat. Idemq; à Carolo quinto ait concessum esse Hispali Priori & consulibus mercatorum. Atq; idem concessum refert esse protomedicis quo ad medicos & chirurgos pragmatica alia eorundem catholicorum Regum.

In hoc autem regno quotannis eliguntur à communitate officiorum in vnoquoque oppido *veedores*, quos vocant, & in electione aliquãdo legibus regni est præscripta certa forma circa nonnullos *veedores*, certæque leges illis præscribuntur. Eorum munus esse solet, iudicium interponere circa officia eius artis, & circa querimonias & difficultates circa illa emergentia, & interdum visitare, quæ ea arte fiunt, & denunciare, quæ non vt oportet fuerint circa ea facta, aut aliquid circa illa efficere, vt signa quædam pannis apponere, aut etiam pænas aliquas imponere, easque exequutioni mandare, præcisè prout lege fuerit eis concessum. Solent etiam adiunctum habere munus examinandi opifices eius artis, num idonei sint, vt eam artem tanquam artifices profiteantur, eaque de re instrumenta concedere.

Examen verò medicorum, chirurgorum, & pharmacopolarum pertinet ad protomedicos & *alcaldes* ad id deputatos, vt habetur titul. 17. lib.3.nouæ collect. Examen item eorum, qui *sajar, sangrar, echar sanguijuelas, echar ventosas*, aut extrahere dentes debent, pertinet ad tonsores maiores Regis, vt habetur eodem lib. 3. titu. 17. Item examen *de los albeitares* (veterinarii latinè dicuntur) *y herradores* pertinet *à los albeitares y herradores maiores*, vt habetur eodem lib. 3. titu. 18. Opifices *de obrage de lana* examinari debent à duobus *veedores* eiusdem officii, & à duobus aliis opificibus eiusdem officii, vt habetur l.100. titu.13.lib.7.nouæ collect. De modo, quo eligendi & confirmandi sunt *los veedores de officios de obrage de lana*, maximè *de texedores, perailes, bataneros, y tũdidores*, & quanta sit eorum iurisdictio ad pænas imponendas, & exequutioni mãdandas, habetur eodem titu.13.l.109 & 110. iunctis antecedentibus & sequentibus, & titu.14.l. 15. & tit.17.l.43.iunctis antecedentibus. De modo etiam electionis *de los veedores de los cereros è candeleros de seuo*, & quæ obseruare debent, habetur eodem lib.7.titu.18.l.1.& sequentibus. De modo item electionis de los veedores *de los pellege-*

pellegeros, & quæ obſeruare debent, habetur ibi- A dem titu. 19. l. 1. & ſequentibus.

6 Vniuerſim autem quicunque ex proprio munere ad id conſtituto iuriſdictionem aliquam habent, ſiue magnam ſiue paruam, iudices poteſtatéſve ſunt ordinarię, vt ex eo ſuo munere eam iuriſdictionem exerceant. Atque inter poteſtates eccleſiaſticas Archiepiſcopi & epiſcopi ordinariæ ſunt poteſtates. Et ſub illis decani & archidiaconi, de iure communi quondam iuriſdictionem aliquam iudiciariam habebant: id verò conſuetudine pleriſque in locis eſt abrogatum. Capitulum item, ſede vacante, iuriſdictionem ordinariam habet loco epiſcopi. Exempti item, qui iuriſdictionem quaſi epiſcopa- B lem in ſuos ſubditos habent, iudices eorum ſunt ordinarii. Parochi item iuriſdictionem ordinariam habent ad ea, quæ ex ſuo officio exercere ipſis incumbit, atque in foro tantùm conſcientiæ habent iudiciariam ordinariam iuriſdictionem. In religionibus item à ſancta Sede Apoſtolica approbatis, Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Præpoſiti, Rectores, & alii ſimiles religioſorum ſuperiores, iuriſdictionem habent ordinariam in ſibi ſubditos, maiorem vel minorem, prout inſtitutum ac diſpoſitio religionis illis tribuit. Et vniuerſim quicunque ex munere proprio, & non quaſi vices aliorum præcisè agentes, regimen aliquorum C habent, iuriſdictionem ordinariam quo ad id habent. Curtè autem videtur loquutus *Nauar. c. non dicatis. n. 63. de iuriſdictione* ſuperiorum religionum in ſibi ſubditos, maximè quando religiones exemptæ non ſunt ab ordinario, dum innuit, eos non aliter habere iuriſdictionem ordinariam, quàm habeant iudices officiorum ac confraternitatum, electi à communitate eorum, qui ſunt de eo officio aut confraternitate, iuxta *l. vlt. C. de iuriſdict. omn. iud.* Etenim eo ipſo, quòd eiuſmodi religiones à Sede Apoſtolica ſunt approbatæ, poteſtates iuxta præſcriptum eius religionis electæ ac creatæ iuriſdictionem habent quo ad id à ſummo Pontifice, & non à D ſola communitate, à particularibuſque illius: tametſi modus eligendi eas poteſtates regimini earum religionum relictus à ſummo Pontifice ſit.

Ex dicendis verò, tum ſequentibus Diſputationibus, de iudicibus ordinariis, tum etiam Diſputationibus, quas de iudicibus delegatis conficiemus, erit magis perſpicuum, quæ poteſtates ordinariæ ſint, quæ non item, ſed delegatę.

Legatorum Sedis Apoſtolicæ quidam iudices non ſunt: alii verò ſunt iudices, & tam qui ſunt à látere, quàm qui à látere non ſunt, iudices ſunt ordinarii: & quanta eorum ſit iuriſdictio. Diſp. 9.

SVMMARIVM.

1. *OMnes legati Apoſtolici non ſunt iudices: ii tamen immunes ſeruandi, vt nihil mali aut iniuriæ accipiant, qui verò eos impedit vti legatione ſua, excommunicantur ipſo facto.*
2. *Legati Sedis Apoſtolicæ, cùm ſunt iudices, ſunt tripłices, quidam legati à látere, alii legati miſſi, alii legati nati.*
3. *Legati Sedis Apoſtolicæ cùm ſunt iudices, computantur inter iudices ordinarios.*
4. *Diſcrimen inter illa tria genera legatorum.*
5. *Legatus Apoſtolicus ea exercere poteſt, quæ ſummus Pontifex, exceptis iis, quæ ſummo Pontifici reſeruata ſunt.*
6. *Legati cùm iudices ſint ordinarii in prouinciis, ad quas mittuntur, concurrunt tanquam iudices ordinarii in iis prouinciis cum reliquis illic iudicibus ordinariis.*
7. *Poſſunt actores cauſarum vocare reos in prima inſtantia coram legato, prætermiſſo alio ſuo iudice ordinario.*
8. *Legatus audire poteſt cauſas in qualibet parte prouinciæ, etiam expediendo in vno loco cauſas alterius ſuæ prouinciæ, & reliqua quæ ad munus ſuum ſpectant.*
9. *Ad legatum quemcunque poteſt appellari, prætermiſſis mediis.*
10. *Legati à látere habent iuriſdictionem in exemptos, reliqui non habent.*
11. *Legatus, interim dum munus ſuum non exſpirat, efficere poteſt ſtatutum perpetuum.*
12. *Si legatus deleget alicui cauſam aliquam ante ſuum diſceſſum, ſi delegatus ante egreſſum legati à prouincia non expediuit citationem circa eam cauſam, exſpirat poteſtas ipſius delegata, quo ad cauſas.*
13. *Cum aliqua cauſa à ſummo Pontifice eſt alicui in particulari delegata, tunc legatus non poteſt eam cauſam ad ſe vocare, niſi habeat ſpeciale ad id a Pontifice mandatum.*
14. *Legatio natorum legatorum tolli morte ipſorum exſpirat, aut amiſſione dignitatis, cui id legati munus eſt annexum: legatio verò aliorum legatorum multis modis.*

CIrca quoſdam iudices ordinarios peculiares conficiendæ ſunt Diſputationes, vt res hæc tota de iudicibus ordinariis dilucidior fiat. A legatis ergo Sedis Apoſtolicæ ordiendo, vt *Sylu. verb. delegatus. n. 16.* & alii notant, ex legatis Sedis Apoſtolicæ quidam non ſunt iudices, alii verò iudices ſunt. Qui enim à Sede Apoſtolica mittuntur ad aliquid cum aliquo principe vel cum aliquo alio tractandũ, vel ad aliquod aliud nudum miniſterium, abſq; iuriſdictione aliqua, legati quidem ſunt Sedis Apoſtolicæ, nõ tamen ſunt iudices. Atque hi nuncii Apoſtolici etiam dicuntur. Neque de eis eſt nobis hoc loco ſermo. Sunt tamen tam hi, quàm reliqui legati aliorum principum ac rerumpublicarum, etiam ſi hoſtium ſint legati, gentium iure immunes ſeruandi, vt nihil mali aut iniuriæ accipiant, & vt audiantur, permittunturque exequi legationem ſuam. Ita habetur *c. ius gentium diſt. 1.* vbi inter alia, quę iuris gentium eſſe dicuntur, dicitur: *Legatorum non violandorum religio.* Habetur etiã *l. ſanctum. ff. de rerum diuiſ. l. vlt. ff. de legationib. & l. 9. titu. 25. part. 7. Atque l. vlt. citata* in pœnam lædens legatum hoſtium, hoſtibus traditur, vt de eo, quod voluerint, efficiant. Quòd ſi legatus aliquid debeat alicui de republica, in qua legatione fungitur, ſi debitum contractum ante legationem fuit, non poteſt de eo conueniri. Si verò fuit contractum tempore legationis, conueniri de illo poteſt *l. 2. §. legatis, & §. omnes autem. ff. de iudic. & l. 9. titu. 25. part. 7.*

Qui legatum Sedis Apoſtolicæ impediebat

vti

vti legatione sua, siue is esset de numero horum legatorum, siue de numero eorum, de quibus mox futurus est sermo, quondam *c. si quis. 94. dist.* excommunicari præcipiebantur. Hodie verò, qui impedit legatos aut nuncios Sedis Apostolicæ exercere id, ad quod destinati sunt, aut manus in illos injicit, excommunicatus est ipso facto extrauag. vnica, quæ incipit, inter gentes, de consuetudine, inter communes, & clausula 11 de cæna Domini, vt tracta. 3. Disp. 65 explanatum fuit: quo in loco dictum etiam est, in quas alias pænas incidat, si tales legati cardinales sint aut episcopi: neque propria sunt hæc huius loci, eaque de causa circa illa hic non immoror.

2 Alii verò legati Sedis Apostolicæ, qui iudices sunt, in triplici sunt differentia, vt colligitur *ex. c. excommunicatis de officio legati*, & habetur *l. 23. titu. 9. part. 1.* notantque *Panor. c. excommunicatis citato. gloßa. c. 1. de offic. leg. lib. 6.* & doctores communiter, dictumque est tractatu 3 Disp. 58. Quidā sunt, qui dicuntur legati à latere. Atque hi sunt Cardinales Sanctæ Romanæ ecclesiæ, ad aliquam aut ad aliquas prouincias destinati, vt ibi munus legatorum Sedis Apostolicæ exerceant. Alii verò sunt, qui non sunt à látere, sed dicuntur legati missi, nunciique Sedis Apostolicæ communiter vocantur. Et hi sunt, qui, cùm Cardinales non sint, ad aliquam aut ad aliquas prouincias destinati sunt, vt ibi munus legatorum exerceant. Itaque legati à latere in eo ab iis, qui à latere non sunt, differunt, quòd illi Cardinales Sanctæ Romanæ ecclesiæ sunt, hi non item, vt *gloßa citata, Panor.* & alii affirmant, & colligitur *ex. c. 1. de offic. leg. lib. 6. & ex. l. 23. citata.* Alii sunt, qui idcirco legati nati, ad differentiam duorum priorum generum legatorum, dicuntur, quòd dignitatem habeant ecclesiasticam, cui annexum sit munus legati Sedis Apostolicæ in omnes, ad quos ratione dignitatis, cui munus legati est annexum, se extendit eorum iurisdictio. Vnde legati nati dicuntur, quia quasi nascuntur legati eo ipso, quòd ei dignitati præficiuntur. Talis est in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis in tota sua prouincia, vt patet *c. 1. de offic. leg.* Talis item est in eodem regno Archiepiscopus Euoracensis, vt affirmat *gloßa. c. 1. de offic. leg. lib. 6.* Et tales dicuntur esse Remensis & Pisanus.

3 Hi omnes legati inter iudices ordinarios computantur, vt habetur *c. legatos de offic. leg. lib. 6.* eaque de causa morte eorum, à quo legati missi sunt, eorum munus ac iurisdictio non expirat, vt ibidem habetur. Atque quamuis id caput potissimùm videatur loqui de legatis primi & secundi generis, idem tamen est intelligendum de legatis natis, qui in perpetuum annexum id munus habent suæ dignitati, quique verè legati sunt, sicut & reliqui, vt patet *c. 1. de offic. leg. lib. 6.* Ait verò *Panor. c. 1. de offic. leg.* & post eum *Nauar. de rescrip. remedio. 5. n. 2. & de indulg. & Iubil. notab. 28. n. 19.* & alii, eam iurisdictionem ordinariam esse, sed extraordinario modo.

4 Sunt verò nonnulla discrimina inter tria prædicta genera legatorum. Primum est, quòd si superueniat legatus à latere in aliquam prouinciam, in qua munus legati habeat, quamuis non expiret munus aliorum legatorum non à látere, si fortè aliquis sit in ea prouincia, non tamen possunt vti illo interim dum legatus à latere fuerit in ea prouincia: eo tamen inde recedente, vti possunt munere suo. Ita habetur *c. volentes de offic. leg.* quod Panor. ibi meritò intelligit, etiam de legato nato. Atque ego id etiam intelligo, estò prior legatus non à latere, missus fuisset, cum facultatibus legati à látere, vt interdum mitti solet, & Nauar. c. cùm contingat de rescrip. remedio. 5. testatur Lippomanum missum fuisse in Lusitaniam.

Secundum est, quòd legatus à látere à die, qua curiam Romanam egreditur, vsque ad diem, qua reuersus illam ingreditur, estò legationem finierit, dummodo tamen illam non finierit per reuocationem legationis factam à summo Pontifice, absoluere potest percussores ecclesiasticorum, etiamsi percussio enormis fuerit, potestque eos absoluere, siue sint de prouincia, ad quam sit missus legatus, siue de alia. Ita colligitur argumento à contrario sensu *ex. c. excommunicatis de offic. leg.* & affirmant gloßa & Panor. ibi, cæterique doctores communiter, & constat ex c. quod translationem eodem titu. Legati verò missi, qui non sunt à latere, quamuis in prouincia, in qua sunt legati, possint eosdem percussores absoluere, dummodo tamen aliunde non accedant cum ea excommunicatione ad eam prouinciam; non tamen possunt absoluere extra eam prouinciam, etiam eos, qui cum excommunicatione contracta in prouincia, in qua sunt legati, ad ipsos accedunt, nisi specialiter aliud eis fuerit concessum. Ita habetur c. excommunicatis citato. Quòd si cum potestate legatorum à latere accederent, id omne possent, quod legati à latere possunt. Legati verò nati non aliam facultatem habent absoluendi percussores ecclesiasticorum, quàm eam, quam habent quatenus episcopi sunt, nisi peculiari priuilegio aliud eis concedatur. Ita habetur *c. excommunicatis citato*. Atque hæc omnia habentur etiam *l. 23. titu. 9. part. 1.* & dicta sunt tractatu 3, Disput. 58.

Quamuis autem legati à látere, & alii legati missi, qui nuncii dicuntur, prædictam facultatem habeant absoluendi modis explicatis percussores ecclesiasticorum in euentibus, in quibus absolutio ab ea excommunicatione est alioquin Apostolicæ soli Sedi reseruata; nihilominus tamen non similiter habent facultatem absoluendi ab aliis excommunicationibus soli Pontifici summo reseruatis, nisi eis peculiari alio priuilegio à summo Pontifice concedatur. Quin potiùs hæc regula generalis est statuenda, nullum legatorum posse ea, quæ summus Pontifex sibi soli reseruat, nisi peculiari priuilegio ei aliquid eorum concedatur, & quatenus fuerit ei concessum, vt Disput. 6. iuxta. c. quod translationem, iuncto. c. nisi, antecedente de offic. leg. dictum est. Ait verò *Greg. Lopez. l. 23. citata. gloß. 2.* si legatus à latere dicat aliqua sibi esse concessa à summo Pontifice, quæ summus Pontifex sibi habet reseruata, ei non credi, nisi constet ex literis suæ delegationis. Neque in hoc regno admittitur in legatum, nisi literas suæ legationis regio senatui ostendat, neque id improbrandum vlla ratione video.

deo. Postquam autem in legatum est admissus, credendum ei est quo ad facultates, quæ ei ex suo munere competunt: secùs quo ad eas, quæ ex suo munere ei non competunt, sed reseruata sunt Pontifici summo, nisi id sibi esse concessum ostendat. Et idem dicendum est de legato non à látere.

Tertium est, quòd solus legatus à látere potest conferre beneficia ecclesiastica prouinciæ, ad quam mittitur, cum limitatione tamen, quæ habetur *c. præsenti, & c. deliberatione, de offic. legati lib. 6.* Alii verò legati beneficia ecclesiastica conferre non possunt, nisi fuerit eis concessum. Ita habetur *c. 1. de offic. leg. lib. 6.* Cæterùm de hac re in materia de beneficiis.

Quartum, quòd soli legati à látere exercere possunt iurisdictionem in exemptos ab ordinariis: vnde qui exempti sunt ab ordinariis, exempti non sunt ab ipsorum tribunali, vt infrà dicetur. Et quædam alia exercere possunt legati à látere, quæ aliis legatis non competunt ex suo munere, nisi eis peculiariter concedantur.

5 Legatus ex suo munere ea exercere potest, quæ potest summus Pontifex, exceptis iis, quæ summo Pontifici reseruata sunt, vt paulo antea & copiosiùs Disput. 6 dictum est. Vnde dispensare non potest circa matrimonia, nisi aliquid quoad illa sit peculiariter ei concessum, & exceptis iis, quæ sunt contra ius, & quæ sunt contra consuetudinem prouinciæ, & quæ sunt contra priuilegia à summo Pontifice concessa, quæ infringere ac minuere non potest, nisi peculiariter esset ei concessum. Ita cum *Panor. c. vlt. de confirmat. vtil. vel inutil.* & cum aliis *Greg. Lopez. l. 23. citata glos. 2.* vbi quo ad hæc omnia multa adhibet exempla. Quia itaque legatus, etiam si non sit à látere, ea potest, quæ summo Pontifici reseruata non sunt, potest regulariter in sua prouincia, aut in suis prouinciis, ea omnia, quæ possunt reliqui ordinarii eiusdem prouinciæ, siue episcopi, siue Archiepiscopi, siue etiam Patriarchæ sint, & aliquid amplius: eo quòd cognoscere possit de ipsorum criminibus, tametsi procedere non possit ad depositionem eorum, estò tanta pœna digni sint: quoniam id peculiariter est reseruatum summo Pontifici, vt notat *Panor. c. 1. de offic. leg. num. 2. & 4. argumento capitis accusatus, & c. quamuis. 4. quæst. 6.* vbi depositio episcopi summo Pontifici reseruatur, & idem affirmat *glossa. 2. c. si quis autem. 94. dist.* Atque in aliquibus etiam aliis est amplior illorum potestas. Dixi, regulariter legatos posse omnia, quæ possunt ordinarii: quoniam in aliquibus restricta est eorum potestas, vt circa collationem beneficiorum, vt ex parte paulo antea fuit dictum. Et quoniam, vt *Greg. Lopez. l. 23. citata.* verb. *no pueden absoluer*, in fine, sic ait: *Aduerte, quòd multum sunt considerandæ literæ legationis: quia communiter hodie datur à Papa commissio limitata, cuius tenor est considerandus.* Hæc ille.

6 Legati cùm, vt dictum est, iudices sint ordinarii in prouincia aut prouinciis, ad quas destinati à Sede Apostolica sunt, tanquam iudices ordinarii in ea prouincia aut in eis prouinciis, concurrunt cum reliquis iudicibus ordinariis eius prouinciæ aut earum prouinciarum. Inde *Gutierrius de quæstionib. canonic. quæst. 11. à num. 3.* cum aliis, quos citat, id infert, quod quotidie fit. Eiusmodi scilicet legatos ferre posse in sua prouincia aut prouinciis, per viam correctionis mediæ inter fraternam & iudicialem, eas excommunicationes præuia monitione pro rebus perditis aut ablatis, vt restituantur, vel reuelentur, quis illas iniustè non restituat, quas episcopi & Archiepiscopi eisdem de rebus ferre solent, si ad legatos, vt eas ferant, recurratur. Solere verò eas decernere per totam prouinciam committendo rem episcopo, ipsius vicario, seu officiali diœcesis, vt si re maturiùs considerata, iuxta concilium Tridentinum sess. 25. c. 3. duxerit concedendas, eas decernat cum assignatione alicuius termini, intra quem sub pœna excommunicationis Apostolicæ res restituatur, aut illam iniustè detinens reueletur.

Legati ita vt iudices ordinarii cum episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, & aliis suæ prouinciæ aut prouinciarum, concurrendo, licèt auocare ad se non possint causas subditorum eius prouinciæ aut prouinciarum, neque illos compellere, vt coram se contendant; quoniam optio actori datur, vt eligat potiùs ordinarium, quem voluerit, quando multi simul concurrunt, coram quibus possit in prima instantia contendere; nihilominus de tota prouincia, aut de quauis prouinciarum, possunt actores vocare reos in prima instantia ad iudicium coram legato aut nuncio, prætermisso alio suo iudice ordinario, vt patet *c. 1. de offic. leg. & notant glossa ibi, Panor.* & alii doctores communiter. Hodie tamen in concilio Tridentino *sess. 24. c. 20. de reformat.* restricta est quo ad hoc legatorum potestas. Sic enim ibi constitutum est: *Causæ omnes, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia (hoc est vsque ad vltimam primam sententiam definitiuam) coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, atque omnino, saltem intra biennium a die motæ litis, terminentur: alioquin (id est, si intra id spatium non fuerint coram ordinariis locorum terminatæ, lata ab eis sententia definitiua) post id spatium liberum sit partibus, vel alteri illarum, iudices superiores, alias tamen compellentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quam primum terminari curent. Nec antea (quam scilicet biennium illud sit elapsum) aliis committantur, nec auocentur: neque appellationes ab eisdem interpositæ, per superiores quoscunque recipiantur, eorúmve commissio aut inhibitio fiat, nisi à definitiua, vel à definitiua vim habente, & cuius grauamen ver appellationem à definitiua reparari nequeat. Ab his excipiantur causæ, quæ iuxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandæ, vel quas ex vrgenti rationabilique causa iudicauerit summus Romanus Pontifex per Speciale rescriptum signaturæ sanctitatis suæ manu propria subscribendum committere aut auocare. Ad hæc causæ matrimoniales & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed episcopi tantùm examini & iurisdictioni relinquantur, etiam si in præsenti inter episcopum & Decanum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores, super causarum istarum cognitione lis aliqua*

7

qua in quacunque instantia pendeat. Coram quo si pars verè paupertatem probauerit, non cogatur extra prouinciam, nec in secunda nec in tertia instantia, in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera & alimenta & expensas litis velit subministrare. Legati quoque, etiam de látere. Nuncii, Gubernatores ecclesiastici, aut alii, quarumcunque facultatum vigore, non solùm episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum iurisdictionem iis præripere aut perturbare non præsumant, sed nec etiam contra clericos, aliásve personas ecclesiasticas, nisi episcopo priùs requisito, eóque negligente, procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad B *damni satisfactionem partibus illati teneantur. Præterea, si quis in casibus à iure permissis appellauerit, aut de aliquo grauamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo suprà, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia, coram episcopo gesta, ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem episcopo priùs admonito, vt, si quid ei pro causæ institutione videbitur, possit iudici appellationis significare. Quòd si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quæ translata sunt, expensas, pro portione sua, si illis vti voluerit, subire, nisi aliter ex loci consuetudine seruetur, vt scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porrò* C *ipsam actorum copiam teneatur notarius, congrua mercede accepta, appellanti quanto citius, & ad minus intra mensem, exhibere. Qui notarius, si in differenda exhibitione fraudem fecerit, ad officii administratione arbitrio ordinarii suspendatur, & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit, inter appellantem & pauperes loci distribuendam, compellatur. Iudex verò, si & ipse impedimenti huius conscius particépsve fuerit, alitérve obstiterit, ac appellanti integre acta intra tempus traderentur, ad eandem dupli pœnam, prout suprà, teneatur. Non obstantibus, quo ad omnia supra scripta, priuilegiis, indultis, con-*

cordiis, quæ suos tantum teneant autores, & D *aliis quibuscunque consuetudinibus.* Hæc concilium ibi.

8 Quemádmodum episcopus in qualibet parte suæ diœceseis, modò locus exemptus non sit, potest pro tribunali sedere, & causas audire per se vel per alium, carceri mancipare, & reliqua, quæ ad suum munus spectant, exequi, eo quòd in tota sua diœcesi habeat iurisdictionem, vt habetur *c. cùm episcopus de offic. ord. lib. 6.* & Archiepiscopus in qualibet parte suæ diœceseis, licèt non in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi in casu, vt habetur *c. vt litigantes de offic. ord. lib. 6.* ita legatus audire potest causas, & exercere suum munus in qualibet E parte prouinciæ aut prouinciarum, in quibus est legatus, etiam expediendo in vno loco causas alterius suæ prouinciæ, & reliqua, quæ ad suum munus spectant, vt habetur *c. nouit. de offic. legat.* & affirmat *glossa. c. cùm episcopus citato*, atque hæc omnia asserunt *Nauar. lib. 1. consil. titu. 3. de offic. iud. ord. cons. 3.* & doctores communiter. Debet tamen locus esse honestus, & ad quem commodè accedere possint litigantes, argumento legis *si cùm dies. §. si arbiter. ff. de receptis arbit.* & cum Franco affirmat *Nauar. vbi suprà. n. 2.*

9 Ad legatum quemcunque potest appellari prætermisso medio, aut mediis, vt si appelletur ab episcopo, potest immediatè appellari ad legatum, prætermisso Archiepiscopo. Ita iuxta textum ibi, *glossa, Panor. num. 7. & alii. c. 1. de offic. leg.* aitque Panor. ita receptum esse in praxi. In concilio tamen Tridentino *sess. 22. c. 7.* sic habetur: *Legati & Nuncii Apostolici, Patriarchæ, Primates, & Metropolitani, in appellationibus ad eos interpositis, in quibuscunque causis, tam in admittendis appellationibus, quam in concedendis inhibitionibus post appellationem, seruare teneantur formam & tenorem sacrarum constitutionum, & præsertim Innocentii quarti,* B *quæ incipit Romam de appellat. lib. 6. quacunque consuetudine, etiam immemorabili, aut stylo, vel priuilegio, in contrarium non obstantibus: aliter inhibitiones, & processus, & inde sequuta quæcunque sint ipso iure nulla.* Et quo ad causas criminales in eodem *concilio sess. 13. c. 3.* ita est dispositum: *Rursus ab episcopo, aut eius vicario in spiritualibus generali, in criminali causa appellans (ad quemcunque scilicet, atque adeo etiam ad legatum aut nuncium) coram iudice, ad quem appellauit, acta primæ instantiæ omnino producat: & iudex, nisi illis visis, ad eius absolutionem minimè procedat. Is autem, à quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa post-*C *lanti gratis exhibeat: alioquin absque illis causa appellationis huiusmodi, prout iustitia suaserit, terminetur.*

Vtrùm autem legati iurisdictionem habeant 10 in exemptos. Dicendum est cum Panor. *c. 1. de offic. legat.* consentaneè ad glossam ibi, legatos à látere habere iurisdictionem in exemptos: reliquos verò legatos eam non habere. Quare exempti, nisi velint, compelli non possunt litigare coram aliis legatis. Vtrumque colligitur *ex. c. 1. de verb. sig. lib. 6. & ex. c. si Abbatem de elect. lib. 6.* In quo additur, legatos à látere confirmare posse electiones episcoporum, Archiepiscoporum, ac exempto-D rum, quæ confirmatione à Sede Apostolica indiguerint, concedereque posse Abbatibus exemptis in episcopos electis, vt abbatiam deserant transeundo ad episcopatum, ad quem sint electi, quando talem abbatiam deserere non possunt sine facultate Sedis Apostolicæ: non tamen posse concedere, vt episcopus vnus transeat ex episcopatu vno ad alium, etiamsi in illum sit electus: quoniam id concedere soli summo Pontifici conuenit: alios verò legatos hæc non posse, nisi in speciali eis concedantur, vt habetur c. si Abbatem citato. Censebuntur verò ea omnia eis concessa, si cùm facultate legati à látere mittantur: quod ex literis commis-E sionis est intelligendum. Quo fit, vt in his etiam differat legatus à látere à cæteris legatis, qui à látere non sunt, vt suprà in quibusdam aliis, ab ibi commemoratis, eum à cæteris differre dicebamus.

Legatus, interim dum munus suum non ex- 11 pirat, efficere potest statutum perpetuum. Atq; si in eo illud transgredientibus apponat pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam, illam sanè incurrunt, qui id fuerint transgressi etiam post finitam legationem. Ita habetur expresse *c. vlt. de offic. leg.* iuncta glossa ibi. Is verò textus de quocunque legato intelligitur iuxta

Panor. ibi. Tum quia textus id non restringit ad legatum à latere. Tum quia quoniam quicunque legatus est iudex ordinarius, maior episcopo: vnde quemadmodum episcopus efficere potest statutum perpetuum, quod post ipsius mortem perseueret ac vim habeat, ita & quicunque legatus poterit simile statutum efficere.

12 Si legatus deleget alicui causam aliquam aut causas aliquas, ante suum discessum, quoniam est iudex ordinarius, & iudex ordinarius delegare potest: & quoniam, estò esset delegatus, delegatus tamen summi Pontificis potest subdelegare, vt vtrumque patebit, quando de iudicibus delegatis infrà fuerit sermo: tunc si delegatus ante egressum legati à prouincia non expediuit citationem circa eam causam aut causas, expirat potestas ipsius delegata quo ad causas, quo ad quas non expediuit citationem, vt habetur *c. vlt. cituto.* Ratio autem est, quoniam re integra, expirat delegati potestas eo ipso, quòd in delegante expirat munus: censetur autem res integra, interim dum delegatus non expediuit citationem circa causam sibi commissam, vt in sequentibus ostendetur: munus verò legati inter alios modos, quibus expirat, vnus est ex eo, quòd legatus egrediatur limites prouinciæ aut prouinciarum suæ legationis, animo non reuertendi, vt subiciemus.

13 Quando causa aliqua à summo Pontifice est alicui aut in aliquibus in particulari delegata, tunc legatus non potest eam causam ad se aduocare, neque in illam se intromittere, aut infirmare sententiam ab eo iudice delegato circa eam latam, nisi legatus habeat ad id speciale summi Pontificis mandatum. Ita habetur *c. 2. de offic. leg.* Eo autem in loco Panor. notat, in ea causa appellari non posse ad legatum, sed immediatè esse in ea appellandum ad summum Pontificem. Ibidem, & *c. 1. de rescrip.* innuere videtur, si is qui delegatum iudicem impetrauit, priùs conueniatur ante legatum, nec literas ostendat, ac ex illis excipiat, eum legatum non esse in ea causa suum iudicem, tunc eo ipso, quòd coram illo respondere ceperit, iure præuentionis cogi causam coram illo prosequi tanquam coram suo iudice ordinario, neque locum habere tunc rescriptum, vt conueniatur coram iudice in eo rescripto à summo Pontifice delegato. Atque idem est, si coram quocunque alio suo iudice ordinario similiter conueniatur, neque ex rescripto obtento excipiat eum non esse suum iudicem ordinarium.

Hæc quod ad ea attinet, quæ legatus potest aut non potest. Reliqua verò, quæ ei peculiariter cõceduntur quoad facultates dispensandi in matrimoniis, & quo ad alia summo Pontifici peculiariter reseruata, ex copia facultatum cuique eiusmodi legatorum concessarum, est addiscendum. Si cui autem eorum legatio non plena concedatur, sed restricta in aliquo, aut in aliquibus, ex literis suæ legationis est similiter addiscendum.

14 Legatio natorum legatorum solùm expirat morte ipsorum, aut amissione dignitatis, cui id legati munus est annexum. Continuatur tamen in successoribus in illa eadem dignitate, cui id legationis munus est annexum.

Legatio verò aliorum legatorum multis modis finitur, quos *glossa. c præsenti de offic. leg. lib. 6.* & cum ea doctores communiter tradunt. Primus est, si aliquis ad certum tempus constitutus fuit legatus, finito eo tempore, legatio quoque finitur. Secundus, per reuocationem legationis. Tertius, per egressum legati à toto ambitu loci suæ legationis animo non regregiendi. Secùs autem per egressum ab vna prouincia suæ legationis, si in alia est adhuc intra limites suæ legationis: inde enim exercere suum munus potest, etiam circa aliam prouinciam, vnde sit egressus. Ita habetur c. nouit de offic. leg. Quartus, morte legati. Non tamen finitur morte eius summi Pontificis, qui munus legationis ei iniunxerat, vt suprà dictum est. Quòd si legatus aliquid delegauerat antequam in eo aliquo prædictorum omnium modorum legatio finiretur, & res integra non sit, quia delegatus, antequam legatio expiraret, citationem circa eam rem expediuerat, tunc ex eo, quòd legatio expiret in legato, non expirat in delegato iurisdictio ei commissa, sed progredi in ea causa potest quousque finem ei imponat. Si autem res integra sit, quia delegatus nondum citationem expedierat, tunc in delegato expirat iurisdictio vna cum legatione legati, vt suprà dictum est.

Vicarii episcoporum & aliorum ordinariorum, qui iudices ordinarii, qui non item. Et quanta eorum iurisdictio. Et vbi episcopi & Archiepiscopi, ipsorumq; vicarii, possint causas audire. Disp. 10.

SVMMARIVM.

1. *Vicarius si sit talis, vt expresso vel tacito Principis aut reip. consensu a iudice ordinario loco sui constituatur, index est non delegatus, sed ordinarius.*
2. *Vicariorum iurisdictio exspirat, mortuo principali, aut illo remoto ab officio ac iurisdictione.*
3. *Eiusmodi vicarii sunt vicarii episcopi aut Archiepiscopi.*
4. *Alii vicarii episcopi, qui foranei dicuntur, non sunt iudices ordinarii, sed delegati ab episcopo aut ab ipsius vicario.*
5. *Dummodo aliquis vicarius constituatur, vt in loco episcopi iudicet, censetur is iudex ordinarius, licèt illi non concedatur iurisdictio in totam diecesim, vel licèt episcopus aliquas causas sibi reseruet, quas per se ipsum iudicare velit.*
6. *Vicarius vt sit iudex ordinarius, debet de consensu expresso vel tacito legis, Principis, aut reip. à principali iudice ordinario constitui: at vicarii foranei, quia ab episcopo tantùm constituuntur, non sunt iudices ordinarii, sed delegati episcoporum.*
7. *Vicarii ipsi non possunt loco sui creare alios vicarios generales pro libito suo.*
8. *Vicarius generalis episcopi solùm iudicat de causis omnibus ciuilibus, beneficialibus, matrimonialibus, idq; ex eo, quòd id munus generaliter ei cõmittatur: delicta verò punire & de iis inquirere ad episcopum spectat.*
9. *Licèt episcopus diceret, Constituo te vicarium meum vniuersalem cum potestate & facultate, vt omnia loco mei efficere possis, quæ ego possum,*

possum, etiamsi talia sint, quæ speciale requirant mandatum, non consequitur ille vi solius clausulæ illius generalis potestatem ad quicquam eorum efficiendum, quæ speciale requirunt mandatum.

10. Nonnullis in locis vicarius simul est ordinarius.

11. Episcopi in sua diœcesi possunt vel per se vel per vicarium generalem iudicare, & quamcunque aliam iurisdictionem exercere in quacunque diœceseos parte: eo quòd sic in sua diœcesi habent ordinariam potestatem: Archiepiscopus verò non nisi in sua ciuitate, vel in alio loco vnde fuit appellatum.

12. Potestatem, quam habent vicarii episcoporum, habent etiam vicarii aliorum prælatorum, qui iurisdictionem quasi episcopalem habent.

13. Denuntiationes præuias ante matrimonium remittere etiam potest vicarius.

14. Duobus modis dicitur aliquis vicarius alterius.

1 VIcarius si sit talis, vt expresso vel tacito principis, legis, aut reipublicæ consensu à iudice ordinario loco sui constituatur, vt ex proprio suo tribunali vniuersaliter iurisdictionem vice sui exerceat, iudex est, non delegatus, sed ordinarius. Imò verò vnum & idem tribunal efficit cum principali eo iudice ordinario, cuius vicem subit. Qua de causa non appellatur ab eo vicario ad iudicem principalem, cuius est vicarius: eo quòd ab eodem tribunali ad idem non appelletur, vt hæc omnia habentur *c. Romana in prin. de appellat. lib. 6.* & affirmant glossæ ibi, & doctores communiter, quos *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. num. 12 & 15.* refert ac sequitur. Quin neque consuetudine introduci potest, vt ab eiusmodi vicario ad eum, cuius vices gerit, appelletur, idque ob eam rationem, quòd ab eodem in idem tribunal appellari non possit, vt c. 2. de consuetu. lib. 6. habetur.

2 Quia verò eiusmodi vicarii iurisdictionem habent dependentem à iurisdictione eius, cuius vicem gerunt, & in cuius tribunali sedent, imò verò eandem loco illius exercent, quam ille ex eodem tribunali exercere deberet, inde euenit, vt mortuo principali, aut illo remoto ab eo officio ac iurisdictione, iurisdictio eorum etiam eo ipso expiret: quod longè alienum est ab aliis iudicibus ordinariis, qui non expirant eorum morte, qui illos iudices constituerunt. Ita, præter alia iura, colligitur ex *c. 1. de offic. vicar. lib. 6.* vbi habetur, excommunicato principali, quamuis idcirco excommunicatus non maneat eius vicarius, quæ tamen gerit, agendo vices talis excommunicati, esse nullius vigoris ac momenti, non secùs atque si ab ipsomet excommunicato fierent, & affirmat communis doctorum sententia, quam sequuntur *Nauar. c. nullam de regularib. num. 22, §.* ad prius, Couar. proximè citandus, & alii: sic autem in his euentibus iurisdictio horum vicariorum expirat, vt etiam quo ad negotia iam cæpta expiret, vt cum glossa vlt. consentaneè ad textum ibi, Clem. vlt. de procur. communiter recepta, cum Panor. & cum plerisque aliis, quos citat, affirmant *Couar. de pract. qq. c. 4. num. 4. Nauar. lib. 1. consil. titu. 6. de elect., conf. 9. num. 6.* cùm tamen legatorum iurisdictio quo ad negotia cæpta delegantis morte non expiret, vt Disputatione præcedente dictum est, & in sequentibus magis perspicuum fiet.

De numero eiusmodi vicariorum in primis 3 est vicarius generalis episcopi aut Archiepiscopi. Ita doctores communiter *c. penul. de offic. vicar. glossa. c. 1. verb. rationabili. & c. 2. verb. officialem*, consentaneè ad textum ibi, *de offic. vicar. lib. 6.* colligiturque apertissimè ex *c. Romana in prin. iuncta gloss. ibi de appellat. lib. 6. & ex. c. 2. de consuet. lib. 6.* Vnde quemadmodum episcopus dicitur ordinarius, sic etiam vicarius illius generalis ordinarius nuncupatur, consentit *c. vt animarum de const. lib. 6.* & affirmant *gloss. c. 2. verb. officialem, de offic. vicar. lib. 6. gloss. c. perlectis. verb. iurgia. 25. dist. gloss. c. Romana in prin. verb. generaliter de appellat. lib. 6.* & doctores communiter, quos *Couar. 3. var. resol. c. vlt. num. 4.* refert ac sequitur. Atque eiusmodi vicarii nomine ordinariorum comprehenduntur sæpe in concil. Tridentino & alibi, iuxta rem, de qua est sermo.

Alii autem vicarii episcopi, qui foranei di- 4 cuntur, de quibus sermo est in glossa *clem. 2. de rescrip. verb. foraneo*, non sunt iudices ordinarii, sed delegati ab episcopo aut ab ipsius vicario, vt affirmat *glossa. c. 2. de consuet. lib. 6.* & cum ea doctores communiter, quos *Maranta dist. 5. citata. num. 14.* refert ac sequitur. Et quia eiusmodi vicarii foranei non vnum tribunal efficiunt cum tribunali episcopi, ab ipsis appellatur immediatè ad episcopum aut ad ipsius vicarium, vt habetur *c. Romana. de appellat. lib. 6.* & affirmant doctores communiter, quos *Maranta vbi supra. n. 15. & Couar. de pract. qq. c. 4. n. 8.* referunt ac sequuntur.

Hoc loco obserua, dummodo aliquis vi- 5 carius constituatur, vt in loco & tribunali episcopi iudicet, censeri eum iudicem ordinarium, estò illi non concedatur iurisdictio in totam diœcesim, vel estò episcopus aliquam aut aliquas causas sibi reseruet, quas per se ipsum iudicare velit. Ita colligitur ex *c. penult. de offic. vicar.* Quo in loco Panor. & doctores communiter affirmant, vicarium solius vrbis Romæ, de quo in eo capite est sermo, à summo Pontifice tanquam episcopo Romanæ diœcesis relictum, vt ex suo tribunali iurisdictionem exerceat, iudicem fuisse ordinarium: cùm tamen iurisdictionem extra vrbem in totam diœcesim non haberet, vt in eo capite apertè dicitur, ibique Panor. affirmat. Idem colligitur ex *c. licèt, & ex. c. cum generali de offic. ord. lib. 6.* vbi habetur, vicarium generalem episcopi per solam commissionem officii generaliter, solùm posse cognoscere de causis ciuilibus, non verò de causis criminalibus, neque habere administrationem in spiritualibus, neque posse conferre beneficia, nisi horum aliquid aut omnia specialiter ei concedantur, vt regulariter fieri solet, & iuxta eadem iura hæc eadem affirmat *Nauar. c. serpens de panit. dist. 1. num. 4.* Consentit in proximè dictis *Maranta dist. 5. citata. num. 16.* iuxta iura proximè citata. Id verò, quod in calce eius numeri cum Felyn. subiungit, nempe si aliquid horum

horum suo vicario generali concedat, tunc eum vicarium quo ad id non esse iudicem ordinarium, sed delegatum: hoc, inquam, quod ita subiungit, non probo, quando in commissione generali id per clausulam additam illi concederet, non in aliquo singulari euentu, sed vniuersim quotiescunque id occurreret, aut si postea similiter per clausulam eo modo generalem iurisdictionem illius eodem modo ampliaret. Secùs autem quando aliquem aut aliquos euentus in singulari dumtaxat illi committeret, quo ad illos enim censetur illum efficere iudicem delegatum. Ducor vt in illo alio euentu censeam illum esse iudicem ordinarium: quoniam quamuis iura citata statuant, sola commissione officii vicarii generalis episcopi non censeri illi concessas criminales causas, neque prouisionem beneficiorum: non tamen statuunt non posse illi concedi tanquam suo vicario generali, & tanquam iudicanti ex suo tribunali, ac proinde vt iudici ordinario in eodem tribunali secum. Ex dictis patet, iurisdictionem ordinariam esse in vicario episcopi eo ipso, quòd ad iudicandum vice episcopi assumitur in loco & ex tribunali episcopi, nihil impediente, quòd episcopus illi non concedat totam iurisdictionis potestatem, quam ipse habet. Vnde verba illa in principio huius Disputationis apposita, vt ex proprio suo tribunali vniuersaliter iurisdictionem loco sui exerceat, intelligenda non sunt, quasi iudex ipse principalis ordinarius restringere illam in aliquo aut in aliquibus non possit, dummodo tamen vice ipsius in suo tribunali, & in loco ad vniuersaliter iudicandum deputato, illum præficiat.

Consentit *Bart. l. 1. in fine. ff.* quis & à quo appelletur, quo in loco ex eo, quòd vicarius præficiatur ad iudicandum in loco, vbi principalis ordinarius iudicare solet, aut vbi iudicaturus erat, & ex tribunali principalis ordinarii, quasi vnum cum eo tribunal efficiat, docet iudicandum esse, num is vicarius iudex sit ordinarius, an verò delegatus. Quamuis enim, inquit, episcopus in suum vicarium aliquem in loco aliquo constituat, illique vniuersaliter committat causas omnes eius loci, si tamen is episcopus alibi suum tribunal vniuersale habeat, talis vicarius non erit iudex ordinarius, sed delegatus eius episcopi. Idem cum eodem Bart. affirmat *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. num. 8.*

6 Dixi item in principio huius Disputationis; si vicarius sit talis, vt expressò, vel tacito, principis, legis, aut reipublicæ consensu à iudice ordinario loco sui constituatur, &c. quoniam *glossa. c. Romana citato, verb. generaliter, Couar. 3. var. resol. c. vlt. num. 4.* & alii affirmant, vt vicarius sit iudex ordinarius, necesse esse vt de consensu expresso, vel tacito legis, principis, aut reipublicæ, à principali iudice ordinario constituatur: iura autem suprà citata expresse episcopis permittunt constituere tales generales vicarios loco sui.

Quia verò vicarii foranei episcoporum ab episcopo, & non à principe, à lege, aut à republica constituuntur, non sunt iudices ordinarii, sed delegati episcoporũ. Secùs de iudicibus pedaneis paruulorum oppidorum: qui ex præscripto principis, legis, aut reipublicæ constituuntur. Hi enim iudices sunt ordinarii quo ad causas, de quibus iudicare eis licet, vt Disput. 8 dictum est.

Vicarii autem ipsi non possunt loco sui 7 creare alios vicarios generales pro suo libito, vt notat *glossa. c. 1. de offic. vicar. lib. 6. verb. ipsius*, & communis doctorum sententia, quam *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. n. 22.* refert ac sequitur, argumento c. clericos extra eod. titu. Tametsi, tanquam iudices ordinarii, aliquam aut aliquas causas possint delegare. Dixi, eos non posse pro libito creare alios vicarios generales loco sui: quoniam ex causa, vt iustæ absentiæ, aut ægritudinis, possunt ad tempus modicum vicarios creare, qui ex eodem tribunali iudicent, vt notant *glossa clement. 1. de regularib. verb. locum aliorum*, & alii, quos *Maranta. n. 22. citato* refert ac sequitur. Sunt verò eiusmodi substituti in euentibus eiusmodi lege concessis, iudices ordinarii, quemadmodum & ii, quibus ex ea rationabili causa substituuntur, vt recte affirmant *Bart. l. nec quicquam. §. vbi decretum. num. 6.* iunctis iis, quæ dixerat *l. obseruare. num. 3. & 5. ff. de offic. proconsul. & alii*, quos Maranta *dist. 5. citata* refert ac sequitur.

Vt constat ex *c. 2. de offic. vicar. lib. 6.* 8 vicarius generalis episcopi, nisi aliud in creatione illius addatur, solùm habet iudicare de causis omnibus ciuilibus, etiam de matrimonialibus, & beneficialibus ad episcopi tribunal spectantibus, idque solùm censetur ei commissum ex eo, quòd id munus generaliter ei committatur. Inquirere verò de delictis, ea punire, deponendo, aut quacunque alia ratione, administrare item spiritualia, vt sunt ea, quæ ad sacramenta spectant, qualia sunt examinare & approbare ordinandos, literas dimissorias, quas reuerendas vocant, ad ordines extra diœcesim suscipiendos eis conferre, vigilare circa sacramentorum administrationem, confessarios examinare, iurisdictionem ad confessiones audiendas eis conferre, visitatores instituere, illos ad visitandum mittere, fraternè seu paternè subditos corrigere, & similia facere, non ad ipsum sed ad episcopum spectat, nisi specialiter hæc illi concedantur. Item, vt patet c. 3. eodem titu. conferre ea beneficia, quæ ad episcopum conferre spectat, non censetur concessum vicario generali episcopi ex eo, quòd generalis vicarius episcopi constituatur, nisi specialiter ei concedatur ac committatur. Tum quia in generali concessione non intelliguntur ea concessa, quæ verisimiliter in particulari non concederentur. Tum etiam, quoniam in concessione vniuersalis administrationis regulariter non censetur concessa facultas donandi: collatio autem beneficiorum donatio quædam est, quo ad potestatem ea vni potiùs quàm alteri conferendi, licèt non quatenus episcopi ea conferre tenentur intra semestre. Vt autem suprà dicebamus, duobus modis potest vicario suo generali aliquid horum ab episcopo concedi, quæ speciali indigent concessione. Vno, ad certum tempus, aut in aliquo singulari euentu, vel in aliquibus singularibus euentibus, & tunc

credo

credo, quo ad illa non esset ordinarius, sed delegatus episcopi. Altero verò, vt id loco episcopi ex officio sibi commisso habeat, non secùs, atque cognoscere de causis ciuilibus, & tunc quo ad id etiam esset iudex ordinarius, possetque delegare, vt suprà vtrumque dictum est.

Vt autem notat *glossa vlt. c. 2. de offic. vicar. lib. 6.* 9 cum aliis, quos eadem glossa citat, ex eo, quòd episcopus vicario suo diceret, constituo te vicarium meum vniuersalem cum facultate & potestate, vt omnia loco mei efficere possis, quæ ego possum, etiam si talia sint, quæ speciale requirant mandatum, non consequi illum vi solius clausulæ illius generalis potestatem ad quicquam eorum efficiendum, quæ speciale requirunt mandatum, argumento *c. qui ad agendum de procurat. lib. 6.* vbi statuitur, si quis procurator generalis alicuius constituatur; adhibita eadem clausula, vt efficere omnia possit, etiam si speciale requirant mandatum, vi solius illius generalis clausulæ, illum nihil eorum posse efficere, quæ speciale requirunt mandatum. Si autem constitueretur vicarius generalis, etiam quo ad tale, vel quo ad talia, exprimendo aliquid aut aliqua in particulari ex iis, quæ speciale requirunt mandatum, & adderetur clausula, & quo ad reliqua, quæ speciale requirunt mandatum, tunc efficere posset reliqua non expressa in particulari, quæ speciale requirunt mandatum, argumento eiusdem c. qui ad agendum de procurat. lib. 6. quo in loco hoc idem quo ad procuratorem vniuersalem eodem modo creatum statuitur. Lege quæ quo ad procuratorem *tracta. 2. Disp. 557. §. vlt. Disp. 565. §. vlt. & Disp. 573. §. quando aliquis*, dicta à nobis sunt. Vtrùm autem si quis ab aliquo episcopo creetur vicarius generalis ipsius, dicendo cum facultate vt omnia efficere possis loco mei, excepto quòd prouidere non possis beneficia, aut excepto aliquo alio, vel aliquibus aliis, quæ speciale requirunt mandatum, vtrùm, inquam, tunc censeatur concedere illi reliqua omnia, quæ speciale requirunt mandatum, rem latè disputat *Couar. 2. var. resc. c. 5. n. 9.* adductis doctoribus pro vtraque parte. Mihi verò probatur, quod affirmat communior doctorum sententia, quam ibi Couar. refert; tametsi ipse cum quibusdam aliis in contrarium propendêre videatur: nempe tunc non censeri illi concessam facultatem ad reliqua, quæ speciale mandatum requirunt. Ducor, quoniâ dispositione iuris ea, quæ speciale mandatũ eadẽ iuris dispositione requirũt, nõ cẽsẽtur cõcessa clausula generali, quòd cõceduntur õnia, etiã quæ speciale mandatum requirunt, nisi exprimatur aliqua aut aliquid ex illis, & addatur, & reliqua: ergo sola exceptione quorundam non censentur eadem iuris dispositione concessa reliqua, quæ speciale mandatum requirunt, nisi aliquid addatur expressiùs, quòd scilicet aliqua, quæ speciale mandatum requirunt, conceduntur. Licèt enim, si non esset ea iuris humani dispositio, id sufficeret; quia exceptio illa cum ea clausula generali sufficienter id exprimit, seclusa humani iuris dispositione in contrarium, vt rectè Couar. affirmat; stante tamen ea iuris humani dispositione in contrarium, non est censendum id sufficienter exprimere. Credo tamen, si diceretur, creo te vicarium meum ad omnia, etiamsi speciale requirant mandatum, excepto, quòd prouidere non possis beneficia, aut tale vel tale quid aliud facere, censeri cum illa clausula, & ea exceptione, reliqua concessa; tametsi propter varietatem opinionum, & dispositionem illam aliam iuris, tutum etiam tunc erit exprimere aliquid in particulari, quod concedatur, & quod requirat speciale mandatum, & addere, & reliqua, quæ mandatum speciale requirunt, excepto hoc, vel exceptis talibus rebus. Atque ad hæc admetiaris, quæ tractatu 2 locis citatis dicta à nobis sunt.

In multis diœcesibus vnus tantùm officialis 10
episcopi eligitur, qui simul causis ciuilibus, quàm & criminalibus, & rebus spiritualibus eius episcopatus præficitur, vt in hoc Conchensi episcopatu: atque hic prouisor appellari consueuit, estque simul vicarius generalis, atque, censendus est ordinarius quo ad omnia, quibus ita quasi ex munere suo loco ac vice episcopi præficitur, iuxta ea, quæ dicta sunt. In aliquibus verò diœcesibus, vt in Achiepiscopatu Euorensi, & in aliis diœcesibus Lusitani regni, tres ministri præficiuntur. Vnus in causis ciuilibus, & (si bene recordor) etiam in criminalibus; atque hic appellatur vicarius generalis. Alius, qui spiritualibus rebus intendat, & simul collationi beneficiorum, quantum ei præscribitur; & hic prouisor nuncupatur. Tertius, qui exequutioni vltimarum voluntatum intendit, quantum id curare ad episcopum spectat, & hic *Iuiz dos resíduos* vocatur. Omnes verò hi tres iudices ordinarii sunt, qui loco episcopi ex eodem cum episcopo tribunali hæc omnia præstant.

Vt ex dictis occasione legati Disputatione 11
præcedente ex parte constat, episcopus & Archiepiscopus per se, vel per suum vicarium generalem, aut delegatum, iudicare, & quamcunque aliam suam iurisdictionem exercere potest in quacunque suæ diœcesis parte, atque adeò incarcerare potest ac punire: eo quòd episcopus & Achiepiscopus in qualibet suæ diœcesis parte habeat iurisdictionem ordinariam. Excipitur, nisi talis locus suæ diœcesis exemptus sit ab ipsius iurisdictione: in ea enim suæ diœcesis parte ita ab ipsius iurisdictione exempta, vt in cœnobio exempto, illam exercere non potest. Hæc habentur *c. cùm episcopus de offic. ord. lib. 6.* Archiepiscopus verò causas, quæ ad ipsum iure metropolitani per appellationem deuoluuntur, aut aliter iure metropolitani ad ipsum spectant, audire & expedire non potest nisi in sua ciuitate aut diœcesi, vel in loco vnde fuit appellatum, aut vbi causæ consistunt, neque potest eas alibi delegare, estò is locus, in quo, vt expediantur, eas delegat, sit intra suam prouinciam, nisi aliud habeat consuetudo. Ita habetur *c. vt litigantes de offic. ord. lib. 6.* Glossa tamen ibi ait, de partium consensu, & simul de consensu ordinarii eius loci, posse illas ibi audire aut delegare: id quod nulli potest esse dubium. Illud est addendum, quamuis Achiepiscopus delegare posit causas, quæ ad ipsum per appellationem deuoluuntur, vt cognoscantur in locis suorum suffraganeorũ, vnde fuit appellatũ, & post eam appellationẽ inhibere posit iudicẽ, vnde

vnde ad ipsius tribunal fuit appellatum, ne vlteriùs in ea causa progrediatur; non tamen posse constituere officialem in loco suffraganei, qui, quando in futurum appellatum fuerit, cognoscat ibi de causis, & iudices inhibeat, à quibus fuerit appellatum. Ita habetur c. 1. de offic. ord. lib. 6. Lege quo ad hæc omnia Nauar. lib. 1. consil. titu. 3. de offic. ord. cons. 3.

12 Quod dictum est de vicariis Episcoporum, dicendum similiter est de vicariis aliorum prælatorum, qui iurisdictionem quasi episcopalem habent, vt in hoc Conchensi episcopatu de vicario generali prioris conuentus diui Iacobi *de Velez*, & de plerisque aliis vicariis generalibus aliorum prælatorum, qui in aliquos ordinariam iurisdictionem quasi episcopalem habent. Eiusmodi quippe vicarii illorum generales si ex eodem tribunali eorum, quorum ita sunt vicarii, iurisdictionem loco illorum exerceant, iudices etiam sunt ordinarii: eorumque iurisdictio cum eorum iurisdictione similiter expirat, à quibus vicarii constituti sunt. Si verò non ex eodem tribunali iurisdictionem exerceant, sed vicarii ipsorum constituti sint in aliquo alio oppido, tunc iudices sunt ipsorum delegati in eo oppido, estò ad vniuersitatem causarum in eo oppido constituti sint vicarii ipsorum, vt de similibus vicariis Episcoporum pedaneis suprà est dictum.

13 Dubitant aliqui, vtrùm remittere præuias denunciationes, quæ fieri debent in Ecclesia de iis, qui contrahere volunt matrimonium, antequam illud contrahant, spectet ad solùm Episcopum, an etiam ad ipsius vicarium generalem seu prouisorem: de qua re concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. de reformatione sic disposuit: *Nisi ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædicta denunciationes remittantur: quod illius prudentiæ & iudicio sancta Synodus relinquit.* Menochius & post illum *Suarez de pax* in sua practica asseruerunt, ita solùm episcopum id posse, & nō vicarium ipsius generalem seu prouisorem, vt estò episcopus vicario suo id committat, nulla sit talis remissio per eum vicarium generalem facta. Meo autem iudicio meritò contrarium affirmat *Alfonsius a vera cruz in append. ad speculum coniug. dub. 1. propo. 6. Gutier. de cano. qq. c. 19. a. n. 13. & Salcedo in pract. c. 73.* in fine scholii. Etenim id iudicio ordinarii committit concilium Tridentinū, vt ex verbis relatis constat: nomine autem ordinarii etiam vicarius generalis episcopi seu eius prouisor intelligitur, vt ex dictis constat.

Adde, sæpe euenire posse, vt episcopus sit absens, & vt necesse sit eas denunciationes remitti: insufficienter autem concilium prouidisset necessitati, quæ occurrere poterat, nisi arbitrio vicarii seu prouisoris id etiam cōmisisset, quando episcopus sibi id non reseruaret, vt potest. Vtrùm autem expediat, episcopum in sui absentia id sibi reseruare. Fortasse non expedit omnino id sibi reseruare, ob grauem necessitatem, quæ occurrere facilè potest. Adde item, concilium non æquiuocè sumpsisse ordinarium in illis verbis, & in his, quæ proximè post illa subiecit: *Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia:* nullus autem dubitare potest, in his verbis ad validitatem matrimonii satis esse adesse sacerdotem de licentia vicarii episcopi generalis seu prouisoris: & tam in his verbis, quàm in illis aliis antecedentibus, circa quæ est præsens dubium, praxis semper obtinuit, vt nomine ordinarii etiam vicarius generalis Episcopi seu prouisor intelligeretur: praxis verò ac consuetudo recepta optimus est legum interpres. Quia verò nomine ordinarii, etiam capitulum sede vacante, & illius vicarius seu prouisor intelligitur, vt disputatione sequenti dicetur; & intelliguntur alii, qui iurisdictionem quasi episcopalem in quosdam laicos habent à iurisdictione episcopi exemptos, vt paulo antea dictum est, intelliguntur; horum generales vicarii; sanè hos omnes sibi subditis remittere eas denunciationes possunt, nomineq; ordinarii in eo concilii Tridentini loco intelliguntur: neque concilium sufficienter prouidisset necessitati, quæ occurrere poterat, vt denunciationes illæ remitterentur, nisi illos omnes nomine ordinarii comprehendisset, vt verè omnes illi ordinarii sunt, simpliciterque & absolutè loquendo, nomine ordinarii comprehenduntur.

Nauar. c. nulla, qui est tertius commentarius 14
de regular. *n. 22. §.* ad priùs, obseruat. Duobus modis aliquem dici vicarium alterius. Vno, eo modo, qui hactenus est explicatus: de quo vicario est sermo in iure canonico in titu. de offic. vic. atque hunc amittere iurisdictionem eo ipso, quòd iurisdictio in eo cessat, cuius est vicarius. Altero modo, quia ex electione superior constituitur sub aliquo principali priore, aut sub Abbate conuentus, qui conuentum regat, & caput etiam sit conuentualium. Atque huius iurisdictionem non expirare mortuo principali priore aut Abbate, vel aliqua alia de causa cessante, aut suspensa in illo iurisdictione: quia habet suam iurisdictionem sibi propriam ex munere suo, siue ad illius electionem interueniat etiam Abbas, seu principalis prior, siue non. Atque vt id meliùs intelligas, obserua. Quando vicarius ab ipsomet constituitur, cuius est vicarius, pro ipsius arbitrio, vt vices ipsius subeat, ab ipsoque omnino pendeat, tum vt id munus habeat, tum etiam vt illud exerceat, tūc iurisdictio talis vicarii à iurisdictione eius, cuius est vicarius, pendet. Quando verò munus est institutum ab ipsa religione, vt sit in adiutorium principali superiori, siue simul eligatur à principali superiori, siue nō, sed vel à generali, aut à prouinciali, vel à solo conuentu, vel etiam à solo principali superiori conuentus, tunc eius administratio ac munus non expirat expirante principali superiori. Sic in multis religionibus constituti sunt vicarii, subpriores, & in nostra Societate ministri, & interdum etiam vicerectores, quando collegia sunt magna, quorum administrationi iudicatur expediens, vt vltra rectorem & ministrum sit alius superior intermedius, qui vicerector dicatur: horum autem munera non cessant morte supremi superioris talis conuentus, siue dicatur Abbas, siue prior, guardianus, rector, præpositus, siue quouis nomine alio nuncupetur.

Capitulum

Capitulum sede vacante, & eius generalis vicarius, seu prouisor, an iudices sint ordinarii. Et quanta eorum sit iurisdictio. Disp. 11.

SVMMARIVM.

1. *SEde episcopali vacante iurisdictio transit ad Capitulum cathedralis ecclesiæ, nisi Pontifex de alio prouideat. Vel potest Capitulum aliquem vicarium generalem constituere.*
2. *Vicariorum foraneorum ab episcopo ad vniuersitatem aliquam causarum delegatorum potestas non expirat, si antequam iurisdictio in episcopo cessaret, vti suo munere caperant.*
3. *Vniuersa iurisdictio, sede vacante, episcopi ad Capitulum deuoluitur, exceptis euentibus particularibus, quoad quos fuerit iure expressum, iurisdictionem ad illum non deuolui.*
4. *Vt episcopo conuenit litteras dimissorias concedere subditis, vt ab aliis episcopis ordines suscipere possint; sic idem conuenit capitulo sede vacante.*
5. *Capitulum sede vacante, & loco illius, prouisor vel vicarius illius dispensare in iis potest, in quibus episcopus dispensare potest ratione episcopalis iurisdictionis.*
6. *Sede vacante Capitulum excommunicare potest, & alia facere quæ ad correctionem spectant, indulgentias concedere.*
7. *Potest item statuta facere, quæ obligent totam diœcesim in perpetuum. Item diœcesim visitare, sicut tenetur id facere episcopus.*
8. *Vtrum Capitulum sede vacante possit visitare ea monialium monasteria, quæ sedi Apostolicæ immediatè sunt subiecta.*
9. *Capitulum non transit in priuilegium, quod episcopis ratione dignitatis conceßum est.*
10. *Capitulum succedit in iurisdictionẽ, quæ episcopo competit vt episcopo.*
11. *Non succedit in prouisionẽ beneficiorum, quæ ad episcopum conferre spectat: at potest saltem ea commendare prouidendo de idoneo œconomo.*
12. *Licèt Capitulum non conferat beneficia, quæ ad episcopum pertinebat conferre, quando tamen ad episcopum deuoluitur conferre aliqua beneficia ob negligentiam vel delictum inferioris, tunc potest capitulum ea conferre.*
13. *Quando prouisio beneficii simul spectat ad Capitulum & ad episcopum, per concursum fit suffragiis Capituli & episcopi, tunc Capitulum sede vacante confert eiusmodi beneficia.*
14. *Ad Capitulum etiam transit iurisdictio concedẽdi facultatem transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliam diœcesim, & omnino transeundi ecclesiasticum in alienam diœcesim.*
15. *Vtrum Capitulum sede vacãte succedat episcopo quoad alienationem.*
16. *Interim dum sedes vacat, agituri non potest causa de attinentibus ad solum prælatum, aut de cõmunibus prælato cum Capitulo, etiam si ecclesia sit rea: sed neque continuari potest causa antea cepta.*
17. *Vacante sede Capitulum debet vocare episcopũ ad confirmandum, ad oleum consecrandum, & alia efficienda, quæ potestatem ordinis episcopalis requirunt.*

A SEde episcopali vacante morte Episcopi, aut depositione, vel translatione, aliquáve alia ratione, iurisdictio transit ad capitulum cathedralis Ecclesiæ, nisi summus Põtifex de alio prouideat, qui eam ecclesiam interim administret. *c. cum olim*, iuncta glossa ibi de *maior. & obed. c. 1. eodem titu. lib. 6. c. ecclesia de suppl. neg. prælat. lib. 6.* & aliis iuribus, affirmatq; cõmunis doctorũ sentẽtia. Idẽ est si episcopus captus sit ab infidelibus vel schismaticis, vel à quibuscũque aliis, interim dum captiuitas perseuerat, vt habetur. *c. si episcopus de suppl. neg. prælat. lib. 6.* Cùm autem cessante iurisdictione in episcopo, continuò, etiam quoad negotia cepta, cesset quoque in suis ministris, B qui ex ipsius tribunali loco illius illam exercebant, vt disputatione præcedente dictũ est, consequens profectò est, vt iurisdictione in quocũque ex his euentibus delata ad capitulum, ad capitulum ipsum pertineat vel creare de nouo alios ministros, vt alium vicarium generalem seu prouisorem eiusdem capituli, visitatores diœcesis, & alios similes ministros, vel præteritos confirmare, eisque vti, non iam vt ministris episcopi antecedentis, sed vt suis propriis ministris. Qui autem ex tribunali iurisdictionem loco capituli exercuerint, quoad eam iurisdictionem ad capitulum deuolutam, iudices erũt ordinarii, sicut & capitulum quoad eam iurisdictionem C ad se deuolutam iudex est ordinarius.

In concilio Tridentino quoad electionem vicarii generalis, seu prouisoris, *sic sess. 24. c. 16.* sancitum est: *Capitulum sede vacante officialem seu vicarium intra octo dies post mortem episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in iure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si secùs factum fuerit, ad metropolitanũ deputatio huiusmodi deuoluatur. Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumq;, vt præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior episcopus in exempta œconomum* (de quo in eodem capite habitus etiã D fuerat sermo) *& vicarium idoneos possit constituere. Episcopus verò ad eandem ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, vicario, & aliis quibuscunque officialibus, & administratoribus, qui sede vacante fuerint à Capitulo, vel ab aliis eius locum tenentibus, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, administrationis, aut cuiuscunq; muneris, possit eos punire, qui in eorũ officio seu administratione deliquerint: etiam si prædicti officiales, redditis rationibus, à Capitulo, vel a deputatis ab eodem, absolutionem ab eodem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque episcopo teneatur Capitulum de scripturis, ad ecclesiam pertinentibus, si quæ* E *ad capitulum peruenerunt, rationem reddere.*

Pauanus de officio & potestate capituli sede vacante part. 2. q. 10. bene probat, capitulum sede vacante posse constituere vnum aut plures vicarios loco sui, eisque posse restringere iurisdictionem, & posse illos constituere. Posse item constituere de ipso capitulo vicarios pedaneos, sicut episcopus posset illos constituere, qui erũt iudices delegati. Item tam pedaneos vicarios, quàm generalem, aut generales, esse ad nutum amobiles à capitulo. Si tamen capitulũ se astrinxisset nõ reuocare vicarium generalem, tunc sine iusta & vrgente causa reuocari non posset.

A vicario generali capituli non appellatur ad capitulum, eo quòd vnum tribunal cum illo efficiat: sicut neque à vicario generali episcopi appellatur ad episcopum, vt disputatione præcedente dictum est.

2 Quod verò attinet ad vicarios foraneos ab episcopo ad vniuersitatem aliquam causarum deligatos, si antequam in prædictis euentibus iurisdictio in Episcopo cessaret, vti suo munere cæperant, non cessat tunc iurisdictio talium delegatorum ab eo episcopo, vt infrà, dū de iudicibus delegatis sermo fuerit, patebit. In reliquis verò eiusdem episcopi iudicibus delegatis quamuis iurisdictio quoad negotia nondū cæpta cesset eo ipso, quòd iurisdictio illius ad capitulum deuoluitur, non tamen cessat quoad negotia iam cæpta: quoniam delegati iurisdictio solùm quoad negotia nondum cæpta in eo cessat, finita iurisdictione in delegante, vt inferiùs suo loco videbimus.

Quod dictum est de ministris episcopi, quando episcopi iurisdictio deuoluitur ad capitulū, intelligēdum similiter est de ministris capituli, quando iurisdictio in capitulo cessat, & deuoluitur vel ad eundem episcopum, vt si à captiuitate liberetur, vel ad alium in eo episcopatu successorem.

3 Quamuis aliqui fuerint arbitrati, sede in prædictis euentibus vacante, iurisdictionem deuolui ad capitulum solùm quoad ea, quæ iure reperiuntur in particulari expressa, competere illi tunc iurisdictionem, non verò quo ad aliqua: communis tamen & vera sententia est, regulam in contrarium esse statuendā, nempe vniuersam iurisdictionem episcopi ad capitulum deuolui exceptis euentibus particularibus, quoad quos fuerit iure expressum iurisdictionem ad illū non deuolui. Ita *Panor. c. cum olim de maior. & obed. n. 2. vers. ex quibus elicitur, & c. illa. n. 4. ne sed. vac. & Nauar. lib. 1. consil. titu. 11. de tempor. ord. cons. 28. Frā. Pauianus de offic. & potest. cap. sed. vacante prima part princip. q. 1.* & alii, quos citat. Consentiunt. c. si episcopus illis verbis; *In spiritualibus & temporalibus ministrare debebit*; capitulum, scilicet, sede vacante, &. c. ecclesiæ, illis verbis: *Nisi fortè capitulum in spiritualibus & temporalibus negligenter aut perperam administret*; de suppl. negl. præl. lib. 6.

4 Hinc quemadmodum episcopo conuenit literas dimissorias, quas reuerendas vocant, sibi subditis concedere, vt ab aliis Episcopis ordines suscipere possint: sic idem conuenit capitulo sede vacante. In concilio tamen Tridentino hæc facultas capitulo fuit restricta, vt scilicet intra annum à puncto sedis vacantis concedere illas non possit, nisi ei, qui occasione beneficii ecclesiastici recepti, aut recipiendi, sit arctatus. Elapso verò anno à puncto sedis vacantis, concedere eas potest, non secùs atque episcopus posset illas concedere. Capitulum reuerendas contra id decretum concedens, ecclesiastico subiacet interdicto: ordinati verò vi illarum, si minoribus ordinibus initientur, non gaudent priuilegio clericali: si verò sacris ordinibus sint initiati, ab illorum exequutione sunt eo ipso suspensi, vsque ad beneplacitum prælati futuri. Ita habetur *in concil. Triden. sess. 7. c. 10. sessione verò 23. c. 10.* idem extenditur ad administratorem episcopatus sede vacante loco capituli, eique, si reuerendas contra dispositionem eius decreti concedat, pœna imponitur suspensionis ipso iure ab officio & beneficio.

Quamuis autem capitulum sede vacante intra annum à puncto, quo sedes vacauit, concedere non possit literas dimissorias ad ordines suscipiendos, nisi ei, qui occasione beneficii ecclesiastici recepti, aut recipiendi, sit arctatus, vt dictum est; capitulum tamen, & eius vicarius generalis, seu prouisor, prohibiti non sunt dare literas testimoniales idoneitatis, atq; adeò probitatis ac morum, ordinandi, quæ non sufficiūt, vt episcopus alienus possit illum ordinare, nisi accedat facultas eius, qui illam legitimè concedere possit, vt ille ordinetur, vt hæc omnia rectè affirmat *Nauar. lib. 1. consil. titu. citato de tempor. ord. cons. 18. alias 27.* Quin potiùs, accedente rescripto Nuncii Apostolici, vt aliquis intra annum sedis vacantis ordinari possit ab alieno episcopo accedente testimonio sui ordinarii idoneitatis, sanè ad capitulum, & loco capituli ad vicarium generalem seu prouisorem eiusdem capituli, spectat tunc illum examinare quoad literas & mores, testimoniumque illi tradere idoneitatis, vt cum eo testimonio, vi rescripti Nuncii Apostolici, ordinari ab episcopo alieno iuxta tenorem eius rescripti legitimè possit. Sicque annis præteritis, tempore primi anni sedis vacantis, multos vidimus in hac ciuitate Conchensi, vi eiusmodi rescriptorum Nuncii Apostolici examinatos fuisse à vicario generali capituli, accepisseque literas testimoniales suę idoneitatis, legitimeque alibi ordinatos fuisse. Neque id profectò (quicquid in contrarium innuere autumareque videatur Nauar. cons. 18. citato) est cōtra illam dispositionem concilii *Trid. sess. 23. c. 8.* quæ sic habet: *Vnusquisque autem à proprio episcopo ordinetur. Quòd si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiam cuiuslibet generalis aut specialis rescripti vel priuilegii prætextu, etiam statutis tēporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secùs fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum exequutione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Nauar. autem in eo consilio innuere apertè videtur in illis verbis; *Nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur*; nomine, ordinarii, solùm episcopum ordinandi intelligi: non verò etiam capitulum sede vacante & eius vicarium generalem seu prouisorem: neq; aliū, quàm proprium episcopum ordinandi intelligendum esse in rescripto Nūcii Apostolici. Procul dubio tamē vehementer errat. Tum quoniā sede vacante, capitulum, & eius vicarius generalis, verè ac simpliciter sunt ordinarii talis, qui id testimonium probitatis ac morum accipit. Tū etiam quoniam post primum annum sedis vacantis capitulum & eius vicarius generalis concedere possunt subditis eius diœcesis reuerendas vt ordinentur ab alieno episcopo cum testimonio idoneitatis, ac proinde probitatis ac morum illius, iuxta idem concilium Trid. sess. 7. c. 10, vt quotidie fit: ergo in illo alio. c. 8. sess. 23. nomine ordinarii, qui id testimonium concedere possit, etiam capitulum sede vacante & eius vicarius generalis comprehenduntur. Tum præterea, quoniam etiam in primo anno sedis vacantis concedere possunt easdem reuerendas

das cum eodem testimonio, vt is ordinetur ab alieno Episcopo, quando arctatus est beneficio ecclesiastico accepto, aut accipiendo: ergo ad effectum præstandi id testimonium nomine ordinarii capite illo 8. sess. 23. capitulum & eius generalis vicarius comprehenduntur. Tum denique quoniam id continent rescripta Nunciorum Apostolicorum, & id habet praxis quotidiana, vt scilicet cum eo testimonio & rescripto Nuncii Apostolici ordinentur, qui sunt de episcopatu, in quo sedes vacat, etiam intra primum annum sedis vacantis.

5 Dubium est, vtrùm capitulum sede vacante, & loco illius, vicarius seu prouisor illius, B dispensare in iis possit, in quibus Episcopus dispensare potest ratione episcopalis iurisdictionis, vt in votis, in quibus episcopus dispensare potest, in petitione debiti, vt illegitimus minores ordines suscipere possit, & obtinere beneficium aliquod simplex, iuxta c. 1. de filiis presb. lib. 6. Quamuis autem quidam negauerint, ducti, quòd dispensatio sit vsus voluntariæ iurisdictionis, & quòd ad capitulum sede vacante solùm deuoluatur iurisdictio necessaria: contrarium tamen est dicendum cum *Panor. c. cùm olim de maior. & obed. num. 2. vers. octauo dubitatur*, cum *Nauar. vbi suprà conf. 28 & 30.* cum *Pauiano vbi suprà.* q. 5. & cum aliis, quos citant, nempe dispensare posse. Quoniam tota vniuersim iurisdictio episcopi censetur ad capitulum deuolui, etiam voluntaria, quæ non fuerit reperta esse illi denegata, vt dictum est: nullibi autem hanc iurisdictionem comperimus illi esse denegatam. Et cùm sæpe expediens ac necessarium sit cum subditis dispensare in multis, vt ex se est notissimum, & colligitur ex. *c. domino sancto, iuncta glosa ibi verb. necesse*, & iuncto. *c. vt constitueretur dist.* 50, non sufficienter esset prouisum diœcesibus, si iurisdictio episcopi sine dispensandi iurisdictione ad capitulum deuolueretur sede vacante. Potest item concedere facultatem absoluendi ab omnibus casibus episcopo reseruatis, cùm sit eadem ratio, & ex se sit satis perspicuum, affirmatque *Panor. iuxta idem. c. vnicum. c. his qui. num. vlt. & c. cùm olim. vers. quartodecimo de maior. & obed.* & in his omnibus consentit *Pauianus. q. 5. citata. part. 1.* Ea item omnia efficere potest circa exequutionem vltimarum voluntatum, quæ efficere posset episcopus; cùm ea omnia ad iurisdictionem episcopi vtilem ac necessariam circa diœcesim pertineant, vt Pauianus. 2. part. q. 7. rectè cum aliis affirmat.

6 Ex eodem fundamento, quòd tota iurisdictio E episcopi, quæ in iure denegata ei non comperitur, deriuetur in capitulum sede vacante, constat capitulum sede vacante excommunicare posse. Ita *Nauar. in Manu. c. 27. num. 5.* resque est notissima. Potest item absoluere ab excommunicatione, tam à iure, vt ob percussionem ecclesiastici, quàm ab homine, quando ab illis episcopus absoluere potest. Ita habetur expressè *c. vnic. de maior. & obed. lib. 6.* Potest similiter punire, deponere, suspendere & priuare beneficiis, & alia facere, quæ ad correctionem spectant: cùm ea omnia ad iurisdictionem episcopi spectent. Ita Pauianus vbi suprà *part. 2. princip. q. 6.* & alii, quos citat ex eodem item fundamento, & quia concedere indulgentias actus est iurisdictionis, censet probabilius Panor. vbi suprà vers. tertio-decimo, posse illas concedere, sicut & episcopus, in quam sententiam inclinant *Nauar. §. in Leuitico monito 31. num. 6 & 7.* quia ait consuetudinem esse receptam, *Sylu. verb. capitulum in calce. num. 5.* & alii. Ad eandem sententiam accedit *Pauianus vbi suprà. q. 4. prima part. principal.* Neque id probo, quod ait, debere scilicet capitulum vt & episcopum electum nondum consecratum eas concedere per Episcopum alium consecratum, quem ad id vocent. Neque enim illud est potestatis ordinis, sed solius iurisdictionis.

Ex eodem quoque fundamento *Panor. vbi* 7 *suprà vers. 2.* cum Calderino affirmat, & sequuntur *Sylu. vbi suprà. num 4. Pauianus vbi supra. q. 6.* & alii, capitulum sede vacante posse facere statuta, quæ obligent totam diœcesim, & vim habeant obligandi in perpetuum etiam tempore Episcoporum, qui in eo episcopatu successerint, sicut episcopus potest eadem statuta perpetua facere. Cæterùm quicunque episcopus in eo episcopatu succedens C poterit illa reuocare: sicut & reuocare potest quæcunque alia cuiusuis alterius episcopi sui antecessoris: neque enim prædecessor auferre potest successori in eo episcopatu potestatem condendi noua statuta, & reuocare iam condita. Item statutum factum in præiudicium successoris esset nullum: quia sede vacante nihil in præiudicium episcopi & diœcesis in nouari potest. *c. 1. & sequentibus ne sed. vac.*

Ex eodem præterea fundamento deciditur quæstio, de qua glossa clem. 1. de hæret. verb. capituli, num scilicet sede vacante capitulum D posset visitare generaliter diœcesim, sicut eam visitare potest ac tenetur episcopus. Cùm enim id ad iurisdictionem episcopi spectet, sanè competit capitulo sede vacante, non solùm quod crimina particularia, de quibus sit infamia, quod doctores contrariæ sententiæ affirmant, eo quòd tunc visitatio sit necessaria, sed etiam generaliter: quia id est exequutio iurisdictionis episcopalis non solùm vtilis ecclesiis ac diœcesi, quod sufficeret, sed etiam necessaria incumbens ex officio habenti curam episcopatus, iuxta. c. inter cætera de offic. ord. & alia iura. Ita *Panor. vbi suprà. vers. extra glosam: Pauianus loco citato. q. 7. Sylu. verb. capitulum. num. 3.* & alii. Sicque vidimus in sede vacante præterita huius ecclesiæ Conchensis, capitulum vniuersaliter visitasse diœcesim. Consentit. c. ecclesiæ de suppl. neg. præl. lib. 6. vbi statuitur, metropolitanum posse mittere visitatorem ecclesiæ vacanti: si capitulum negligens sit in exequenda iurisdictione episcopali ad se deuoluta.

Dubitant doctores, vtrùm capitulum sede 8 vacante visitare possit ea monialium monasteria, quæ, cùm nulli alteri subdita, sedi apostolicæ sunt immediatè subiecta, & quorum visitatio

ſitatio *clem. 2. de ſtatu monach.* & apertiùs in *conſil. Trid. ſeſſ. 20. c. 9. de regularibus*, etiam eorum gubernatio epiſcopis tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatis committitur. *Panor. vbi ſuprà verſ. 5.* controuerſiam contrariaſque ea de re ſententias refert, ipſeque in partem negantem propendet. Ductus, quòd quæ epiſcopo tanquam ſedis apoſtolicæ delegato competunt, non tranſeunt in capitulum ſede vacante. In eandem ſententiam propendet *Pauianus. q. 7. citata*, tametſi quæſtione *10. in prin.* illam limitandam cenſeat. Alii, quos *Syl. in calce num. 3.* citati refert, & in quorum ſententiam propendere videtur, affirmanter reſpondent. Ducti ſatis debili fundamento capitis *vnic. de maior. & obed. lib. 6.* quod meo iudicio nihil ad rem facit. Dicerem, attendendum eſſe, num muneri epiſcopi aliquid iuriſdictionis tanquam ſedis apoſtolicæ delegato in perpetuum committatur, vt ex officio epiſcopis deinceps competat, atque tunc dicerem eam iuriſdictionem per epicheiam tranſire ad capitulum ſede vacante: niſi aliquid apponatur, vnde colligatur, contrarium fuiſſe intentum concilii aut ſummi Pontificis id ſtatuentis. Cùm enim perpetuò ei muneri annectatur tanquam pars iuriſdictionis eius muneris, idque non in bonum & tanquam priuilegium epiſcopi, ſed in bonum eorum, in quos ea iuriſdictio exercetur, aut in bonum aliorum & eccleſiæ, cenſendum eſt eam partem iuriſdictionis in eum tranſire, in quem epiſcopalis reliqua iuriſdictio tranſit, ac proinde tranſire in capitulum ſede vacante. Atque in re propoſita quis dubitet, quomodo concilium Tridentinum. c. 9 citato ſic ſtatuit: *Monaſteria ſanctimonialium, ſancta ſedi apoſtolicæ immediate ſubiecta, etiam ſub nomine capitulorum ſancti Petri, vel ſancti Ioannis, vel aliàs quomodocunque nuncupentur, ab epiſcopis, tanquam dictæ ſedis delegatis, gubernentur, non obſtantibus quibuſcunque.* Quis, inquam, dubitet, eam iuriſdictionem tranſire ad capitulum ſede vacante. Neque enim mens concilii fuit, vt toto tempore ſedis vacantis, ſiue per mortem ſiue per captiuitatem epiſcopi, moniales illæ careant gubernatore, neque id rationi eſſet conſentaneum: vnde per epicheiam cenſendum non eſt, id conſilium intendiſſe. Quando verò quoad aliquam cauſam, vel quoad negotium aliquod particulare, epiſcopus eſſet delegatus, etiam ſub nomine dignitatis, ita vt delegatio ad ſucceſſorem in epiſcopatu, iuxta ea quæ inferiùs dicenda ſunt, tranſiret, tunc ſanè ea iuriſdictio non tranſiret in capitulum ſede vacante: quoniam capitulum ſede vacante non eſt epiſcopus eius diœceſis, ſed eſt is, in quem iuriſdictio eius epiſcopatus tranſiit.

9 Quod epiſcopis conceditur in priuilegium ratione dignitatis ipſorum, vt eſt illud, de quo *c. vlt. de priuil. lib. 6.* vt dum ſcilicet iter faciunt, poſſint celebrare, aut facere celebrare extra eccleſiam in loco decenti in altari portatili, & ſunt alia, quæ ibi gloſſa penult. commemorat, non tranſit in capitulum ſede vacante, vt ſatis eſt perſpicuum, affirmant-

A que *Panor. vbi ſuprà verſ. duodecimo, Syl. vbi ſuprà, num. 5.* & alii: neque enim priuilegium ſe extendit vltra perſonas eo priuilegiatas, iuxta. c. ſanè de priuil.

Quando aliquis cum conſilio Epiſcopi aut ſimul cum epiſcopo conferre debet aliquid, capitulum ſede vacante, non ſuccedit quoad id epiſcopo, vt colligitur *ex c. vnico. §. vlt. ne ſed. vacant. lib. 6.* & affirmant *Panor. vbi ſuprà verſ. 9. Syl. num. 5. citato*, & alii.

Si iuriſdictio aliqua competat ex conſuetu- 10
dine epiſcopo vt epiſcopo, in ea ſuccedit capitulum ſede vacante: quoniam acceſſorium
B ex conſuetudine comparatum, qualitatem ac naturam ſortitur principalis. Ita Panor. vbi ſuprà *verſ. decimo, cum collectario, & Syl. vbi ſuprà, num. 4.*

In iuriſdictione item, quæ Epiſcopo competit in comprehendēdis, iudicandis, ac puniendis hæreticis, ſuccedit capitulum ſede vacante. *c. ad abolendam. de hæret. clem. 1 & 2. eod. titu.* Id quippe ad iuriſdictionem epiſcopi eamque neceſſariam pertinet. Conſentit Pauianus cum aliis, quos citat. q. 10. citata, §. penult. Non tamen poteſt comprehendere & detrudere eiuſmodi hæreticos, neque alios quoſcunque malefactores, niſi in carcerem,
C in quem eos detruderet epiſcopus: vnde capitulum non poteſt facere alium carcerem ſuum proprium, vt *Pauianus vbi ſuprà, 2. part. q. 6.* affirmat: quia detrudit in carcerem, vt adminiſtrator epiſcopatus.

Capitulum ſede vacante non ſuccedit in pro- 11
uiſione beneficiorum, quæ ad epiſcopum conferre ſpectat, vt in hoc Conchenſi epiſcopatu ad epiſcopum pertinet conferre beneficia, quæ vacant menſibus Martii, Iunii, Septembris, & Decembris: reliqua verò in aliis menſibus vacantia conferre ad ſummum Pontificem ſpectat. Et in quibuſdam aliis diœceſibus alternatiuè pertinet conferre beneficia
Dad ſummum Pontificem, & ad prælatos, vt menſe Ianuario pertinet ad ſummum Pontificem, Februario ad epiſcopum, & ita alternatiuè in reliquis menſibus. Quia verò conferre ea beneficia eſt illa donare ea ex parte, qua integrum relinquitur epiſcopo ea huic potiùs quàm alteri conferre, eaque beneficia conferre quaſi ad fructus & emolumenta dignitatis epiſcopalis ſpectat, idcirco id ius non tranſit in capitulum ſede vacante: vnde tunc circa prouiſionem eorum beneficiorum, quæ epiſcopus, ſi ſedes non vacaret, fuiſſet collaturus, recurritur ad ſummum Pontificem, qui tunc ea confert, vt cum Hoſtienſi affirmat *Panor. c. illa. num. 3. ne ſede vac.*
E Quòd verò ius conferendi ea beneficia non tranſeat ad capitulum ſede vacante, habetur expreſsè *c. illa citato*, & *c. vnic. §.* cum verò. eodem titu. lib. 6. Vſque adeò autem habet id verum, vt eſtò beneficium viuente epiſcopo in menſe ipſius vacauerit, ſi tamen mortuus ſit antequam illud conferet, collatio ad ſedem apoſtolicam ſpectat, vt Pauianus vbi ſuprà part. 2. prin. q. 1. affirmat, ſatiſque eſt perſpicuum.

Licèt

Licèt autem ad capitulum sede vacante non pertineat conferre beneficia, quæ conferre ad Episcopum attinebat: ad capitulum tamen tunc pertinet illa cõmendare, prouidendo de idoneo œconomo, qui illa administret, assignato illi cõgruo stipendio, donec beneficia illa ab eo conferantur, ad quem collatio eorum spectat, vt cum *Ioan. Andre. affirmat Panor. c. illa citato. num. 4.* & consentiunt doctores communiter. Id quippe ad iurisdictionem necessariam spectat, quæ pertineret ad episcopum, etiam si collatio beneficii non ad ipsum sed ad summum Pontificem attineret, eaque proinde iurisdictio ad capitulum sede vacante deriuatur. Vnde id, quod consilium Tridentinum *sess. 24. c. 18.* in hunc modum statuit: *Debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, (parochialis scilicet) si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua, eius arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore prouideatur*; id, inquam, quod concilium sic statuit, procul dubio transit ad capitulum sede vacante, vt vsu est receptum: id enim ad vtilissimam ac necessariam iurisdictionem episcoporum pertinet in animarum salutem, quæ proinde iurisdictio ad capitulum sede vacante deriuatur. Exequi præterea reliqua quoad examen circa beneficia parochialia, & ex iudicatis ab examinatoribus idoneis eligere, *quem cæteris magis idoneum iudicauerit, vt illi, & non alteri, collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre*, quæ episcopis in illo eodem capite præscribuntur, vtique ad capitulum sede vacante deriuantur, tanquam iurisdictio vtilis & necessaria episcoporum, in melius regimen animarum, sicque vsu est receptum. Siue ergo beneficium curatum, quod iuris patronatus non sit, tempore sedis vacantis in mense summi Pontificis vacet, siue in mense episcopi, omnia in eo capite præscripta peragit capitulum sede vacante vsque ad electionem dignioris inclusiuè, non secùs atque illa perageret episcopus: collationem verò eorum omnium beneficiorum remittit summo Pontifici. Circa beneficia etiam curata, quæ iurispatronatus sunt, ea omnia peragit capitulum sede vacante, quæ ibi præscribuntur vt episcopus efficiat, & quæ episcopus perageret, si sedes non vacaret: quoniam ea omnia post eam dispositionem concilii tridentini ad iurisdictionem episcopi quoad rectam diœcesis administrationem spectant, quæ tota iurisdictio ad capitulum sede vacante deriuatur, sicque vsu est receptum.

12 Quamuis ad capitulum sede vacante non pertinet conferre beneficia, quæ conferre pertinebat ad episcopum ratione suæ dignitatis, tanquam annexum eius dignitati illa donare; quando tamen ad episcopum deuoluitur conferre aliqua beneficia ob negligentiam vel delictum inferioris, tunc ea conferre spectat similiter ad capitulum sede vacante, vt cum *Ioan. And.* affirmat *Panor. c. illa citato. num 5.* & consentiunt doctores communiter: quoniam ea deuolutio tunc idque ius pertinet ad iurisdictionem episcopalem ratione vtilis administrationis suæ diœcesis in bonum & sauorem non Episcopi, sed beneficiorum ac animarum: in eiusmodi autem iurisdictione succedit capitulum sede vacante. Quòd autem in eo euentu collatio beneficiorum ad capitulum sede vacante spectet, colligitur apertè ex. *c. illa citato in fine*, iuncta glossa vlt. ibi. Ob negligentiam verò conferendi beneficium intra semestre à puncto notitiæ vacationis beneficii transit ius, quod episcopus habeat ad illud conferendum, ad capitulum, etiam sedes non vacet, & habetur. *c. nulla. §. vlt. & c. quia de concess. præb.* & notat *Pania. 2. part. prin. q. 2. §. quædam.*

13 Quando prouisio beneficii simul pertinet ad capitulum, & ad episcopum, vt prouisio canonicatuum, quos in hoc regno vocant *Calongia Magistral, calongia doctoral, y calongia de escritura*, per concursum fit suffragiis capituli & Episcopi, tunc capitulum sede vacante confert eiusmodi beneficia. Ita habetur. *c. 1. in prin. ne sed. vac. lib. 6.* & affirmant *Panor. c. illa citato in calce, num. 4. Nauar. lib. 3. conf. titu. 5. de præb. conf. 20.* & doctores communiter. Quod attinet ad canonicatum deputatum, vt munus pœnitentiarii habeat annexum, ait *Nauar. conf. 20. citato*, se audiuisse magnam dubitationem fuisse in ecclesiis Hispaniarum, num prouisio eius canonicatus spectaret ad solum Episcopum, an ad episcopum & capitulum; idque vel simul, vel ad Episcopum cum consensu & consilio capituli. Atque in primo euentu ait, prouisionem eius canonicatus non pertinere ad capitulum sede vacante: quoniam, vt suprà dictum est, non deuoluitur ad capitulum sede vacante prouisio eorum beneficiorum, quæ conferre ad solum Episcopum spectat. In secundo verò euentu, si scilicet prouisio eius canonicatus ad Episcopum & capitulum pertineat simul, ait, ad capitulum sede vacante pertinere conferre eum canonicatum, iuxta ea, quæ proximè dicta sunt de tribus aliis canonicatibus, quorum prouisio ad capitulum & Episcopum spectat simul: In tertio verò euentu, si scilicet prouisio pertineat ad Episcopum cum consensu & consilio capituli, rectè ait, iuxta. c. 1. ne sed. vacant. lib. 6. collationem tunc eius canonicatus non pertinere ad capitulum sede vacante, sed iuxta ea, quæ suprà dicta sunt, deuolui ad summum Pontificem. Audio autem dubitationem illam esse iam hodie sublatam: atque prima vice duntaxat canonicatum illum prouisum fuisse per concursum, prouisionemque illius deinceps pertinere vel ad Episcopum, vel ad summum Pontificem, prout fuerit mensis, in quo vacauerit, ad summum scilicet Pontificem vel ad Episcopum spectans. Quo dato, nunquam pertinet ad capitulum sede vacante prouidere eum canonicatum, sed semper pertinet ad summum Pontificem, siue vacauerit in mense Episcopi, siue in mense summi Pontificis: quoniam, vt dictum est, prouisio beneficii, quæ ad solum Episcopum pertinere debebat, non deuoluitur

ad capitulum sede vacante, sed deuoluitur ad A summum Pontificem. *In eodem.c.1, ne sed. vac. lib.6.* habetur, quando collatio beneficii pertinet simul ad episcopum & ad capitulum, & capitulares conferre non possunt, quia omnes sunt suspensi, aut excommunicati maiori excommunicatione, tunc solum episcopum conferre id beneficium.

In eodem. c.1.§.cum verò habetur, quando ad episcopum spectat collatio beneficii cum consilio aut consensu capituli, defuncto episcopo aut suspenso, ita tamen vt episcopus non sit in mora in petenda relaxatione talis suspensionis, quasi per eam tanti temporis moram deuolutum fuerit ius conferendi id B beneficium ad capitulum, etiam si sedes non vacaret, vt suprà dictum est, tunc collationem eius beneficii non pertinere ad capitulum, si contingat tunc sedem vacare, sed pertinere ad summum Pontificem. Ex quo textu colligitur, consilium aut consensum attinere ad capitulum, non efficere prouisionem beneficii communem capitulo cum episcopo, quasi ratione eius communionis prouisio talis beneficii pertineat ad capitulum sede vacante. Consentit *Nauar. consil. 20. citato, num. vlt.* Colligitur etiam, quando tunc collatio, sede vacante, ad summum Pontificem deuoluitur, non manere summum Pontificem obligatum C ad petendum consilium aut consensum quoad eam collationem à capitulo, vt episcopus erat obligatus.

Eodem.c.1.§.vlt. habetur, quando ad aliquem pertinet collatio alicuius beneficii petito consilio ab Episcopo, tunc sublato Episcopo, aut illo absente, ita vt breui, prudentis arbitrio, non possit haberi copia illius ad petendum ab eo consilium, non propterea differri deberi prouisionem beneficii, sed conferendum esse, non petito ab eo consilio.

Quamuis capitulum sede vacante beneficia non conferat, confirmat tamen electos ad be- D neficia, quando confirmatio ad episcopum attinebat, vt habetur in.c.cùm olim de maior. & obed. & instituit præsentatos à patronis, vt habetur. *c.1. de instit. lib.6.* Ratio autem est, quoniam vtrumque ad iurisdictionem episcopalem spectat, transitque proinde ad capitulum sede vacante, neque aliquid prædictorum duorum est donare beneficia, sed iam collata confirmare, aut improbare electionem, vel conferre ea illi, si idoneum illum reperiat, cui illa conferre tenetur ad patroni præsentationem, iuxta ius, quod patronus ad id habet. Ita *Panor.c.cum olim. citato. num.* 1. *Pauia.q. 2. citata. §. confirmare, & q. 4 ac* E *5*, & doctores communiter, potestque id exercere in singulos electos ac præsentatos, etiam si de capitulo sint, quin estò sit decanus capituli: quia capitulum superior est singulis de capitulo, vt post *Pauianum.q.4. cita. rectè ait Nauar. lib. 1. consil. num. 31. de offic. iud. ord. consil. 7. num. 3.* Qualis autem hodie sit præsentandus, tam quando ius patronatus est ecclesiasticum, quàm quando est laicum, dispositum est in concilio Tridentino *sess. 24. c.18.* ab illis verbis; *Si verò iuris patronatus, &c.*

Ad capitulum item sede vacante transit iuris- 14
dictio concedendi facultatem transeundi ad dignitatem ecclesiasticam, in aliam diœcesim, & omnino transeundi ecclesiasticum in alienam diœcesim, sicut episcopo eadem iurisdictio competit. Ita aduersus glossam ibi, *Panor. c. cùm olim de maior. & obed.num.2.vers. sed dubitatur, Ioann. And.* & doctores communiter. Neque enim id est alienatio rerum Episcopatus, vt rectè Panor. probat.

Vtrùm autem capitulum sede vacante suc- 15
cedat episcopo quoad alienationem. Prætermissa doctrina ea de re glossæ vtrobique, distinguit bene *Panor. c. cùm olim de maior. & obed. vers. tertio dubitatur, & c. 1. ne sed. vac. num. 7.* Quòd aut agitur de bono episcopatus, aut de bono ecclesiæ inferioris ad cathedralem. Quod ad bona episcopatus attinet, si mobilia sint, quæ seruando seruari non possint, iuxta ea quæ tract. *2. Disput. 465.§. nomine bonorum, & Disput. 468. concl. 1.* dicta sunt; tunc is, qui illorum administrationem habet, siue sit æconomus, siue capitulum, alienare illa potest, idque absque solemnitate, vt disputationibus citatis dictum est. Quod verò attinet ad bona episcopatus, tam immobilia quàm mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt in sensu duabus disputationibus citatis explicato, tunc alienari non possunt à capitulo sede vacante, neque capituli autoritate, sed si sede vacante alienari debent, necesse est interueniat autoritas apostolicæ sedis. Quod probat *Panor.c. 1. citato argumento eius textus:* quoniam si sede vacante non potest agitari iudicium, cuius exitus est dubius, contra sedem vacantem, rémve ad illam attinentem, eo quòd ecclesia tunc careat defensore, vt habetur. *c. 1. citato*, multo minùs poterit tunc quicquam illius alienari, quod seruando seruari posset: cùm in alienatione de maiori præiudicio, quàm in iudicio agatur. Exciperem tamen, nisi necessitas omnino vrgeret, ita vt differri alienatio vsque ad successorem in episcopatu non posset; neque vrgente ea necessitate, facta esset dato tali ecclesiæ priùs curatore, iuxta. *c. proximè* citandum. Idem probat *Panor. ex. c. 1. de reb. eccl. non alien. lib. 6.* quo in loco alienatio, facta ab Episcopo de re ecclesiæ parochialis sibi inferioris vacantis, pronunciatur nulla; eo quòd dum vacat, careat defensore, nec ab eo episcopo constitutus fuerit defensor talis ecclesiæ, antequam eam alienationem faceret, qui partes eius ecclesiæ ageret: si autem argumentatur Panor. ea alienatio boni ecclesiæ, inferioris vacantis est inualida illa de causa, multo magis inualida erit alienatio de bonis ecclesiæ cathedralis, dum vacat, & caret defensore, si autoritate capituli facta sit, nec datus illi sit priùs visitator, seu administrator; quem tamen non potest alius illi dare, nisi solus summus Pontifex, vt habetur.c.vlt.de suppl.neg.præl.lib.6. & c.is cui, de elect.lib.6.vbi additur, administratorem, datum à summo Pontifice ecclesiæ cathedrali vacanti cum plena in spiritualibus & temporalibus administratione, alienare non posse immobilia bona eius ecclesiæ: vnde multo minus

capitu-

capitulum poterit illa alienare. Quòd si contractus aliquis fiat à capitulo sede vacante, non de rebus mensæ capitularis, quem fas illi sit celebrare, sed de aliis bonis Episcopatus ecclesiæque cathedralis, quem celebrare ad Episcopum attineat, tunc est nullus in præiudicium ecclesiæ cathedralis. Si verò cedat in fauorem & bonum ecclesiæ, aut res sit dubia, tunc in potestate est successoris in eo episcopatu vel illum approbare velle, que illi stare, aut nolle illi stare, vt de contractu celebrato à minori sine autoritate tutoris *tractatu. 2. Disput. 224.* dictum est. Ita *Panor. c. 1. citato. num. 8. iuxta. c. si qua de rebus. 12. q. 2.*

Si verò agatur de alienatione boni immobilis, aut mobilis pretiosi, quod seruando seruari potest, ecclesiæ inferioris ad cathedralem, tunc sicut valida est alienatio eius boni, si interueniat autoritas Episcopi, & interueniant reliqua, quæ tracta. 2. Disput. 468. concluſ. 5. dicta sunt debere interuenire, vt sit valida ea alienatio, tam quando ea inferior ecclesia non vacat, quàm quando vacat, ita valida erit eadem alienatio, si loco episcopi suam interponat autoritatem capitulum sede vacante: quoniam capitulum tunc non alienat, sed interponit suam autoritatem loco episcopi, eaque iurisdictio ad id Episcopi, non solùm vtilis diæcesi, sed sæpe etiam necessaria, transit in capitulum sede vacante. Ita *Panor. duobus locis citatis, Feder. Sylu. vbi suprà. num. 3.* & alii.

16. Interim dum sedes vacat, agitari non potest causa de attinentibus ad solum prælatum, aut de communibus prælato cum capitulo, etiam si ecclesia sit rea; quoniam caret tunc defensore, vt patet. *c. 1. ne sed. vac.* & aliis iuribus: sed neque continuari potest causa antea cæpta, vt constat ex. *c. vlt. ne sed. vac.* quo in loco nulla pronunciatur testium examinatio facta sede vacante. Quando tamen periculum esset, ne testes competentes postea examinari possent, aut propter senectutem, ne interim morerentur, vel quia vita alicuius eorum periclitaretur, aut si discedere vellent in partes longinquas, ita vt facilè copia illorum haberi non posset, tunc validè possent examinari sede vacante, iuxta c. quoniam in prin. vt lite non contestata. De iis autem, quæ ad solùm capitulum spectant, continuari ac agitari de nouo potest causa sede vacante: quoniam licèt, si sedes non vacet, ad id requiratur consensus prælati in grauibus arduisque rebus; intelligitur tamen si adsit, præstaréve eum consensum possit. Lege quoad hæc *Panor. c. vlt. citato, & Fel. c. edoceri. numer. 7. vers. sede vacante*, quo in loco eas ampliationes & restrictiones circa hanc doctrinam tradit.

Præscriptio aduersus ecclesiam vacantem prælato, nec incipere nec continuari antea cepta potest, sed interim cessat ac dormit, vt tractatu 2. Disput. 78 dictum est. Quare capitulum comparare præscriptione nō potest ius aliquod in præiudicium ecclesiæ aut prælati, quod sibi tempore sedis vacantis ex eo competat, quòd in possessione sit vtendi eo iure sede vacante.

Capitulum sede vacante ad consecrandum oleum, ad confirmandum, & ad alia efficienda, quæ potestatem ordinis Episcopalis requirunt, exercerique in ea diæcesi possunt sede vacante, vocare potest Episcopum, qui ea ibi exerceat: cum debita tamen cautela, ne Episcopus ille ius aliquod in ea diæcesi prætendere ea de causa possit. 17

De iudicibus constitutis à dominis infra Regem diuersorum suorum populorum, num ordinarii sint. Et num tam illi, quàm alii ministri publici, ab eisdem dominis constituti, vnà cum ipsis dominis expirent.

Disp. 12.

SVMMARIVM.

1. *NObiles in Hispania, qui iurisdictionem suorum oppidorum habent, habent facultatem creandi iudices, qui loco ipsorum iurisdictionem exerceant, quæ ad ipsos spectat, & cuius ipsi sint domini.*
2. *Eiusmodi iudices variè à dominis oppidorum creantur, vt fuerit illis concessum, vtq; fuerint oppida; quorum sunt domini, atque vt vsu id obtinuerunt.*
3. *Vtrùm iudices constituti eorum populorum ab anteceſore in maioratu ordinarii sint, an delegati.*
4. *At distinguere oportet in iudicibus & aliis ministris ci. is ab anteceſore in maioratu ratione dominii iurisdictionis maioratus.*
5. *Si ab anteceſore in maioratu erant creati, non in diutius tempus, quàm in consuetum, tunc morte anteceſoris in maioratu non expirant eorum munera, neque amoueri poſunt à succeſſore, sine iusta causa.*
6. *Mortuo anteceſore in maioratu, ea omnia officia vacant ad effectum, vt succeſor in maioratu poſſit de illis disponere, & aliis ea conferre: quia iudices ab anteceſore constituti non exſpirant, donec succeſſor illos amoueat, aut de aliis prouideat.*

ILlud est obseruandum, eos nobiles huius regni, qui iurisdictionem suorum oppidorum habent, præsertim cum mero & mixto imperio, vt sunt Duces, Marchiones, Comites, Prælati aliqui, qui dominium ac iurisdictionem secularem quorundam oppidorum obtinent, & sunt alii similes, eos, inquam, omnes, vel Regis concessione expressa in titulis contenta, quibus ea oppida eorumque iurisdictionem obtinent, vel tacita ac permissa vsu & consuetudine recepta, facultatem solere habere creandi iudices, qui ipsorum loco ac nomine eam iurisdictionem exer- 18

exerceant, quæ ad ipsos spectat, & cuius ipsi sunt domini. Hos autem omnes non est cur dubitandum arbitrer iudices esse ordinarios: quippe cum principis autoritate, à quo id dominium iurisdictionis in eos dominos ritè est deriuatum, ad vniuersitatem causarum ad regimenque ordinarium eorum populorum constituantur ab eis dominis, quales à principe ipso constituerentur, constituíve possent, si penes ipsum principem illud idem iurisdictionis dominium in eos priuatos dominos translatum perseueraret. Consentit cum Bart. & cum plerisque aliis, quos citat *Molina lib. 1. de primog. c. 25. num. 12. §. contrariam, & §. sequenti*, tametsi rationem à nobis proximè redditam, quæ sanè vim maximam habet, non tradat.

2 Eiusmodi iudices variè à dominis oppidorum creantur, vt fuerit illis concessum, & vt fuerint oppida, quorum sunt domini, atque vt vsu & præscriptione id obtinuerint. Quidam gubernatorem seu correctorem creant, qui immediatus ac solus est iudex ordinarius diuersorum oppidorum. Nisi fortè pedanei iudices aliqui sint particularium oppidorum, qui de minimis solùm ibi iudicent Sic in Marchionatu *de Moya* vnus tantum corrector seu gubernator a Marchione constituitur totius Marchionatus, non interueniente electione aut nominatione populorum, sed solo Marchione illum constituente? Sedes verò huius gubernatoris est *en la villa de Moya*, indeque ius in prima instantia dicit toti marchionatui: quamuis interdum egrediatur ad visitanda alia eius marchionatus oppida, & ad rationem exigendam eorum, quæ ibi fiunt. Hic autem corrector seu gubernator vicarium non habet, sed ipse immediatè iudicat omnia, sumpto, si ipse vir literatus non sit, assessore ad ea, quæ assessore indigent. Neque ab eo gubernatore appellatur ad marchionem, cuius tribunal ipse obtinet, sed appellatur ad Regem immediatè, ad Granatensève prætorium.

In quibusdam verò aliis dominiis, varia præcipua eorum dominiorum oppida, quæ *villas* sunt, sibi iudices quosdam ordinarios eligunt, ne constituti ac pendentes à solo domino subditos magis ad domini voluntatem opprimant: eos verò ita à populo electos confirmat dominus: habentque proinde à domino iurisdictionem, vt cum plerisque aliis, quos citat, affirmat *Couar. de pract. qq. c. 4. n. 6. conclus. 2.* id quod satis apertè colligitur ex *authentico de defensorib. ciuit. §. iusiurandum*, quo in loco habetur, iudicem ab aliquo confirmatum, ab illo habere iurisdictionem. Solent verò eiusmodi domini creare potestatem aliam superiorem communem omnibus aut multis suis populis, quam gubernatorem vocant, à solis dominis electam ac constitutam, ad quam ab aliis iudicibus suorum oppidorum ordinariis appellatur, & quæ curam suorum oppidorum magis vniuersalem habet, residentiamque administrationis iudicum inferiorum cæterorumque ministrorum publicorum eorundem oppidorum sumit. Hanc autem potestatem creare non plus dominis oppidorum priuatis videtur competere, quàm ex titulis, quibus ea oppida illis sunt concessa, constiterit ipsos eam habere, aut quàm vsu legitimáve præscriptione illam comparasse constiterit. Neque sumptibus populorum est creanda, nisi quatenus id onus constiterit populos habuisse, antequam ea oppida in dominium talis domini, suorúmve antecessorum, deuenissent, aut nisi quatenus compertum fuerit legitimè id onus populis fuisse iam impositum. Cùm enim populi ea de causa tributa soluant, aliaque onera subeant, vt defendantur, iusque illis dicatur, sumptibus sanè Regis, aut eorum, in quos dominium horum populorum est translatum, iudices sunt illis constituendi, vt multi, quos couar. c. 4. citato refert, affirmant: nisi aliqua sit peculiaris in contrarium sufficiens ratio, vt de correctoribus, qui in hoc regno ad varia loca à Rege mittuntur, disputatione sequenti dicetur. Quando autem ita gubernator vniuersalis supra iudices ordinarios diuersorum oppidorum ab illorum domino constituitur, ad eum appellatur, tâquam ad constitutũ ad id à domino ipso, & tanquam ad constitutum in tribunali supremo eiusdem domini: neque aliter ad dominum appellatur. Ait verò Couar. c. 4. citato, integrum subditis eius domini esse, appellare immediatè à iudicibus ordinariis oppidorum ad Regem, ad prætoriúmve regium, prætermisso medio illo tribunali superiori sui domini. Ait item, quando iudices ordinarii in oppidis aut in oppido eliguntur, aut nominantur ab oppido, & confirmantur à domino oppidi, æquitatem ac rationem postulare, vt quandoquidem dominus non integre constituit talem iudicem aut iudices, sed populi etiam illos eligunt aut nominant, & dominus eos confirmat, ab eis iudicibus ad dominum possit immediatè appellari, ibique. n. 7. refert legem Ioannis primi, quæ multum ad id conducit. Fortasse appellatio ad dominum oppidi non plus erit admittenda, quàm ex titulo concessionis oppidi aut oppidorum comperietur ad eum attinere, aut vsu fuisse à domino eius oppidi iam præscriptam. Infrà verò in hoc tractatu de appellationibus suo loco dicetur.

Vt verò summatim dicam, regimen diuersorum populorum dominio priuatorum dominorum addictorum, moduscque constituendi in eis iudices, valde inconstans variumque est, eaque de causa ex titulis, quibus in eos dominos translatum est id dominium, ex originéque eius iurisdictionis, & ex vsu recepto ac præscripto, est in vnoquoque oppidorum addiscendum, quale si eorum regimen, & cum quanta domini iurisdictione. Hæc de primo eorum, quæ in titulo disputationis proposita sunt.

3 Quod verò ad secundum attinet, cùm priuati domini eiusmodi populorum, titulo maioratus id dominium obtinere soleant ab aliquo primo institutore, nihilque quoad bona maioratus disponere possint ac statuere, quod post tempus vitæ ipsorum perseueret in præiudicium successoris in dominio eorundem bonorum, quod quidem dominium non ab eo proximo antecessore, sed à primo institutore habent, obseruat bene *Molina lib. 1. de primog. c. 25. in calce. num. 12.*

statuere

ſtatuere ac definire, num iudices conſtituti eorum populorum ab anteceſſore in maioratu ordinarii ſint an delegati, ad affectum vt, ſi iuriſdictio eorum ordinaria ſit, non expiret morte eius, qui illam conſtituit, nihil omnino ad rem præſentem facere: quoniam eſtò ordinaria ſit, ex eo tamen capite ceſſare debet, quatenus nihil anteceſſor diſponere potuit, quod ſucceſſori præiudicaret, eumque impediret in vſu eiuſdem dominii iuriſdictionis, & in conſtituendis miniſtris, qui loco ac nomine ipſius eam iuriſdictionem adminiſtrent. Quod idem intellige de eis epiſcopis, ad quorum menſam epiſcopalem dominium ſeculare aliquorum oppidorum ſpectat: nihil enim diſponere poſſunt, quod præiudicet ſucceſſori, quoad vſum eius iuriſdictionis. Non verò ſic res habet in regni reipublicæque totius adminiſtratione. Licèt enim ſucceſſor in regno ea omnia mutare poſſit, quæ ſuus prædeceſſor, ſi perſeueraret, mutare poſſet; interim tamen dum nihil mutat, miniſtri ordinarii, ab anteceſſore aut ab anteceſſoribus creati, perſeuerant quouſque tempus ſuæ adminiſtrationis finiant, aut quouſque moriantur, vel ad altiorem gradum promoueantur, ſi eorum adminiſtratio ſit perpetua, vt eſt auditorum regalium prætoriorum, vel quouſque iuſta aliqua de cauſa priuentur atque amoueantur ab adminiſtratione: eos enim ita perſeuerare poſtulat totius reipublicæ bonum, rectaque illius adminiſtratio: tametſi illi omnes tempore ſucceſſoris in regno, nomine ſucceſſoris, & non anteceſſoris, iuriſdictionem ac munera ſua adminiſtrent.

4 Quamuis autem hæc ita ſe habeant, longè tamen aliter cenſendum ac diſtinguendum puto circa iudices & circa alios miniſtros creatos ab anteceſſore in maioratu ratione dominii iuriſdictionis maioratus, atque Molina. c. 25 citato cenſeat ac diſtinguat. Eſt enim attendendum, num munera, ad quæ dominus maioratus miniſtros conſtituit, ſiue illa ſint munera iudicum, decurionum, tabellionum, cuſtodum caſtrorum, ſiue aliqua alia, talia ſint, vt ex antiqua inſtitutione, aut immemorabili conſuetudine, qui ad illa præficiuntur, non ſint ad nutum amobiles, ſed in eis perſeuerent, vel in perpetuum, vt durare ſolent tabelliones publici, qui non ad commiſſionem aliquam, ſed vt ſtabiles in eo munere ſint, in aliquo oppido creantur; vel ad certum tempus, vt ad annum, ad biennium, aut ad longum tempus, vt in oppidis iudices annui creari ſolent, aut decuriones, hoc eſt, *regidores*, quos in hoc regno vocant, aut *vereadores*, quos vocant in Luſitania; ſiue à populo eligantur ac nominentur, & à domino oppidi confirmentur, eo modo, quo eligerentur ab eodem oppido, & confirmarentur à principe, ſi id oppidum eſſet principis; ſiue creentur à ſolo domino oppidi ſine electione ac nominatione populi, quia videlicet ita ab antiquo inſtitutum eſt, aut immemorabili conſuetudine receptum, vt iudices aut decuriones annui, omninoq; in eum annum ſtabiles, à ſolo domino oppidi creentur ſine populi nominatione, quia tales fortè mittebantur & creabantur à Rege, antequam dominium eius populi in anteceſſores eius, qui eum poſſidet, tranſiret. Eſt item attendendum, an potiùs eiuſmodi munera ex ſua inſtitutione aut conſuetudine in eo oppido talia ſint, vt qui ad illa à domino oppidi eligantur ad nutum domini ſint amobiles.

In priori quidem euentu eſt dicendum, ſi 5
ab anteceſſore in maioratu erant creati, non in longius tempus, quàm in conſuetum; tunc morte anteceſſoris in maioratu non expirare eorum munera, neque amoueri poſſe à ſucceſſore, ſine iuſta cauſa, vt delicti, quo amiſſionem illorum mereantur, quouſque tempus conſuetum expleant, ſiue illud ſit certum ac limitatum, ſiue ſit perpetuum durans in totam vitam creati in id munus, vt eſſe ſolet munus tabellionis publici, ſiue etiam ſit transferibile in alios, legitimeque in alios transferatur. Ratio autem eſt, quoniam anteceſſor nihil omnino præiudicat in ea re ſucceſſori, ſed tale confert munus, quale illud eſt ex legitima inſtitutione: atque prouidendo in totum id tempus, quod eſt inſtitutum, vt duret, iure ſuo vtitur, quatenus tempore ſuo id munus vacauit, ad ipſumque tunc pertinebat, & non ad ſucceſſorem, illud conferre, ac proinde vti ea gratia in eum, cui illud contulit: ſtatimque ac illud contulit, gratia fuit conſummata pro toto tempore, quo id munus legitima prædeceſſorum inſtitutione durare debet: gratia verò ſemel conſummata reuocari non poteſt, neque à collatore, neque à ſucceſſore collatori in dignitate ac iuriſdictione ſimilem gratiam efficiendi: eo quòd integrum, perfectum, ac conſummatum ius ſit iam ei quæſitum, cui ea gratia facta eſt. Sic cùm beneficia eccleſiaſtica ſui inſtitutione in perpetuum durent, neque à beneficiariis ſine iuſta cauſa, vt delicti, auferri poſſint, quamuis gratia ſit conferre illa huic potiùs quàm alteri, quando in poteſtate collatoris eſt conferre illa ei, quem ex multis voluerit; attamen eo ipſo quòd collator illa ei confert, quem ad illa eligit, gratia cenſetur conſummata in tempus totum eius beneficarii, nec poteſt reuocari ab ipſo collatore, neque à ſucceſſore: neque eam gratiam collatione eius beneficii conſummando in totum tempus, quo vita eius beneficiarii perſeueraverit, quicquam ſucceſſori in munere talis collatoris præiudicauit, ſed vſus eſt ſuo iure, quod ipſi tunc ad eam gratiam faciendam competebat, & quæ tunc ſucceſſori non competebat. Ratione à nobis tradita (tametſi eam non expreſſerit) de muneribus, quæ ſui inſtitutione in aliquo oppido ſunt perpetua, *Grego. Lopez. l. 2. titu. 15.* verb. *ſino el hijo mayor.* in fine verſi. & nota, ſic dixit: *Et nota, quòd ſucceſſor in regno, vel maioria, non poterit reuocare officia, alias perpetua, veluti decurionatum, vel tabellionatum, ſeu ſimilia officia perpetua à prædeceſſore collata, vt notat Bal. in c. vnic. qui ſucceſſo. feud. dar. ten.* Idem verò diceret de officiis, quæ licèt perpetua non ſint, ad nutum

tamen

tamen amobilia non sunt, pro tempore, quo institutum sit vt durent: cùm sit eadem ratio de toto tempore officiorum, quæ vt perpetua sint, fuerunt instituta, & de periodo temporis, quo institutum similiter est, vt durent quædam non perpetua officia, per id certum tempus non amobilia. Eandem sententiam, quoad tabellionatum & alia officia perpetua, refert ex Greg. Lopez & Alberico ac sequitur *Molina. c. 25. citato n. 17.* vbi etiam refert, quendam succesſorem in maioratu, qui tabellionatum ab eo, cui suus abstulerat prædeceſſor, eum contulerat, ductus quòd morte sui anteceſsoris ceſsaſset, damnatum fuiſse, vt eum illi reſtitueret, cum fructibus omnibus temporis, quo illo ita iniuſtè fuit priuatus.

In poſteriori verò euentu, quando ſcilicet officia ex sui inſtitutione ad nutum sunt amobilia, tunc eſtò ab anteceſsore in maioratu collata sint in tempus certum, aut in totam vitam, eius, qui illa accepit, & conferens ipſe facta ea gratia titulo merè gratioſo, aut facta ea diſpoſitione in recompenſationem pro obſequiis, vel aliqua alia de cauſa, non poſſit illam reuocare interim dum ipſe fuerit dominus eius, eo tamen ipſo, quòd ex hac vita diſcedit, aut quòd aliqua alia de cauſa maioratus in alium tranſit, vacant ea omnia officia ad effectum, vt ſucceſsor in maioratu poſſit de illis diſponere, eaque aliis conferre. Idem longè maiori cum ratione eſt dicendum, ſi anteceſsor illa contulerat ſine limitatione temporis. Idem item eſt dicendum, ſi officia erant de munere eorum, de quibus in priori euentu eſt dictum, cæterùm ab anteceſsore collata fuerant in longius tempus, quàm eſset illud, in quod inſtituta erant conferri: tunc enim, tranſacto tempore, in quod irreuocabiliter potuerunt à prædeceſſore conferri, vacant tempore ſucceſsoris in eo maioratu ad effectum, vt ſimiliter poſſit de illis diſponere. In his nullus, meo iudicio, poteſt diſsentire: quoniam talis diſpoſitio de eis officiis facta ab anteceſsore in maioratu, qui dominium bonorum maioratus ad ſuam tantùm vitam reſtrictum habet, cederet in præiudicium ſucceſsoris; præciperet enim illi diſpoſitionem de eis officiis, quæ pro eo tempore ad eum ſucceſsorem ſpectat: nulla autem diſpoſitio de bonis maioratus in præiudicium ſucceſsoris, quo ad idve, quod ad ſucceſsorem prouidere aut eo frui ſpectat, valida eſt. Iuxta hanc doctrinam Greg. Lopez vbi ſuprà poſt verba, quæ ex illo paulo antè retulimus, ſic adiecit: *Non tamen poterunt domini maioratuum concedere caſtellanias perpetuas, vel annuos reditus, vel ſimilia in præiudicium ſucceſſorum ſecundum Bal. in §. amplius conſueuerat, de pace conſtant. Et vide And. de ſernia de prohib. feud. alien. per Fe. in verb. neque dominus feudi col. finali in verſ. ſed an princeps.* Idem latè intendit ac probat Molina. c. 25 citato à n. 4. tametſi in multis ab illo diſsentiam.

6 Dixi ſuprà; mortuo anteceſsore in maioratu ea omnia officia vacare ad effectum, vt ſucceſsor in maioratu poſſit de illis diſponere, eaque aliis conferre: quoniam conſtituti iudices ab anteceſsore, etiam ſi ad nutum amobiles ab eo eſsent, non expirant, donec ſucceſsor illos amoueat, aut de aliis prouideat, hique alii ad locum perueniant, vbi & vnde alii ius dicunt. Neque enim populus ſine iudicibus illo medio tempore manere debet: neque ſolet ea iuriſdictio ad decuriones in eo euentu deuolui: neque item eiuſmodi iudices, etiam ſi ad nutum amouibiles ſint, ſunt vicarii preſsè, vt ſunt vicarius Epiſcopi, & capituli ſede vacante, de quibus duabus præcedentibus diſputationibus dictum eſt; ſed ſunt iudices ordinarii principales, ſimiles illis, quos ſupremus princeps ad ſua oppida mittit, in quos domini maioratuum non ſuam iuriſdictionem tranſmittunt, vt nomine ac loco ſui iudicent, quàm princeps in ſuos ſimiles iudices ordinarios iuriſdictionem ſuam tranſmittat, vt nomine ac loco ſui in oppidis ipſius iudicent.

Quin eſtò, vel princeps, vel maioratuum domini, creent iudices ordinarios ad certum tempus, non ceſſat eorum iuriſdictio tranſacto eo tempore, niſi accedent eò alii iudices de nouo creati, qui iudicare incipiant, idque propter illam rationem, ne ſcilicet populus in eo interim ſine iudice maneat. Ita habetur. *l. meminiſſe. ff. de offic. proconſ.* cuius verba ſunt: *Meminiſſe oportebit, vſque in aduentum ſucceſſoris omnia debere proconſulem agere: cùm ſit onus proconſulatus, & vtilitas prouinciæ exigat, eſſe aliquem per quem negotia ſua prouinciales explicent. Ergo in aduentum, (id eſt, vſque ad aduentum) ſucceſſoris debebit ius dicere.* Eodemque modo officiales, quos ſecum affert, & ipſe conſtituit, in totum id tempus perſeuerant in ſuis muneribus. Vnde ibidem continuò. § ſequenti ſubiungitur, vt non dimittat ſuum legatum ab ipſo ad cauſas audiendas conſtituto. Et. *l. vnic. ff. de offic. præf. auguſtalis*, ſic habetur: *Præfectus Ægypti non priùs deponit præfecturam & imperium (quod ad ſimilitudinem proconſulis, lege facta ſub Auguſto, ei datum eſt) quàm Alexandriam ingreſſus ſit ſucceſſor eius, licèt in prouinciam venerit: & ita mandatis eius continetur.* Conſentit. *l. ſi fortè. ff. de offic. præf.* quæ ſic habet: *Si fortè præſes prouinciæ manumiſerit (hoc eſt autoritatem ad id præſtiterit) vel tutorem dederit, priùs quam cognouerit ſucceſſorem aduenisſe, erunt & hæc rata.* Vbi vides etiam facta per ignorantiam aduentus ſucceſſoris poſt punctum, in quo ceſſarat iuriſdictio, valida eſſe. Ita iuxta hæc videmus, quamuis correctores in hoc regno in triennium creentur, perſeuerare cum omnibus ſuis miniſtris vſque ad aduentum alterius correctoris. Atque in hoc diſtricto, eſtò nouus corrector ad ciuitatem *Huete* perueniat, ibique poſſeſſionem accipiat, ceſſentque ibi miniſtri prioris correctoris, nouuſque corrector alios conſtituat, non priùs tamen in hac ciuitate Conchenſi expirare correctorem priorem & eius miniſtros, quàm nouus corrector hanc ciuitatem ingrediatur.

Idem propter eandem rationem eſt dicendum ſiue præceſſor in maioratu, ſiue Rex, iudicem aliquem

aliquem creauerint ſub hac forma, vſque ad meum beneplacitum: mortuo enim poſſeſſore maioratus, aut Rege, licèt continuò is iudex ceſſare deberet, iuxta ea quæ Diſput. 20 dicentur, & quæ dicta ſunt tractatu 2. Diſput. 298, ne tamen populus ſinè iudice remaneat, perſeuerat is iudex, iuxta iura paulo antea citata, vſque ad aduentum noui iudicis. Neque video cur Molina vbi ſuprà n. 5. hoc cum Boërio admittat in iudice à Rege ſub illa forma creato, & neget in iudice à poſſeſſore maioratus ſub eadem forma creato.

Iuxta dicta de iudicibus à dominis maioratuũ creatis in vtroq; ex duobus euẽtibus explicatis, accipio & intelligo diſcrimen illud, quod *Faber. §. item ſi adhuc inſt. de mandato*, tradidit inter vicarios preſsè ſumptos; & eiuſmodi iudices, quòd ſcilicet vicarii preſsè ſumpti continuò expirent mortuo aut amoto à dignitate epiſcopo, vel alio principali, cuius ſint vicarii: iudices verò conſtituti à dominis populorum non ſtatim expirent mortuo domino, deuolutoque dominio oppidi in alium. Id diſcrimen ex Fabro refert, nec improbat *Couar. de pract. qq. c. 4. n. 4.* idemque videtur intendere Maranta de ord. iud. part. 4. diſt. 5. numer. 10.

De correctorè, & vicario illius, quem in hoc regno uniente, *ſeu* alcalde maior, *vocant, num iudices ſint ordinarii. Et num aliis iudicibus ordinariis fas ſit vicarios ſibi creare. Num item auditores prætoriorum huius regni Supremiq; Senatus iudices ſint ordinarii.*

Diſp. 13.

SVMMARIVM.

1. *CO*rrectores *in Hiſpania quomodo inſtituti.*
2. *Nefas eſt iudicibus ſecularibus creare vicarios generales, qui iudices ordinarii ſecum ſint, ex eodemq; tribunali loco ipſorum iudicent: niſi in caſu neceſſitatis.*
3. *Correctores in Hiſpania eligere ſibi poſſunt vicarios, quos* Alcades maiores, *tum etiam* Tenientes de corregidores *vocant.*
4. *Ceſſante iuriſdictione Correctorum ceſſat etiam iuriſdictio vicariorum: aliquando tamen interim dum Rex certior redditur, rata ſunt ea quæ ſtatuit vicarius.*
5. *Quando aliquis conceſſione principis ex eodem tribunali tanquam iudex ordinarius eſt vicarius eius iudicis ſecularis ordinarii, cui merũ ac mixtum imperium competit, etiam ad pœnam mortis imponendam, tunc proferre poteſt ſententiam mortis, dum iuriſdictio in correctore perſeuerat.*
6. *Quando à iudice ordinario, cui merum ac mixtũ imperium competit, ob neceſſitatem morbi aut iuſtæ abſentiæ ſubſtitutus eligitur, qui ad tempus tanquam iudex ordinarius ibidem iudicet, tunc reliqua poteſt exequi præter pœnam mortis.*
7. *Senatores, & cum eis præſes, quoad ea, de quibus ex ſuo numero à Rege conſtituto ipſis iudica-*

A *re incumbit, iudices ſunt ordinarii.*

IN hoc Caſtellæ regno cùm à principio longo tempore oppida gubernarentur iudicibus ordinariis ab ipſiſmet populis regulariter electis & à Rege confirmatis, qui *Alcaldes* ciuitatum aliorumque oppidorum nuncupabantur, cauſaſque ciuiles & criminales in prima inſtantia iudicabant; correctoreſque rarò ad petitionemque oppidorum mitterentur, iuxta. *l. 2. titu. 4. part. 3. & l. 1. titu. 15. lib. 2. ord. quæ eſt. l. 1. titu. 9. lib. 3. nouæ collect.* conſentit *l. 1. titu. 2. lib. 7. ord.* & quoad correctores conſentiunt *l. 1. 2. & 3. titu. 16. lib. 2. ord. & l. 1. & 3. titu. 5. lib. 3. nouæ collect.* atque B vtrumque refert affirmatque. *Couar. de pract. qq. c. 4. in calce. num. 4. & num. 5.* poſtea tamen, petentibus id in variis euentibus populis, intellectoq; id magis expedire, vt melius iuſtitia adminiſtraretur, miſſi ſunt correctores à Rege in varias ciuitates & oppida, & ad quaſdam magnas præcipuas ciuitates, vt Hiſpalim, aſſiſtentes, qui varia diſtricta gubernarent, & de cauſis ciuilibus & criminalibus in prima inſtantia iudicarent, & quibus, vltra conſueta alia emolumenta, ſtipendia ſoluerentur de propriis, quæ vocant, earundem ciuitatum ac oppidorum: atque vbi non eſſent propria vnde ea ſtipendia ſoluerentur, C contribuerent ſinguli, vt ad alia in commune bonum, ſic & ad hoc ſtipendium ſoluendum. Ita habetur. *l. 7. titu. 16. lib. 2. ord. quæ eſt l. 5. titu. 5. lib. 3. nouæ collect.* Quia enim ad petitionem populorum cæperunt eiuſmodi iudices mitti, qui maiori cum potentia gubernarent, magiſque homines in officio obtinerent, nec eſſent naturales eius loci, in quo id munus exercerent, ſed aliunde aduenirent, idcirco onus ſoluendi eiuſmodi ſtipendia, iniunctum fuit populis ipſis. Accedere potuit, regium patrimonium eſſe adeò tenue, neceſſitateſque reipublicæ adeò excreuiſſe, vt id onus iuſtè populis imponere- D tur, quemadmodum eadem de cauſa licitè augeri potuiſſent tributa, nihil impediente, quòd quando reditus regii ad id ſufficiunt, ad Regem pertineat ſuis ſumptibus conſtituere iudices, & alios miniſtros reipublicæ neceſſarios, conſentiunt *Couar. vbi ſuprà, & Greg. Lopez l. 2. titu. 4 part. 3. verb. eſtos tales*, cum aliis, quos citant.

His ita explanatis, dubium eſt, vtrùm quem- 2
admodum epiſcopis fas eſt conſtituere vicarios generales, qui iudices ordinarii ſint, locoque ſui ex eodem tribunali iudicent, idemque fas eſt capitulo ſede vacante, vt vtrumque Diſput. 10 & 11 dictum comprobatum- E que fuit. Sic etiam iudicibus ſecularibus ordinariis fas ſit creare vicarios generales, qui iudices ordinarii ſecum ſint, ex eodemque tribunali loco ipſorum iudicent. Ad quod negantèr eſt reſpondendum, excepto caſu neceſſitatis ob infirmitatem, aut ob iuſtam abſentiam, idque ad tempus duntaxat eius iuſtæ neceſſitatis. Excepto item ex conceſſione principis. Eiuſmodi tamen iudices ordinarii licèt extra eos euentus conſtituere non poſſint vicarios, qui iudices ſint ordinarii, delegare tamen poſſunt cauſas, vt, dum de iudicibus delegatis ſermo fuerit, dicetur.

Quòd

Quòd autem, secluſa peculiari facultate principis, iudices ſeculares ordinarii creare non poſſint vicarios, qui ex eodem tribunali loco ipſorum iudicent, ac proinde qui iudices ſint ordinarii, niſi in caſu iuſtæ neceſſitatis, habetur expreſsè in *authentico de collatorib. §. ad hoc prohibemus*, iuncto *authentico vt nulli iud. in prin.* & præter alia iura regni Siciliæ, quæ *Maranta de ord. iud. part. 4. diſt. 5. n. 19. citat. lege. 2. titu. 7. lib. 1. fori, quæ eſt. l. 4. titu. 9. lib. 3. nouæ collect.* ſic habetur: *Los alcaldes que fueren pueſtos por nos, y por los pueblos auiendo priuilegio o fuero para ello, no pongan otros ſubſtitutos en ſu lugar que juzgue ſino fueren dotẽtes o flacos, de guiſa que no puedan juzgar: o ſi fueren por nueſtro mandado, o del concejo do jon alcaldes, o a ſus bodas, o de algun ſu pariente do deua ir, o per otra cauſa derecha.* In hoc autem euentu iuſtæ neceſſitatis, etiam vicarii, qui iudices ſunt ordinarii, conſtituunt loco ſui alios vicarios, qui ex eodem tribunali, dum ea iuſta neceſſitas durat, iudicant, ſuntque iudices ordinarii, vt Diſp. 10 dictum eſt, & affirmant gloſſa clem. 1. de regular. verb. locum aliorum, & doctores communiter. Quando item aliquis à principe iudex ordinarius creatur cum facultate creandi vicarium ſeu ſubſtitutum, qui loco ipſius ex eodem tribunali iudicet, tunc conſtat eiuſmodi ſubſtitutum ſeu vicarium eſſe etiam iudicem ordinarium, cùm principis aut legis autoritate vniuerſaliter de cauſis ex eodem tribunali iudicet. Atq; in vtroque euentu, quando ſcilicet aliquis principis autoritate aut legis eſt conſtitutus vicarius generalis ſimpliciter, & non ad tempus ſolùm, aut quando legis autoritate ob iuſtam neceſſitatem ad tempus, dum ea iuſta neceſſitas perſeuerat, eſt creatus vicarius generalis, affirmat *Bart. l. nec quicquam. §. vbi decretũ n. 6.* iunctis iis, quæ dixerat *l. obſeruare. n. 3. & 5. ff. de offic. proconſ.* eiuſmodi vicarios iudices eſſe ordinarios, eò quòd legis aut principis autoritate creentur, & idem affirmant doctores alii communiter, quos *Maranta de ord. iud. part. 4. diſt. 5. a. n. 17.* refert ac ſequitur. Cõfirmat autẽ Marãta vbi ſuprà. n. 18. in duobus euẽtib⁹ explicatis, nẽpe cõceſſione principis, aut autoritate legis in caſu iuſtę neceſſitatis, creatos vicarios eſſe iudices ordinarios, & nõ delegatos, hac ratione, quã vrgẽtiſſimã ipſe appellat. Quoniã lex expreſsè prohibet, iudices ordinarios facere ſibi ſubſtitutos, niſi in caſu neceſſitatis, vt patet in *authẽtico de coll. torib. §. ad hoc prohibem⁹*, iũcto *vt nulli iud. in prin.* ſed iura permittũt iudicibus quibuſcunque ordinariis delegare cauſas delegabiles, vt conſtat. *l. more, iuncta. l. 1. in fine*, & gloſſa *vlt. ibi. ff. de iuriſdict. omn. iud.* idque etiam in caſu neceſſitatis, vt patet. *l. 1. in fine principii. ff. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* quo in loco in caſu neceſſitatis permittitur delegatio etiam meri imperii, quoad cognitionem ſolùm, non verò quoad exequutionem, cuius tamen delegatio extra eum caſum non licet, vt infrà videbitur: quãdo ergo iura authenticorum vetant fieri ſubſtitutum ſeu vicarium extra caſum neceſſitatis, & extra peculiarem principis conceſſionem, intelligunt profectò, qui iudex ſit ordinarius: quare manifeſtè intendunt in caſu neceſſitatis, aut peculiaris conceſſionis principis, conſtitui poſſe ſubſtitutum ſeu vicarium, qui iudex ſit ordinarius. Hinc Maranta ibidem, quando Alexander & Iaſon affirmant, ſubſtitutum iudicis ſecularis ordinarii eſſe iudicem delegatum, eos intelligit, de ſubſtituto creato extra caſum neceſſitatis, & ſine peculiari principis ad id facultate: in his quippe duobus euentibus quando creatur, vt ex eodem tribunali loco ſui iudicet, iudex eſt ordinarius, & non delegatus, vt explanatum comprobatum que eſt.

Quia ergo in hoc regno mitti correctores cõſueuerunt, qui nobiles & prudentes ſint, vt ſuſcipiantur, pluſq; in officio ſubditos contineãt, qui regulariter eſſe ſolent homines ſine literis, ineptique proinde vt in ciuilibus & criminalibus cauſas expediant ac ius dicant, mittuntur cũ facultate principis expreſſa aut tacita, vt vicariũ loco ſui conſtituant, qui ex ipſorum tribunali in ciuilibus & in criminalibus ius dicat, eſtq; proinde iudex ordinarius eo modo, quo de vicario generali epiſcopi dictum eſt, vt ſine vlla controuerſia vſu eſt in hoc regno receptum, & affirmat *Couar. 3. var. reſol. c. 20, n. 4.* Quòd autem correctores eligere ſibi poſſint eiuſmodi vicarios, quos tum *Alcaldes maiores*, tum etiam *tenientes de corregidores vocant*, & quorumnam locorum eiuſmodi vicarii correctorum præſentari ſupremo ſenatui & ab eo examinari & approbari debeant, antequam id munus obeant, habetur. *l. 5. & 6. titu. 5. lib. 3. nouæ collect.* Quales item correctores eſſe debeant, & quæ obſeruari debeant, habetur lib. 2. ord. titu. 16. & lib. 3. nouæ collect. titu. 5 & 6.

Sicut de vicariis generalibus epiſcoporũ Diſp. 10 eſt dictum, iuriſdictionẽ eorum pendẽre à iuriſdictione epiſcoporum, ita vt ceſſante iuriſdictione in Epiſcopis, ſiue morte epiſcoporum, ſiue quacunque alia ratione, continuò ceſſet iuriſdictio in ipſorum vicariis, etiam quoad negotia cæpta: ſic quoq; de eiuſmodi vicariis correctorum eſt dicendum, ſtando in ſola natura rei, vt aduerſus Auendanium rectè *Couar. de pract. qq. c. 4. n. 4.* affirmat. Eſt enim prorſus eadem ratio, nullumque accommodatum poteſt tradi diſcrimen in ea parte inter vtroſque vicarios eorum comparatione, quorum ſunt vicarii. Item colligitur apertè ex *l. 7. titu. 5. lib. 3 nouæ collect.* quo in loco, cùm l. 6. antecedente ſancitum eſſet, vt correctores abeſſe non poſſent à loco iuriſdictionis ipſorum vltra tres menſes, etiam interpolatos, vnius anni, neque in eis tribus menſibus abeſſe poſſent, niſi ex cauſis ibi expreſſis, idque ſub pœna amiſſionis ſtipendii pro rata temporis abſentiæ, & ſub aliis pœnis ibi ſtatutis, lege 7 additur, vt continuò elapſis tribus menſibus abſentiæ vacet munus eorũ, & vt ſtatim certior fiat Rex, & interim ſeruiant vicarius illius & alii illius miniſtri, nõ iã vt vicarius & miniſter illius, neq; nomine illius: ſed Regis nomine. Vbi cõſtat, ceſſare iuriſdictionẽ vicarii illius, cõtinuò atq; in correctore ceſſat iuriſdictio: neque deinceps titulo illo præcedente illam habere, ſed ex nouo titulo ac conceſſione vi illius legis illi facta, interim dum Rex certior fit, & quid facto opus ſit prouideat. Vtrùm autem mortuo correctore, ceſſet iuriſdictio in illius vicario, ita vt progredi in illa non poſſit, etiam quo ad negotia cæpta. Dicendũ eſt, ex natura rei ceſſare. Ait tamen *Couar.* in editione Cæſarauguſtana. *n. 4. citato*, ipſo præſide in Granatenſi prætorio, diſpoſitionem legis 7 citatæ, vt ſcilicet definente munere correctoris per abſentiam vltra tres menſes, proſequatur vi-

carius illius munus suum, non iam vt vicarius precedentis correctoris, sed autoritate ac nomine Regis, quousque aliud Rex prouideat, extensam per epicheiam fuisse ad euentum mortis correctoris decreto eiusdem senatus. Atque ita obseruatum fuit in hac Conchẽsi ciuitate annis præteritis, mortuo quodam huius ciuitate correctore. Interim enim dum Rex fuit factus certior, vicarius illius correctoris prosequutus est suum munus, quousque Rex illũ in eo munere cõfirmauit. Audio verò Regẽ & illũ cõfirmasse, & approbasse ac cõfirmasse acta illius à morte correctoris vsque ad confirmationẽ, quasi non autoritate mortui, cuius fuerat vicarius, id legitimè egisset, sed autoritate ac beneplacito Regis, in moreque esse positum vt eo modo illa Rex confirmet. Atque in hac Conchensi ciuitate, & in ciuitate *Huete*, quibus idem corrector est communis, & in qua *Huete* ciuitate corrector huius ciuitatis alium vicarium suum generalem creat, eo modo sanè est faciendum, eo quòd hæ duæ ciuitates *Alcaldes* ordinarios electione non creent. In oppidis verò correctionis, in quibus simul populi electione creantur *Alcaldes* ordinarii, qui simul cum correctoribus, aut cum ipsorum vicariis, iudicant de ciuilibus & criminalibus, ita in ciuilibus integrum sit actori conuenire reum, vel coram eo *Alcalde* in criminalibus sit locus præuentioni, vt is iudicet, qui de delicto prius cognoscere incæperit; tametsi regulariter correctores de criminalibus in eis oppidis cognoscant: in his, inquam, oppidis, audio in more esse positum, vt mortuo correctore, expiret omnino illius vicarius, & succedant in exercitio iurisdictionis *Alcaldes* oppidi, electione populi & confirmatione Regis creati, quem voluerit ex duobus, qui eliguntur, vel coram correctore, seu ipsius vicario, & ita quòd quousque Rex alium iudicem mittat. Quòd si casu aliquo in hac ciuitate simul obirent corrector & eius vicarius, tunc ad ciuitatem spectaret eligere Alcaldem aut Alcaldes, qui tanquam iudices ordinarii ius dicerent, ad ministrarentque ciuitatem, interim dum Rex de alio iudice ordinario prouideret, iuxta. *l. vbi ad sunt. ff. de tur. & curat. dat. ab his* vbi habetur, deficiente iudice, potestatem dandi tutores remanere apud ordinem decurionum, quasi tunc potestas iudicandi ad populum ipsum quoad suũ regimen seu decuriones deuoluatur. Qua eadem ratione, si mortuo correctore, ciuitas vicarium correctoris defuncti eligeret, vt munus suum prosequeretur, quousque Rex de iudice prouideret, id sanè satis esset, vt vicarius ille tãquam iudex ordinarius prosequi idem munus posset. Atque iuxta hæc accipienda admittendaque sunt, quæ *Molina lib. 1. de primog. c. 25. à n. 6. tradit.* Illud quoad correctores admonuerim, quoad *villas*, quas vocant ipsius districti, quæ iudicibus ordinariis gubernantur electis à populo & confirmatis à Rege, solùm correctores habere illas visitare, & residentiam eorum iudicum ac cæterorum ministrorum publicorum earum accipere, puniendo, si quæ correctione digna inuenerint.

Illud insuper admonuerim, in locis, ad quæ correctores mittuntur, & in quibus Alcaldes, qui iudices sint ordinarii, simul eliguntur, addiscendum in vnoquoque esse, quanta iudicũ

A electorum & quanta correctoris sit iurisdictio: audio enim hæc inconstantia esse in hoc regno, neque idem vbique seruari.

Quando aliquis concessione principis ex eo- 5
dem tribunali tanquam iudex ordinarius est vicarius eius iudicis secularis ordinarii, cui merũ ac mixtum imperium competit, etiam ad pænã vltimi supplicii imponendam, vt in hoc regno sunt *tinientes* seu *alcaldes maiores* correctorum, tunc proferre potest sentẽtiam mortis aut mutilationis, eamque exequutioni mandare, dum iurisdictio in correctore perseuerat: quoniam eius nomine ac loco ex eodem tribunali tanquã iudex ordinarius id facit. Neque de hoc euentu
B video esse mentionem in particulari in iure cõmuni: quoniam tale genus iudicum non videtur fuisse in vsu tempore iuris communis. Quãdo verò aliquis substituitur à principe loco demortui, aut loco eius, qui aliter iurisdictionem amisit, vt in hoc regno vicarius eius correctoris, qui propter absentiam vltra tres menses iurisdictionem amittit, à principe substituitur, vt munus idem, quod antea exercebat, nomine Regis prosequatur, quousque Rex ipse certior fiat & aliud statuat, & vt in hoc eodem regno substitui etiam consueuit à principe loco correctoris demortui, interim dum princeps de alio iudice non prouidet, & vniuersim quotiescunq;
C princeps loco iudicis ordinarii, qui exequutionem meri imperii in tertio gradu habet, alium substituit, tunc is substitutus à principe pænam mortis ac mutilationis imponere atq; exequutioni mandare potest, iuxta. *l. 2. C. de offic. eius, qui vicem alterius gerit.* Ita Bart. & communis doctorum sententia, quam referunt ac sequũtur *Maranta vbi suprà n. 20. & Iul. Clar. 5. lib. sent. §. vlt. q. 40. reiecta* à Bart. & ab aliis communiter *glossa vlt. l. 2. citata*, quæ appositio verbo, fortè, negat eiusmodi substitutum exercere posse pænam mortis ac mutilationis.

Quando verò a iudice ordinario, cui merum 6
D ac mixtum imperium competit, ob necessitatẽ morbi aut iustæ absentiæ, substitutus eligitur, qui ad tempus tanquam iudex ordinarius ex eodem tribunali iudicet, tunc reliqua potest exequi præter pænam mortis ac mutilationis, vt habetur in *authentico de collatorib. §. ad hoc prohibemus*, & affirmat communis sententia, quam Iul. Clar. & Maranta vbi suprà referunt ac sequuntur. Iuxta glossam autem. *l. 1. verb. posset eã ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd.* à Bart. & ab aliis approbatam, poterit eiusmodi vicarius cognoscere de causa mortis aut mutilationis, ita tamen vt eam non definiat: quandoquidem delegari possit causa imperii in casu necessitatis, vt eadẽ l. 1. habetur, de qua re glossa citata loquitur. Si-
E cut etiam extra casum necessitatis consulibus permittebatur delegare causam meri imperii circa inclusos in carcerem, non tamen delegare eius causæ definitionem, sed quoad solam cognitionem, vt habetur *l. solet. ff. de offic. procons.* Quin & *l. 18. titu. 4. part. 3. iuxta. l. 2. C. de iudicib. pedan.* apertè habetur, in casu iustæ necessitatis delegari posse causam meri imperii in tertio gradu quoad solam cognitionem, ita vt delegatus sententiam non ferat, sed eam iudici ordinario, qui talem causam delegauit, reseruet.

Illud obserua, in vnaquaque prouincia esse addiscendum, quantum liceat iudices aliquos

creare vicarios, qui loco ipsorum iudicent, & quanta illorum sit potestas iuxta leges, statuta, ac consuetudinem eius prouinciæ. Lege Iul. Clar. q. 40. citata.

7 Senatores tã prætoriorũ, quã supremi consilii Regis, & cũ eis præses, quoad ea, de quibus ex suo munere à Rege constituto ipsis iudicare incumbit, iudices sunt ordinarii; vt constat ex *l. 1. titu. 4. part. 3.* quoniã sunt munera à Rege ad id constituta: & quia iurisdictio à Rege creata, quando aliud de ea non constat, censetur ordinaria. Vnde non expirant morte Regis eos creantis, etiam quo ad negotia nondum cæpta. Quando autem alicui illorum extra munus suum causa aliqua, vel à senatu, vel à principe ipso delegaretur, tunc quo ad illam iudex esset delegatus.

Iudices seu potestates delegatæ quæ sint. Et quomodo potestas delegata ab ordinaria decernatur. Disp. 14.

SVMMARIVM.

1. Quid sit potestas delegata.
2. Discrimen, quando aliquis constituitur iudex delegatus, & quando ordinarius.
3. Quando Princeps constituat iudicem ordinariũ, & quando delegatum.
4. Quando aliqui iudices ab iis sunt constituti, qui principes non sunt, supremæve potestates, tunc si quis ex tacito vel expresso legis consensu aut principis committat alicui vices suas, iudicẽ quidem efficit ordinarium, suum tamen vicarium.

1 NVnc de iudice potestatéve delegata est dicendum: vnde potestas ordinaria magis adhuc elucidabitur. Potestatem autẽ delegatam sic possumus definire: Est potestas, quæ non ex proprio munere, sed ex commissione mediata vel immediata alterius, quæ id habet ex proprio munere, iurisdictionẽ exercere potest. Quo fit, vt delegatus aliena iurisdictione vtatur, nihil ea in parte habens proprium, vt habetur *l. 1. §. qui mandata. & l. si pater. ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd.* Dixi in definitione; sed ex commissione mediata vel immediata alterius: quoniam iudex delegatus interdum potest subdelegare, vt ex dicendis patebit: atque hoc in loco definimus delegatum sumptum latè, vt subdelegatum etiam comprehendit, qui mediatè iurisdictionem ab eo habet, qui illum ex suo munere, tanquam potestáfve ordinaria habet. Per partem illam definitionis: quæ non ex proprio munere; rejicitur à ratione delegati, iudex ordinarius, potestáfve ordinaria, quæ ex proprio suo munere iurisdictionem exercet. Per reliquum verò definitionis à ratione delegati rejicitur iudex arbiter, qui non accipit iudicandi potestatem ab eo, qui iurisdictionẽ ex proprio munere habeat, sed à partibus, quæ sibi illum in iudicẽ delegerunt, non refragante sed annuente lege.

Quando autem iudici alicui ordinario causa aliqua committitur, quæ ad eũ ex proprio munere non spectabat, tunc in ea procedit, non vt ordinarius, sed vt delegatus: eo quòd illam non exerceat ex sua propria iurisdictione, sed ex iurisdictione ab alio sibi commissa, vicem illius gerendo. Ita habetur. *l. & si prætor* citata.

A Quando verò iudici ordinario committitur à superiori causa aliqua, quę, secluſa ea commissione, ad eũ spectabat, tunc existimandus nõ est per eã cõmissionẽ constitui iudex delegatus, sed solũ excitari, vt id efficiat vt ordinarius, quod ex suo munere facere tenetur. Nisi fortè aliquid quoad eam causam ei committeretur vltra id, quod ex officio habet vt ordinarius, vt verbi grætia, vt procedat appellatione postposita, vel aliud efficere præcipiatur, quod in particulari, vt ei præcipitur, facere non tenetur; vel nisi aliquid in commissione apponatur, vnde intelligatur iniungi, vt id efficiat iurisdictione id iniũgentis, vt si dicatur, procedas autoritate nostra, B vel vt delegatus noster, aut simile aliud. Ita *Panor. c. licèt de offic. ord. n. 3.* consentaneè ad textum ibi & ad alia iura, quæ citat, & probat textus. *c. in aliquibus de rescrip. lib. 6.* Ex eo verò, quòd in hoc regno. *l. 7. titu. 5. lib. 3. nouæ collect.* dicatur, vt vicarius correctoris, qui munus ob absentiam vltra tres menses amisit, vtatur suo munere nomine Regis, & non correctoris præteriti, non censetur Rex facere illũ iudicẽ suum delegatum: quia solùm intendit, vt quod tanquam iudex ordinarius antè efficiebat nomine correctoris, deinceps tanquam iudex similiter ordinarius efficiat nomine Regis, & per munus à Rege obtentum, & non à correctore, vt antea, obtento C eo à correctore, illo vtebatur.

Ad discernendum in particulari quando ali- 2
quis constituatur iudex delegatus, & quãdo ordinarius, obserua consentaneè ad *Bart. l. more. n. 8. ff. de iurisd. omn. iud. ad Pan. c. relatum. n. 5. de offic. deleg.* & ad alios, iurisdictionem ordinariam conferre posse legem, principem, consuetudinem, quæ vim habeat legis, populũ, aut vniuersitatẽ, quãdo tamen regimen ac gubernatio reipublicæ penes populum aut vniuersitatẽ resident. Tunc enim sicut leges concedere potest, quæ vniuersam astringant rẽpublicam, sic etiam munera creare in republica potest, atq; adeò cõferre iurisdictionem ordinariam. Vniuersitas D itẽ mercatorum, opificum, ac confraternitatum, eligere etiam iudicẽ ordinarium de iure cõmuni potest, vt disp. 8 dictum est, qui iudicet præcisè de attinentibus ad eam negotiationem, opificium, aut confraternitatẽ: cæterùm tunc ea vniuersitas non confert iurisdictionem, nisi eligendo eum, qui illam, sed lex est, quæ eam illi confert: quare à lege, qui ita èst electus, eam iurisdictionem ordinariam habet, & non ab electoribus, nisi secundùm quid, tanquam scilicet ab efficientibus id, sine quo lex non tribuit illi eam ordinariam iurisdictionem.

Quod autem ad principem attinet, distinguit 3
Bart. Quoniam vel committit alicui vnum aut E plura negotia in particulari, vt vnum, duo, aut tria in particulari, & tunc non constituit iudicẽ ordinarium, sed delegatum. Vel committit alicui quandam negotiorum vniuersitatẽ, siue amplioré, siue minus amplam: atque tunc, vel aliquid apponitur vnde colligatur, vt procedat autoritate eam negotiorum vniuersitatem cõmittentis, vt si dicatur, nostrá autoritate facias, vel procedas appellatione postposita in re, in qua alioquin admittenda foret appellatio, vel simile aliud apponitur, vnde intelligatur vt procedat autoritate eam vniuersitatem causarum committentis; & tunc similiter non constituit

iudicem

iudicem ordinarium, sed delegatum. Vel nihil A tale apponit: atque tunc iudicem ordinarium constituit. Quando enim iurisdictio ab eo conceditur, qui potest eam ordinariam concedere, is sanè in dubio censetur eam concedere, nō delegatam, sed ordinariam. Atque idem est quādo in lege iurisdictio conceditur. Quoniam si sit ad vniuersitatem aliquam causarum, nec aliquid apponatur, vnde constet delegatam iurisdictionem committi, lex sanè censetur concedere iurisdictionem ordinariam. Et quia capitulum, sede vacante, à lege habet Episcopi iurisdictionem, nec exprimitur, quòd eam habeat delegatam, censetur eam habere ordinariam. Nec solùm officia, quæ in republica à lege creantur, B censentur iurisdictiones ordinariæ, quando aliud non exprimitur: sed etiam quando vicarii à lege constituuntur, censentur habere iurisdictionem ordinariam, nisi aliud exprimatur. Hac ratione quia Archidiaconus. c. 1. de offic. archi. in Episcopi absentia constituitur, vt sit vicarius Episcopi, sanè in ecclesiis, in quibus id seruatur, iurisdictionem habet ordinariam, vt cum Alex. & aliis affirmat *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. n. 7. & 9.* Ad iudicandum ergo, an iudices concessi seu constituti à lege, vel à principe, qui iurisdictionem cōcedere possit ordinariam, ordinarii sint, nec ne, attendendum est, num dati sint ad vniuersitatem aliquam causarum, & sine C clausula vnde colligatur, vt procedant autoritate destinantis: atque tunc censendi sunt ordinarii: reliqui verò ab eis concessi ac constituti censendi sunt delegati.

4 Quando verò aliqui iudices ab iis sunt constituti, qui principes non sunt, neque reipublicæ, supremæve potestates reipublicæ, ac proinde qui potestatem nō habent constituendi munera publica cum iurisdictione ordinaria, tunc si quis ex tacito vel expresso cōsensu legis, principis, aut reipublicæ, cōmittat alicui vices suas, ita vt secum idem tribunal efficiat, iudicem quidem efficit illum ordinarium, suum tamen vicarium, iuxta ea, quæ præcedentibus disputationi- D bus copiosè explanata sunt. Alioquin solùm efficit suum vicarium delegatum, etiam si illum iudicem ad vniuersitatem aliquam causarum efficiat. Atque hæc est ratio, cur vicarii foranei Episcoporum, Episcoporumque visitatores, iudices non sint ordinarii, sed delegati. Neque enim Episcopi facultatem habent creandi munera in republica, & conferendi iurisdictionē ordinariam, sed solùm delegandi vices suas: eaque de causa, esto illas cū vniuersitate aliqua alicui concedant, non efficiunt illum iudicem ordinarium, sed delegatum, nisi ita illas committant vniuersaliter, vt ille vnū tribunal secum efficiat.

De magnatibus verò, qui iurisdictionem habent oppidorū, cum facultate eligendi aut confirmandi iudices à populo electos, quales illos eligeret, aut confirmaret, seu constitueret supremus princeps, si apud ipsum iurisdictio eorū oppidorum perseueraret, iam disp. 12 est dictū eos esse iudices ordinarios: quoniam talis potestas his magnatibus ad id concessa à principe est, qualem ipse habebat. Cōfirmatur, quoniam iudicant de iis, quæ ad merum & mixtum imperium attinent, quæ tamen causæ delegari non possunt, vt Disp. 17. videbimus.

Tom. 6.

Delegare, aut etiam subdelegare, quis possit, quis non item. Disp. 15.

SVMMARIVM.

1. *Ordinarii iudices delegare possunt: at delegatus subdelegare non potest, nisi delegatus alicuius supremæ potestatis.*
2. *Quando aliquis esset a Principe delegatus, vt per suam personam aliquid exequeretur, tunc subdelegare non posset.*
3. *Quando aliquis a summo Pontifice delegatur, vt aliquid inquirat, vel vt ecclesiam de prælato prouideat, quia tunc fidem & industriam personæ, quam ad id delegat, eligere videtur, talis subdelegare non potest.*
4. *Delegatus ab alio ordinario, si delegatus sit ad vniuersitatem aliquā causarum, licet subdelegare non possit vniuersitatem causarum, potest tamen subdelegare hanc vel illam causam.*

REgulariter ordinarii iudices delegare pos- 1
sunt, vt patet. *l. more. ff. de iurisd. omnium iud. l. 17. titu. 4. part. 3. quæ iuncta. l. 18.* sequenti exprimit, quæ concurrere debeant, vt iudex ordinarius delegare possit, & aliis iuribus: id quod hac & sequentibus disputationibus magis explicabitur. Delegati verò, etiamsi morbo aut alia iusta causa impediti sint, subdelegare nō possunt, vt *l. more* citata, & *l. a iudice. C. de iudiciis* habetur.

Excipitur delegatus principis, vt Papę, Regis, aut alterius supremæ potestatis, qui sub delegare potest, vt habetur. *l. à iudice citata. c. quoniam apostolica de offic. deleg. l. 19. titu. 4. part. 3.* & aliis iuribus.

Item excipitur delegatus à proconsule, qui subdelegare poterat. *l. cum prætor. §. is quoque. ff. de iud. & l. legatus. ff. de offic. proconsul.* Tametsi hūc iudicem fuisse ordinarium asserat *Couar. 3. var. resc. vlt. n. vlt.* tanquam vicarium vniuersalem proconsulis. Et estò iudex ordinarius non esset, dicat delegare potuisse ea ratione, quòd delegatus esset ad quandam vniuersalitatem causarum: delegatus autem ad vniuersalitatem causarum subdelegare potest causas singulares, vt subjiciemus. Hinc rectè Couar. ibidem negat, delegatum legati à summo Pontifice, etiamsi is legatus summi Pontificis à latere sit, posse subdelegare.

Capite quoniam apostolica citato additur, estò iudex delegatus datus sit à principe de consensu partium, posse illum subdelegare alium, etiam partibus inuitis, vt consentaneè ad textū affirmant *glossa. 1. ibi, Panor.* & alii. Et quamuis E iudex aliquis esset delegatus à principe, vt cum aliis cognosceret de aliqua causa, posset is subdelegare alium, qui cum illis aliis de eadem causa cognosceret, vt ibidē habetur: neq; esset validū iudicium aliorum sine tali subdelegato, quando cōcursus talis delegati per se, vel per suū subdelegatū, esset necessarius ad id iudiciū, quia omnibus simul fuit cōmissa ea causa, vt ab omnibus definiretur, iuxta ea, quæ Disp. 24. dicentur.

Quando autem aliquis esset à principe dele- 2
gatus, vt per suam personam aliquid exequeretur, aut cum clausula, quæ significaret, vt per se ipsum id exequeretur, tunc subdelegare nō pos-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

set, nisi negotium tangeret vtilitatem priuatam partium, & non bonum cõmune, atque de consensu earundem partium subdelegaret: sine cõsensu enim earundem partium inualida in eo euentu esset talis subdelegatio. Ita habetur *c. quoniam apostolica* citato. *§. is autem.*

3 Quando aliquis à summo Pontifice delegatur, vt inquisitionem circa aliquam rem faciat, (idem intellige de delegato ab alio principe ad similem inquisitionem faciendam) vel vt ecclesiam de prælato aut de ministro prouideat, quia tunc fidem ac industriam personæ, quam ad id delegat, eligere videtur, talis delegatus subdelegare non potest, nisi expressè sit ei concessum, vt per alium id exequi possit. Ita habetur *c. quoniã apostolica* citato. *§. is autem, vers. præterquam, iũcto. c. is cui eod. titu. lib. 6.* Capite enim is cui, explanatur, quando summus Pontifex alicui committit, vt prouideat certæ personæ de aliquo beneficio in aliqua ecclesia, diœcesi, aut prouincia, non censeri eligere industriam ad id eiusmodi delegati, eaque de causa eum posse ad id subdelegare alium. Quod sanè verum habet, etiam si summus Pontifex committat, vt id beneficium illi prouideat, si facto priùs solerti examine, repertus fueret laudabilis vitæ, honestæque conuersationis: quoniam hoc etiam examen subdelegare alteri potest, vt habetur clem. vnic. de offic. deleg. Quando autem summus Pontifex alicui committit, vt beneficium aliquod personæ idoneæ prouideat, nõ nominando cui in singulari illud prouideat, censeri eligere industriam ac fidem eius delegati, eaque de causa eum delegatum subdelegare ad id non posse, vt habetur, c. is cui citato. Optimè verò Panor. c. quoniam apostolica citato obseruat, summum Pontificẽ non censeri eligere industriam ac fidem delegati, nisi vel id exprimat, præcipiendo vt per se ipsum id efficiat, vel in casibus à iure expressis, quales sunt, qui sunt explanati: eaque de causa delegatum à summo Pontifice posse in aliis subdelegare. Intelligerem tamen, nisi in eis vtilitas publica versaretur, & essent æquè aut plus graues, quàm explanati; nam tunc præsumendum esset, argumento ab euentibus explanatis, electam fuisse fidem ac industriam, ac proinde delegatum in iis etiam euentibus subdelegare non posse, nisi contrarium à summo Pontifice fuisset in eis expressum.

4 Delegatus item non à principe, sed ab alio ordinario, si delegatus sit ad vniuersitatem aliquam causarum, quamuis subdelegare non possit vniuersitatem ipsam causarum, subdelegare tamen potest hanc vel illam causam, aut causas in particulari. Ita *glossa. c. cùm causam de appell. verb. delegatus*, Bart. iuxta textum ibi. *l. 1. §. ab eo iuncta glossa ibi. ff. quis & à quo*, & doctores communiter, quos *Couarr. 3. var. resc. c. vlt. n. vlt. & Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. n. 51.* referũt ac sequũtur. Quo fit, vt pedanei iudices Episcoporum subdelegare possint causas singulares.

Glossa. c. is cui de offic. delegati lib. 6. affirmat, delegatum nõ à principe, neque ad vniuersitatem aliquam causarum, si sibi à delegante fuit cõcessum posse subdelegare, vt si dictum illi fuit, committo tibi hanc causam cum potestate vt subdelegare possis, posse tunc subdelegare. Quamuis autem id eius glossæ dictum approbetur à *Sylu. verb. delegatus, n. 12.* & ab aliis, certè vt fundamentum, cui ea glossa nititur, mihi non probatur, ita neque ea glossæ opinio. Nititur enim glossa illa huic fundamento, quòd sicut quando aliquis constituit sibi procuratorẽ cũ facultate substituendi alium, potest is procurator alium substituere: ita quando aliquis, estò princeps nõ sit, delegat causam aliquam alicui cum potestate subdelegandi, possit is subdelegare, estò delegatus principis non sit. Hoc verò fundamentum quis non videat nullius esse momẽti. Iura enim non tribuunt iis ordinariis, qui principes non sunt, potestatem delegandi cum facultate delegato effecta subdelegandi; neque item delegatis ita non à principe, facultatem cõcedunt subdelegãdi, quin potiùs eam illis denegant. Neq; est simile, quod de procuratore glossa illa adducit. Qui enim sibi procuratorem constituit, rem suam profectò agit, eaque de causa potest illi concedere, vt alium substituat: iudex verò ordinarius, delegando causam, agit rempublicam, nec excedere potest facultatem, quam iura quoad id illi tribuunt. Quare meritò glossa. c. cùm causam de appell. verb. delegatus, contrarium dicto illius alterius glossæ affirmauerat, reiecta similitudine de eo, qui procuratorem sibi constituit.

Vt habetur. *c. cùm Bartoldus de sent. & re iud.* quidam delegati non à principe, in vnaque tanquam causa particulari, illam subdelegauerãt. Circa intellectum verò illius textus multa adducit *Couar. 3. var. resc. vlt. ad finem.* Mihi probatur, quod glossa ibi, glossa item. c. cum causam de appellat. & Couar. vbi suprà affirmant, nempe illam subdelegationem fuisse nullam: cæterùm, quia de nullitate illius nihil fuit propositum, causaque illa iam erat per appellationem in Romana curia, nihilque omnino ex subdelegatione illa iam tunc pendebat, solùm eo in capite narratur, quid quoad eã subdelegationem fuerit factum, vt neque approbatur, neque pronunciatur nullum: quia nulla de eo erat tunc controuersia.

Quidam, quos Couar. loco proximè citato refert, asseruerunt, delegatum non à principe, ad vnamque solùm causam, posse subdelegare vnum illius articulum, in quo iurisdictio necessaria non sit, vt simplicem examinationem testium: secùs autem non simplicem testium examinationem, qualis est ea, in qua cum potestate cogendi testes ad ferendum testimoniũ, & citandi partem aduersam, vt adsit testium examini, testes examinentur: eiusmodi enim examen testium iurisdictionem requirit: atque de eo testium examine sermo est clem. vnic. de offic. delegati, ibique dicitur, delegatum summi Pontificis posse id testium examen subdelegare in ciuilibus causis. Ducuntur autem autores illi ex c. Bartoldus citato, illudque intelligunt de subdelegatione vnius articuli quoad simplicem testium examinationem. Vt tamen Couarrub. rectè obseruat, in eo capite non fit solùm mentio de subdelegatione quoad solam testium examinationem, sed quoad totam causam, vt illud caput intuenti liquet. *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. n. 50. cum Alexan. & Panor. c. super quæst. de offic. delegat.* ait delegatum subdelegare posse articulum non iurisdictionalem, reiecta contraria opinione Bart. non verò iurisdictionalem. Subdelegatus, etiam si sit delegati

legati à principe, non potest vlteriùs subdelegare. Ita colligitur apertè ex. *c. super quæstionum. §. si verò de offic. deleg.*

Delegans quousque cogere alios possit, vt delegati ipsius sint. Et quæ requirantur, vt causam possit delegare.

Disp. 16.

SVMMARIVM.

1. *ORdinarius in euentibus, in quibus potest delegare, cogere potest sibi subditum, vt delegatus ipsius sit: at non eum qui sibi non est subditus.*
2. *Delegatus summi Pontificis cogere quemcunque potest, vt suscipiat munus subdelegati.*
3. *Vt aliquis causam aliquam alteri validè delegare possit, necesse est, vt causa sit talis, de qua delegans ipse cognoscere posset, alioquin delegatio esset inualida.*
4. *Rectè etiam causa delegatur, vt audiatur in loco, in quo delegans ipse poterat eam audire, estò dum delegat sit extra locum suæ iurisdictionis.*
5. *Rex distinctas habens prouincias, quarum singulæ suum regimen habent, non debet iudices constituere hominibus de vna prouincia in alia: sed in sua propria prouincia debet illis iudices statuere.*

1 ORdinarius in euentibus, in quibus potest delegare, cogere potest sibi subditum vt delegatus ipsius sit: Secùs autem eum, qui sibi non est subditus. Tametsi non sibi subditũ posset etiam efficere suum delegatum, si is velit id accipere, & requisita habeat, vt esse possit delegatus, iuxta ea, quæ infrà suo loco dicenda sunt. Quæ similiter necessaria sunt in subdito ordinarii, vt cogere eum possit, vt sit suus delegatus.

Qui enim delegatus esse non potest, cogi per consequens non potest, vt delegatus sit, vt est notissimum. Quòd autem ordinarius in euentibus, in quibus potest delegare, cogere possit sibi subditum esse suum delegatum, non verò sibi non subditum, possitque etiam hunc efficere suum delegatum, si accipere velit, habetur. *l. eum qui*, iuncta *glossa. 1. ibi, & l. vlt. ff. de iurisd. omn. iud.* & *l. 17. titu. 4. part. 3.* consentiunt. *c. pastoralis in prin. de offic. ord.* & *c. pastoralis de offic. deleg.* affirmantque *gloss. l. vnic. C. qui pro sua iurisd.* item *gloss. c. pastoralis de offic. deleg. Greg. Lopez l. 2. titu. 4. part. 3.* verb. *è aun los juezes*, & doctores communiter. Addit Greg. Lopez cum Bal. Si non subditus acceptet esse delegatum, posse post eam acceptationem cogi delegatum esse, & in causa procedere.

Hinc, quia Archiepiscopus superior non est subditorum suorum suffraganeorum, nisi vt cognoscat de causis ad ipsum per appellationem deuolutis, quamuis causam ad ipsum per appellationem deuolutam delegare possit alicui ex diœcesi, vnde ad ipsum deuoluta est, non tamen potest eum cogere, vt delegatus in ea causa sit: eo quòd subditus illius quoad id non sit, vtrumque, reddita hac ipsa ratione, habetur. c. pastoralis in prin. de offic. ord. vbi glossa ait, Episcopum, cui ille est subditus, cogere posse illum, vt suscipiat causam, quam ei Archiepiscopus delegat.

2 Delegatus summi Pontificis (idem dic de delegato cuiusuis alterius principis in districtu talis principis) qui, vt disputatione præcedente est dictum, subdelegare potest, cogere quemcunque potest vt suscipiat munus subdelegati. Superiorem tamen, & præsertim in pontificali dignitate constitutum, subdelegare non debet nisi vrgente necessitate. Quòd si cogendum illum duxerit ad eam subdelegationem suscipiẽdam, gradatim procedere debet in adhibendis censuris, vt primùm ei interdicatur ingressus ecclesiæ, aut ministerium sacerdotale, deinde suspendatur ab offic. & postea aggrauetur censura. Ita habetur. *c. pastoralis in prin. de offic. deleg.* iuncto. *c. 2. eod. titu. lib. 6.* Quo in loco præcipitur, in censuris constitutis in dignitate imponendis procedendum esse illo modo gradatim, nisi fortè aliter fieri persuaserit nimia contumaciæ proteruitas, seu culpa. Hæc de primo eorum, quæ in titulo huius disputationis sunt proposita.

3 Quod verò ad secundum attinet. Vt aliquis causam aliquam alteri validè delegare possit, necesse est, vt causa sit talis, de qua delegans ipse cognoscere posset, alioquin inualida esset talis delegatio. Ita habetur *l. vnic. C. qui pro sua iurisd.* & *l. 17. titu. 4. part. 3.* Et quamuis glossa. l. vnica citata dicat, si partes nihil opponant, & is iudex ita inualidè delegatus sententiam ferat, validam esse sententiam: contrarium tamen cum Bart. & aliis affirmat *Grego. Lopez l. 17.* citata, *gloss. 2.* si tanquam iudex delegatus eam sententiam pronunciet, satisque consonè ad hanc opinionem loquitur l. vnic. citat.

Item vt aliquis validè alteri causam aliquam delegare possit, necesse est, vt eam deleget, vt audiatur & expediatur in loco, in quo delegans ipse eam audire & expedire posset: alioquin sicut ipse illam audire & expedire validè nõ posset extra eum locum, ita neque delegatus: cùm nullus validè delegare possit iurisdictionem, nisi præcisè quoad id, quoad quod illam habet. Ita consentaneè *ad. l. vlt. §. erit autem. C. de re mil. lib. 12. l. 17. titu. 4. part. 3.* & *c. vt litigantes de offic. ord. lib. 6.* In hoc tamen euentu rectè ait *glossa. c. vt litigantes* citato verb. expensis, validam esse sententiam latam vel à iudice ordinario, vel à delegato, in loco non suæ sed alterius iurisdictionis; modò tamen duo concurrant. Vnum est, vt feratur de consensu partium, qui quoad id iuri suo cedere possunt in ipsorum fauorem eo. *c. vt litigantes.* latum. Alterum verò est, vt ius ibi dicatur, etiam de consensu eius, ad quem iurisdictio eius loci spectat.

4 Ritè præterea quis delegat causam vt audiatur & expediatur in loco, in quo delegans ipse poterat eam audire & expedire, estò dum delegat, sit extra locum suæ iurisdictionis, ibique rescriptum talis delegationis conficiat. Ita habetur *l. vlt. ff. de offic. præfect. vrb. l. 17. titu. 4 part. 3.* & affirmant *glossa. 1. l. præses. 2. de offic. præs.* item *gloss. c. nouit. de offic. leg.* in fine, & doctores communiter.

5 Quando autem Rex distinctas habet prouincias,

cias, quarum singulæ suum regimen habent, vt Rex Philippus habet Castellam, cum prouinciis eius regimini annexis, Lusitaniam cum regimine diuerso, & Aragoniam cum regimine item diuerso, non debet iudices constituere hominibus de vna prouincia in alia, vt extra suam prouinciam ius illis dicatur, etiam in gradu appellationis, sed in sua propria prouincia debet iudices illis constituere, tam ordinarios, quàm delegatos, quos creare potest constitutus in alia prouincia, atque hoc tantum est, quod affirmãt *glossa. l. l. præses.* 2. citata, Bal. & Panor. quos *Greg. Lop. l. 17.* citata, glossa vlt. refert ac sequitur, rectèque cum Panor. Greg. Lopez ibi affirmat, ea attinentia ad vnam prouinciam, quæ vocatione partium non indigent, expedire optimè posse principem dominum diuersarum prouinciarũ in alia prouincia, in qua sedem habeat, aut ad quam deueniat, vt vsu est receptissimum in prouinciis Regi Philippo subiectis.

Atque obserua, variè regem comparare dominium diuersarum prouinciarum. Primò iure hæreditario, aut per matrimonium Regis vnius prouinciæ cũ Regina domina alterius prouinciæ. Tunc autem regimina manere debent distincta, vt antea erant. Neque princeps potest quicquam mutare in vna prouincia, quod sit contra ius regni illius prouinciæ, iuxta iurisdictionem in eum Regem in suóve anteccessores ab ea prouincia collatam, nisi propter aliquam culpam iustè in pœnam id fiat. Atque de eiusmodi prouinciis potissimùm est nobis paulo antea habitus sermo. Secundò iure belli, idque dupliciter. Vno modo, bello paulatim subjiciendo vnam prouinciam, eamque vniendo antecedenti. Sic ex Asturiis & Legione Pelagius & successores paulatim extraxerũt de Maurorum potestate prouincias Castellæ, tum veteris tum etiã nouæ, ac Beticam. Atque quando hoc modo variæ prouinciæ bello comparantur, vnum solet esse regimen omnium, vt est hodie omnium harum prouinciarum: tametsi varia prætoria sint constituta, ad quæ via appellationis accedatur, & sit vnum supremum regium consilium omnibus his prouinciis commune. Altero verò modo bello subjicitur prouincia aliqua multum distans, quæ congruè gubernari non potest simul cum alia, siue paulatim siue simul bello comparetur, ita vt partibus ius dicatur, etiam in gradu appellationis, extrahendo illas de ea prouincia. Atque tunc, quamuis princeps, qui bello iusto illam subjicit, mutare possit de pristino eius reipublicæ regimine, quod expedire iudicauerit, etiam in eo illam puniendo, si culpa eius prouinciæ ea etiam pœna fuerit digna, regimen tamen in illa constituere ac relinquere debet, vel antiquũ, vel ex parte mutatũ: atque ex alia prouincia, in qua ipse existat, disponere poterit, quæ voluerit, dummodo partibus ius intra suã prouinciam dicatur, etiam in gradu appellationis, præsertim si non sine magno suo dispendio partes aliò in gradu appellationis accedere possent, vt regulariter fieri videmus.

Ité vt delegatio valida sit, necesse est, vt causa delegabilis ab eo sit, qui illam delegat, vt ex se est notissimũ, & habetur *l. 17. titu. 4. part. 3.* Quæ autem causæ à quibus delegari non possint, estò de illis ipsi tanquã ordinarii iudices cognoscere possint, disputatione sequenti explanabitur.

Quas causas delegare non possint iudices ordinarii. Et num quo ad id discrimen sit inter ius canonicum & ciuile.

Disp. 17.

SVMMARIVM.

1. *EA quæ ad merum ac mixtum imperium pertinent, nec iudicibus ciuitatum competebãt, sed solis præsidibus prouinciarum, delegari non possunt, sed solum ea quæ iudicibus ordinariis ciuitatum competebant.*
2. *Refellitur obiectio in contrarium.*
3. *A Principe frequenter delegantur causæ meri imperii capitales.*
4. *Causæ meri ac mixti imperii, quæ ordinariis infra summum Pontificem competunt, possunt delegari.*

DE iure Cæsareo, ea quæ ad merum ac mixtum imperium pertinent, nec iudicibus ciuitatum competebant, sed solis præsidibus prouinciarum, & quibusdam aliis iudicibus ordinariis, iuxta ea quæ disp. 6 copiosè explanata sunt, delegari non possunt, sed solùm ea quæ iudicibus ordinariis ciuitatum competebant, vt patet. *l. 1. ff. de offic. eius cui mandata est iurisdictio,* & *l. nemo potest gladii. ff. de reg. iur.* iuncta *l. 2. C. de ped. iud.* & *l. 18. titu. 4. part. 3.* Quoad eas enim causas electa censetur persona iudicum ordinariorum, qui de eis cognoscunt, eáque de causa delegare eas aliis non possunt, vt cum Claudio ait *Iul. Clar. lib. 5. sent. §. vlt. q. 41. n. 1.* Item iurisdictio, quoad causas ciuiles, quę excedebant valorem trecentorum aureorum, videbantur esse solidi, quibus *Castellanos* respondent, & competebant maioribus iudicibus, non verò rectoribus ciuitatum, iuxta ea quæ disp. 6 dicta etiam sunt, delegari non possunt, vt habetur. l. 2. & l. 18 citatis. Concessum verò est in casu necessitatis ob iustam absentiam, intellige, aut etiam ob morbum, delegare ea quæ erant mixti imperii, & competebant iudicibus illis maioribus, qui illustres aut superillustres nuncupabantur, vt causam mortis, mutilationis, amissionis libertatis, quin & ciuitatis, solùm tamen quoad causæ cognitionem infra sententiam: nam sententia harum causarum ferenda est à iudice ordinario illam delegante, & non à iudice delegato. Ita habetur. *l. 1. ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.* iuncta *l. 2. C. de ped. iud.* & habetur *l. 18.* citata. Delegare verò proconsules concedebatur extra casum necessitatis cognoscere de eisdem causis, infra sententiam, iuxta. *l. solet. & l. legatus. ff. de offic. proconsul.* vt in superioribus dictum est. Concessum item est, causas mixti imperii, quæ competebãt iudicibus totius prouinciæ, & denegabantur rectoribus ciuitatum, vt tutores aut curatores conferre, itemque causas ciuiles excedentes valorem trecentorum aureorum, mittereque in possessionem bonorum, iudices ordinarios delegare alios posse, ita vt delegati possent illas ad debitum finem perducere; modò tamen iudex ordinarius, tot aliis negotiis esset impeditus, vt has causas commodè expedire non posset, vel haberet iustum impedimentum legitimæ absentiæ aut morbi. Ita habetur *l. 2. C. de ped. iud.*

&

& *l.18* citata, quæ illam difficillimam legem secundam exponit. Reliquas verò omnes causas, etiam minores iudices ordinarii de iure ciuili delegare omnino possunt, vt habetur duobus iuribus proximè citatis, iuxta. *l.1.ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.* & consentiunt doctores communiter.

2 Neque aliquis aduersus prædicta nobis obiciat. *c. in Archiepiscopatu de raptorib.* Quo in loco Rex Siciliæ Episcopis delegauit causas meri & mixti imperii circa Saracenos, qui in ea insula commorabantur, & rapiebant mulieres & pueros, eisque abutebantur. Nam quamuis ordinarii principe inferiores delegare nō possint causas meri & mixti imperii, princeps tamen B optimè eas potest delegare, vt ex se est notissimum, & affirmat *Iul. Clar. lib.5. sent. §. vlt. q.41. n.1.* Neque refert, quod Siciliæ Rex feudatarius sit summo Pontifici: quoniam, vt *Couar. 3. var. resc.20.n.2.* rectè ait, id non impedit, quominus simpliciter sit princeps supremus ad leges cōdēdas, & ad cætera omnia, quæ ad administrationem eius regni spectant. Cùm autem seculares iudices desides essent in inuestigandis ac puniēdis illis criminibus, vt in bonum ecclesiæ salutemque animarum par erat, conquerentibus prælatis, causas illas Rex Siciliæ eis delegabat: quod efficere non ad canonicum ius, sed ad potestatem regiam ac secularem attinebat, neque C vi eius dispositionis canonicæ licuit, neq; summus Pontifex id sibi disponit, sed facto suppositō, cōsultus ibi ab Episcopis eius prouincię fuit, quousque ex commissione illa ipsis liceret progredi ad pœnas pro tanto flagitio imponendas.

Respondet verò summus Pontifex eos progredi posse ad pœnas pecuniarias, & ad pœnam flagellorum; non verò ad pœnam mortis neque mutilationis: sed quando tales pœnæ essent imponendæ, remittere eos debere ad Regem eas causas. Licèt autem ecclesiastici implicare se nō debeant negotiis secularibus, qualia illa erant; id tamen intelligendum est, quando sufficienter per alios expediuntur, & non tantum interD est bono ecclesiæ & animarum expediri, quantum illa expediri intererat.

3 Hodie à principe causæ meri imperii capitales frequenter delegantur, dum ad inquirenda ac punienda grauia crimina in hoc regno mittuntur *pesquisidores*, quos vocant, & interdum *Alcaldes de corte*, qui iudices sunt delegati, quoad eas causas. Quòd si de eiusmodi delegatis à principe, supremoque eius senatu, loquatur, *Iul. Clar. q.41.* citata *n.1.* dum cum Canol. ait, hodie de generali consuetudine indistinctè omnes causas meri & mixti imperii delegari, etiam capitales; si, inquam, de his delegatis loquatur, sanè ad rem non loquitur. Si verò de delegatis à E iudicibus ordinariis, non video quàm introductum consuetudine id sit, eritque in vnoquoque regno aut prouincia addiscendum, num consuetudine sit introductum, & quousque.

Vtrùm autem eiusmodi delegati à principe ad has causas meri imperii subdelegare eas possint. Quicquid dixerint multi, quos *Iul. Clar. vbi supra n.3.* refert, & quos refert ac sequitur *Marantæ de ord. iud. part.4. dist. 5. n.63.* neganter proculdubio cum eodem Iul. Clar. & aliis est respondendum. Quoniam industria personæ delegatæ ad rē tanti momenti videtur electa, quæ A proinde subdelegare eam causam non potest. Et quoniam, quod iis iudicibus ordinariis, quibus causæ meri & mixti imperii committuntur, iure ciuili est denegatum, censendum non est concedi delegatis iudicibus, nisi in ipsorum delegatione exprimatur. Hæc de primo eorum, quæ in titulo sunt proposita.

Quod verò ad secundum attinet, communis 4 sententia *glossæ, & Panor. c. quod sedem de offic. ord.* atque aliorum, quos refert *Couar. 3. var. resc. 2.* & quam latissimè ibi disputat, atque amplectitur, est, causas meri ac mixti imperii, quæ ordinariis infra summum Pontificem, iuxta ea quæ disp.6 & 7 dicta sunt, competunt, posse delegari: atque in eo canonicum ius à ciuili differre, idemque affirmat *Maranta vbi supra n.62.* Suffragantur iura multa canonica, quæ Couar. vbi suprà expendit.

Nudum aliquod ministerium quando lege, priuilegio, aut alia ratione, alicui muneri, vt prælati, annectitur, an possit delegari. Et num derogatum sit hodie facultati absoluendi in foro conscientiæ à crimine hæresis occulto, & ab aliis criminibus de cœna Domini, Episcopis à Tridentino concilio concessæ. Et quando nudum ministerium, non annexum alicui muneri, conceditur, num delegari possit. Disp. 18.

SVMMARIVM.

1. *Quando lege aut priuilegio conceditur, vt habens tale munus possit nudum aliquod ministerium exercere, ita quòd id priuilegium sit illi muneri adiunctum, eo ipso poterit id delegare, nisi in concessione, ne id deleget, expressum sit.*
2. *Num derogatum sit hodie facultati absoluendi in foro conscientiæ à crimine hæreseos occulto, & ab aliis criminibus de cœna Domini Episcopis à Tridentino concilio concessæ.*
3. *Quando conceditur exercere ministerium aliquod, non annectendo id muneri alicui, quasi id munus sequatur, tunc is, cui id conceditur, non potest delegare vsum eius ministerii alicui alteri.*

QVando lege aut priuilegio conceditur, vt 1 habens tale munus possit nudum aliquod ministeriū exercere, vt absoluere tales vel tales percussores ecclesiasticorū in tali vel tali euentu ab excōmunicatione, dispēsare cū talibus in irregularitate, aut in irregularitatibus aliquibus, vel in suspensionibus, ita quòd id priuilegiū sit illi muneri adiunctū, quasi habēs id munus, vt Episcopi, vel talis aut talis prælaturæ, aut magistratus, eo ipso id possit, sanè is eo ipso poterit id delegare, nisi in concessione expressum sit, vt per se ipsum id efficiat. Atq;, si canonico iure sit id concessum, poterit id delegare, etiamsi ad merum & mixtum imperium pertineat in gradibus iure ciuili delegari non concessis, iuxta ea quæ disputatione præcedente dicta sunt. Ita colligitur apertè ex. *c. vlt. de offic. ord.* & affirmant *glossa & Panor. ibi, Sylu. verb. absolutio. 4.n.6. Couar. 3. var. resc. 20. n.5.* & plerique alii, quos citant. In eo autem capite dicitur, eos, qui

ex officio absoluere in aliquibus euentibus possunt ab excommunicatione ob percussionem ecclesiasticorum, vt quia eorum muneri est id annexum ac concessum iuxta ea, quæ tractatu 3. à Disp. 58. copiosè explanata sunt, posse aliis committere seu delegare, vt ab eadem excommunicatione absoluant: porrò excommunicare illo modo ad secundum gradum meri imperii pertinet, & absoluere ab ea excommunicatione ad eundem gradum mixti imperii videtur attinere, iuxta ea quæ disp. 6 & 7 dicta sunt. Ratio autem cur illi delegare aliis id ministerium possint, hæc est: Quoniam eo ipso, quòd potestas illa exercendi id ministerium est tali muneri annexa, efficitur potestas quasi ordinaria, vt potestas ordinaria est munus ipsum, cui id annectitur, eaque de causa delegari potest illius exercitium. Iuxta hanc doctrinam tractatu 3. disp. 60 diximus, prælatos religiosorum, qui absoluere sibi subditos possunt ab excommunicatione ob manus violentas in ecclesiasticos iniectas, posse aliis delegare illos absoluere.

2 Ex hac verissima doctrina hactenus tradita, *Antonius Cordub. in suo tracta. casuum conscientiæ.q.8.* colligit, Episcopos hodie post commissionem in concilio Tridentino *sess.24.c.6.* de reformatione eis factam, posse concedere cuicunque confessario, vt absoluat monialem sui episcopatus à crimine hæresis occulto, habita tamè notitia casus in particulari, estò ei non detegatur monialis illa. Multa tamen vir ille doctus non videtur attendisse. Primum est, iam hodie per clausulã illã Bullæ cænæ Domini, quæ post concilium Tridentinum à Pio. 5, à Grego. 13, & à cæteris summis Pontificibus apponitur, & quæ ante concilium Tridentinum non apponebatur, nempe; *non obstantibus quibuscunque priuilegiis, etiam a cuiusuis concilii generalis canonibus concessis*, &c. sublatam esse ab Episcopis, & à vicariis ad id ab Episcopis deputatis, facultatem absoluendi à casibus in bulla cænæ Domini reseruatis, quæ illis à concilio Tridentino fuerat concessa: de numero autem eorum casuum est crimen hæresis, excommunicatióve ob illud incursa. Interrogatus verò Grego. 13. an mens ipsius esset, per eam clausulam facultatem illam reuocare, affirmanter respondit, vt in hac. *2.2. in materia de hæresi. q. 11. art. 4.* retulimus. Quo fit, vt hodie Episcopi, eorumque vicarii ad id deputati, absoluere non possint ab hæresi, & à reliquis casibus in bulla cænæ Domini summo Pontifici reseruatis.

Secundum est, doctrinam, ex qua id colligit, intelligendam esse, quando in concessione exequutionis eius ministerii non apponuntur verba, quibus intelligatur eligi fidem ac industriã personæ, quæ ei muneri præficitur, cui exequutio eius ministerii annectitur. Si enim concedatur generali alicuius religionis, vt per se ipsum possit dispensare cũ suis subditis in tali irregularitate, aut eos absoluere à crimine hæresis, sanè eã facultatẽ delegare aliis nõ potest, sed per se ipsum solũ potest ea vti: addendo nãque in concessione talis facultatis, vt per se ipsum ea vti possit, satis innuitur fidẽ, prudentiã, ac industriã personæ, quæ ei generalatus muneri præficitur, esse electam: quæ regulariter eo solet aptior ac prudẽtior ad id esse, quo altiori muneri præficiatur. In re autẽ, de qua disputamus, in cõcilio Tridentino. c. 6. citato, satis apertè innuitur, quod reliquos casus ibi concessos, electam esse personam solius Episcopi aut vicarii ad eos specialiter deputati: ad casum verò hæresis electã esse personã solius Episcopi, dũ quoad reliquos casus sic capite illo sexto citato dicitur: *Liceat Episcopis in quibuscũq; casibus occultis, etiã sedi apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut vicariũ ad id specialiter deputandũ, in foro cõscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari.* Et dum quoad hęresis crimen sic subiungitur: *Idẽ & in hæresis crimine in eodẽ foro conscientiæ eis tantũ, non eorũ vicariis, sit permissum.* Neque satisfacit responsio Antonii Cordubensis, quòd conciliũ solũ prohibet præficere vicariũ in casu hæresis, nõ verò delegare per se. Primò, quoniã illicitum est interpretari cõciliũ Tridentinũ, idque sub pœna excõmunicationis ipso iure incurrendæ, dũ de tali sensu ex verbis textus cõcilii nõ cõstat, nedũ vim verbis concilii inferendo, vt ea Antonii Cordubensis expositio eis perspicuè infert. Secundò, quoniã verba illa; *per se ipsos, aut per vicarium ad id specialiter deputandũ*; in priori illa parte, apertè denotant, industriã Episcopi aut talis vicarii esse electam, ita vt vicarius delegare aut subdelegare nõ possit: alioquin non illo modo diceretur, sed diceretur, possint ipsi & vicarii ad id specialiter deputati: quare idẽ est in posteriori illa alia parte casus hæresis, in qua vicarii excluduntur. Tertiò, quoniã Antonii Cordubensis opinio vt minimũ ante declarationẽ summi Põtificis certa esse non potest: in dubio autẽ nefas est vti iurisdictione, de qua non constat collatam esse: præsertim vbi excõmunicatio est annexa. Item si Antonii Cordubensis opinio vera esset, non haberet locũ in solo moniali, sed etiã in quocũq; alio hęretico occulto, siue impeditus esset accedere ad sedẽ apostolicam, siue non; quippe cũ ea concessio cõcilii Tridentini absoluta sit, neque in ea apponatur conditio, si absoluendus impedimentũ habeat ad accedẽdum ad apostolicã sedem. Itẽ quod adducit de impotentia monialis ad accedendum ad sedem apostolicam pro absolutione, vt absolui ab Episcopo per se aut per personã ab eo delegatã possit, locũ non habet in excõmunicatione, quæ clausulã habet adiunctam, vt in nullo alio euentu absolui possit ab alio, quàm à summo Pontifice, præterquã in articulo mortis, vt habet excõmunicatio pro crimine hæresis imposita, iuxta securiorẽ ac veriorẽ opinionẽ, vt tracta. 3. in calce disp. 64 dictũ est: & in crimine hæresis, secluso priuilegio & concessione particulari, nullus absoluere audebit, præterquam in articulo mortis, ob solum impedimentum accedendi ad sedẽ apostolicam.

Quando autẽ conceditur exercere ministeriũ 3 aliquod, non annectendo id muneri alicui, quasi id munus sequatur, tunc is, cui id conceditur, non potest delegare vsum eius ministerii alicui alteri. Excipitur, quando conceditur legato sedis apostolicæ tale quid, vt dispensare in irregularitatibus, & similia facere, quæ nõ sunt annexa muneri talis legati, sed indigẽt peculiari cõcessione summi Põtificis, iuxta ea quæ disp. 9 dicta sunt: ea enim omnia, quæ legatis ita conceduntur, delegare ea possunt. Vtrumque habetur expresè. *c. vlt. §. vlt. de offic. delegat.* & affirmãt *Panor.*

Panor.ibi, Sylu. verb. deleg. n.10. Couar. c.20. cita. & doctores communiter. Vnde in nullo paragraphus ille aduersatur capiti vlt. de offic. ord. suprà citato: loquuntur quippe duo illa iura in longè distinctis euentibus, vt ex dictis in hac disputatione constat. Vnde si alicui committatur prædicare cruciatam, excommunicare, vel absoluere, dispensare cum irregularibus, iniungere pœnitentias, dispensare in votis, aut illa commutare, vel quid aliud simile facere, nisi legatus sit sedis apostolicæ, estò ab apostolica sede id ei sit commissum, & estò in priuilegium concessum sit omnibus de aliqua aut de aliquibus religionibus, delegare alteri id non possunt.

Iurisdictio ordinaria non expirat, etiam re integra expirante in concedente iurisdictione. Iurisdictio verò delegata, re integra, expirat in delegato expirante in delegante iurisdictione: secùs re non integra. Et quando res integra dicatur. Disp. 19.

SVMMARIVM.

1. *IVrisdictio ordinaria nõ expirat morte eius, qui illam concessit, aut aliter expirante iurisdictione in concedente, etiamsi is, cui collata fuit, nihil illius exercuerit.*
2. *Iurisdictio delegata, cùm non radicetur in delegato, expirat in delegato, si delegans re adhuc integra moriatur, aut quauis alia ratione amittat iurisdictionem.*
3. *Quando res delegata dicatur esse non integra ad effectum, vt perpetuata sit iurisdictio in delegato, neque esse in eo desinat, estò esse desinat in delegãte, & alia dubia circa id ipsum.*
4. *Cum multæ causæ alicui delegantur, si citatio circa omnes sit facta, perpetuatur iurisdictio circa omnes: si verò circa vnam tantùm causam sit facta citatio, solum circa illam perpetuatur iurisdictio.*
5. *Quando aliquis lege constituitur delegatus, tunc quamdiu illa lex perseuerat, durat quoque iurisdictio ea lege concessa.*

1 COnsequenter est explicandum, quando in delegato iurisdictio delegata expiret. Ordiendum tamen est à discrimine scitu digno ac necessaria, quod ea in re est inter iurisdictionem ordinariam ac delegatam. Vt autem *Panor. c. relatum de offic. deleg. n.6.* ait, & consentiunt cæteri doctores communiter, quos *Maranta de ord. iud. part.4. dist.5. n.56.* refert ac sequitur, hoc est discrimen inter iurisdictionem ordinariam & delegatam. Quòd iurisdictio ordinaria non expirat morte eius, qui illam concessit, aut aliter expirante iurisdictione in eo, qui illam concessit, etiam si res sit integra, isque cui collata fuit, nihil illius exercuerit, neque accesserit ad locũ, ad quem ad illam exercendam destinabatur. Ita argumento à contrario sensu colligitur ex. l. &. quia. ff. de iurisd. omn. iud. Rationem verò reddit Panor. vbi suprà, quoniam iurisdictio ordinaria reducatur in ordinario, cui est cõcessa, tãquam quid proprium illius, habetque rationem gratiæ tanquam dignitas ei concessa, iuxta *elem. 2. de rescriptis*: gratia autem non expirat morte A concedentis, aut expirante aliter in illo iurisdictione, vt patet. *c. si cui de præb. lib. 6.* Item quoniam ad efficaciam priuilegii ac graciæ satis est, quòd ad notitiam priuilegiati perueniat, vt habetur. c. 1. de concess. præb. lib. 6. graciaque & priuilegium vim habent, etiã si solo verbo sint concessa, vt constat clem. dudum de sepul. illis verbis; *vniuersa priuilegia, gratias, indulgentias verbo seu scripto concessa.* Lege quæ tractatu 2, disp. 599 dicta sunt, & quæ disputatione sequẽti dicentur. A doctrina tamen tradita excipitur, quando iurisdictio ordinaria est vicarii generalis constituti ab eo, cuius est vicarius, & qui præcipuè habet eam iurisdictionẽ ordinariã: quo-
B uis enim modo cessante iurisdictione in principali, cessat continuò iurisdictio in tali vicario, etiam quoad negotia cepta, excepto vno aut altero euentu in vicarii correctorum huius regni, vt hæc omnia disp. 10, 11, & 13 dicta sunt. Excipe itẽ in iudicibus ad nutum amouibilibus, creatis à possessore maioratus, & in aliis similibus ministris ad nutũ amouibilibus ab eisdem creatis: in his enim mortuo possessore maioratus, qui illos creauit, neque adhuc integra, credo illos omnino cessare, iuxta ea quæ disp. 12 dicta sunt. Si verò res non esset integra, cessarent ad effectum vt amoueri possent, sed perseuerarent quousque alii in ipsorum locum accederent,
C iuxta ea quæ eadem disp. 12 dicta sunt.

Iurisdictio verò delegata, cùm non radicetur in delegato, neque illam delegatus exerceat vt aliquid suum proprium, expirat in delegato, si delegans, re adhuc integra, moriatur, aut quauis alia ratione amittat iurisdictionem. Ita habetur *l. & quia. ff. de iurisd. omn. iud. l. 21. titu. 4. part. 3. c. relatum. c. gratum*, & *c. licet de offic. deleg.* & *c. vlt. §. vlt. de offic. leg.* Quo in loco habetur, si legatus sedes Apostolicæ causam aliquã alicui deleget, & legato egrediente prouinciam, res sit integra, quia delegatus citationem non expedierat, expirare iurisdictionem in delegato: quoniam per egressum legati à prouincia expirat iurisdi-
D ctio in eo legato: expirante verò iurisdictione in delegante, si res integra sit, expirat quoque iurisdictio in delegato. Eadem doctrina colligitur ex variis aliis iuribus, estque communis doctorum. Vsq; adeò autẽ verum est, expirare iurisdictionẽ in delegato eo ipso, quòd, re adhuc integra, iurisdictio in delegante expirat, vt estò delegatus ignoret iurisdictionem in delegantem expirasse, & cum ea ignorancia procedat ad citationem atque ad exequutionem rei sibi delegatæ, non firmetur iurisdictio in delegato, sed totum, quòd delegatus ita egerit, sit nullum. Ita *Panor. c. gratum* citato *n.10. Bart. l. & quia. n.18.* & quædam glossæ, quas citat. *ff. de iurisd. omn. iud.*
E *Greg. Lopez. l. 21. titu. 4. part. 3. glossa. 1.* in fine communisque doctorum sententia.

Eo autem ipso, quòd perseuerãte iurisdictione in delegante, res nõ est integra, perpetuatur iurisdictio in delegato, ita vt, estò post rem non integrã iurisdictio cesset in delegãte, possit delegatus progredi in re sibi delegata, eãq; perducere vsq; ad debitũ finẽ. Ita colligitur ex iuribus citatis, & ex aliis, quæ in progressu citauimus.

Dubium verò est, quando res delegata dica- 3
tur esse non integra ad effectum, vt perpetuata sit iurisdictio in delegato, neque esse in eo desinat, estò esse desinat in delegante. Quidam dixe-

runt,

runt, de iure ciuili pro litis contestatione coram delegato, & non antea, dici rem non integrã ad eum effectum. Atque sententiam hanc videtur sequutus Lucius Tertius. c. relatũ citato: quo in loco idem de iure canonico videtur statuere, & idem videtur haberi. *l. 21. titu. 4. part. 3.* Tametsi ibi glossa vlt. exponat *Greg. Lopez*, vel per citationem, iuxta *l. 35. titu. 18. part. 3.* (quæ tamen lex non videtur loqui de iurisdictione iudicis delegati) & iuxta canonica iura mox citanda. Postea verò *c. gratum* citato, *& c. vlt. §. vlt. de offic. legat.* & aliis iuribus sancitum declaratumque fuit, per solam citationem factam à delegato, dici rẽ non integram ad eum effectum, perpetuatamq; esse delegati iurisdictionem. Atque idem affirmat Bart. *l. & quia* citata, iuxta textum ibi, cõmuniterque doctorum sententia, esse de iure ciuili: quoniam per vsum iurisdictionis circa rem delegatam perpetuatur iurisdictio in delegato: citatio verò autoritate iudicis delegati est vsus talis delegatæ iurisdictionis.

Dubitant verò doctores, num sit satis citationem egressam esse à iudice delegato, estò nondũ peruenerit ad partem citandam, vt iurisdictio perpetuata censeatur in iudice delegato. Res est controuersa. Et *Panor. c. vlt. de offic. leg. n. 11.* sufficere affirmat: quoniam illud verè est iam vsus iurisdictionis circa causam delegatam. Certè mihi id non probatur, iuxta ea, quæ cum eodem Panor. dicemus ad dubium sequens: neque enim illud est citatio, sed expeditio citationis: iura autem, vt perpetuata censeatur iurisdictio, citationem requirunt.

Vtrùm autẽ per hoc, quòd delegatus à principe, subdelegauerit causam, aut partem causæ, censeatur in eo perpetuata iurisdictio. Quidam affirmanter responderunt: quoniam illud est vsus iurisdictionis delegatæ. Contrarium verò affirmat *Panor. c. licèt de offic. deleg.* Tam quia illud non est vsus iurisdictionis delegatæ, sed est vsus beneficii legis, quæ concedit, vt delegatus à principe possit subdelegare. Tũ etiã quoniam iura sonant, ante citationem non censeri perpetuatam iurisdictionem. Qua ratione etiã rejicitur quorundam aliorum opinio, qui asseruerunt, per electionem notarii, coram quo causa delegata ageretur, censeri perpetuatam iurisdictionem.

4 Quando multæ causę alicui delegantur, vt hęc & illa, si citatio circa omnes sit facta, perpetuatur iurisdictio circa omnes, etiam si in vniuersali sit facta, vt pars aut partes compararent ad videndum, quæ delegato sint commissa. Si verò circa vnam tantùm causam sit facta citatio, solũ circa illã perpetuatur iurisdictio, non verò circa reliquas: nisi vna sit alteri annexa: nam tunc citatione facta circa eam, cui altera est annexa, E iurisdictio, etiam circa annexam, perpetuatur. Ita Panor. c. licet de offic. deleg. n. 5.

Bart. autem *l. & quia ff. de iurisd. omn. iud. n. 14.* ait, quando aliquis delegatus est ad vniuersalitatem aliquam causarum, tunc citatione facta circa vnam earum, perpetuatam esse iurisdictionem circa omnes. Vnde colligo, vicarios Episcopos foraneos non amittere iurisdictionem morte Episcopi, etiam quoad causas nondũ cæp as, sed posse continuare munus suum sede vacante, quousque à capitulo suspendantur, aut amoueantur. Si tamen aliquis ex eiusmodi viA cariis munus quidẽ ab Episcopo accepisset, sed ante mortem Episcopi nihil exequutioni mandasset, tunc morte Episcopi expiraret omnino id munus: quoniam tunc res omnino esset integra quo ad omnes causas. Idem dic de quocunque alio delegato ad vniuersalitatem aliquam causarum.

Hoc loco obserua, si munus aliquod delegatum ad ea esset, quæ citatione non indigent, vt ad visitandam prouinciam aliquam religiosorũ, aut ad aliud simile, tunc prima muneris illius exequutione circa aliquid eorum, ad quę id munus se extendit, censeri iurisdictionem perpetuatam quo ad omnia.

B Quod dictum est, iurisdictionem scilicet delegati expirare, re integra, morte delegantis, 5 aut alia via iurisdictione expirante in delegante, intelligendum est, nisi aliquis lege constituatur delegatus: tunc enim quamdiu ea lex perseuerat, durat quoque iurisdictio delegata ea lege concessa. Ita *Panor. & alii c. irrefragabili. §. cæterum de offic. ord.* Quo fit, vt quotiescunque in concilio Tridentino, aut alibi, Episcopis cõmittitur, vt in aliquo procedant tanquã sedis apostolicæ delegati, perpetuò cùm iurisdictionem habeant eo ipso, quòd Episcopi creati sunt, estò mortui sint conditores eius legis, mortuusque sit summus Pontifex, qui erat tempore, quo ea C lex lata fuit, ipsique postea creentur Episcopi, neque dispositio eius legis fuerit vnquam antea exequutioni mandata, quia non occurrit euentus, in quo id locum haberet.

Gratia quando morte, aut aliter expirante in concedente iurisdictione, etiam re integra non expiret, & quando expiret, etiam re non integra. Et num delegati exequutores quoad aliquam gratiam, morte eos delegantis, etiam re integra, non expirent. Disp. 20.

SVMMARIVM.

D 1. *Delegati iurisdictio morte eam concedentis, aut aliter in eo iurisdictione exspirante, re integra in delegato exspirat, nisi quoad aliquam gratiam factam deputati sint iudices aliqui executores illius.*

2. *Gratia iam facta neque re integra exspirat, neq; per consequens potestas delegata executorum ad illam ad effectum perducendam; at gratia nondum facta re integra exspirat.*

3. *Si alicui concedatur facultas aliquid faciendi, vt gratia ac priuilegium eius, cui talis facultas conceditur, tunc morte concedentis re integra non exspirat ea gratia. Si verò alicui concedatur facultas, non vt gratia eius, cui talis facultas conceditur, sed vt gratia, quæ per eum aliis fiat in futurum, tunc morte concedentis ea gratia re integra non exspirat.*

4. *Quando gratia facta est illi, cui facultas aliquid faciendi est concessa, vt id circa ipsum ab alio fiat, tunc gratia non exspirat morte concedentis. Si verò gratia solum est mandatum, vt id circa ipsum in particulari fiat, non est gratia facta, sed in futurum illi facienda, & ideo re integra exspirat morte concedentis.*

5. *Quando religiosis conceditur facultas aliquid faciendi;*

ciendi; est gratia ac priuilegium, quod morte cō-cedentis non exspirat, etiam quoad ea quæ integra adhuc sunt.

6. Si gratia concedatur hac vel simili forma; Vsque ad meum beneplacitum, tunc morte concedentis exspirat, & antea, si illam antea reuocauerit.

7. Si absolutè concedatur, non exspirat morte concedentis.

8. Si gratia à summo Pontifice concedatur sub hac vel simili forma, Dum hac fuerit Sedis Apostolicæ voluntas, tunc morte concedentis non exspirat.

9. Pontifices Romani in crastino suæ confirmationis solent reuocare gratias omnes circa beneficia à suis antecessoribus factas, quæ scilicet adhuc sunt integræ.

1 INcipiendo ab vltimo eorum, quæ proposita sunt, quod dictum est, delegati iurisdictionē morte eam concedentis, aut aliter in eo iurisdictione expirante, re integra in delegato expirare, intelligendum est, nisi quo ad aliquā gratiā factam deputati sint iudices aliqui exequutores illius: quoniam sicut gratia facta re integra non expirat morte illam concedentis, vt habetur. *c. si super gratia de offic. deleg. lib. 6. & c. si cui de præb. lib. 6.* sic etiā nec potestas ad id talium exequutorum expirat re integra per mortē aut amissionem aliter iurisdictionis, illos ad exequtionem talis gratiæ concedentis: ea enim potestas ipsorum delegata, vt accessoria est gratiæ iā factæ, vt ad effectum exequutionis cōtra rebelles perducatur, aut defendatur, sic naturam eiusdem gratiæ iam factæ quo ad hoc sequitur, vt sicut ea gratia morte eius qui illam concessit, aut aliter cessante in eo iurisdictione, non expirat, ita neque ex illo eodem capite re integra expirat iurisdictio eis exequutoribus ad id delegata. Ita habetur expresè c. si super gratia citato, vbi hæc ipsa ratio redditur, quare ea iurisdictio delegata non expiret re integra morte delegantis, cùm tamen alioquin expirare debuisset. Hinc si literæ expediantur, quibus alicui beneficium aliquod conceditur, aut quibus alicui collegio beneficium aliquod vnitur, vel quibus illi vniuntur reditus alii ecclesiastici, & exequtores in eis designentur ac cōcedantur, sanè potestas eorum delegata, re etiam integra, non expirat morte aut amissione aliter iurisdictionis illos concedentis: quoniam illi exequtores sunt gratiæ illius iam factæ, iurisdictioque proinde eorum naturam quo ad id sequitur gratiæ factæ, cui annectitur atque assistit.

2 Est autem diligenter attendendum, an gratia sit iam facta, an verò facienda in futurum. In primo enim euētu, neque ipsa gratia re integra expirat, neque per consequens potestas delegata exequutorum ad illam ad effectum perducēdam ac defendendam. In secundo verò euentu, & gratia ipsa nondum facta re integra expirat, & per consequens iurisdictio legata exequutorum ad illam cōcessorum multo magis expirat. Vtrumque habetur expresè. *c. si cui de præb. lib. 6.* Atq; in re, de qua ibi agitur, habemus accommodatissimum exemplum ad faciliùs iudicandum, quando gratia censeatur iam facta, & quādo censeatur nondum facta, sed in futurum facienda. Ibi enim dicitur, si summus Pontifex alicui concedat gratiam, vt idoneis ministris beneficia talia vel talia aut primò vacatura talis ecclesiæ prouideat, non expressis personis in particulari, quibus illa conferre debeat, censeri gratiam iam factam: quoniā ea gratia non censetur facta iis idoneis, quibus in futurum prouisio eorū beneficiorū fiet, sed ipsi prouisori, ac proinde censetur gratia iā illi facta, quo ad eam facultatem iam ipsi collatam ea beneficia in futurum conferēdi: vnde si summus Pontifex, qui eam gratiam concessit, moriatur re integra antequam exequtio eius gratiæ fiat, non expirat ea gratia iam collatori illi facta, vt in eo capite expresè habetur. Per consequens autem, si illum eundem delegaret in exequtorem contra rebelles, quoad exequutionem eius gratiæ, vel aliquem alium, aut aliquos alios, neque illa delegata potestas talium exequutorū re integra expiraret, vt satis in eo capite innuitur, & cōstat ex *c. si super gratia de offic. deleg. lib. 6.* In eodem capite si cui, subiungitur, si summus Pontifex cōcedat alicui, vt tali vel tali personæ prouideat in tali ecclesia de tali beneficio, aut de talibus beneficiis, non censari gratiam illis factam, sed faciendam à tali collatore ac proinde si summus is Pontifex moriatur re integra antequam ea collatio fiat, expirare eam gratiam nondum factam: quoniam gratia illa non est prouisori facta quo ad potentiam seu facultatem ea beneficia conferendi, sed est gratia concessa vt à collatore fiat in futurum de eis beneficiis iis ipsis de eis prouidendis, quæ cùm nondum sit facta, expirat re integra morte concedentis, vt ita illis fieret. Quo loco obserua, si summus Pontifex aliquem prouiderit de beneficio primò vacaturo in aliqua ecclesia, vt de canonicatu primò in illa vacaturo, tunc quia gratia esset iam illi facta, tametsi effectū exequutionis in futurū habitura, tunc nō expiraret morte concedētis, iuxta ea quæ hactenus dicta sūt, & per cōsequēs, si exequutores cōtra rebelles ac impediētes tradidisset, neq; eorū ad id delegata iurisdictio expiraret re integra morte eius, qui ita eos delegauit.

3 Hinc, quando alicui conceditur facultas dispensandi cū aliquibus, aut aliquid aliud faciēdi, diligenter est attendendum, num id sit gratia ac priuilegium eius, cui talis facultas cōceditur; vel potiùs sit concessio gratiæ, quam concedens facere ea via iis intendit, cum quibus eo modo dispensare concedit. Et quidem si concedatur, vt gratia ac priuilegiū eius, cui talis facultas cōceditur, tūc esto is, qui illā cōcessit, moriatur re integra, nō expirat ea gratia ac priuilegium, sed poterit is, qui eam facultatem accepit perinde dispensare, ac si mortuus non esset, qui eam gratiam concessit. Vnde religiosi, quibus id priuilegium ipsorum similes facultates cōceduntur, vti eis possunt mortuo summo Pontifice, qui eas religionibus, aut etiam priuatis earum, in gratiā ac priuilegiū eis ipsis cōcessit. Si verò alicui cōcedatur facultas dispēsandi cū aliquibus in futurū, aut simile aliud faciendi, non vt gratia eius, cui talis facultas conceditur, sed vt gratia, quæ per eum aliis fiat in futurum, tunc si re omnino integra is moriatur, qui illam concessit, cum nullo dispensare aut vti ea facultate is potest, cui ita fuit concessa. Si autem, qui illam concessit, moriatur post factam cum aliquo aut cum aliquibus dispensationem, sed re adhuc integra cum aliis, cum quibus nondum dispen-

dispensauit, validæ quidem sunt dispensationes factæ ante mortem eius, qui eam facultatē ac gratiam concessit, non verò vti is potest eadem facultate & gratia ad dispensandum, aut ad aliquid aliud faciendum per eam facultatem cum iis, cum quibus vsus non fuerat ea facultate & gratia. Ita *Panor. c. ex tua de filiis presbyt. n. 4.*

4 Quando autem facultas conceditur, vt cum aliquo dispensetur circa matrimonium, circa votum, circa irregularitatem, aut vt à talibus vel talibus criminibus aut excommunicationibus absoluatur, vel vt aliquid aliud circa illum in bonum illius fiat, est magnopere attendendum, an id sit gratia iam concessa & facta illi, cui ea facultas est concessa, vt id circa ipsum ab alio fiat, ita quòd facultas ipsa sibi concessa, vt ab alio id circa ipsum fiat, sit gratia quæ conceditur: an verò solùm concedatur mandatum alteri, seu facultas alteri, vt id circa ipsum in particulari fiat. Et quidem in primo euentu est gratia iam facta ei, cui est concessa, tametsi exequutioni mandanda vlteriùs sit per alium, qui iudicare priùs debeat, an preces veritati fuerint innixæ, & per consequens an ea facultas fuerit surreptitiè acquisita & inualida, videreque debeat, ne forte aliquid legitemè obstet, quominus ad effectum perducatur, aut qui imponere debeat salutarem pœnitentiam & monita salutis dare, vel qui aliquid aliud circa id exercere debeat, vt absoluere sacramentaliter eum pœnitentem, quem tunc præsentem habeat, à casibus reseruatis iuxta ordinis potestatem, quam habeat. Cùm autem in hoc euentu sit gratia iam facta, tametsi quoad aliquid exequutioni mandanda per alium, sanè non expirat morte concedentis. Atque hinc est, quòd dispensationes circa matrimonia, & circa alia, quæ Romæ conduntur, vel in foro exteriori personis in eis nominatis, quæ tamen fiant ab ordinariis in partibus, examinato priùs num preces veræ fuerint, an potiùs aliquid falsum contineant, vel aliquid fuerit suppressum, quod eas concessiones surreptitias efficiat; vel in foro conscientiæ committendo discreto confessori, vt illas circa latorem rescriptorum, quæ in foro conscientiæ expediuntur, exequatur, examinato priùs, an preces veritati innitantur, & seruatis aliquibus, quæ in eis rescriptis seruari præcipiuntur: inde, inquam, est, quòd eiusmodi gratiæ morte concedentis non expirent: quoniam sunt gratiæ iam factæ iis ipsis, quibus conceduntur, vt circa illos fiant; & non sunt nudum mandatum ordinariis, aut discretis confessoribus, vt eas dispensationes ac gratias illis in futurum efficiant. Et hoc profectò est, quod intendere & asserere videtur *Nauar. lib. 5. consil. titu. 33. de priuilegiis cons. 1. num. 1.* tametsi id non ita plenè ac sufficienter explicet. In secundo verò euentu, quando scilicet gratia solùm est mandatum, vt quis illam alteri in futurum efficiat, non est gratia facta, sed in futurum illi facienda, eaq; de causa re integra expirat morte concedentis: atque hoc est, quod disponitur in posteriori parte capitis si cui de præb. lib. 6. & quod etiam Nauar. n. 1. citato intendit ac docet.

5 Consentaneè ad hactenus dicta est dicendū, quādo à Sede Apostolica religioni alicui facultas conceditur audiendi confessiones, absoluēdi ab aliquibus reseruatis, commutandi vota, concionandi, &c. Tunc iurisdictionem illam in foro conscientiæ nō esse propriè ordinariā: quippe cùm eis religiosis id non competat ex munere & officio, quod habeant: sed neque esse propriè delegatā, (tametsi ad delegatā reducatur) eo quòd non habeat conditiones iurisdictionis delegatæ, neque tales religiosi id efficiant nomine summi Pontificis, & quasi vices illius agētes: sed esse gratiam ac priuilegium ipsis in ecclesiæ vtilitatem in salutemque animarum cōcessum: quod proinde morte concedentis non expirat, etiā quoad ea, quæ integra adhuc sunt, nondumque exequutione ab ipsis mandata. Ad ecclesiæ namque vtilitatem potest optimè summus Pontifex eam gratiam idve priuilegium illis concedere, eosque in tota ecclesia ei administrationi exequutioniue eius nudi ministerii præficere, sicut & quouscunque alios particulares. Idē etiā efficere potest quicūq; Episcopus in sua diœcesi, non solùm religiosis, sed etiam quibuscunque priuatis, vt viderit expedire. Neque hi esse censentur delegati Episcopi, quasi vices eius gerant, sed id est gratia, quam in bonū suæ diœcesis pro suo munere ac potestate concedere illis potest, iuxta ea quæ disp. 2. 4. & sequentibus explanata sunt. Ii verò, qui facultatem à parochis accipiunt confessiones suorum parochianorum audiendi, sunt propriè illorum delegati, vices eorum ea in parte gerentes: quippe cùm parochi potestatem non habeant gratiam conferendi, sed solùm loco sui substituere possint approbatos ab ordinario. Quo fit, vt cessante iurisdictione in parocho, continuò his cesset iurisdictio audiendi deinceps confessiones, quā à parocho acceperunt: præsertim cùm eiusmodi confessarii, qui à parocho eam facultatem ac iurisdictionem acceperunt, quasi vicarii parochorum sint, idem tribunal in foro conscientiæ cum illo ea in re efficientes.

Gratia seu priuilegium, si concedatur solùm vsque ad certum tempus, aut interim dum hoc aut illud non euenerit, finito eo tempore, aut re illa eueniente, continuò expirat, vt ex se est notissimum: quoniam non in longius tempus ea gratia fuit concessa.

Gratia seu priuilegium si sub his formis ab 6
aliquo concedatur, vsque ad meum beneplacitum, aut interim dum ea fuerit mea voluntas, aut dum voluero, vel dum ita mihi placuerit, aut adhibitum meæ voluntatis, tunc morte concedentis expirat, & antea, si illam antea reuocauerit. Quia enim in illis omnibus & in aliis similibus loquendi formis sermo est de voluntate ac beneplacito suppositi, quod in hoc seculo viuit: eiusmodi autem voluntas seu beneplacitū morte cessat: cōsequens est, vt cū vita eius, qui id concessit, expiret talis concessio ac precarium, neque sit necessarius actus contrarius, quo ea concessio reuocetur. Ita habetur. *l. 4. ff. locati. c. si gratiosè de rescriptis lib. 6.* & affirmat communis doctorum sententia, quam tractatu *2. disp. 298. §. longè verò* retulimus. Ibidem *§. sunt verò* addidimus & ostēdimus, nō similiter eā voluntatē cessare sōno, ebrietate, furia, aut amentia eā gratiā seu priuilegium concedentis.

Si verò gratia aut priuilegium absolutè con- 7
cedatur, vel sub his formis, quouscq; reuocetur, aut

aut interim dum non reuocabitur, vel interim A dum eam non reuocauerimus, non expirat morte concedentis; eo quòd, vt cesset, reuocatione indigeat, in his omnibus euentibus: reuocatio verò actus est contrarius concessioni, qui ex eo, quòd concedens moriatur, non censetur interuenire. Ita præter *l. cùm precario. §. vlt. l. quæsitum est. §. quod à Titio. ff. de precar. c. vlt. de præcariis*, traditur apertè *c. si dilectus. §. 1. de offic. deleg. lib. 6.* & affirmat communis doctorũ sententia, quam Disp. 298 citata retulimus, quibus adde *Nauar. lib. 5. constitu. 33. de priuileg. conf. 2. de pœnit. dist. 6. c. placuit glossa. 3. & de reditibus eccles. Monito. 8.* quibus in locis multis hæc confirmat, indeque infert, facultatem accipiendi ordines à quocun- B que quis maluerit episcopo alicui concessam non expirare morte concedentis, & subinde neque reuerendas ritè expeditas expirare morte concedentis, aut amittente illo postea iurisdictionem.

8 Si gratia aliqua, aut priuilegium à summo Põtifice sub hac forma concedatur, interim dum hæc fuerit voluntas Sedis Apostolicæ beneplacitũ, vel sub alia simili, tunc morte concedentis non expirat ea gratia, vt habetur *c. si gratiosè* citato: quoniam licèt per mortem summi Pontificis censeatur cessare quo ad id eius voluntas ac beneplacitum, non tamen censetur cessare voluntas ac beneplacitum Sedis Apostolicæ, quæ C continuatur in successoribus in eadem dignitate. Idem est de concessionibus similiter factis ab episcopo, Rege, aut à constituto in alia dignitate. De qua re copiosè diximus Disp. 298 citata, vbi controuertimus ac exposuimus, quæ hoc loco dici poterant, ea ibi legas, ne inutiliter repetantur.

Quando autem facultas audiendi confessiones, aut iudicandi in foro exteriori, concessa esset vsque ad concedentis beneplacitum, valent gesta interim dum ignoratur tale beneplacitum morte aut alia ratione cessasse, argumento *l. si fortè. ff. de offic. pref.* Et quoniam id ita per epi- D cheiam est intelligendum fuisse mentem concedentis eam gratiam: alioquin irrationabilis (ne iniqua dicam) esset voluntas eius, qui nollet eos actus non valere tunc cum dispendio maximo eorum, circa quos essent facti: quod de nulla proba potestate publica est præsumẽdum,

9 Illud circa hactenus dicta obserua, notulam antepenultimam post casum ante glossas *c. si super gratia de offic. deleg. lib. 6.* affirmare, summos Pontifices in crastino suæ confirmationis solere reuocare gratias omnes circa beneficia à suis antecessoribus factas, intellige, quæ effectum non sunt consequutæ, & idem affirmat *Nauar. c. si quando de rescripti. exceptione. 20. n. 11.* addens post Bonifacium octauum summos Pontifices E consueuisse id efficere.

Delegatus variis modis potest subdelegare. Et quando iurisdictio tunc in subdelegante aut in subdelegato expiret. Et quando à subdelegato appellandum sit ad subdelegantem. Et quando delegator constitutos in dignitate sub nomine dignitatis, num in ea delegatione succedat, qui succedit in ea dignitate. Disp. 21.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus vel subdelegat totã causam, vt sibi nihil reseruet: vel partem causæ, reseruando sibi partem illius in priori, reassumere potest sibi causam.*
2. *Si delegatus totam causam delegauit cum hac limitatione, vt subdelegatus, antequam sententiam ferat, teneatur ipsum vel alium consulere, tunc re non integra exspirat iurisdictio in subdelegante.*
3. *Quando delegatus ab ordinario esse ceperit æqualis aut maioris potestatis in eodem tribunali cum delegante, tunc exspirat delegatio in tali delegato.*
4. *Si delegatus partem causæ deleget, reseruando sibi alteram, tunc per eam subdelegationem non exspirat in eo iurisdictio, etiam re non integra.*
5. *Quando delegatus integre causam subdelegauit, si a subdelegato appelletur, erit appellandum, non ad subdelegantem, sed ad primum delegantem.*
6. *Quando delegatus non integre subdelegauit, sed reseruando sibi partem iurisdictionis, appelletur a subdelegato, appellandum erit ad subdelegantem, si adhuc viuat & non ad delegantem.*
7. *Si ordinarius iudex causam deleget, & reseruet sibi sententiam; non aliter potest sententiam sibi reseruare, nisi ter eam causam audiat.*

IN euentibus, in quibus in præcedentibus 1 est dictum, delegatũ posse subdelegare, duobus modis potest. Vno, subdelegãdo totam causam, ita vt nihil illius sibi reseruet. Altero, subdelegando solùm partem causæ, reseruandoq; sibi partem illius, vt sententiam, aut aliquid amplius, vel subdelegando causam, quousque duxerit illam ad se reuocandam, aut interim dum absens fuerit, vel cum alia simili limitatione, ita quòd aliquid iurisdictionis in eam causam sibi reseruet, saltem vt sententiam partialiter cum delegato ferre possit.

Si priori modo causam subdeleget, & res adhuc integra sit, quia subdelegatus nondum iurisdictione sibi commissa vti incepit, (intellige citatione sequuta, iuxta ea quæ Disput. 19 dicta sunt) tunc delegans reassumere potest sibi causam, si vel subdelegationem reuocet, quod pro libito facere poterit, vel subdelegatus re adhuc ita integra moriatur. Vtrumq; habetur expressè *c. quamuis de offic. deleg. lib. 6.* vbi hæc ratio redditur, quoniam interim dum res est integra, non censetur iurisdictio transisse efficaciter in subdelegatum. Si verò res non esset integra, quia iam autoritate subdelegati pars esset citata, tunc eo ipso expirasset omnino iurisdictio in subdelegante, vt habetur *c. super quæstionum. §. porrò*, & apertiùs *c. venerabili, in fine de offi. deleg.* Vbi subiungitur, eum, qui in eo euentu subdelegauit, non posse subdelegare iterum alium loco illius prioris subdelegati: quoniam per primam illam subdelegationem, re non integra, omnino ipsa expirauit iurisdictio.

Quòd si delegatus totam causam delegauit 2 cum hac limitatione, moderaminéve, vt subdelegatus antequam sententiam ferat teneatur ipsum consulere, vel aliquem alium, (sub qua forma posse subdelegare colligitur ex *c. si pro debili-*

tate, iuxta gloſsã ibi verb. *te conſulere de offic. deleg.* notatq; ibi Panor. *Itunc* ſimiliter re non integra expirat iuriſdictio in ſubdelegante: quoniam iniungendo ſubdelegato id onus, nihil iuriſdictionis ſubdelegans ſibi reſeruat. Atque ſubdelegatus tunc tenetur conſulere perſonam ſibi deſignatam, antequam ſententiam ferat: ſi verò illa non conſultat, ſententiam ferat, nulla eſt ea ſententia: eo quòd lata ſit contra formam ſibi à ſubdelegante traditam. Non tamen tenetur ſequi conſilium eius perſonæ, ſed ſolùm eam audire, vt Panor. vbi ſuprà cum *Bart. l. 1. §. ſi plures. ff. de exerci.* & cum aliis affirmat. Lege quæ *tractatu. 2. Diſp. 614. n. 4 & 5* dicta ſunt.

Quæ dicta ſunt, intelligi debent de delegato ſubdelegante: non verò de ordinario delegante. Hic enim, eſtò totam cauſam delegauerit, & delegatus vti ceperit iuriſdictione, cùm tamẽ quatenus iudex ordinarius iuriſdictionem adhuc ad illam cauſam retineat, poteſt illam reuocare, factaq; reuocatione expirat iuriſdictio in delegato: ſicut mortuo in eodem euentu delegato, reuertitur iuriſdictio, aut potiùs ſemper permanſit in ordinario, qui eam cauſam delegauerat. Ita habetur *l. iudicium ſoluitur. ff. de ind. lib. 21. tit. 4. part. 3. gloſſa. c. ſuper quæſtionum. §. porrò de offic. deleg.* Bart. & communis doctorum ſententia, quam *Greg. Lopez l. 21.* citata gloſſa. 1. refert ac ſequitur. Et quamuis ordinarius reuocare poſſit cauſam delegatã, ad eamq; alium delegare, nõ tamẽ debet eam reuocare, vt illã alteri deleget, niſi ex iuſta ac rationabili cauſa, vt abſentiæ delegati, morbi, aut ex alia ſimili. Si tamen etiam ſine rationabili cauſa illã reuocet, credo factum tenere. Atq; in hunc modũ conciliandas cenſeo contrarias ſententias, quas ea de re Greg. Lopez, vbi ſuprà refert. Obſerua tamen ſi delegatus aliquid efficeret circa cauſam ſibi delegatam poſt reuocationem quidem factam, cæterùm antequã reuocatio ad notitiã ipſius deueniret, tũc valida eſſent, quæ ſic reuocationem ignorando feciſſet, iuxta *c. audita. §. vl.* & Panor. ibi, & *l. ſi fortè ff. de offi. preſ.* & cum multis aliis, quos refert, ibidẽ Greg. Lopez affirmat. Habet autem id verum, eſtò partes reuocationẽ ſciant, ſi delegatus eam ignoret, vt cum aliis eodem Greg. Lopez ibidẽ ſubiungit.

3 Quando item delegatus ab ordinario eſſe ceperit æqualis aut maioris poteſtatis in eodẽ tribunali cum eo, qui ipſum delegauit, tunc expirat delegatio in tali delegato, iuxta *l. iudicium ſoluitur. ff. de ind.* & *l. 21.* citatam. Quæ duo iura ſunt intelligenda, vt Greg. Lopez ibi cum Aluerico ea componit.

4 Si delegatus poſteriori modo cauſam ſubdeleget, tunc per eam ſubdelegationẽ nõ expirat in eo iuriſdictio, etiã re non integra, vt patet *c. ſuper quæſtionum de offic. deleg.* & *c. ſi delegatus eod. titu. lib. 6.* Quando autẽ delegatus aliquid cauſæ ſubdelegaret, ſibi reſeruando ſententiam, ſatis eſt perſpicuum, ſi delegatus moriatur ante latã ſententiam, ſubdelegatũ non poſſe eam ferre: quoniam ad id non accepit iuriſdictionẽ: neq; item ſubdelegans poteſt eam ferre, cùm non exiſtat, vt ferre eam poſſit, & cùm morte expirauerit in eo iuriſdictio. Si autem delegatus ſub hac forma ſubdelegauerit; committo tibi vices meas, quoties me abeſſe contigerit; vel ſub hac; donec duxero eas reuocandas; vel donec eas nõ reuocauero; tũc ſanè etiã ſentẽtiam ſub illa limitatione A committit: atq; adeò, ſi ſubdelegatus moriatur re integra ex parte ſubdelegati, expirat ſubdelegatio: ſi verò moriatur re non integra ex parte ſubdelegati, tunc ſubdelegatio non expirat, ſed poterit ſubdelegatus progredi vſq; ad ſententiam: eo quòd ſalua maneat conditio, ſublimitatio, cum qua ſubdelegans eam cauſam ſubdelegauit: quippe cùm mortuus abeſſe dicatur, per mortemq; illius non cenſeatur reuocaſſe vices ſuas. Ita habetur expreſsè *c. ſi delegatus de offi. dele. lib. 6.* Si tamen ſub hac forma ſubdelegaſſet; vſq; ad meum beneplacitum; vel dũ ita voluero; aut dum ea fuerit mea voluntas, tunc morte ſubdelegantis expirat ſubdelegatio, nec ſubdelegatus B poterit vlteriùs validè progredi, iuxta *c. ſi gratioſè de reſcrip. lib. 6.* & affirmat *gloſſa. c. ſi delegatus* citato, & conſtat ex dictis Diſputatione præcedenti, & copioſiùs ex dictis *tracta. 2. Diſp. 298.*

Quando delegatus integre cauſam ſubdelegauit, ſi à ſubdelegato appelletur, erit appellandum, non ad ſubdelegantem, qui eo ipſo, quòd cauſam integre ſubdelegauit, iuriſdictionẽ omnino amiſit, ſed ad primum delegantem, vt ad ſummum Pontificem, ſi ſummus Pontifex fuit, qui delegauit. Ita habetur *c. ſuper quæſtionum. §. porrò de offic. deleg.* & aliis iuribus. 5

Quando verò delegatus non integre ſubdelegauit, ſed reſeruando ſibi partem iuriſdictionis, C appelletur à ſubdelegato, appellandum erit ad ſubdelegatẽ, ſi adhuc viuat, nec impeditus ſit, & non ad primum delegantẽ *c. ſuper quæſtionum. §. porrò de offic. deleg. c. ſi delegatus eod. titu. lib. 6.* Atq; iuxta dicta hoc §. & præcedente, cenſet *Panor. §. porrò* citato conciliandas eſſe, *legem. 1. §. vlt. C. qui pro ſua iuriſd.* vt intelligatur quando cauſa non integre fuit delegata, eaq; ratione ciuile ius cõſentiat, iuraq; cum iuribus concordentur. Atq; eodem modo intelligenda eſt *l. 21. titu. 23. par. 3.* quæ abſolutè affirmat, appellationem à ſubdelegato à delegato à principe faciendam eſſe, non ad principem, ſed ad eum, qui ſubdelegauit, & conſentit Greg. Lopez ibi. Dixi paulo antè, ſi D ſubdelegãs adhuc viuat, nec ſit impeditus: quoniam ſi mortuus iam ſit, aut alia ratione expirauit in eo iuriſdictio, neq; alius illi ſuccedit in iuriſdictione, aut ſubdelegans excommunicatus ſit, vel alia ratione impeditus; tunc, ſi impedimentum durat, appellatur ad primũ delegantẽ, vt patet *c. ſi is, & c. ſi à delegato de offic. deleg. lib. 6.*

Paulo antè dixi, neq; adhuc alius illi ſuccedit in iuriſdictione. Hoc verò idcirco eſt dictũ, quoniam quando ad aliquid delegatur conſtitutus in aliqua dignitate non expreſſo nomine illius, ſed dignitatis, aut quando delegantur aliqui cõſtituti in dignitate, non expreſsis nominibus eorum, ſed dignitatis, vt quando delegantur Epi- E ſcopus Conchenſis & Segobiẽſis, tunc ſi aliquis eorũ moriatur, aut amoueatur ab ea dignitate, ſucceſſor in ea dignitate ſuccedit in eadẽ delegatione. Ita habetur *c. quoniam Abbas de offi dele.* Ratio autem eſt, quoniam quando exprimit dignitas & non nomen perſonæ, aut aliquid per quod intelligatur delegari perſonam ſingularẽ; quę eſt in illa dignitatet, (vſi diceretur, committimus cauſam ei, qui nunc eſt in tali dignitate, aut aliud ſimile) tunc non cenſeretur electa perſona ſingularis, quæ tempore delegationis fuerit conſtituta in ea dignitate, ſed cenſeretur ad id electa perſona quæcunque, quæ vel in præ-

ſenti

senti vel in futuro fuerit in ea dignitate.

7 Illud est obseruandum, de iure ciuili, si ordinarius iudex in euentibus, in quibus dictum in præcedentibus est posse delegare, causam deleget, & reseruet sibi sententiam, non posse aliter sententiam sibi reseruare, nisi ter eam causam audiat, in principio scilicet dum lis contestatur, ita quòd coram ipso contestetur, & in medio saltem semel quo ad aliquid, atq; in fine reuidēdo illucusq; acta, & proferendo sententiam. Iudex verò appellationis non potest reseruare sibi sententiam, & aliquid eius causæ delegare, sed totam causam tenetur ipse examinare & audire, aut causam totam delegare. Similiter delegatus à principe non potest reseruare sibi sententiam, & subdelegare aliquid causæ, sed vel totam causam debet subdelegare, vel nihil illius: in quo canonicū ius, vt ex hactenus dictis patet, & constat ex *c. super quæstionum de offic. deleg.* à ciuili iure differt. Ita habetur de iure ciuili *in authentica ad hæc. C. de iudic.* iunctis glossis ibi, & in *authentico vt defuncti. §. illud*, atque cum Bart. & Alex. id discrimen inter ciuile & canonicum ius tradit *Maranta de ord. iud. tract. 4. dist. 5. n. 42.* Obserua tamen in hoc regno dispositionē illam authenticæ ad hæc seruari quo ad iudicem appellationis, in reliquis verò seruari ius canonicum, iuxta *l. 19. titu. 4. part. 3.* iuncta glossa penult. Greg. Lopez ibi.

De delegato vt procedat appellatione postposita. Et quatenus in exequutione procedere possit, si ab eo appelletur. Atque de subdelegatione ab illo facta, & ad quem à tali subdelegato appelletur. Disp. 22.

SVMMARIVM.

1. *QVando aliquis à summo Pontifice est delegatus vt procedat appellatione postposita, si is subdeleget, tunc subdelegatus non procedit appellatione postposita.*
2. *Si quis deleganit medium causæ, tunc in primis neutra partium recusare potest eum subdelegatum, nisi iusta de causa. Si de consensu partium is subdelegatus sit datus, appellari ex illo nō potest.*
3. *Si delegatus procedat ex principis commissione appellatione postposita, & nihilominus pars à sententia aduersus ipsam latam appellet, a principeq; obtineat, vt iudices alii de appellatione cognoscant, tunc si secunda commissio sit ex certa scientia, is princeps eo ipso censetur admittere eam appellationem.*

1 QVando aliquis à summo Pontifice est delegatus vt procedat appellatione postposita, si is subdeleget, tunc subdelegatus non procedit appellatione postposita. Atque si talis delegatus integre causam subdelegauit, ita vt nihil iurisdictionis sibi reseruauerit, iuxta ea quæ in præcedētibus explanata sunt, tunc ad summum Pontificem est appellandum à tali subdelegato, & non ad subdelegantem: eo quòd subdelegans eo ipso, quòd integre subdelegauit, totā in eam causam iurisdictionem amiserit. Quòd si subdelegauit non integre subdelegando totam causam sub aliqua limitatione, ratione cuius euenire posset vt in aliquo euentu eam posset reassumere aut subdelegando principium vel finem causæ, ipseque subdelegans viuat, nec impeditus sit, tunc appellandum est à subdelegato ad subdelegantem, & non immediatè ad summum Pontificem. Hæc habentur *c. super quæstionum*, præsertim *§. porrò de offic. deleg.*

Si verò subdelegauit medium causæ, vt testium examen, aut aliud simile, tunc in primis neutra partium recusare potest eum subdelegatum, nisi ostendat iustam talis recusationis causam, vt legitimam causam suæ petitionis. Deinde verò, si de consensu partium is subdelegatus sit datus, appellari ex illo non potest, quòd sit suspectus, sed solùm quòd fines mandati formęve subdelegationis excedat. Quòd si de consensu partium datus non sit, appellari ex illo potest, tum quòd suspectus sit, tum etiam quòd fines mandati excedat. Item, quando ita erit appellandum, non ad summum Pontificem sed ad subdelegantem erit appellandum. Qui si duxerit appellationem non suscipiendam, vel comperiendo iustam esse causam recusationis & appellationis, per se ipsum aut per alium, qui nec recusetur, nec fines mandati excedat, causæ medium fuerit exequutus, tunc procedere poterit vsque ad finem causæ. Si autem recusatio subdelegati & appellatio ab eo erat iusta, & nihilominus subdelegans coēgit, vt qui iustè recusabatur, aut qui grauabat, medium causæ exequeretur, tunc ab eo grauamine potest appellari ad summum Pontificem: qui si inuenerit iustam fuisse recusationem, partemque grauatam fuisse, irritum & inane pronunciabit, quod post eam recusationem iustam ac grauamen actum est: si autem summus Pontifex inuenerit, non fuisse iustam recusationem, partemque appellantem grauatam non fuisse, totum, quod erit actum, erit validum: quoniam appellatio illa, non curata nec recepta ab eo, qui facultatem habebat procedendi appellatione postposita, solùm habet effectum deuolutiuum, vt videatur, an iustè sit interposita, atque, si iustè interposita pronuncietur, in consequentiam pronuncientur nulla, quæ post illam fuerunt acta, minimeque fuisse incursas censuras, si quæ post illam ea ratione fuerunt impositæ: non verò habet effectum suspensiuum, vt haberet, si delegatus à summo Pontifice non haberet facultatem procedendi appellatione postposita. Ita habetur *c. super quæstionum. §. porrò. §. quæ verò, & §. vlt. de offic. deleg.* atque iuxta ea intelligitur c. cum te eod. titu.

2 3 Si delegatus procedat ex principis commissione appellatione postposita, & nihilominus pars à sentētia aduersus ipsam latam appellet, à principeque obtineat, vt iudices alii de appellatione cognoscant, tunc si secunda commissio sit ex certa scientia, quia scilicet principi fuit significatum, primum delegatum facultatem habuisse vt procederet appellatione postposita, sanè is princeps eo ipso censetur admittere eam appellationem, neque potest primus iudex delegatus procedere ad exequutionem sententiæ, sed legitimè per secundum impedietur, quousque appellationis merita per ipsum discussa sint, atque circa illa ipse pronunciauerit. Secùs autem si secunda commissio à principe facta non esset ex certa scientia in sensu proximè explicato: quoniam tunc talis commissio esset nulla: & cùm

appellatio sententiæ exequutionem non sus- A pendat, quando fuerat mandatum vt procederetur appellatione postposita, certè iudex primus potest per se vel per alium procedere ad exequutionem suæ sententiæ, nihil impediente tam appellatione, quàm ea surreptitia commissione. Ita *habetur c. pastoralis. §. præterea de offic. deleg.* iunctis iis quæ ibi Panor. tradit.

Suspicio quousque aduersus delegatum & ordinarium de iure ciuili & canonico locum habeat, iudicémque impediat aut non. Excommunicatio item delegantis quousque impediat aut non impediat iurisdictionem delegati; & ordinarii excommunicatio iurisdictionem sui vicarii.

Disp. 23.

SVMMARIVM.

1. *DE iure Cæsareo iudex delegatus recusari potest à litigatoribus ante litem contestatam, præsertim suspectus.*
2. *Qui iudicem delegatum, vt sibi suspectum, recusat, necesse non habet de iure ciuili causam proferre, ob quam suspectum eum habeat, & multo minùs eam probare, sed satis est asserere, se habere illum suspectum.*
3. *Facta recusatione iudicis delegati si ei fiat, ipsemet delegatus cogere debet litigantes, vt arbitros ante triduum eligant, qui causam definiant.*
4. *Quando is, qui recusare vult iudicem delegatum, degit in loco distanti ab eo in quo iudex, tunc recusare eum potest coram iudice ordinario loci in quo ipse residet.*
5. *In Hispania neque iudex ordinarius neque delegatus definunt esse iudices in causa circa quam recusantur, sed in causis ciuilibus adsumunt adiunctum quem ipsi eligunt; in criminalibus verò quos lex illis præscribit.*
6. *Si causa oblata in libello apertè sit nulla, poterit iudex cui offertur, illa spreta, progredi vlterius* D *in lite.*
7. *Quando iudex est recusatus, oblata illi causa recusationis, & processit nihilominus vlterius, non interposita appellatione à recusante ob id grauamen, tunc inualidus est processus ab eo iudice post eam recusationem factus.*
8. *Proposita de iure canonico recusatione iudici exprimendo causam, & iudex recusationem admittat, tunc procedendum non est ad electionem arbitrorum.*
9. *Iudex recusatus, expressa coram illo causa recusationis, non solùm iurisdictionem minimè suspectam habet, sed etiam eam impeditam non habet ad compellendas arbitros electos, vt id munus* E *suscipiant.*
10. *Distinctio inter arbitros iuris & arbitros compromissarios.*
11. *Iurisdictio arbitrorum est extraordinaria à lege introducta ad particularia aliqua cognoscenda.*
12. *Quando arbitri inter se non conueniunt, tunc lege præcipiuntur inter se consentire, vel eligere vnum tertium, & ad id panis cogi possunt à iudice recusato.*
13. *Iudex recusatus potest arbitros inter se discordantes vel tardantes cogere, vt perficiant rem ad quam arbitri constituti sunt, & potest certum temporis terminum illis præscribere, intra quem rem totam teneantur absoluere.*
14. *Quando aliquis delegatus est à summo Pontifice, si antequam recusetur, subdeleget causam in totum, valida est talis subdelegatio, neque subdelegatus potest recusari, nisi sit suspectus.*
15. *In quibus euentibus arbitri non constituantur, estò iudex vt suspectus recusetur proposita illi causa in particulari.*
16. *Quando iudex ordinarius recusatur, tunc eligat arbitros, qui de causa suspicionis cognoscant.*
17. *Quando iudex ordinarius recusatur, potest causam etiam alteri delegare.* B
18. *Quando ordinarius est recusatus, & causam alteri delegauit, appellandum est ad iudicem ordinarium recusatum à tali delegato, non quidem vt ipse de ea cognoscat in gradu appellationis, sed vt deputet delegatum, quem neutra pars recuset.*
19. *Excommunicatio delegantis, si res non sit integra, non impedit iurisdictionem delegati, siue delegatio fuerit facta in totum siue in parte.*

DE iure Cæsareo iudex delegatus, siue sit 1 delegatus à principe, siue à quocunque alio, recusari potest à litigatoribus ante litem C contestatam: quoniam graue est litiganti coram eo iudice contendere, quem sibi suspectum habet. Atque eo ipso, quòd ante litem contestatam is delegatus est recusatus, procedere non potest in causa: si verò procedat, est nullus processus. Is tamen delegatus cogere debet eos litigantes, vt intra triduum eligant arbitrum aut arbitros, qui eam causam tanquam iudices delegati ab eo, à quo ipse fuerat delegatus, definiant, non secùs atque ipse eam erat definiturus, hoc est, cum eadem potestate, & seruata eadem forma, quæ à delegante tradita ipsi fuerat, Hæc habentur *l. apertissimi. C. de iudic. & l. 22. tit. 4. part. 3.*

Dictum est, litigatores recusare posse iudicem D delegatum sibi suspectum: quoniam lex apertissimi, de litigatoribus in plurali loquitur, & non de solo reo, & consentit l. 22. citata, quæ nõ solùm in plurali similiter loquitur, sed etiam addit; *E por esta razon, non quiere mouer pleito* (quod ad actorem spectat) *nin responder en juizio antel*; quod pertinet ad reum. Actor enim, si non eum iudicem delegatum in particulari petiuit, recusare etiam illum potest vt suspectum, etiam ex causa antecedente, nedum ex superueniente de nouo, vt ait *glossa. l. apertissimi* citata verb. *litigatoribus*, iuncta additione in margine.

Dictum etiam est, ante litem contestatam: E quoniam post eam contestatam, cùm in eo iudice consenserint litem coram illo contestando, non possunt postea eum vt sibi suspectum recusare. Quod intelligendum est ex causa præcedente: secùs verò ex superueniente inimicitiarum, vt ait *glossa. l. apertissimi* citata verb. *iudices*, quam approbant doctores in margine ibi citati. Idem verò est ex quacunque alia legitima causa suspicionis superueniente, vt constat ex c. insinuante de offic. deleg. & consentiunt *glossa l. apertissimi* citata, verb. *recusare*, & doctores ibi in margine citati. Quod intellige, nisi qui ex ea superueniente causa vult delegatum recusare, consen-

consensit, saltem tacitè, coram illo litigare continuando, litem post eam causam superuenientem ab eo cognitam, vt habetur eodem *c. insinuante* citato. Item ex causa legitima antecedente recusari potest iudex delegatus, si illam ante litem contestatam ignorabat is, qui ex illa cognita post litem contestatam vult eum recusare: atque quando contrarium non constat, statur ipsius iuramento, quòd illam antea ignorauerit. Ita habetur *c. pastoralis de excep.* & vtrumque affirmat *Greg. Lopez. l. 22.* citata, verb. *ante que el pleito sea començado.* Qui addit, si ante litem contestatam litigatores consenserunt tacitè vel expressè in iudice delegato, (quod intellige, cognita causa legitimæ recusationis,) non posse eum, etiam ante litem contestatam, recusare: iura tamen, quæ ad id citat, non vrgent.

2 Qui iudicem delegatum vt sibi suspectum recusat, necesse non habet de iure ciuili causam proferre, ob quam suspectum eum habeat, & multo minùs illam probare, sed satis est asserere, se habere illum suspectum. Ita glossa communiter recepta verb. recusare citato, quę multis id confirmat, & est expressè dispositum *l. 22* citata. Eadem lex 22 ait, recusantem ita iudicem delegatum debere iurare se habere illum suspectum, neque id malitiosè efficere animo protrahendi litem: quod limitat, modò tamen id iuramentum ab eo exigatur. Idem iuramentum præstandum ab eo esse, asseruerat *glossa* verb. *recusare* citato, communiter approbata à doctoribus in margine ibi citatis, & ab aliis: neque ea limitatio, si id iuramẽtum ab eo exigatur, quam lex 22 subiungit, aliena meo iudicio est à verbis eius glossæ. Gregorius tamen Lopez ibidem, verb. *si le demandaren la iura*, ait, praxim receptam esse, vt id iuret, estò ab eo id iuramentum non exigatur. Et hodieque dispositum id videtur *l. 1. titu. 5. lib. 3. ord. quæ est. l. 1.* (aucta aliquantulum) *titu. 16. lib. 4. nouæ collect.* illis verbis: *Si alguna de las partes alegare, que a por sospechoso à el alcalde, y lo jurare.* Idemque esse referuandum disponitur in calce eius legis primæ nouæ collectionis, quando iudex delegatus recusatur vt suspectus.

Recusationem ait lex 22 citata fieri debere, *afrontandolo ante omes buenos, è diziendo ante ellos, como lo a por sospechoso, è por esta razon non quiere mouer pleito, nin responder en juyzio antel.* Vbi innuitur, satis esse recusationem fieri verbo coram aliquibus, si iudex præsens sit, iuxta *l. 2. ff. de appel. Glossa tamen. l. vlt. verb. libellum. C. de iud.* approbata à Bal. Saly. & Ias. ibi in margine allegatis, potiùs censet fieri debere scripto, iuxta *l. 2. C. de sent. ex breui* (aliàs ex periculo) *recit.* Atque *glossa. l. apertissimi* verb. *libello* ait, recusationem fieri posse vel coram ipso delegato, vel coram delegante, vel si absentes sint, coram iudice ordinario loci, in quo recusans habitat, iuxta *l. vl. c. eod. titu.* sicque fieri debere. Quoniam res periculosa est, & tristissimos solet sortiri euentus, sub iudice suspecto subire iudicium; idcirco ego tunc, aut (si alteri, quàm delegato, offeratur) talis delegati, recuso iudicium, quem mihi suspectum habeo. Atque iudici, coram quo ea recusatio fit, tradi is libellus recusationis debet. In eo autem in hoc regno, & ex communi praxi, addi debet iuramentum, quòd verè eum suspectum habeat. Porrò ad recusandum delegatum, inducię dantur viginti dierum à puncto citationis ei, qui illum recusare voluerit, vt quo ad id deliberet, vt habetur in *authentica offeratur de litis contest.* & refertur *3. q. 3. §. offeratur*, affirmatque *glossa. l. vlt. C. de iud. verb. triduum.*

3 Facta recusatione iudicis delegati, si ei fiat, ipsemet delegatus cogere debet litigantes, vt arbitrum aut arbitros intra triduum eligant, qui eam causam definiant. Cùm enim iurisdictionem ob recusationem non amittat, sed lata sententia per arbitros, si ab illa non sit appellatum, ipse exequutioni debeat illam mandare. Vt habetur l. vlt. C. de iud. sanè ad ipsum, facta recusatione, spectat cogere litigantes, vt intra triduum arbitrum aut arbitros eligant, vt satis apertè habetur l. apertissimi citata, habeturque expressissimè *l. 22.* citata: tametsi ad id & ad aliqua possit auxilio iudicis ordinarii, vt habetur *l. apertissimi* citata. Si autem à sententia arbitrorum appelletur, non ad delegatum recusatum, sed ad delegantem est appellandum, vt habetur l. vlt. C. de iudic. Quòd autem de triduo dictum est, habetur eodem l. vlti. Quòd si partes à iudice recusato compulsæ, vt arbitrum aut arbitros intra triduum eligant, eos intra id triduum non elegerint, tunc iudex ordinarius loci eligere debet arbitrum aut arbitros, & illi, quos ita elegerit, de ea causa cognoscent, illamque definient. Eligendos verò illos tunc esse à iudice ordinario, & non à iudice recusato, habetur expressè l. 22 citata, & consentiunt *l. apertissimi*, & l. vlt. citatæ, suffragaturque hæc vrgens ratio. Quoniam cùm ab arbitris eligendis pendeat eius causæ definitio, sanè sicut iudex recusatus suspectus est habitus vt causam definiat, ita simul est censendus suspectus vt eos arbitros eligat, qui illam definiant: quare sicut appellatio ab arbitris non deuoluitur ad ipsum, sed ad eum, qui ipsum delegauerat, vt habetur l. vlt. citata: ita electio arbitrorum ad ipsum pertinere non debet, sed ad iudicem loco ordinarii, estò exequutio sententiæ, postquam ab arbitris fuerit lata, ad ipsum recusatum pertineat, vt habetur l. vlt. citata.

4 Quando is, qui recusare vt sibi suspectum vult iudicem delegatum, degit in loco distanti ab eo, in quo iudex delegatus existit, ita vt molestum ei esset accedere illò, tunc recusare eum potest coram iudice ordinario loci, in quo ipse reside: atque tunc iudex is ordinarius compellet litigantes, vt intra triduum arbitrum aut arbitros eligant: si verò illos intra id triduum non elegerint, ipse iudex ordinarius eos eliget, sed exequutio sententiæ ab arbitris latæ spectat ad iudicem delegatum, qui fuerat recusatus, nisi eam exequutionem committere iudici ordinario velit. Hæc omnia habentur *l. vlt. C. de iudic.*

De eodem iure Cæsareo, si iudex ordinarius recusetur vt suspectus modo prædicto, non propterea definit esse iudex in eadem causa, sed tunc definire eam debebat vnà cum episcopo, vt habetur in authentica si verò *C. de iudiciis*: quod in praxi de iure communi non seruatur, sed ipse iudex eligit vnum aut duos probos viros, qui secum eam causam definiant. Ita sancitum est l. 22. titu. 4. part. 3.

5 Hodie verò in hoc regno in seculari foro neque iudex ordinarius neque iudex delegatus desinunt esse iudices in causa, circa quam recusantur, sed in causis ciuilibus assumunt adiunctum, quem ipsi eligunt: in causis verò criminalibus, quos *l. 1. titu. 5. lib. 3. ord. quæ est. l. 1. titu. 16. lib. 4. nouæ collect.* aliquantulum aucta, illis præscribit. Ea autem lex sic habet: *Recusaciones ponen los demandados algunas vezes contra los jueżes maliciosamente, por no responder à las demandas que les son pueśtas: porende ordenamos y mandamos, que si alguna de las partes alegare, que a por sospechoso a el alcalde y lo jurare, que en los pleitos ciuiles tome el jueż consigo por compañero a vn hombre bueno, para que libren el pleito ambos à dos de consuno: y el juzgador y el hombre bueno, que assi fuere tomado, juren sobre los santos euangelios, que bien y derechamente libraran el pleyto y guardaran el derecho à ambas partes. Y en los pleytos criminales, si en aquel lugar ouiere otro alcalde, que ayan y libren todos de consuno el pleyto principal. Y si no ouiere otro alcalde, que los regidores, que son deputados para ver hazienda del consejo, den entre si dos sin sospecha, que esten con el alcalde à oyr y librar el pleyto. Y que hagan juramento como dicho es, y si no se auinieren à los nombrar, echen suertes quales dos dellos esten con el alcalde como dicho es. Y los que fueren nombrados, ò en quien cayere la suerte, que sean tenudos à oyr el pleyto, y hagan la dicha jura en la manera que dicha es. Y si en el lugar no ouiere hombres ciertos para ver la hazienda de consejo, que el alcalde, ante quin fuere el pleyto, tome quatro hombres buenos de los mas ricos del lugar, y estos echen entre si suertes, quales dos dellos esten con el dicho alcalde. Y aquellos à quien cayere la suerte, sean tenudos de jurar, y de se ayuntar con el dicho alcalde à oyr y librar el dicho pleyto. Y mandamos que lo suso dicho, dispuesto en los jueżes ordenarios, aya lugar en los delegados.*

Et lege 2. titu. 5. lib. 3. ord. quæ est. l. 2. titu. 16. lib. 4. nouæ collect. sic subiungitur: *Mandamos, que el acompañado, que fuere tomado por el jueż sobre suspecha contra el fecha por la parte, sea tenido de oyr, y vaya à las audiencias que se hizieren sobre el dicho pleyto, no auiendo legitimo impedimento que lo pueda excusar: y que lo aga assi so pena, que pague a la parte las costas y daños, que por su culpa se hizieren del processo retardado. Y à el tiempo que sea recebido por acessor, jure y prometa de hazer su buena y honesta diligencia, porque el pleyto se fenezca lo mas breue que ser pueda.*

De iure verò Lusitano qui cognoscant de suspicionibus propositis, & quousque admittantur, vel non, & in quibus euentibus, qui illas proponunt, deponere debeant decem aureos aut quinque, quos amittant recusatis, nisi illas probauerint, lege *lib. 3. ord. titu. 22.* per totum, & *titu. 2.* per totum, *part. 3. legum extrauag. & l. 7. §. 40. titu. 1. part. 3. & l. 4 & 5. titu. 20. part. 1. & l. 10. titu. 22. part. 1.*

Lege vnica *C. si quacunque prædit. potestate habetur*, si iudex quicunque vim fuerit molitus facere mulieri, aut fecerit, etiam per solas minas & terrorem, vt secum contrahat matrimonium, tunc ita esse suspectum quo ad omnes causas illius mulieris, & eorum, qui sunt de familia eiusdem mulieris, vt omnes omnino exempti sint ab illius iurisdictione in ciuilibus & in criminalibus, ita vt neque cum assessore possit de illis cognoscere.

Quæ dicta sunt quo ad recusationem iudicis, delegati aut ordinarii, magna ex parte aliter disposita sunt de iure canonico, aliterque locum in foro ecclesiastico habent. Qui enim vt sibi suspectum recusare vult iudicem ecclesiasticum, siue delegatum siue ordinarium, proponere quidem ante litem contestatam coram illo (vt habetur c. cum speciali mox citando) debet libellum recusationis in scriptis modo suprà explicato, vt etiam affirmant *glossa. c. secundo requiris. §. tertiò. verb. coram eodem de appella.* Panor. ibi & alii doctores communiter, sed exprimere in eo debet causam aut causas recusationis in particulari, quas probare postea debet coram arbitro aut arbitris eligendis, vt iudicent, an sufficienter talis causa aut tales causæ ita propositæ probentur, & an sufficientes sint, vt is iudex suspectus ab illis habeatur. Ita habetur *c. suspicionis de offic. deleg. c. secundo requiris. §. tertiò. c. cum speciali in prin. de appell.* iuncto *c. si quis contra clericum de foro comp. & c. legitima de appell. lib. 6.* Adeò autem verum est, causam aut causas recusationis proponendas esse in particulari iudici, qui recusatur, vt de illis tantùm cognoscere possint arbitri, qui eligendi sunt, qui de causis recusationis iudicent: non verò de aliqua alia, quam recusans coram illis postea proponere velit, vt cum *Ioann. l. And. & & Specul. Panor.* ait, *c. secundò requiris de appell. num. 6.* & consentit *clem. appell. anti. eod. titu.*

Quòd si causa in libello oblata apertè sit nulla, poterit iudex, cui offertur, illa spreta, minimeque curata, progredi vlteriùs in lite. Ita cum Inno. Host. & Ioan. And. additio in margine glossæ, verb. iustæ suspicionis c. cum speciali de appellat. Quòd si, pars quæ illum ex ea causa recusabat, contendat, causam sufficiétem esse, appellare poterit ab eo eius iudicis grauamine ad superiorem eius iudicis, vt Panor. *c. cum speciali de appell. num. 6.* rectè ait, & consentit apertissimè *c. super quæstionum. §. vlt. de offic. deleg.* resque ex se est satis perspicua. Quamuis enim à iudice aliquo appellari non possit ea ex causa, quòd suspectus sit, vt, cum Inno. bene ibidem Panor. ait; tum quia aduersus suspectum est aliud proprium remedium à iure statutum, illum scilicet recusare: tum etiam quoniam ex eo, quòd iudex suspectus sit, nondum sanè grauat; appellatio verò solùm est à grauamine, quo iudex grauat: quamuis, inquam, à iudice aliquo ea de causa appellari non possit, nihilominus quando iudex non curat suspicionem rationabilem sibi propositam, eaque posthabita procedit in causa, grauat, integrumque proinde est ei, qui illam ei proposuit, quique contendit rationabilem esse, appellare ab eo illius grauamine. Tunc verò, meo iudicio, si iudex, qui vt suspectus recusabatur, pronuncietur, meritò non curasse causam suspicionis sibi obiectam, vel quia euidenter ad id insufficiens erat, vel quia euidenter erat falsa, validus

lidus est processus, & omnia per illum acta, non curata ea iniusta recusationis causa, neque id est, quod Panor. *c. cum speciali à n. 12.* disputat, nobiscumque ibidem n.15 consentit. Quando autem pronunciaretur, causam suspicionis fuisse sufficientem, aut dubiam, dignamque, attentis circumstantiis tunc concurrentibus, quæ examinaretur, tunc inualidus esset processus, actaque ab eo à puncto causæ suspicionis sibi oblatæ essent inualida: eo quòd appellatio tunc ritè fuisset interposita, vt constat ex *c. super quæstionum. §. vlt. de offic. deleg.*

7 Quod autem Panor. à n. 12 citato disputat, est. Vtrùm quando iudex est recusatus, oblata illi causa recusationis, non apertè nulla, nec apertè falsa, & processit nihilominus in causa, non interposita appellatione à recusante ob id grauamen, vtrùm, inquam, tunc validus sit processus ab eo iudice post illam recusationem factus, validaque proinde sint ab eo post talem recusationem effecta. Panor. ibidē refert opinionem Inno. Antonii à Butrio, Cardinalis, & quorundam aliorum, asserētium validum esse talem processum. Item opinionem glossæ *c. quotiens episcopi. 2. q. 6. verb. appellare*, Bart. & quorundam aliorum, contrarium asserentium, inualidum scilicet esse talem processum. Item Lapi opinionem asserentis, id pendēre à futuro euentu, vt si postea pronuncietur causam recusationis iustā fuisse, sit inualidus talis processus; si verò pronuncietur insufficiens, sit validus. Præterea refert quorundam aliorum opinionē dicentium, de iure canonico esse inualidum, saltē si postea pronuncietur causam recusationis fuisse insufficientem: quoniam de canonico iure non satis est proponi causam, sed necesse est probari, & pronunciari per arbitros ad id electos, sufficientem esse: de iure verò ciuili processum esse nullum: quoniam satis est proponi suspicionem ac recusationem, vt inficiatur iurisdictio eius iudicis, ne validè possit vlteriùs procedere, vel per se ipsum, vel sine alio adiuncto, si iudex sit ordinarius, iuxta ea quæ suprà dicta sunt. Mihi verò probatur opinio Panormitani ibidem asserentis, inualidum esse processum, tam de iure canonico, proposita recusatione exprimēdo causam, quàm de iure ciuili, si is recusans, estò citaretur, post talem recusationem propositam, non comparuit coram eo iudice recusato: quoniam eo ipso, quòd eo modo proposita fuit illi iudici recusatio, fuit infecta & suspensa ipsius iurisdictio, vt procedere ipse non posset in causa, donec recusatio proposita examinaretur per arbitros, atque circa illam per eosdem arbitros pronunciaretur. Neque ad ipsum, sed ad iudicem recusatum spectabat præcipere & cogere, vt nominarentur arbitri, vt subiiciemus. Neque quòd recusans citatus esset, quicquam illi obest, si citatio fuit ad procedendum in causa: quoniam iudex per recusationem erat ad id impeditus, inualidaq; proinde erat ad id talis citatio, & citatus iustam habebat exceptionem, ne accederet. Si autem, qui iudicem prædicto modo recusauerat, coram illo comparuit post recusationem, respondendo tanquam reus, vel agendo, si erat autor, tunc per eum actum tacitè consensit in illius iurisdictionem, censeturque à recusatione recessisse, validusque proinde est processus circa eam causam continuatus.

A Proposita de iure canonico recusatione iudi- 8
ci exprimendo causam, si iudex recusationem admittat, quòd videat causam verā ac sufficientem esse, vt in eo euentu possit ac debeat eam admittere, tunc procedendum non est ad electionem arbitrorum, qui de ea causa cognoscant, vt Panor. *c. cum speciali* citato *n. vlt.* ait, & ex se est satis perspicuum: sed id tunc est faciendum, quod postea faciendū esse dicemus, quando arbitri legitimam fuisse causam vt is iudex recusaretur pronunciant. Si verò iudex recusationem non admittat, contendens causam vel falsam esse, vel insufficientē vt recusetur; tunc, vt *Panor. n. vlt.* citato ait, quia recusans neq; tē-
B netur probationes ipsi iudici offerre, neq; quicquā aliud facere, quàm expectare vt iudex compellat eligere arbitros, sanè tunc ad iudicē spectat cogere litigantes, vt arbitrum aut arbitros eligant: vel, si ipse ex officio procedat, etiam si ad solam inquisitionē procedat, isq;, de quo inquirit, eum vt sibi suspectū ad eam inquisitionē faciendā recuset exprimendo causam, ob quam illum recusat, cogere debet recusantem, vt arbitrum vnum eligat, & iudex ipse eliget alterum, qui de ea suspicionis causa iudicent, vt habetur *c. cum speciali de appel.* iuncta *glossa ibi* verb. *cum iudice*, quæ tamen malè eum textum restringit, vt in illo solùm sit sermo de iudice ordinario, &
C non etiam de delegato, vt *Panor. ibi n. 10.* meritò ait, & alii doctores communiter. Dixi paulo antea, ad iudicē spectare tunc cogere litigātes, vt arbitrū aut arbitros eligant: quoniam si conueniant in vno & eodem arbitro, is sufficit, sententiæq; illius erit standum, consentit *glossa. c. secundo requiris. §. tertiò. verb. in aliquos de appel.* & cum Speculatore affirmat Panor. ibidem. n. 12. Idemq; est dicendum quando iudex procedens ex officio & recusans eligere debent arbitros: si enim in vno & eodē conueniant, eoq; sint contēti, is sufficit, eiusq; sententiæ erit standū. Quando verò non consentiunt in eodem arbitro, aut in eisdem arbitribus, tunc recusans eligit vnum,
D & alter cum eo litigans, vel iudex, si ex officio procedat, eligit alterum. Arbitri autem eligi debent in partibus non valde remotis, vt habetur *§. tertiò* citato. Vnde *Panor. ibidem. n. 7.* colligit, recusantem non teneri eligere arbitrū in loco vbi est iudex recusatus, sed posse eligere illum extra eum locum, dummodo nō valde distet. Dicetur verò (subiungit Panor.) valde distare secundùm doctores, si distet vltra duas dietas, iuxta c. nonnulli de rescrip. hodie verò si distet vltra vnam dietam, iuxta *c. statutum de rescrip. lib. 6.* Itē eiusmodi arbitri esse non debent laici, vt affirmat glossa *c. legitima de appel. lib. 6.* verb. *formam iuris*, iuncta additione ibi in margine, & consentit *c.*
E *bene quidem. 96. dist.* quoniam eiusmodi arbitri veram iurisdictionem habent ecclesiasticam ad id, ad quod eliguntur, definiendum, & ad testes compellendum ad testificandum, atque ad præscribendum recusanti terminum, intra quē suspicionis causam probare coram ipsis debeat, vt dicemus: iurisdictio verò ecclesiastica personam exigit ecclesiasticam. Item si arbitri ab vno electi, alteri parti sint suspecti, recusari ab ea possunt, non secùs atque iudex ipse suspectus recusatus est. Ita *glossa* verb. *forma iuris* citata.

Iudex recusatus, expressa coram illo causa recu- 9
sationis, non solùm iurisdictionē minimè suspe-

ctam habet, nihil impediente ea recusatione, ad compellendum litigantes, vt arbitrum aut arbitros eligant, vel ad compellendum recusantem, vt secum, si ipse ex officio procedat, arbitrū aut arbitros modo explicato eligat, vt patet *c. suspicionis. §. ab ipso de offic. iud. deleg. c. secundo requiris. §. tertiò de appel.* sed etiam eandem suam iurisdictionem impeditam non habet ad compellēdos arbitros electos vt id munus suscipiāt, (intellige nisi legitimam ad id excusationem ostenderint) & vt illud secundùm formam iuris prosequantur, ad debitumq; finem perducant. Ita habetur *c. suspicionis §. ab ipso.* citato, & cum glossa ibi affirmat ibidem *Panor. n. 8.* habetur etiam *c. cum speciali de appel.* vbi præceptū in virtute sanctæ obedientiæ, atque sub obtestatione diuini iudicii, eis à summo Pontifice imponitur, vt id munus fideliter vsque ad finem exequantur, vbi glossa ait, iudicem ad id posse illis pœnam imponere, & *c. legitima de appel. lib. 6.* habetur, iudicem pœnam excommunicationis, vt id exequantur, eis interdum imponere.

10 Porrò eiusmodi arbitri ita ex dispositione iuris ad cognoscendum & iudicandum de aliqua re electi, qui proinde arbitri iuris nuncupantur, longè diuersi sunt ab arbitris commissariis, quos priuati pro libito sibi eligant, lege non refragāte, sed annuente ac concedēte, in eisq; compromittunt, vt controuersias inter ipsos cōponant, suaq; sententia definiant; qui idcirco compromissarii arbitri nuncupantur, de quibus post has Disputationes de iudicibus delegatis nobis futurus est sermo. Compromissarii enim arbitri compelli non possunt vt munus suscipiant: arbitri verò iuris, cùm ex iuris dispositione necessarii ad id sint, ad quod ex præscripto iuris eligi præcipiuntur, cōpelli (vt dictū est) possunt munus suscipere, illudq; executioni mandare, atq; ad debitum finem perducere. Item arbitri compromissarii nullam iurisdictionem habent, nec vim compulsiuam in testes, aut in quoscunque alios, sed solùm eo vsq;, qui in eis compromittunt, coram ipsis contendere, & stare ipsorum sententiæ tenentur, quousq; se ad id pœna, contractu, aut etiam iuramento astrinxerint: iuris verò arbitri iurisdictionem habent à lege ad ea omnia, quæ ad id necessaria sunt, ad quod sunt instituti. Vnde arbitri, de quibus nobis hoc loco est sermo, præscribere possunt partibus terminum, intra quem probare corā ipsis debeant causam aut causas recusationis iudici propositas veras esse, aut esse falsas, si aduersarius falsas esse prouare velit. Possunt item citare & compellere testes, vt ad testificandum accedāt, eosq; punire si delinquant, & reliqua omnia efficere, quæ ad munus sibi iniunctum necessaria iudicauerint, vt habetur *c. suspicionis de offic. deleg.* iuncta *glossa ibi* verb. *ad quos omnia*, quæ hęc omnia variis iuribus probat, & *Panor. in eodē. c. n. 3.* Sententia quoque horum arbitrorum vim habet, vt & cæterorū iudicum habentium iurisdictionem: potestq; ab ea appellari ex rationabili causa, & à quocunq; alio grauamine horū arbitrorum, vt si terminum minùs competentem partibus præscribant, intra quod causas recusationis probent, aut si in aliquo alio aliquam earum grauent. Ita habetur *c. arbitri de offic. deleg. lib. 6.* & affirmant glossa citata & doctores communiter. Appellandum tamen ab eis est, non ad iudicem recusatum vt suspectum, quoniam similiter esset suspectus vt de ea appellatione cognosceret, sed ad Sedem Apostolicam, vt habetur *c. arburi* citato. Quod intelligendum est, quando iudex recusatus erat delegatus Sedis Apostolicæ. Si enim delegatus ab alio esset, qui vel ordinarius iudex esset, vel sibi iurisdictionē circa eam causam reseruasset, tunc ad delegantem esset appellandum. Quando verò iudex ordinarius esset recusatus, & ab arbitris appellaretur, qui de causis eius recusationis cognoscerent, tunc ad superiorem eius ordinarii esset appellandum.

Glossa. c. suspicionis de offic. deleg. verb. *ad quos omnia*, ait iurisdictionem horum arbitrorū esse quasi ordinariam *Panor. ibi. n. 9.* refert opinionem Inn. illam esse ordinariam: quoniam est ea lege: lex verò ordinariam iurisdictionem tribuit. Refert item sententiam speculatoris & Ostiensis eam esse delegatam. Item opinionem Ioann. And. innuentis, esse mediam quandam speciem inter ordinariam & delegatam. Panor. ibi arbitratur magis accedere ad delegatam, quàm ad ordinariam, eo quòd sub titulo de iudice delegato in decretalibus *c. suspicionis, & in 6. c. arbitri* de ea agatur. Dicerem, esse iurisdictionem quandam extraordinariam à lege introductam ad particularia aliqua cognoscenda ac definienda circa causas aliquas, tam in quibus proceditur iurisdictione delegata, quàm in quibus proceditur iurisdictione ordinaria, atq; accedere multum ad ordinariam, meritoque proinde glossam citatam appellasse illam quasi ordinariā. Et cùm extraordinaria sit, & ad quippiam limitatum statuta, delegari non potest, neque eiusmodi arbitros debere necessariò habere conditiones requisitas in iudicibus delegatis, de quibus conditionibus Disp. 25 erit sermo. Agitur verò de eiusmodi arbitris sub titulis de offic. delegati: quoniam frequenter iudices delegati recusantur vt suspecti, locumq; tunc habent eiusmodi arbitri, vt de causis earum suspicionum cognoscant.

Quando arbitri sunt electi, vt illi de causa aut causis suspicionis cognoscant, si inter se nō conueniant, sed vnus arbitretur causam aut causas sufficiētes esse, sufficienterq; probari, ac proinde iudicem suspectum esse, alter verò contrarium sentiat, tunc lege præcipiuntur, vel consentire inter se, vel eligere vnum tertium, ad idque sub censuris & pœnis cogi possunt ac debent à iudice, qui recusatur, qui similiter cogere potest eum tertium ita electum vt id munus acceptet ac exequatur. Et tunc in quam partem omnes aut duo ex illis tribus cōuenerint, eamque iudicauerint, illa est sequenda. Ita habetur *c. suspicionis. §. ab ipso de offic. delegati. c. cum speciali de appel. & c. legitima. eod. titu. lib. 6.* Ac sanè si duo priores arbitri non consentiant, tertius cum illis in re proposita ferre debet sententiam circa eam suspicionem, vt Panor. c. suspicionis citato. n. 5. rectè affirmat. Lege etiam illum n. vlt.

Iudex, qui recusatur, si in mora sint arbitri ea de re iudicandi, aut eligendi tertium, quando inter se discordant, non solùm sub censuris & aliis pœnis potest illos cogere vt id efficiant ac perficiant, sed etiam certum terminum temporis competentis potest illis præscribere, intra quem teneantur rem totam perficere

ac

ac absoluere: quòd si intra id tempus rem non definiant, potest tunc iudex, qui recusabatur, nihil curata causa, aut nihil curatis causis recusationis, quæ illi erant obiectæ, progredi in causa principali, ac si pronunciatum ab arbitris fuisset, ipsum minimè esse suspectum. Ita habetur *c.legitima de appell.lib.6.* Neque id caput derogat capiti suspicionis, & aliis decretalium, vt *glossa. c.suspicionis.& c.secundò requiris,ac.c.cùm speciali* sæpius citatis, perperam affirmat, quasi præscribere terminum, intra quem arbitri pronunciare debeant circa causas suspicionis, de quo c. legitima loquitur, attineret iuxta illa alia priora iura ad arbitros ipsos: id enim ridiculum sanè est: quippe cùm nullus sibi ipsi terminum præscribat, intra quem facere aliquid astringatur, sed alteri. Caput autem suspicionis, & alia iura, loquuntur de longè diuerso determino, quem arbitri præscribere possunt partibus contendentibus iudicem esse suspectum, intra quem probent, causas suspicionis iudici propositas, veras esse aut non esse.

14 Quando aliquis delegatus est à summo Pontifice, (qui proinde subdelegare potest, etiam in totum, iuxta superiùs dicta) si antequam recusatio vt suspecto aduersus eum proponatur, subdeleget causam in totum, ita vt nihil illius reseruet, valida est talis subdelegatio, neque subdelegatus potest recusari, nisi ipse subdelegatus sit etiam suspectus, causaque suspicionis subdelegato obiciatur, & aduersus eum probetur. Secùs si delegatus à summo Pontifice non subdelegasset totaliter, sed aliquid iurisdictionis, modis Disp. 21 explicatis, sibi reseruasset: tunc enim, cùm maneat iudex, recusari potest, ac impediri posset subdelegatio. Idem credo esse, si in totum subdelegasset, cæterùm res adhuc esset integra ex parte subdelegati, vt affirmat glossa. c. iudex de offic. deleg. lib. 6. verb. nequibit: cùm enim in eo euentu maneat adhuc iurisdictio in delegante, possitque causam ad se reuocare, vt Disp. 21 citata dictum est, & habetur c. quamuis eod. titu. lib. 6. recusari adhuc delegans poterit ratione illius iurisdictionis, & impediri subdelegatio. Postquam autem delegatus à summo Pontifice recusari cœpit, proposita coram ipso causa recusationis, est distinguendum. Quoniam si nondum per arbitros est pronunciatus suspectus; tunc, estò probata integre coram illis esset suspicio, subdelegare integre potest de consensu recusatoris: secùs autem sine illius consensu: quoniam eo ipso, quòd proposita coram illo est recusatio, subdelegare non potest nisi de consensu recusatoris. Si autem arbitri iam pronunciarunt illum esse suspectum; tunc, cùm eo ipso iurisdictionem amiserit, definiuitque esse iudex, sanè neque de consensu recusatoris, neq; etiam de consensu vtriusque partis, potest subdelegare: quoniam partes conferre iurisdictionem non possunt ei, qui nulla ratione est iudex. In eo ergo euentu casu ad superiorem delegantem remittetur, vt *Panor. c. cum speciali de appel. n. 4.* ait, atque ex se liquet. Hæc omnia habentur c. si iudex citato.

15 In sequentibus euentibus arbitri non constituuntur, estò iudex vt suspectus recusetur proposita illi causa in particulari. Primus, si delegatus ab ordinario recusetur. Tunc enim arbitri non eliguntur, qui de ea recusatione cognoscat, sed iudex ipse ordinarius, non suspectus, de ea cognoscit ac iudicat. Ita habetur *c.si contra vnum de offic deleg.lib.6.* Quod meritò ibi glossa intelligit, dummodo ordinarius ipse non multũ distet. Ea enim ratione in delegato summi Pontificis arbitri eligũtur, quoniam summus Pontifex solet multum distare: atq;, vt sumptibus & molestiæ parcatur, non cognoscit de causa suspicionis summus ipse Pontifex per suos immediatos ministros, sed eliguntur arbitri, qui de illa cognoscant: eadem verò est ratio, quando ordinarius multum distat, & delegatus ab illo vt suspectus recusatur. De qua re lege *Panor. in repetitione* addita *c.si quis contra de foro compet. in calce. n. 21.*

Etiam meritò glossa ibidem affirmat, si delegatus à summo Pontifice subdeleget, non in totum, sed reseruata sibi parte aliqua iurisdictionis, atque subdelegatus recusetur, nec subdelegans recusetur, nec multum distet, eligendos non esse arbitros, qui de ea recusatione cognoscant, sed subdelegantem debere de ea cognoscere: quoniam est iudex superior: & quando iudex superior adest, qui de recusatione possit cognoscere, arbitri non habent locum.

Secundus est, quando vicarius iudicis ordinarii, vnum tribunal cum eo efficiens, ac proinde iudex ordinarius simul cum illo existens, recusatur: tunc enim ordinarius ipse principalis, nisi suspectus sit, de ea recusatione cognoscit, neq; ad id arbitri eliguntur. Ita habetur c. si contra vnum citato. Intellige similiter, si ordinarius non multum distet: nam tunc arbitri erunt eligendi propter rationem circa primum euẽtum redditam, vt rectè glossa citata ait.

Quando multi ad eandem causam à summo Pontifice delegati sunt, si vnus eorum recusetur, quando eligendi non sint arbitri, sed aliud condelegatus aut alii condelegati cognoscere de ea recusatione debeant, & quando eligendi sint, sequenti Disputatione dicetur.

16 Quando iudex ordinarius recusatur, siue ille episcopus sit, siue quicunque alius, (potest enim quantacunque præfulgeat dignitate recusari ex rationabili causa, vt *Panor.c.si quis contra de for. comp.n.6.* ex eo rextu notat) tunc sequi potest, si ita velit, viam hactenus traditam ac explicatam, vt scilicet eligantur arbitri, & illi de causa suspicionis cognoscant ac pronuncient. Atque si illum suspectum pronuncient, poterit, si velit, causam remittere ad superiorem, vt episcopus ad metropolitanum, vt *Panor. c. cum speciali de appel.n.5.* ait, & apertè id ibi habetur in fine principii, quę verba de iudice ordinario solo & non de delegato intelligo, si ab arbitris sententia fuit pronunciata, quòd esset suspectus. Addit verò eo.n.5. Panor. eum esse vnum ex euentibus, in quibus metropolitanus sine appellatione ad ipsum cognoscere potest de causa suorum suffraganeorum. Poterit etiam non remittere illam ad superiorem, sed ipsam delegare modo, quo statim subiungam eum vti posse statim à principio, quando ei recusatio proponitur. Et postquam causa definita à iudice à se delegato fuerit, poterit ordinarius, quod iudicatum fuerit, exequutioni mandare. Cùm enim ex eo, quòd iudex ordinarius ab arbitris suspectus pronuncietur, non amittat iurisdictionem, vt illam amittit delegatus eo ipso, quòd ab arbitris pronunciatur suspectus, sed

iudex

iudex ordinarius maneat, etiam eorũ inter quos est ea causa, impeditam dumtaxat habens iurisdictionem ad vsum cognoscendi per se ipsum de ea causa atque ad sententiam circa illam ferendam, sanè impeditus nõ est ad delegandam eandem causam ei, aut iis iudicibus, quos litigantes suspectos non habeant, neque item ad mandandum exequutioni id, quod is iudex à se delegatus aut quod hi iudices à se delegati iustum atque exequendum pronunciauerint, iuxta ea quæ proximè subiungo. Atque in hoc, & in eo, quod mox subiungo, differt iudex ordinarius à delegato.

17 Poterit etiam iudex ordinarius, quando recusatio ei proponitur, non vti via hactenus explicata, efficiendi scilicet vt arbitri eligãtur, qui de ea suspicione cognoscant ac iudicẽt, sed causam ipsam delegare poterit alicui, qui de illa cognoscat, & circa illam pronunciet: idq; siue eam deleget, quia notorium est se esse suspectum, siue quia se talem agnoscit, etiam si id notorium non sit, siue deniq; vt eam arbitrum electionem euitet, & contentionem coram illis, iudicium q; illorum, estò res sit dubia, aut certum sibi sit, se neutri litigantium esse suspectum. Quòd si is delegatus ab altero litigantium suspectus etiam habeatur, tunc is ordinarius deputare poterit aliquẽ (credo idem poterit efficere per se ipsum) qui litigantes compellat, vt aliquem vel aliquos ipsi eligant, cui aut quibus ordinarius ipse eam causam deleget. Et quod ab ita delegato aut ab ita delegatis fuerit iudicatum, ordinarius ipse exequutioni mandare poterit. Hæc omnia habentur c. si quis contra citato de foro competenti. Atque circa hæc omnia longam texit Panor. ibi Disputationem, & in repetitione ei capiti adiunctam, relatis variis opinionibus, docteque confutatis. Aliquid etiam ea de re dicet *c. cum speciali de appell. n. 11.* Nos verò pauca dicemus, remittendo lectorem ad longiorem illam Disputationem.

Prædicta hoc modo Panor. Ipcis citatis optimè intelligit: Quòd cùm ordinarius, siue recusationis causa sit solùm coram ipso proposita, siue etiam sit iam pronunciatũ ab arbitris ipsum esse suspectum, siue, estò pronunciatum non sit, id sit notorium facti notorietate aut iuris, quia est iã integre coram arbitris probatum: quòd cùm, inquam, ordinarius in his omnibus euentibus iurisdictionem quo ad eos litigãtes & quo ad eam causam non amittat, sed solùm illam habeat suspensam & impeditam, ne de ea causa cognoscere possit per se ipsum, aut circa illam pronunciare sententiam, & quo ad reliqua, etiam quo ad vsum, retineat illam minimè impeditam, vtique in his omnibus euentibus possit eam causam alteri, cui ipse voluerit, delegare, vt de ea cognoscat, eamque definiat, idque minimè requisitis litigantibus, vt eam ita deleget, minimeque necessario ad id illorum consensu: quia tamen litigantes recusare etiam possunt talem delegatum ex iusta causa, datumque eum delegatum esse sine ipsorum consensu ab ordinario recusato, illum ex parte suspectum efficiat, ait sanum consilium esse, vt talis ordinarius recusatus, à principio ex consensu partium deleget eam causam ei, in quem litigantes consentiant, ne postea eum recusare possint, nisi ex superueniente causa. Quòd si sine partium consensu, iure suo vtendo, illam causam delegauit, posteaque ab altero litigantium recusetur, & vel ab arbitris ad id electis pronuncietur suspectus, vel id non expectando, statim ac recusatur, velit idem iudex ordinarius alium delegare, vt potest, non solùm semel, sed pluries id efficere; tunc, vt breuitati consulatur, debet à litigantibus petere, in quem velint consentire, vt ipsum de communi illorum consensu deleget, aut si in nullo velint consentire, potest iudicem creare, qui ad id illos cogat, aut ipse per se ipsum potest ac debet illos cogere, vt tandem de communi illorum consensu aliquis aut aliqui delegentur, qui de ea causa cognoscant, & circa illam sententiam proferant.

Itaque vult Panor. iudicem ordinarium statuere aliquem, qui litigantes cogat vt consentiant in aliquo aut in aliquibus, quibus causa delegetur, aut ordinarium ipsum ad id eos cogere, solùm esse introductum permissiuè & de consilio, (potiùs dicerem, non de consilio & permissione, sed ita vt ordinarius ad instantiam partis aut partium teneatur id efficere) vt causæ citiùs finiantur: non verò quasi alioquin integrum non sit ordinario, vt delegato recusato (siue arbitri ad cognoscendum de ea suspicione eligantur, & pronuncient illum suspectum, siue non eligantur) delegare alium & alium, quousque deueniatur ad aliquem, qui non recusetur: quoniam semper ad id integra manet iurisdictio ordinarii recusati, minimeque quo ad eum delegandi actum impedita.

18 Dubium est, quando ordinarius fuit recusatus, & delegauit causam iuxta hactenus dicta, si à tali delegato appelletur, vtrùm appellandum sit immediatè ad eum ordinarium recusatum, qui delegauit, an verò prætermisso eo iudice medio, appellandum sit ad superiorem eius ordinarii. Panor. latè examinat hoc dubium *c. si quis cõtra* citato à n. 20, & rursus in repetitione eiusdem capitis à n. 26. Relatis verò ac refutatis variis ea de re opinionibus, affirmat appellandum esse ad iudicem ordinarium recusatum, nõ quidem vt ipse cognoscat de ea causa in gradu appellationis, circa quam est recusatus, sed vt deputet delegatum, quem neutra pars recuset, aut in quem vtraque pars consentiat, electum eo modo, quo in prima instantia explanatum est. Sicut enim actor, qui iudicem rei ordinarium suspectum habet, ipsum adit aduersus reum, non quidem vt de ea causa cognoscat, sed vt eam alicui non suspecto deleget: sic in gradu appellationis is, qui à delegato appellauerit, recurrere debet ad eundem ordinarium delegatum, non vt ille de eo gradu appellationis eiusdem causæ cognoscat, sed vt modo, quo ad primam instantiam explicato, eum gradum deleget alicui, aut aliquibus, qui neutri parti sint suspecti, aut qui de consensu vtriusque partis ad id sint delegati. Sicut enim per recusationem ordinarii, etiam si suspicio probata esset, pronunciatumque ab arbitris esset, ipsum esse suspectum, non euanuit iurisdictio in eo ordinario, sed mansit non impedita ad effectum, vt modo suprà explicato, delegare eam causam posset: ita impedita non mansit, vt in gradu appellationis delegare similiter eandem causam posset, vt quo ad eum appellationis gradum à iudice à se similiter delegato cognosceretur ac iudicaretur.

De

De cauſis ad recuſandum iudicem aliquem vt ſuſpectum, quæ ſufficientes ad id ſint, quæ non item, inferiùs ſuo loco in hoc quinto tractatu dicetur.

19 Quod ad vltimum in titulo huius Diſputationis propoſitum attinet, eſt dicendum: Excommunicationem delegantis, ſi res non ſit integra, non impedire iuriſdictionem delegati, ſiue delegatio fuerit facta in totum, ſiue in parte. Ita *gloſſa vlt. in fine de offic. deleg. Inno. & Panor. ibi. n. 8. & Maranta de ord. iud. part. 4. diſt. 5. n. 70.* Quod probat *Panor. ex. c. ſi is cui de offic. deleg. lib. 6.* vbi habetur, ſi delegatus in parte ſubdelegauit, & ſubdelegans ſit excommunicatus, tunc durante in ſubdelegante impedimento excommunicationis, non eſſe appellandum à ſubdelegato ad ſubdelegantem, ſed ad ſummum Pontificē: vnde conſtat excommunicationem delegantis nec impedire nec ſuſpendere iuriſdictionē delegati, ſubdelegatumque in parte non efficere vnum tribunal cum ſubdelegante: multo magis id verum habet in ſubdelegato, aut in delegato in totum. Dictum eſt ſuprà, ſaltem ſi res ſit integra: quoniam Panor. n. 8. citato cenſet, ſi res nō ſit integra, & delegans excommunicetur, ſuſpendi iuriſdictionem in delegato ipſius, vt ea vti validè non poſſit. Ducitur *c. quamuis de offic. deleg. lib. 6.* Sententiam Panor. refert *Maranta n. 70.* citato, neque eam improbat. Ego autem arbitror contrariam opinionem eſſe gloſſæ *c. licèt* citato: quæ cenſet, non ſicut re integra expirat iuriſdictio in delegato morte delegantis, ita expirare excommunicatione delegantis: quoniam excommunicatio non eſt mors naturalis, ſed ciuilis delegantis: atque quod diſpoſitum reperitur *c. quamuis* citato de morte naturali delegantis, vt excilicet ea expiret re integra iuriſdictio delegati, quia mandatum re integra, morte mādantis expirat, extendendum non eſſe ad mortem ciuilem delegantis per excommunicationem: quoniam nuſquam diſpoſitum reperitur, quòd mandatum morte ciuili mandantis expiret. Caput autem quamuis citatum non negat tranſlatam efferturis doctrinam in delegatum re integra, ſed negat tranſlatum eſſe efficaciter, ita vt id mandatum reuocari non poſſit, ſaltem tacitè morte mandantis, ex iuriſque diſpoſitione. Atque hanc illius gloſſæ ſententiam veram eſſe exiſtimo. Quod verò ad vicarium ordinarii attinet, ſanè quando vicarius vnum tribunal cum ſuo ordinario cuius eſt vicarius efficit excommunicato principali ordinario, ita vt iuriſdictionem validè exercere non poſſit, impedita quoque remanet iuriſdictio vicarii, quæ omnino pendet à iuriſdictione ordinarii principalis, neque alia à iuriſdictione ordinarii principalis reputatur. Ita habetur expreſsè *c. Romana. §. vlt. de offic. vicar. lib. 6.* Bene tamen obſeruat *Maranta. n. 70.* citato, quando iuriſdictio ordinaria non eſt vicarii preſsè ſumpti, quòd is, à quo deriuata fuit, excommunicatus ſit, non ſuſpendēre iuriſdictionem eorum, in quos fuit deriuata, vt quòd Rex aliquis excommunicetur, non impedit iuriſdictionem iudicum ordinariorum, qui ab ipſo ante ſuam excommunicationem creati ac deſtinati erant in ſuo regno.

Quot modis contingat multos ad aliquid delegari. Quando eorum aliquis recuſatur, quis de cauſa ſuſpicionis iudicare debeat. Quouſque ſubdelegare ſinguli poſſint. Ad quem ab ipſis ſit appellandum. Quando neceſſe ſit omnes ſimul concurrere, quando non item. Si diſcordent, quorum ſententiæ ſit ſtandum. Et quid, quo ad hoc quando multi iudices ordinarii eandem cauſam definiunt. Diſp. 24.

SVMMARIVM.

1. *MVlti ad aliquid delegantur abſque alia declaratione, ſi tunc aliquis eorum moriatur re adhuc integra, tota delegatio eo ipſo expirat: poſſunt etiam ſinguli ſubdelegare.*
2. *Si tres delegati eſſent ad eandem cauſam à Principe, & duo ſubdelegarent duos alios in parte, qui cum tertio collega immediato à Principe procederent, tunc non eſt appellandum ad duos ſubdelegantes, ſed ad Principem delegantem.*
3. *Poſſunt etiam multi iudices delegari ad aliquam cauſam, ſed cum clauſula, vt ſi omnes inter ſe nequiuerint, ſaltem duo de ea cognoſcant: tunc ſi vnus intereſſe non poſſit, ſed velit ſubdelegare, non tenetur alter committere ſubdelegatum, ſed poteſt ſolus ad cognitionem cauſæ procedere: vel ſi vnus ex tribus tunc recuſetur, & alter moriatur, tunc niſi defunctus ſubdelegaſſet vices ſuas tertio remanenti minimè impedito, non poſſet validè procedere in cauſa, ſed recurrendum tunc eſset ad primum delegantem.*
4. *Multi etiam poſſunt delegari ad aliquid cū clauſula, vt vnus aut multi vel vnus eorum id exſequatur: atque tunc quilibet eorum ſolus poterit id exſequi. In his tribus modis ſemper ſtandum eſt ſententiæ maioris partis: quando aliud non diſponitur.*
5. *Quando multi ordinarii concurrunt ad aliquid, non vt ſinguli, ſed vt vniuerſitas, tunc non ſatis eſt maiorem partem non conuenire in vno, quam ſint ſingulæ partes quæ conueniunt in alijs: ſed neceſſe eſt in primis, vt duæ ſaltem partes è tribus ſint ad id congregatæ ex iis, qui intereſſe poſſunt.*
6. *Quod ſi iudices delegati diſcordent in ſententia & pares ſint, neutra ſententia præualet, ſed recurritur ad delegantem: ſecus porrò in iudicibus ordinariis.*
7. *Iudices ordinarii ſi diſcordent & pares ſint, quibuſdam reum abſoluentibus, quibuſdam condemnantibus, ſtatur ſententiæ abſoluentium.*

VAriis modis euenit, vt multi ad eandē cauſam ſeu rem delegentur ſimul. Primò, abſque alia declaratione. Atque tunc neceſſe eſt vt ſimul omnes ad id delegati concurrant: alioquin ſi, vel vno eorum deficiente, cæteri concurrant ac ſententiam ferant, ſiue definitiuam ſiue interlocutoriam, (vt bene Panor. iuxta textum ibi *c. cum cauſa. 1. de offic. delegati* obſeruat) totum eſt irritum & inane. Ita habetur *c. cauſam matrimonii de offic. deleg. l. duo ex tribus. ff. de re iudic. l. ſi in tres. l. ſicut. ff. de receptis arbitris, & l. 17. titu. 22. part. 3.* Habet autem id verū, etiam ſi, qui abſens eſt, conſenſiſſe ſcripto ad alios coniudices ea de re miſſo, vt cæteri ſine ipſo ſententiam ferrent, vt habetur *l. 17.* citata, & conſentit *l. ſicut* citata.

Inter

Inter alias autem rationes, hanc reddit *l.17.* citata: quoniam fortasse is, qui abest, in contrariam sententiam iudices traxisset, si fuisset præsens.

Quia ergo in hoc euentu eorum omnium iudicum præsentia requiritur, quando sententia fertur, inde euenit, quòd si vnus eorum è vita discedat antequam sententia feratur, tota delegatio eo ipso expiret, neque iurisdictio ad causam prosequendam, & ad sententiam ferendam, in cæteris iudicibus, sed recurrendum ad delegantem tunc sit. Ita colligitur *ex. c. licèt*, & habetur *c.vno de offic.deleg.* Si tamen sub nomine dignitatis multi essent delegati, vt episcopus Cõchensis, Orimensis, & Segouiensis, vnusque eorum è vita discederet; tunc, quia dignitas non moritur, & ille non quo ad personam, sed quatenus habet eam dignitatem, erat delegatus, non expirat delegatio, sed suspenditur quoúsque succedat aliquis in ea dignitate, & tunc is succedit in ea delegatione loco defuncti, iuxta ea quæ in calce Disp. 21 dicta sunt.

Quando modo explicato multi ad eandem causam delegantur, possunt singuli in euentibus Disp. 15 & 21 explicatis subdelegare ad eandem causam. Atque quemadmodum vnusquisque eorum subdelegare potest aliquem alium, ita subdelegare potest suum collegam & coniudicem in eandem causam. Quo fit, vt si tribus causa aliqua delegata sit à principe, & duo eorum subdelegent & committant vices suas tertio remanenti, is solus possit validè causam finire, nomine quidem proprio tanquam delegatus, & nomine aliorum duorum tanquam subdelegatus ab illis. Atque si subdelegauerint in totum aut in partem, ita vt re non integra morte subdelegantium non expiret iurisdictio in subdelegato iuxta ea, quę Disp. 21 dicta sunt, eueniatque alterum subdelegantium aut vtrumque mori re non integra, sed postquam subdelegatus vsus est iurisdictione ipsi ab illis subdelegata, tunc sanè poterit solus expedire causam, nihil impediente morte collegarum, qui simul cum ipso ad eam causam à principe delegati sunt: secùs autem si alter subdelegantium aut vterque moriantur re non integra: quippe cùm iurisdictio expiret re non integra morte aut amissione iurisdictionis subdelegantis quauis alia ratione. Hæc constat ex *c.quamuis.1.& ex.c.licèt.§.vlt.de offic. deleg.*

Si tres modo explicato delegari ad eandem causam essent à principe, & duo eorum subdelegarent in parte duos alios, qui cum tertio collega immediatè delegato à principe procederent: atque appellaretur ab his tribus, tunc non esset appellandum ad duos subdelegantes, sed ad primum delegantem, hoc est, ad principem. Ita habetur *c.si duo de offic.deleg.* Idem est, si duo essent delegati, & vnus eorum subdelegasset, aut si plures, quàm tres, essent delegati, aut aliquis aut aliqui eorum subdelegassent, vt glossa ibi ait: est enim eadem ratio. Idem quoque est, si subdelegassent tertium collegam, vt ibi glossa ait: quoniam similiter est eadem ratio. Atq; idè longè maiori cum ratione est, si in totum subdelegassent, vt glossa ibi ait: quoniam tunc non est locus vt ad subdelegantes appellaretur, vt Disp. 21 dictum est. Quòd si omnes tres in partem subdelegassent, siue eundem, siue diuersos, tunc ab eo subdelegato aut ab eis subdelegatis appellaretur immediatè ad eos tres subdelegantes, & non ad principem, iuxta ea quæ Disp. 21 dicta sunt.

Quando multi modo explicato à principe ad eandem causam delegantur, si vnus eorum vt suspectus recusetur, antequã ille in totum subdelegasset, suspenditur iurisdictio aliorum, vt procedere validè non possint in eadem causa, eamque definire quousque causa suspicionis iudicetur: atque si is suspectus pronuncietur, reliqui progredi non possunt in eadem causa. Ita colligitur *ex.c.licèt de offic.deleg.* & constat apertè ex dictis. Cùm enim reliqui sine illo progredi validè non possent in ea causa: & ille, si suspectus pronuncietur, aut interdum vt suspectus est recusatus, neque circa suspicionem pronunciatũ concurrere validè cum illis non possit: liquidò sanè constat, interim dum id obstaculum illius perseuerat, reliquos non posse validè progredi in ea causa. In euentu autem, de quo loquimur, siue omnes legati recusentur, siue vnus, aut multi ex illis, arbitri sunt eligendi, qui de ea suspicione iudicent, reliquaque sunt efficienda, quæ Disputatione præcedente sunt explicata: neque reliqui delegati, qui vt suspecti non recusantur, iudicare de ea suspicione debent, vt in aliis euentibus, quos subjiciemus, iudicare de illa debent. Ita habetur c. si contra vnum de offic. deleg. lib. 6.

Vtrùm autem quod dictum est in euentu, de quo loquimur, inualidâ scilicet esse sententiam latam à reliquis delegatis, si vel vnus eorum, qui ad eam causam delegati sunt, absens sit, intelligendum sit solùm de sententia definita, non verò de interloquutoria, quasi interloquutoria valeat. *Greg.Lopez.l.17.* citata verb. *el juizio*, affirmanter respondet cum glossa. 1. in fine. l. Pomponius (aliàs incipit, si vni) ff. de re iud. & cum Paulo Castrensi ibi. Contrarium verò rectiùs cum Bart. affirmat Panor. c. causam matrimonii de offic. deleg. consonantiùs ad id caput, & ad alia iura, reiecta glossa illa. Obserua tamẽ glossam illam, si expendatur, non loqui de omni interloquutoria, sed de illa tantùm, qua vnus sine alio aut aliis præciperet partes adesse. Cæterùm in eo etiam euentu glossa c. prudentiam in prin. verb. teneatur de offic. deleg. contrarium affirmat, dicitque reum ad citationem duorum tantùm non teneri comparere. Tametsi tutius esse dicat, vt compareat & intelligat, an id faciant, quia tertius est impeditus, aut quia se excusauit, vel quia illis vices suas delegauit, & cognito nihil horum interuenisse, posse se habere pro non ad id citato, & agere aduersus eos duos iudices ad expensas. Ait etiam iudices illos malè efficere, quando ob impedimentum tertii aut alia de causa soli possunt procedere, non exprimendo in citatione, cur sine illo tertio procedere possint.

In euentu autem, de quo loquimur, vtrùm, si iudices omnes adsint, & proferant sententiam, sed inter se discordes sint, sententia valeat, & quorum sententiæ tunc sit standum, in calce huius Disputationis dicetur.

3 Secundo modo possunt delegari multi iudices ad aliquam causam, vt tres, (verbi gratia) sed cum clausula, vt si omnes inter se nequiuerint, duo nihilominus de ea cognoscant, eamque definiant. Atque tunc si non constet de impedimento tertii, aut quòd venire non velit, licèt possit,

possit, & duo procedant in causa sine illo, totũ, A quod fecerint, irritum est & inane. Ita habetur c. prudentiam in prin. & §. adjicimus, & c. cùm causa de offic. deleg. Quòd si legitimè constet tertium vel habere impedimentum, vel estò illud non habeat, venire non velle, quãuis malè faciat, sitque reprehendẽdus, (quin & puniẽdus à delegante, vt ibi glossa affirmat) duo tamẽ tunc procedere possunt in ea causa: quoniã ad effectũ vt soli duo progredi in ea possint, perinde reputatur tertiũ venire non velle, atque non posse venire. Ita habetur, *c. prudentiam* citato, *§. adjicimus de offic. deleg. Glossa. c. cùm causa* citato, verb. *ab illis*, si ter admonitus à duobus aliis condelegatis, vt accedat, non accesserit, præsumi non velle venire, etiam si dicat, se recessurũ, B ac proinde extime posse eos duos solos procedere in ea causa. Hæc, quæ dicta sunt, quando duo delegantur cum illa clausula, quòd si non omnes interesse possint, duo ex illis procedant, sunt similiter intelligenda, quando duo delegantur ad aliquã causam cũ clausula, quòd si ambo interesse nõ possint, vnus procedat, vt habetur c. prudentiã citato. §. idẽ quoq;, aut si similis clausula, quòd si nõ omnes aliis modis varietur.

Quando duobus causa committitur cũ clausula, quòd si ambo interesse non possint, vnus illam definiat; tunc, si vnus interesse non posit, sed velit subdelegare, non tenetur alter cõmit- C tere subdelegatum, sed potest procedere solus ad cognitionem & definitionem causæ. Ita habetur. *c. coram dilecto de offic. deleg.* Idem intellige, si tres delegarentur cum clausula, vt si omnes interesse non possint, vnus solus procederet: remanentes quippe non impediti admittere nõ tenerentur subdelegatum aut subdelegatos.

Hinc, si princeps duobus committat causam, vt in ea procedant appellatione postposita, & cũ clausula, quòd si ambo interesse non possint, alter solus procedat, sanè si eueniat, alterum adesse non posse, & committat collegæ condelegato vices suas, alterque collega procedat simul vt subdelegatus sui collegæ, neque poterit sub- D delegare causam: eo quòd subdelegatus nõ possit subdelegare; neque item poterit procedere appellatione postposita: cùm tamen, si admittere noluisset vices sui collegæ, sed solus procedere, posset subdelegare, & procedere posset appellatione postposita. Hæc omnia habentur expresè *c. super quæstionum. §. si verò de offic. deleg.* Redditur verò ibi hæc ratio: quia quod talis delegatus potest ex sola iurisdictione sibi à principe delegata, nõ potest cũ iurisdictione sibi à cõdelegato subdelegata. Ibi dẽ additur, in euentu, in quo est dictũ, delegatũ procedere non posse appellatione postposita si ab eo appelletur, appellãdũ esse ad principẽ, & nõ ad collegã, qui eũ E subdelegauit, vt aliqui non bene existimauerãt.

Si causa aliqua duobus committatur, cum clausula, quòd si ambo interesse non possint, alter solus procedat, eueniatque vt vnus eorum pronuncietur suspectus, alterque qui solus procedere poterat, procedat simul cum eo, totum sit irritum & inane: cùm tamen si solus processisset, totum fuisset validum: quod enim solus efficere validè poterat, non potest validè efficere cum illo alio recusato. Ita habetur c. cùm super de offic. deleg.

Quando tribus committitur causa cum clausula, quòd si omnes interesse non possint, duo illam definiant, euenitque vnum legitimè recusari vt suspectum, & alterum mori, tunc nisi defunctus subdelegasset vices suas tertio remanẽti minimè impedito, & is ante mortem subdelegantis vti cæpisset iurisdictione sibi delegata, non posset validè progredi in causa, sed recurrendum tunc esset ad primum delegantẽ: quoniam iam tunc causa expediri non posset iuxta formam rescripto ipsis præscriptam, vt scilicet duo saltem illam definiant; inualida autem sunt, quæ à subdelegatis fiunt non seruando formam delegationis ipsis commissæ. Quòd si is tertius remanens non impeditus vti cepisset ante mortem subdelegantis iurisdictione sibi ab illo subdelegata, tunc progredi optimè posset in causa post mortem subdelegantis, causamque finire. Hæc omnia habentur c. licet de offic. deleg. Idẽ dic, si antequam illi alteri recusatio ob suspicionem obiceretur, subdelegasset non impedito vices suas, iuxta ea quæ præcedente disputatione dicta sunt.

In secundo modo delegandi multis aliquam causam hactenus explicato, nempe cum clausula, vt si aliquis aut aliqui interesse non possint, reliqui procedant ac causam definiant, si vnus aut multi eorum recusentur vt suspecti, eligendi nõ sunt arbitri, qui de ea suspicionis causa iudicent, sed reliquus aut reliqui non recusati iudicare de illa causa suspicionis debent. Ita habetur. *c. si contra vnum de offic. deleg. lib. 6.* Quando tamen omnes recusarentur, tunc quia nullus eorum remaneret non recusatus, qui iudicare de ea suspicione posset, recurrendum est ad arbitrorum electionem, iuxta ea quæ disputatione præcedente dicta sunt.

Tertio modo delegari possunt multi ad ali- 4
quid cum clausula, vt omnes, aut multi, vel vnus eorum id exequatur. Atque tunc quilibet eorũ solus poterit id exequi. Cæterùm vno eorum negotium inchoãte, alii non possunt vlteriùs se in illo intromittere, nisi ille morbo aut alia iusta de causa non possit, vel non velit, aut malitiosè procedere recuset: tunc enim quilibet eorum procedere potest. Item vno illorum perpetuante iurisdictionem, quia in vita delegantis negotium inchoauit, nec res integra mãsit, perpetuata iurisdictio remanet quo ad omnes, ita vt omnes per mortem delegantis progredi in causa possint. Hæc omnia habentur. *c. cum plures de offic. deleg. lib. 6.*

In euentibus omnibus tota hac disputatione explicatis, si multi simul concurrant ad sententiam ferendam, statur sententiæ maioris partis. *l. Pomponius* (aliàs si vni) *in fine. l. si duo. ff. de re iud.* & *l. 17. titu. 22. part. 3.* Excipitur in euentu. *c. pastoralis in prin. de rescrip.* quando scilicet per diuersa rescripta iudices delegati diuersi obtenti sunt ab vtraque parte, & dubitatur, quæ literæ valere debeant, primæ ne an secundæ, & vtrique iudices coniuncti cognoscere ac definire aggrediuntur, quæ literæ quibus sint præferendæ, si enim iudices dati vno illorum rescriptorum distant à iudicibus datis alio rescripto, estò plures dati sint vno rescripto, quàm alio, non prævalent illi plures: quoniam ad eum effectum omnes vnius rescripti reputantur pro vno, & omnes alterius rescripti reputantur pro alio.

Idem verò, quod de delegatis est dicendum in iudicibus ordinariis, quando multi concurrent ad sententiam ferendam in eadem causa, standum scilicet esse sententiæ plurimorum, vt habetur *l. 17.* citata, & consentiunt iura alia citata. *Panor. c. vlt. de sent. & re iud. n. 11.* inter alia exempla, quæ adhibet, quando multi iudices ordinarii concurrant simul ad eandem causam, vnumque est, quando Episcopus aliquis, aut Archiepiscopus, duos aut plures vicarios creat, qui loco sui ex suo tribunali easdem causas definiãt. Sic in aliquibus archiepiscopatibus deputantur multi auditores, qui causas aliquas definiant. In hoc autem regno accõmodatum habemus exẽplum in prætoriis Pinciano ac Granatensi, & in supremo consilio Regio, atque in aliis *consejos*, quos vocant, in quibus loco Regis varii senatores deputantur ad res definiendas, qui iudices sunt ordinarii, vt in calce disp. 13 dictũ est. Quãdo verò aliud non disponitur, standum sententiæ seu iudicio ac definitioni maioris partis. Sic *l. 7. titu. 4. lib. 2. nouæ collect.* præcipitur, vt in supremo consilio regio stetur maiori parti suffragiorum ac definitioni senatorum. Idẽ quoad prætoria Pincianum & Granatense habetur *l. 41. & 42. titu. 5 lib. 2. nouæ collect.* vbi nihilominus præcipitur, vt senatores, qui à maiori parte fuerint discordes, subscribant in sententiis vnà cũ maiori parte quæ prævaluit.

Dixi, quando aliud non disponitur. Quoniã *l. 47. titu. 4. lib. 2. nouæ collect.* disponitur, vt tabelliones in supremo consilio regio examinentur à tribus senatoribus, & vt nisi omnes tres cõsentiant, habiles atque idoneos ad id munus eos esse, non admittentur ad tale munus.

Et *l. 8. titu. 1. lib. 2. nouæ collect.* circa leges, seu pragmaticas, ferendas, aut abrogandas, itemque vt circa illas dispensetur, sic est dispositum: *Ordenamos y mandamos, que quando se tratare en nuestro cõsejo de hazer alguna ley nueua, o pragmatica, o de derogar o dispensar con alguna ley, ayan de concurrir y concurran en vn voto todos los del consejo, que se hallaren presentes en el consejo, o por lo menos las dos partes, y nos lo consulten, para que proueamos en ello lo que conuenga a nuestro seruicio, y al bien publico de nuestros reynos.*

Lege 43. titu. 5. lib. 2. nouæ collectionis, statuitur, vt in prætoriis Pinciano ac Granatensi, in quibus senatores quaterni in aulis diuersis, vt ciuilia negocia expediant, diuisi esse solent, statuitur, inquam, vt quando negocia ciuilia sunt grauia, quæ æstimationem centum mille maraedinorum excedunt, stetur quidẽ iudicio maioris partis senatorum eius aulæ, cæterũ si tres non cõueniant omnino in idem placitum, iungantur senatores eius aulæ cum senatoribus sequentis aulæ, steturque iudicio plurimorum eorum omnium: quòd si neque tunc tres ex eis omnibus conueniant omnino in idem placitũ, iterum coniungantur omnes cum senatoribus sequẽtis aulę, & stetur similiter plurium suffragio seu iudicio: atque ex omnibus his senatoribus consentiant tres in idem omnino placitum, vt reus absoluatur, vel condemnentur, vocentur, atque assumantur simul alii viri docti, qui Regis legisve illius autoritate suffragia ferant, quousque tres saltem ex eis omnibus in idem omnino placitum cõueniant. Ibidem. l. 44. subiungitur, quando quia tres saltem senatores in idem placitum omnino non consentiunt, (semper computatur etiam præsens, si adsit & suffragium ferat) coniunguntur senatoribus sequentis aulæ, aut aularum sequentium, vt simul rem definiant, si eueniat, antequam res in alia aut in aliis aulis videri incipiat, concordare tres senatores aulæ, in qua antea res erat definienda, id fiat, quod illi definierint. Si verò res videri iã cæperat in alia aut in aliis aulis, omnes illi rem definiant, & stetur iudicio ac suffragio plurium eorũ omniũ, modò tamen tres saltẽ cõsentiant in idẽ omnino placitum, vt dictum est. Excipitur, quando aliqua de causa senatores primæ aulæ non viderant probationes aliquas, aut scripturas, quibus visis, tres eorum omnino consentiunt: nam tunc ipsi soli rem definiunt. Semper tamen omnes, qui tunc in ea aula rem examinabant ac definiebant, subscribunt sententiæ, estò aliqui eorum dissenserint, vt dictum est. Sequentibus legibus ibidem statuitur, admittenda esse suffragia eorum senatorum, qui rem examinauerant, vt eam cum illis definirent, si illa ante suum obitum vel ante suum discessum promitti ad altiorem gradum scripta reliquerunt.

Optimè verò *Panor. c. vlt. de sent. & re iud. n. 13.* obseruat, quando multi ordinarii concurrunt ad aliquid, non vt singuli, sed vt vniuersitas seu vt communitas, vt Episcopi congregati in concilio prouinciali, aut communitas ecclesiæ cathedralis ad electionem Episcopi quoad eos, qui ad id ius habent suffragii, quando Episcopus suffragiis eligitur, tunc non satis esse maiorem partem conuenire in vno, quàm sint singulæ aliæ partes, quæ conueniunt in aliis: sed necesse est in primis vt duæ saltem partes è tribus sint ad id congregatæ ex iis, qui interesse possunt ac volunt, iuxta. *l. nulli, & l. planè ff. quod cuiusque vniuers.* & deinde vt maior pars ita cõgregatorum conueniat, iuxta. *c. ecclesiæ 1. & c. quia propter de elect. c. cùm in cunctis de his quæ fiunt a maior. part. capi.* & alia iura, quæ ad id Panor. citat. Et quod statuitur à maiori parte, prævalet, & mandari debet exequutioni, nihil impediente contradictione & appellatione minoris partis, quando nihil rationabile contra id, quod definitum est, proponit ac probat. Hæc intellige, quando contrarium non est statutum, aut consuetudine receptum. Scolastici enim vt communitas sibi suffragiis eligunt cathedraticos ex præscripto multarum vniuersitatum, & tunc ea non est necesse, vt plures mediatè in vno conueniant, sed qui plura habet suffragia, is manet ad cathedram electus. Plurimaque statuuntur in communitatibus ad plura suffragia simpliciter, & non ad plura mediatè. Summus item Pontifex vt à collegio cardinalium cõgregatorum in conclaui electus censeatur, necesse est vt duæ partes ex tribus earum in eodem cõueniant. Instar etiam eius electionis, vt aliquis in generalem nostræ societatis electus censeatur, necesse est vt duæ partes ad id congregatorum, & habentium suffragia, in vno & eodem conueniant: cùm tamen ad electionem personarum, quæ in prouincialibus congregationibus eliguntur, vel ad congregationes generales, vel ad congregationes procuratorum cum generali, sufficiat in nostra societate, & requiratur, vt plures mediatè in singulis eligendis con-

conueniant. Ad reliqua autem, ad quæ in pro-
uincialibus congregationibus suffragia locum
habent, satis est si plures in idem conueniant,
estò ad medietatem suffragiorum non pertin-
gant. Item vt constat ex *clement. exiuſ.de para-
diſo. §. demum,* iuncta glossa ibi, in ordine mi-
norum ad electionẽ prouincialis satis est, si mi-
nor pars conuenientium ad capitulum prouin-
ciale eundem eligat, estò ad medietatem ex
eo ea pars congregationũ non peruenìat, quòd
suffragia aliorum inter multos sint diuisa: Illæ
tamen electiones, quæ sunt in communitatibus
ad plura medietate suffragia, consonant cum
dispositione iuris communis suprà relata: eo-
que modo in hac cathedrali ecclesia Conchensi
suffragiis Episcopi & capituli eliguntur canoni-
ci ad magistralem, doctoralem, & scripturæ ca-
nonicatus. Cæterùm agere de electionibus, sta-
tutis, ac definitionibus congregationum, non
ad hunc locum spectat. Reuertamur ergo ad iu-
dices delegatos & ordinarios, qui vt singuli iu-
dicant, iurisdictionem exercent.

6 Hoc est discrimen inter iudices delegatos &
ordinarios, quòd si iudices delegati discordent
in sententia, & pares sint, ita quòd non sint plu-
res pro vna parte, quàm pro alia, neutra senten-
tia prævalet, sed recurritur ad delegantem, illiq;
statur parti, quam delegans definit, interimque
dum non definit, delegatorum sententia est in
suspenso. Ita habetur. *l. duo iudices. ff. de re iud.
c.vlt. eod.titu. & l. 17. titu. 22. part. 3.* Non verò
sic res habet in iudicibus ordinariis, vt subjicie-
mus. Quando item iudices delegati ante sen-
tentiam discordarent, possent causam instruc-
tam remittere ad delegantem, vt delegans sen-
tentiam ferret, vt *Panor. c. vlt. de sent. & re iu-
dicata, n. 6.* affirmat argumento *c. per hoc de hæ-
ret. lib. 6.*

Causam autem huius discriminis inter iudi-
ces delegatos & ordinarios reddit *glossa vlt. c. vlt.
de sent. & re iud.* dicens esse, quòd iudices ordi-
narii non habeant superiorem, ad quem recur-
ratur: delegati verò habeant superiorem. Eam
autem meritò rejiciunt Panor. ibi n. 10. & alii:
quoniam solus Papa aut supremus quiuis alius
princeps non habet superiorem: reliqui verò
iudices ordinarii infra illos superiorem habẽt.
Panor. ibidem à n. 6. hanc aliam rationem red-
dit: quòd multi iudices delegati circa eandem
causam ita inter se sunt affecti, & comparatio-
ne causæ, vt nullus eorum habeat iurisdictio-
nem in solidum: multi autem ordinarii il-
lam habeant singuli in solidum. Mihi verò ea
ratio non probatur: quoniam quando id discri-
men traditur inter ordinarios & delegatos iu-
dices, non est sermo de iudicibus ordinariis, qui
singuli sine concursu alterius aut aliorum con-
iudicum possint definire causam, sed de iudici-
bus ordinariis, à quorum concursu simul pendet
decisio causæ, ita quòd ab vnoquoque eorum
pendet partialiter, partialitate iudicis. Etiam
quando duo Episcopi ex eo haberẽt iurisdictio-
nem ordinariam in eandem ecclesiam, quòd in
confinio vtriusque Episcopatus esset sita: tunc
enim dispositio vtriusque Episcopi simul est
necessaria, vt eos obliget. Atque quando non
conuenirent circa Episcopalia ac dispositiones,
superior ordinare debet, aut certè ipsi inter se
conuenire debent, vt alterius annis administra-

A tionem habeant, vt ait *glossa vlt. c. placuit. 16. q.
3.* quam *Panor. c. vlt. citato n. 5.* approbat ac cõ-
mendat. Legitimam verò causam esse arbitror,
quia sic meritò ius statuit, eo quòd delegati non
tanta cum exactione eligi consueuerint, vt or-
dinarii: & quoniam delegata iurisdictio sem-
per pendet, saltem à primo delegante, qui est
ordinarius, & poterit alios delegare, atque exe-
qui, quod per suos delegatos fuerit definitum,
vt disputatione præcedente dictum est, supple-
reque quod à suis delegatis minùs integre &
minùs plenè fuerit definitum.

Iudices verò ordinarii, si discordent, & pares 7
sint, quibusdam reum condemnantibus, & aliis
B illum absoluentibus, statur sententiæ eorũ, qui
reum absoluunt. Ita habetur. *l. inter pares ff. de
re iud. c. vlt. eod. titu. & l. 17. titu. 22. part. 3.*
Reo enim potiùs, quàm actori, est fauendum.
Excipitur, nisi causa sit fauorabilis: nam tunc, si
pares sunt iudices, statur sententiæ latæ pro re
fauorabili ac pia, estò in actoris fauorem lata
sit. Tales computantur quatuor causæ *c. vlt. de
re iud.* Nempe libertatis, de qua idem habetur
l. inter pares citata. Estò enim, qui contendit se
esse liberum, actor sit, si iudices discordant, qui-
busdam illum liberum pronunciantibus, & aliis
eum pronunciantibus seruum, si pares sint, sen-
tentia eorum prævalet, qui liberum eum pro-
C nunciarunt. Item causa matrimonii, si enim qui-
dam pronuncient matrimonium aliquod esse
validum, alii verò esse inualidum, pareſque sint,
prævalet sententia eorum, qui validum illum
iudicarunt, estò actor validum esse contenderet.
Præterea dotis causa. Estò enim mulier pro dote
sua agat, si iudices pares sint, sententiæ est stan-
dum, quæ doti mulieris fauet. Consentiunt *l. 1.
ff. solut. matr. l. in ambiguis ff. de iure dot.* & alia iu-
ra, quæ glossa ibi citat, atque *c. nuper de donat. in-
ter vir. & vxor.* Item testamenti causa. Estò e-
nim actor validum esse testamentum conten-
dat, standum est sententiæ iudicantium vali-
dum esse, si iudices discordent, & pares sint. *l.
D pars iudicantium. ff. de offic. teſt. c. vlt. de re iud.* Et
cùm id caput ea quatuor commemorat in exẽ-
plum, quando causa est fauorabilis, idem cen-
sendum est in quacunque alia causa pia & fauo-
rabili. Ita *Panor. c. vlt. de re iud. n. 17.* Si iudices
omnes ordinarii reum condemnent, cæterùm
quidam in maiori quantitate, & alii in minori,
si pares sint, censetur solùm condemnatus in
maiori quantitate, in qua omnes aut plures
conueniunt, non verò in maiori. Ita habetur
l. inter pares. ff. de re iud, & l. 17. titu. 22. part. 3. At-
que quatenus in hactenus à nobis traditis con-
sentit *Ant. Gom. l. 38. Tauri, n. 2 & 3.* probanda
est eius sententia: non verò quatenus ab eis
E discrepat.

Quod ad iudices ordinarios attinet, longè
aliter res in hoc regno est definita, quod attinet
ad prætoria Pincianũ & Granatense. Quando e-
nim causæ sunt æstimationis cẽtũ mille marauẽ-
dinorum, aut infrà, satis est si duo senatores de
illis iudicent. Quòd si discordes sint, præcipitur
vt accedat tertius senator cum illis, & quod duo
statuerint, id pronuncietur, & tres omnes sen-
tentiam subscribant. Tametsi secutoriam, quam
vocant, vi eius sententiæ concessam, duo sena-
tores dumtaxat subscribant. Ita habetur *l. 26.
titu. 5. lib. 2. nouæ collect.* In causis autem, quæ

æstimationem centum marauedinorum excedunt, iam suprà dictum est, maiorem partem in sententia debere conuenire, nec pauciores, quã tres senatores, qui in illo omnino consentiant, sufficere, vt vim habeat sententiæ. Quo fit, vt in eis prætoriis, siue causæ piæ & fauorabiles sint, siue non, non sufficiat iudices esse pares, vt reus absoluatur, nedum vt in actoris fauorem sententiam vim habeat.

Quando iudex ordinarius & delegatus summi Pontificis simul ad aliquid concurrunt, vt inquisitor hæreticæ prauitatis & ordinarius in causa fidei, & discordes sunt, quid sit censendum, commodiùs dicetur infrà disp. 28.

Delegatus ostendere tenetur se habere eam iurisdictionem. Neque rescripti limites excedere potest. Et quæ necessaria sint, vt esse possit delegatus. Atque vbi, & num gratis, exercere suam iurisdictionem debeat. Disp. 25.

SVMMARIVM.

1. *IVdex delegatus ostendere debet se habere eam delegatam iurisdictionem, alioquin nullus tenetur ei parère, etiam in exsecutione latæ à se sententiæ.*
2. *Delegatus formam sibi præscriptam excedere non debet, alioquin irritum erit, quod contra mandatum sibi datum fecerit.*
3. *Vt quis possit iudex esse delegatus, impletum habere debet vigesimum suæ ætatis annum.*
4. *Delegatus summi Pontificis esse non potest, nisi constitutus in dignitate vel personatu, vel canonicus ecclesiæ cathedralis.*
5. *Causæ delegatæ ab Apostolica sede audiri non possunt nisi in ciuitatibus, aut in locis, vbi copia peritorum haberi possit.*
6. *Quando actor & reus sunt eiusdem ciuitatis aut diœcesis, causæ inter illos à sede Apostolica committi non possunt extra eam ciuitatem aut diœcesim; neque eorum aliquis conueniri; secùs quando sunt diuersæ ciuitatis aut diœcesis.*
7. *Siue actor & reus sint eiusdem ciuitatis, siue diuersarum, iudex delegatus non potest nec de causa cognoscere extra ciuitatem, in qua sit concessus, sine expresso partium consensu.*
8. *Restrictio abbatum aut aliorum superiorum circa eam rem, qui habebant prioratus in diuersis locis, quibus præsidebant.*
9. *Delegati à sede Apostolica nullum præcipere possunt vocari ad ferendum testimonium circa causam ipsis delegatam, nisi quando conditio causæ id exegerit.*

1 IVdex delegatus ostendere tenetur se habere eam delegatam iurisdictionem, alioquin nullus tenetur ei parère, etiam in exequutione sententiæ à se latæ, vt si præcipiat alicui denunciare aliquem à se excommunicatum. Ita habetur. *c. cùm in iure de offic. deleg.* Vnde citare debet inserto tenore suæ delegationis, aut aliter de eadem sua delegatione certum citatum facere, vt teneatur coram ipso comparere. Ita iuxta *c. cùm in iure citato*, & *c. præterea de dilat. gationib. Bart. Panor. & Feli.* quos *Maranta de ord. ind. part. 4. dist. 5. n. 55.* refert ac sequitur. A Contrà verò res habet in iurisdictione ordinaria: non enim iudex ordinarius, pro tali habitus, ac receptus in suo munere, tenetur ostendere suam iurisdictionem, literásve illius, sed citatus simpliciter ab eo, etiam solo verbo, iuxta *c. cùm delicti de dolo & contum. & l. 1. titu. 7. part. 3.* tenetur coram eo comparere: semper enim præsumitur pro iurisdictione ordinaria: non verò sic pro delegata, vt cum Panor. c. cùm in iure citato ait *Maranta n. 55.* citato: estque delegati iurisdictio odiosa, atque idcirco restringẽda: iurisdictio verò ordinaria est fauorabilis, ac proinde amplianda, vt *glossa c. 1. de rescriptis lib. 6.* communiter approbata affirmat.

B Potest verò iudex delegatus eligere nuncium, per quem citet, sicut & ordinarius; quoniam vt disputatione sequenti dicetur, is, cui causa delegatur, eo ipso censentur ei concessa, quæ necessaria sunt ad eam causam, ad exequutionemque, iurisdictionem sibi delegatam citare quoque per nuncios aliorum iudicum, etiam superiorum, potest, vt cum communi doctorum sententia *Greg. Lopez. l. 1.* citata verb. *por sus omes conocidos* affirmat. *Maranta de ord. ind. part. 4. dist. 15. n. 8.* cum plerisque aliis quos citat, affirmat, processum factum à iudice delegato, antequam literas suæ delegationis ostendat, esse nullum, etiam iam eas literas habeat: id tamen cum C Angelo & Bald. limitat procedere, dummodo pars opponat de rescripto non præsentato: si enim id non opponeret, & sub silentio pertransiret, validus esset processus.

Delegatus formam sibi præscriptam excede- 2
re non debet: alioquin irritum erit, quod contra mandatum sibi datum fecerit, fines illius transgrediendo. Id tamen non impedit, ipsum admittere debere rationabiles exceptiones sibi propositas, nisi ei contrariũ præciperetur, quod rarò fit. Ita habetur *c. ex parte tua de offic. deleg. c. cùm dilecta de rescript.* & aliis iuribus. Quin quando generaliter præciperetur, vt delegatus exceptiones non admitteret, intelligendum id D esset, si nõ constaret legitimas ac veras esse: quoniam legitimæ ac veræ non censentur prohibitæ admitti: id enim iniquè fieret, quod præsumendum non est de intento delegantis: quin si id appellaret in rescripto, præsumendum esset, verum non esse, neque continuò esset illi obediendum, sed expectandum esset secundũ mandatum, vt Panor. *c. ex parte sua citato* ait, apud quem lege, quæ hac de re addi poterant. Item delegatus extendere non potest suam iurisdictionem ad personas in rescripto suæ delegationis saltem per generalem clausulam minimè contentas, etiam si illæ consentiant: quòd si eam ad illas extendat, irritum id erit & inane. Ita habetur *c. P. & G. de offic. deleg. c. sedes apostolica, & c. pastoralis de rescript.* affirmatque *Nauar. c. cùm contingat de rescript. septima causa nullitatis n. 1.* E

Vt aliquis esse possit iudex delegatus, habere 3
debet impletum vigesimum suæ ætatis annũ. Is verò qui nondum esset viginti annorum, modò tamen excederet decimum octauum suæ ætatis annum, de partium consensu, quæ id scirent, esse posset delegatus, & non aliter. A principe verò minor decem & octo annis constitui potest iudex delegatus. Hæc omnia habentur *c. cùm vigesimum de offic. deleg. l. quidam*

con-

consulebat ff. de re iud. & l. 5. titu. 4. part. 3. Tametsi, vt subiiciam, non nihil discrepet ea lex. Esse verò aliquem filium familias, non impedit constitui ac esse iudicem delegantem, vt habetur *l. filius familias, & l. cùm prætor. ff. de iud. Panor. c. cùm vigesimum* citato, cùm aliis affirmat, impuberem neque à principe constitui posse iudicem. Saltem credendum est, nullum principē id facturum, quoniam id esset iniquum. Optimè etiam eum ait, qui minor decem & octo annis delegatus esset iudex à principe, nisi constaret principem ex certa scientia, quòd ille eius esset ætatis, illum delegasse, censeri inualidè delegatum: quoniam rescriptum delegationis surreptitium esset deputandum. *Consentit l. 4. titu. 15. lib. 2. ord. quæ est. l. 3. titu. 9. lib. 3. nouæ collect.* illis verbis: *O por comm. sion nuestra sabiendo no ser de aquella edad.* Item cum glossa ibi & aliis affirmat, minorem viginti quinque annis non posse cōpelli acceptare delegationem: si verò eam acceptauit, cogi posse illam prosequi, sed per beneficiū restitutionis in integrū posse se illa exonerare, iuxta *l. cùm lege ff. de recep. arb.* quam dum inter alia ait, minorem viginti annis cogi non posse esse delegatum, innuereque proinde videtur, eum qui minor est viginti-quinque annis, sed vigesimum impleuit, cogi posse esse iudicem delegatum, Panor. cum Hostiensi aduersus Innocentium vt cogi munus prosequi, si delegationem acceptauit: secùs verò si illam nō acceptauit: atque vt si postquam delegationem acceptauit, cogatur eam prosequi, exonerare se possit à prosequutione illius per beneficium restitutionis in integrum, argumento eiusdem legis. §. vltimo. Lege verò *5. titu. 4. part. 3.* apertè affirmat, eum, qui vigesimum annum compleuit, cogi posse acceptare delegationem, & id satis innuit. l. cùm lege citata, quicquid Panor. illam violenter exponat. Vnde arbitror, in eo euentu locum nō habere, se exonerare ab ea delegatione posse per beneficium restitutionis in integrum: quoniam si se ea via exonerare posset, mane esset posse illum cogere. Neque contrarium probat. l. cùm lege citata §. vlt. quæ non de iudice delegato sed de arbitro loquitur.

Eadem l. 5. sequuta glossam l. cum prætor §. non autem. verb. & impubes. ff. de iud. statuit, delegari posse, etiam non à principe, minorem viginti annis, modò tamen excedat decimum octauum annum; non tamen posse cogi vt delegationem suscipiat: minoremque decem & octo annis, dummodo pubes sit, posse de consensu partium, quæ id non ignorent, constitui delegatum: idem etiam habetur *l. 4. titu. 15. lib. 2. ord. quæ est l. 3. titu. 9. lib. 3. nouæ collect.* In his tamen euentibus apertè ciuile ius discordat à canonico iure, iuxta ea quæ ex c. cū vigesimum de offic. deleg. suprà explanata sunt, vt bene *Greg. Lopez. l. 5.* citata glossa vlti. obseruat. Lex verò *2. titu. 9. lib. 3. nouæ collect.* quæ exigit in iudicibus, vt decem annis iuri ciuili aut canonico in vniuersitate aliqua operam dederint, & vt sint ætatis viginti sex annorum, de ordinariis iudicibus videtur loqui, & de illis eam intelligit *Greg. Lopez. l. 5.* citata: neque illud quod ibi disponitur de ætate viginti septem annorum, putat extendendum ad id iudices, qui literati non sunt, sed per vicarium seu *alcalde mayor* causas definire debent.

A Delegatus summi Pontificis, aut legati illius, esse non potest, nisi constitutus in dignitate, vel personatu, aut canonicus ecclesiæ cathedralis. Ita habetur *c. statutum. §. sancimus de rescriptis lib. 6. & clement. 2. eod. titu.* in qua exprimitur, vicarium generalem Episcopi, & priorem cōuentualem religionis, etiam si per electionem non promoueatur, sed à suo Abbate, sitque ab eo ad nutum amouibilis, constitui posse delegatos sedis apostolicæ & legatorum illius. Non verò vicarios foraneos Episcoporum, neque priores claustrales. Quid autem dignitas & personatus sint, tractatu 2. disp. 620 explanatum est. Notat verò glossa clementina citata, dignitatē & personatum sumi in eis iuribus posse. Credo autē, estò alicuius Episcopi multi vicarii sint principales, omnes ac singulos posse constitui delegatos sedis apostolicæ, aut legati illius, etiam si vicarii sint Episcopi nondum consecrati, vt affirmat glossa §. sancimus citato: quoniam omnes censentur constituti in dignitate iurisdictionis Episcopalis vnum tribunal cum illo efficientes: sicut & prior conuentualis creatus ab Abbate, eo quòd amouibilis ad nutum vnum tribunal cum eo Abbate censetur efficere in regimine eius cōuentus, ac proinde in eadem iurisdictionis dignitate esse censetur cum illo. Neque illa clementina nouum ius constituit, sed solùm declarat *c. statutum. §. sancimus.* Qua eadem ratione dicerem, vicarium generalem capituli sede vacante, & vicarium generalem prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentis, constitui posse delegatos sedis apostolicæ & legatorum illius: quia vnū tribunal iurisdictionis atq; adeò dignitatis cū illis efficiunt. Porrò nomine legatorum sedis apostolicæ quoad hoc intelliguntur, siue nati sint, siue non nati, & siue sint legati à látere, siue solùm nūcii sedis apostolicæ, vt affirmat *glossa. §. sancimus* citato. Delegati autem aliorum ordinariorum à summo Pontifice, & à legatis summi Pontificis, esse possunt quicunq;, etiam si canonici non sint ecclesiæ cathedralis, neque constituti in dignitate, vt rectè affirmat glossa. §. sancimus citato. Quia verò summus Pontifex suis legibus nō astringitur, sanè si ex certa scientia, hoc est, sciens aliquem non esse de numero prædictorū, quos solos voluit posse esse delegatos suos, ac suorum legatorum, eum suum delegatū constituat, verus erit delegatus ipsius. Censebitur verò eum ex certa scientia delegasse, si id ex tenore rescripti colligatur. In dubio verò, an ex certa scientia illum constituerit, censebitur surreptitiū rescriptum eius delegationis. *Ita glossa §. sancimus* citato. Subdelegatus verò à delegato summi Pontificis habere debet qualitates requisitas in delegatis summi Pontificis: quoniā est mediatus delegatus summi Pōtificis. Ita habetur *c. statutū* citato *§. in nullo*: nisi subdelegaretur articulus aliquis causæ, vt glossa vlt. ibi & alibi affirmant.

In concilio Tridentino *sess. 25. c. 10.* de reformatione sic quoad hoc sancitum fuit: *Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandentur, vsque adeò haberi nō potest, hincque interdum iudicibus, non vndequaque idoneis, causæ in partibus delegantur, statuit sancta Synodus, in singulis conciliis prouincialibus, aut diœcesanis, aliquot personas, quæ qualitates ha-*

beant iuxta constitutionem Bonifacii octaui, quæ incipit, statutum, & alioquin ad id aptas designari, vt, præter ordinarios locorũ, iis etiam posthac causa ecclesiastica ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori cõtigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in eius locum vsque ad futuram prouincialem aut diœcesanam synodum: ita vt habeat quæque diœcesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac vt suprà qualificatas, quibus huiusmodi causæ à quolibet Legato, vel Nuncio, atque etiam a Sede apostolica committantur. Alioquin post hanc designationem factam, quam statim Episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcunque aliorum iudicum, aliis, quam his, factæ, surreptitiæ censeantur. Hæc concilium ibi.

5 Causæ delegatæ ab apostolica sede, aut à legato apostolicæ sedis, examinari ac audiri nõ possunt nisi in ciuitatibus, aut in aliis insignibus locis, vbi copia peritorum haberi possit, qui aduocati ac assessores, si opus fuerit, esse possint, vt sunt Complutum, Madritium, & erat Pinciũ, antequam ciuitas efficeretur: licèt enim ciuitates non sint, copia tamen peritorum ibi est. Ita habetur *c. statutum §. sancimus in fine de rescrip. lib. 6.* Si autem dubitetur, an in eo oppido copia sufficiens peritorum sit pro qualitate causæ, & contentio sit inter partes, iudex pronunciat, ab eoque appellari poterit, si ea in re grauet. Si verò contentio sit cum iudice, recurritur ad arbitrum, vt glossa vlt. vtrumque affirmat *§. sancimus* citato.

6 Item quando actor & reus sunt eiusdem ciuitatis aut diœcesis, (quia ibi habẽt domicilium, estò alibi domicilium simul etiam habeant, vt *glossa §. cum verò* citando rectè ait) causæ inter illos à sede apostolica, aut à Legatis illius, committi seu delegari non possunt extra illam ciuitatem aut diœcesim, in quam domicilium habent, neque extra eam ciuitatem aut diœcesim conueniri aliquis eorum potest. Excipitur, nisi ab Episcopo contra aliquem de sua diœcesi, vel ab aliquo contra Episcopum, aut contra eius capitulum, vel contra vniuersitatem ciuitatis, villæ, aut castri, actio fuerit dirigẽda; vel nisi actor eandem ciuitatem seu diœcesim intrare nõ audens, aut suum aduersarium meritò perhorrescens, eum intra eam ciuitatem, oppidum, aut diœcesim nequeat cõuenire securè: in his enim omnibus euentibus exceptis, extra eam ciuitatem aut diœcesim, poterit contra prędictos causam committi seu delegari: nullus tamen eorum poterit vltra vnam dietam à confinio suæ diœcesis extra illam conueniri. Item quando ob timorem actor impetrat, vt extra rei ciuitatem aut diœcesim reus conueniatur, literæ, quibus id impetrat, facere de eo timore mentionem debent: & actor, antequã in causa procedatur, tenetur fidem de eo iusto timore facere corã iudice delegato, saltẽ per iuramentũ, quando aliam fidẽ non facere potest: quando enim aliter facere potest fidem, ad iuramentũ non recurritur, vt glossa. §. citando affirmat. Quòd si actor eam fidem tunc coram iudice delegato non efficiat, iudex delegatus causam dimittit, condemnando actorem in expensis à reo factis, easque reo applicando. Hæc habentur *c. statutum §. cum verò de rescriptis. lib. 6.*

Quando verò actor & reus ad diuersas pertinent ciuitates aut diœceses, actorque remittit conuenire reum in ciuitate aut diœcesi rei, poterit actori concedi ac designari iudex, non quidem in sua ciuitate, si scilicet de eadem sint diœcesi, aut in sua diœcesi, si ad diuersas diœceses pertineant; sed in quadã alia ciuitate aut diœcesi: modò tamen reus non extrahatur extra suam ciuitatẽ, quando pertinent ad eandẽ diœcesim, aut extra suam diœcesim, quando ad diuersas pertinent diœceses, vltra vnam dietam. Ita habetur. *c. statutum* citato. *§. cum autem.*

Item siue actor & reus sint eiusdem ciuitatis 7
aut diœcesis, siue diuersarũ ciuitatum aut diœcesium, iudex prædictis omnibus modis concessus, seu delegatus, citare non potest, nec de causa cognoscere, extra ciuitatem aut diœcesim, in qua iuxta prædicta sit concessus ac deputatus, sine expresso partium consensu. Neque itẽ potest subdelegare vices suas, nisi personis in eisdem locis constitutis, & quæ habeant qualitates requisitas, suprąq; explicatas, vt aliquis esse possit delegatus sedis apostolicæ, aut legati apostolicæ sedis. Hęc habẽtur *c. statutũ* citato *§. in nullo.*

Sunt verò nonnulla circa hæc obseruãda. Primum est, capite nonnulli extra de rescrip. in cõcilio generali fuisse sancitũ, vt nullus vigore literarum apostolicarum extrahi posset ad litigãdum extra suam diœcesim vltra duas dietas computatas à confinio suæ diœcesis: nisi tales literæ de consensu partium essent impetratæ: vel nisi in eis facta esset expressa mentio eius constitutionis, illi scilicet expresè in eis derogando. Id verò postea c. statutum de rescrip. lib. 6. fuit restrictum ad vnam dietam à confinio diœcesis, nisi de expresso consensu partium, ita vt non satis sit tacitus ad id consensus; aut nisi cum expressa derogatione eius constitutionis: semper enim quando in rescripto expresè derogatur constitutioni alicui à sede apostolica, aut ab habente ad id à sede apostolica autoritatem, (quam tamen nullus præsumendus est habere, nisi se illam habere ostendat) prætulet id rescriptũ tali cõstitutioni, in qua dispensare summus Põtifex optimè potest: expressum autẽ eodem. c. statutum fuit, vt idem locũ similiter haberet in literis Legatorum sedis apostolicæ, vt hæc omnia *c. statutum* proximè sunt relata.

Secundum est, quamuis viginti milliaria. *l. 3. ff. de verb. sign. & l. 1. ff. si quis caut.* constituantur pro vna dieta, ita quòd, si distantia aliquid vltra milliaria excedat, incrementum ad aliam dietã pertineat; iuribus tamen citatis nomine dietæ intelligitur, quod iuxta consuetudinem cuiusq; loci consueuit vnius dicere itinere spectat, num ea distantia vnam aut duas dietas superet, vel non. Atque eiusmodi dietæ, quæ expendantur iuxta consuetudinẽ cuiusque loci, vulgares nũcupantur, ad distinctionem illarum aliarũ, quæ iure cæsareo viginti milliaribus taxatæ sunt, eaque ratione dietæ tum legales tum etiam iuris appellantur. Ita glossa c. multi citato, Panor. ibi à n. 5. & doctores cõmuniter. Quod probant ex *c. præsenti. §. loca de præb. lib. 6.* quo in loco Bonifacius octauus, dicens in eo casu se specialiter legales dietas viginti milliariũ intelligere, manifestè innuit, vbi id non exprimitur, aut ex circunstantiis nõ colligitur nomine dietarũ intelligi

gi non legales, sed vulgares, vt glossa ibidē, quā doctores communiter sequuntur, obseruat.

Tertium est, quando aliquis delegatur iudex nomine dignitatis, vt si Episcopus Conchensis aut Segouiensis delegetur, censeri delegatum suæ diœcesis, extra quam nō potest cognoscere neque delegare, iuxta ea quæ ex *c. statutum* suprà relata sunt: imò verò extra eam ciuitatem, in qua est sedes Episcopalis, non poterit cognoscere aut delegare, si reus & actor suæ sint diœcesis, & reus vltra vnam dietam ab ea Episcopali ciuitate non distet, iuxta ea quæ ex eodem capite relata sunt: quoniam censebitur delegatus in loco ecclesiæ cathedralis. Quando autem ex rescripto intelligeretur alibi, hoc est, in loco, in quo tunc commoraretur, delegari, vt si diceretur, cognoscat de hac causa Episcopus Conchēsis, qui Romæ cōmoratur, aut qui visitat Salmāticensem vniuersitatē, tūc censeretur delegatus in eo loco, in quo tūc cōmoratur, vnde intelligeretur alibi eū delegari. Ita *Panor. c. nōnulli* citato *n. 7.* Qui addit, si alibi cōmoraretur, neq; de eo loco, in quo commoratur, fieret mentio in eo rescripto, non posse de ea causa cognoscere extra locū suæ diœcesis in loco, in quo cōmoratur, nisi rescriptum de eo loco mentionem faciat.

Quartum est, cùm c. nulli citato habeatur, vt non valeat concessio delegati vltra duas dietas à confinio diœcesis rei, nisi in speciali fiat mentio de eo capite, eique in particulari derogetur; satis esse si per verba æquipollentia de eo capite mentio specialis fiat, vt si dicatur; nō obstante constitutione de duobus dietis edita in cōcilio generali; quæ clausula ad illi in particulari derogandū apponi de stylo curiæ cōsueuit in priuilegiis, quæ contra dispositionē eius capitis conceduntur, vt cū Ioan. And. Panor. ibidē n. 8. obseruat, & quotidiana expeditio similiū literarū testatur. Sufficienter quoque illi derogaretur, si diceretur, non obstantibus quibuscunque constitutionibus in contrarium, etiam si de illis in speciali esset facienda mentio: quoniam ea verba manifestè illi derogant. Quibus autem verbis derogetur iuribus in contrarium, quādo ea iura non exprimunt esse necessarium, vt de eis in speciali mentio fiat, *tractatu 2. disp. 173. §. occasione legitimationis.* est dictum.

Quintum est, quicquid contra disposita *c. statutum* fuerit factum, licèt antea non esset ipso iure nullum, sed annullandum ope exceptionis, hodie tamen post id caput ipso iure absque vlla exceptionis ope est nullum, vt habetur eodēm. *c. statutum. §. vlt.*

8 Quando Abbates aliqui, aut alii superiores, habebant prioratus, & alia sibi subiuncta in diuersis locis, aut in diuersis diœcesibus, quibus præsidebant, & quæ gubernabant priores, aut alii administratores, eis Abbatibus aut aliis superioribus inferiores, hac arte vtebantur: Quādo priores aut alii administratores, eis Abbatibus aut superioribus inferiores, conuenire volebāt reū aliquē, qui erat de eadem ciuitate aut diœcesi, cum ipsis, quia, iuxta ea quæ ex *c. statutū de rescrip. lib. 6.* relata sunt, non poterant vi rescripti sedis apostolicæ, aut Legatorū illius, eum reū conuenire extra suam ciuitatem, aut extra suā diœcesim, recurrebant ad Abbates, aut ad alios ipsis superiores, qui erant de alia diœcesi, vt ipsi rescriptum à sede apostolica, aut à Legatis illius, obtinerent, quo iudices aduersus eos reos cōcederentur, qui eos ad litigandum extraherēt intra vnam dietam à confinio diœcesis talium reorum, iuxta dispositionē capitis statutum relatam, sicque reos illos vexabant. Ad hanc itaq; vexationē ac fraudē tollendā, *clemēt. 1. de rescrip.* sancitū fuit, vt tales Abbates ac superiores, occasione eorū prioratuū, aut locorū ipsis subiectorū, nullum reū possint conuenire vi rescripti sedis apostolicæ, aut legatorum illius, nisi vbi & coram quo priores, aut alii gubernatores eorū locorum, possent eosdem reos conuenire, etiam si ea loca ad mensam pertineant Abbatialē, aut cuiusuis alterius talis superioris, atque etiā si ea loca ad mensam attinentia administratores nō haberent. Quòd si secùs aliquid esset attentatū, processus ipso iure esset nullus absque ope cuiuscunque exceptionis, & qui id attentasset, ac vexasset reum aliquem, à iudice ipso, coràm quo id attentasset, condemnaretur reo in expensis ac interesse talis rei. De consensu tamen partiū obtineri eiusmodi rescripta possent, validusque tūc esset processus, vt ex iuribus citatis cōstat, & additur clementina citata aliquib⁹ in codicibus.

Quod verò ad vltimum attinet, quod in titulo huius disputationis fuit propositū, num scilicet delegati sedis apostolicæ ac Legatorum eius aliquid accipere possint à litigantibus, an verò gratis munus suum exequi debeant, quæ hoc loco dici poterant, copiosè dicta à nobis sunt *tractatu 2. disp. 84.* Vbi etiam dictum est, num assessorem assumere possint, & cuius expensis, & de salario notarii.

Eodem *c. statutum §. penult. de rescrip. lib. 6.* iu- 9
dicibus delegatis à sede apostolica aut à Legatis illius præcipitur, vt nullum vocari præcipiant ad ferendum testimonium circa causam ipsis delegatam, nisi quando conditio & status causæ id exegerint: atque vt neque tunc id præcipiāt, nisi pars, quæ illum in testem nominauerit, illi persoluat expensas cōperentes, quas veniendo, stando, ac rediendo fecerit. De qua re lege *tractatu 2. disp. 83. §. de teste,* dicta à nobis sunt.

De potestate delegati summi Pontificis. Et num exequutioni mandare possit sententiam à se latam. Et quid quoad hoc de delegatis aliorum. Disp. 26.

SVMMARIVM.

1. *Delegatus summi Pontificis maior est in causa sibi à summo Pontifice delegata omnibus aliis: & quæ sit eius potestas.*
2. *Potest tum per ordinarium loci etiam ad id illum compellendo, tum etiam per se ipsum executioni mandare sententiam à se latam.*
3. *Ad executionem suæ sententiæ inuocare potest auxilium brachii secularis.*
4. *Cuiuscunque Principis delegatus potest per se etiam executioni mandare sententiā à se latam.*
5. *Delegatus ab inferiorè à Principe potest exsequi sententiam de iure canonico à se latam, non solū quando id ei fuit à delegante expresè cōmissum, sed etiam quòd causa fuit ei commissa, nisi delegans sibi sententiæ exsecutionem reseruauerit.*
6. *In iure ciuili delegatus ab inferiori à Principe non potest exsequi sententiam à se la-*

tam; sed executio ad iudicem ordinarium delegantem spectat.

7. Vicarius ordinarii, qui vnum tribunal efficit cum ordinario, potest exsequi sententiam tam in iure ciuili, quam canonico.

1 DElegatus summi Pontificis maior est in causa sibi à summo Pontifice delegata omnibus aliis, vt habetur *c. sanè 2. de offic. deleg.* & ibi ratio redditur, quia subit in eo vices summi Pontificis ipsum delegantis. Adeò autem in ea causa est omnibus aliis superior, vt neque Legatus à latere possit eam causam à se aduocare, neque impedire illius exequutionem, neq; infirmare sententiam ab eo delegato summi Pontificis latam, nisi Legatus summi Pontificis specialem commissionem ad id habeat. Ita habetur *c. 2. de offic. deleg.* Qua eadem ratione quia scilicet delegatus summi Pontificis maior est omnibus aliis infra summũ Pontificẽ in causa sibi delegata, tanquã ipsum repræsentans, subiensq; vices illius, loci ordinarius absoluere non potest excõmunicatũ à delegato summi Pontificis, etiã si is delegatus iã esset defunctus, aut alia ratione iurisdictio iã in illo expirasset, vt habetur *c. pastoralis §. præterea de offic. ord.* sed recurrendum est ad summum Pontificem, qui eo ipso, quòd causam illã delegauit, estò ad ordinariũ alioquin pertineret, censetur eam ad se aduocasse, eaque ratione si morte delegati aut alia ratione expiret iurisdictio in delegato, causa non reuertitur ad ordinariũ, sed ad summũ Pontificẽ, vt cũ Baldo. Panor. Felin. & aliis iuxta. *§. præterea* citatũ, & *c. vt nostrũ de appell.* affirmat *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 15. n. 37.* Si tamen alius delegatus summi Pontificis succederet in eadẽ causa, tunc is absoluere posset excõmunicatũ ab illo priori delegato, efficereq; posset circa eãdẽ causã ea õnia, quę anterior ille delegatus efficere poterat, vt habetur *§. præterea* citato, & ex se satis liquet.

Hæc eadẽ similiter intellige in delegatis aliis à supremis principibus secularibus ad aliquas particulares causas, vt quando ad puniendum maleficium aliquod delegatur in hoc regno ac mittitur *pesquisidor* quem vocant, aut *alcalde de corte*, & in similibus aliis euentibus. Eo enim ipso censetur eã causa ablata à iudice ordinario, & deuoluta ad principem, cuius vices is delegatus iudex gerit.

Eo ipso, quòd alicui causa aliqua à summo Pontifice delegatur, cõmissa ei cẽsetur potestas plena in omnibus, quæ pertinere intelliguntur ad eã causam, si nulla forma delegato sit præscripta, quã seruare debeat. Imò quando forma est ei præscripta, licèt rescripti formã trãsgredi nõ possit, atque, si illã transgrediatur, quod ita efficeret, sit nullũ; quæ tamen connexa sunt cũ præscripti eis in forma; ad illorũq; exequutionẽ sũt necessãria, formæq; traditæ nõ repugnant, censentur illi cõcessa. Vnde iudex delegatus partes cõpellere autoritate apostolica potest, vt cõpareant, & contumaces seueritate ecclesiastica nõ solũ censuris, sed & multa, vt Panor. c. citando ait, coërcere potest, etiã si literæ suę commissionis id non contineant: *quia ex eo, quòd causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatẽ*, vt habetur c. præterea de offic. deleg. Qua ratione delegatus creare potest nunciũ, per quẽ citet, & alios ministros ad id necessarios assumere ac creare. Habẽt autẽ prędicta verũ, etiã si partes alioquin sint tali iudice superiores, atque in dignitate cõstitutæ. Vnde talis delegatus Episcopũ aut Archiepiscopũ excõmunicare potest, si ita fuerit opus, vt habetur. *c. sanè 2. de offic. deleg.* Ibi tamẽ & latiùs *c. 2. de offic. deleg. lib. 6.* præcipitur, vt quando eiusmodi delegati aut cõseruatores apostolici contra cõstitutos in pontificali dignitate processerint, ob maiorẽ reuerentiã ac honorem, qui eis, quã aliis, debetur, gradatim procedant, ita vt primò eis interdicatur ecclesiæ ingressus, aut sacerdotale ministeriũ, deinde verò suspẽdatur ab officio, & postea aggrauẽtur cẽsura. Addit c. 2. citato, *Nisi fortè aliter fieri suaserit nimia contumacia, proteruitas, siue culpa.*

Item, quando delegatus summi Pontificis iniustè præciperet clericum, aut aliquem aliũ, mitti in possessionem ecclesiæ, vel alterius rei, circa quam inter Episcopum & talem, quem in possessionem mitti iubet, causa est ei delegata, Episcopus non potest violenter resistere exequutioni eius mandati, sed solùm proponere ei delegato debet, vt id non faciat, vel vt supersedeat, donec res summo Pontifici proponatur: atque, si id obtinere ab eo non possit, recurrere ad summum Pontificem debet. Ita habetur *c. si quando de offic. deleg.*

Potest etiam delegatus præcipere cuicunque partium citationẽ, (discretione tamen præuia) & punire contemptorem. *c. pastoralis §. item eum de offic. deleg.* Potest item per censuras ecclesiasticas coërcere impedientes sententiæ exequutionem, progressumque in causa, iurisdictionẽque talis delegati. c. 1. de offic deleg. Potest similiter punire quoscunque, qui ipsi non parent, pœna ad id iure statuta: si verò nulla quoad id sit pœna iure statuta, potest eos punire pœna arbitraria. *c. de causis. §. vlti. eod. titu. Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. n. 69.* cum aliis, quos citat ait, quos de multis statutũ est *l. eos. C. de modo mulct. & l. 2. C. de sportulis*, quo ad summã, quam excedere non erat permissum ordinariis & delegatis iudicibus, non esse in vsu, sed imponi hodie iudicum arbitrio.

Panor. c. præterea n. 4. eod. titu. ait, si ministri iudicis delegati aut testes delinquant, si id sit iurisdictionem ipsius impediendo, posse eum iudicem per se ipsum eos punire: si verò suam iurisdictionem impediant, debere eos remittere puniendos ordinario. Atque ita conciliat opinionem Baldi cum opinione Innocẽtii, quorum primus indistinctè dixit, delinquentes puniendos esse per iudicem delegatum: & secũdus puniendos esse dixerat per ordinarium.

Quando aliquis delegatur, vt inquisitionem in aliquo loco efficiat, vel vt in loco aliquo causam aliquam expediat, si vel id aliis impedientibus, vel alia rationabili de causa, mandare non posset exequutioni in eo loco, eligere potest locum alium ad id commodum. Ita habetur *c. statuimus 2. de offic. deleg. lib. 6.*

Hæc verò omnia suo etiam modo locum habent in delegatis à principe seculari, & in quibuscunque delegatis.

2 Delegatus à sede apostolica potest, tum per ordinariũ loci, etiã ad id illum cõpellendo, tũ etiã per se ipsum exequutioni mãdare sententiam à se latam, vt constat ex *c. significasti. c. in literis. c.*

quærenti, & c. pastoralis. §. quia verò de offic. deleg. & affirmant Panor. ibidem & doctores communiter. Atque posse per se ipsum illam exequutioni mandare, intelligendum est, estò ordinario illius exequutionem commiserit, ifque illam exequutioni non mandauerit, quia noluit, aut quia non potuit, vt habetur. c. significasti citato. Bene tamen Panor. ibi id ita explicat, vt intelligatur, quando id ordinario commisit, tanquam instrumento & administro, qui eam sententiam loco sui exequutioni mandaret. Quando autem illi exequutionem eius sententiæ delegasset, seu subdelegasset, est distinguendum. Quoniam si res adhuc sit integra, quia ordinarius progredi non inceperat ad exequutionem talis sententiæ, tunc delegatus summi Pontificis reuocare potest subdelegationem, & assumere eam exequutionem suæ sententiæ, iuxta ea quæ disp. 21 explicata sunt. Idem est, si in parte, & non in totum, eam exequutionem subdelegauerat, iuxta ea quæ ibidem dicta sunt. Quòd si in totū eam subdelegauerat, nec res erat integra, censetur functus suo munere, iuxta c. in literis citatum, atque tunc mandare nō potest ipse exequutioni suam sententiam, vt ex dictis disp. 21 citata constat, sed si ordinarius subdelegatus non possit, aut non velit, illam exequutioni mandare, recurrendum tunc ad summum Pontificem erit.

3 Vtrùm autem delegatus summi Pontificis ad exequutionem suæ sententiæ inuocare possit auxilium brachii secularis? affirmanter est respondendum cum *Panor. c. significasti* citato *n. 8.* & cum communiori multo doctorum sententia. Sicut enim Episcopus ad suæ sententiæ exequutionem brachium seculare inuocare potest, ita & delegatus summi Pontificis, qui vices summi Pontificis ea in parte gerit, & qui superior quo ad eam causam & exequutionem eius sententiæ est ordinariis omnibus, qui infra summum Pōtificem sunt. Neque, quòd summus Pontifex in aliquibus literis delegationis causarum exprimat talem delegatum, aut delegatos, implorare posse brachium seculare, validum est argumentum, vt quando id in literis delegationis non exprimitur, id non possint. Sæpe enim in eiusmodi rescriptis ea, quæ insunt, exprimuntur, vel ad tollenda dubia, vel ad maiorem authoritatem ac robur. Eo autem ipso, quòd causa aliqua alicui committitur, ea omnia censentur ei concessa, vt est dictum, quæ necessaria aut expedientia iudicabuntur, ad illam ad integrum ac plenum effectum perducendum, de quorū numero est, vt aduersus laicos resistentes ac rebelles vsque ad brachii secularis inuocationem, si ita opus sit, procedatur. Idem est aduersus ecclesiasticos, quando ipsorum ordinarius ad illos comprimendos familia sua suisve ministris non sufficeret, aut adiudicare non velint.

4 Quod dictū est de delegato summi Pontificis, posse scilicet per se ipsum exequutioni mandare suam sententiam, intelligendum similiter est de quocūnque alio principis delegato, vt cum Bart. & aliis affirmant *Panor. c. si quis contra clericum de foro comp. in calce n. 31.* & in relectione ibi subiuncta *n. 36.* & *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 5. n. 43.* & *part. 6. tractatu vlt.* qui est de exequutione *n. 4.* estque vsu in hoc regno id receptum: delegati enim ad grauiores aliquas causas missi, quos *pesquisidores* aut *alcaldes de corte* vocant, suas sententias, etiam mortis, exequutioni mandant. Atque, vt disp. 17 dictum est, cùm ad has grauiores causas ipsorum industria electa censeatur, non possunt illas subdelegare aliis. Si quos tamen *en rebeldia* cōdemnatos relinquant, quos punire non possint, quia absentes sunt, comprehendereque illos non valuerunt, exequutionem earum sententiarum commissam reliquere consueuerunt ordinariis locorum. Quamuis autem glossa 2. lege à diuo Pio in prin. ff. de re iudicata fateatur, de iure canonico delegatum à principe mandare exequutioni posse suam sententiam, & dubitet an idem sit de iure ciuili, coneturque exponere eam legem, quæ apertè statuit, delegati sententiam non ab ipso delegato, sed à delegante, esse exequutioni mandandam, vt intelligatur etiam de delegato à principe; ea tamen lex manifestè loquitur de delegato à iudice ordinario principi inferiori, vt constat illā intuenti. *Glossa* item *l. si quis missus. verb. siue potestatis. ff. ne vis fiat ei*, non renuit, delegatum à principe de iure ciuili, sicut & de iure canonico, mandare exequutioni suam sententiam posse. Bart. item l. à diuo Pio colligi apertè cēset, delegatum à principe de iure ciuili mandare exequutioni suam sententiam posse ex *l. vlt. C. de ind.* Ibi enim habetur, si delegatus à principe recusetur, cogendos esse litigantes eligere arbitros, qui causam eam definiant, modo disp. 23 explanato, atque si ab eorum arbitrorum sententia non sit appellatum, iudicem delegatum, qui fuerat recusatus, mandare eam debere exequutioni, vt eadē disp. 23 explicatum est: eadem ergo ratione, si ipse non esset recusatus, mandare sententiam circa eādem illam causam à se latam exequutioni debeat. Maximè quia ei, cui aliqua causa est commissa, illa omnia commissa eo ipso censentur, quæ conducere existimata fuerint, vt eam ad debitum effectum perducat. Quòd si delegatis ab inferioribus à principe de iure ciuili non conceditur exequutio sententiæ ipsorum, sed ad ea delegantem pertinet, id profectò ex eo est, quòd sententiæ exequutio ad merū ac mixtum imperium spectat: merum autem & mixtū imperium delegare ab inferioribus à principe non potest, vt disp. 17 dictum est. Scio *glossam l. vlt. C. de iud. verb. mancipante*, varie tergiuersari exponendo eam legem, vt ex illa non colligatur, delegatum à principe de iure ciuili mandare exequutioni posse sententiam à se latam; omnes tamen eius tergiuersationes minùs efficaces minusque solidæ sunt, vt illas expendenti liquet: contrariumque ibi Bart. & Paul. Castrensis affirmant, in margine eius glossæ citati, & annuit Panor. vbi suprà. Idem confirmat Panor. in relect. citata, num. 36. citato, quoniam cùm nullibi iure ciuili comperiatur sancitum contrarium, standum in foro seculari erit dispositioni ea de re iuris canonici. Idem confirmat ex. *l. properandum. §. sin autem. C. de ind.* illis verbis: *contra absentem promere condemnationem non cesset, quæ ad effectum perducatur, siue ipse iudex ex sua iurisdictione hoc facere potest, siue per relationem ad maiorem iudicem*, quia scilicet ipse delegatus, à principe videlicet.

Quod

5 Quòd verò attinet ad delegatum ab inferiore à principe, dicendum est cum *Panor. c. si quis cõtra clericum de for. comp. n. 32. & in relect. n. 37.* & cum plerisque aliis, de iure canonico exequi posse sententiam à se latam, non solùm quando id ei fuit à delegante expresè concessum, sed etiam eo ipso, quòd causa fuit ei commissa, nisi delegans sibi sententiæ exequutionem reseruauerit. Cùm enim ea, quæ de mero & mixto imperio sunt, delegari de iure canonico, etiam ab inferiori à principe, possint, vt Disp. 21 ostensum est, sanè quòd exequutio sententiæ ad merum aut mixtum imperium spectet, non impedit quominus ab inferiori à principe de iure canonico censeatur delegata eo ipso, quòd causa aliqua delegatur, neque exequutio sententiæ reseruatur à delegante: quippe cùm eo ipso quòd causa delegatur, ea omnia delegata censeantur, quæ delegans delegare potest, nec reseruat, & necessaria aut conducentia sunt ad causam ad vltimum effectum perducendam. Idem confirmat *Panor. ex. c. ex literis de offic. deleg.* & ex *c. 3. de eo qui mittitur in poss.* in quorum primo subdelegatur exequutio sententiæ, citaréque Panor. ad id etiam posset. *c. in literis, & c. significasti eod. titu.* & in secundo ordinarius infra summum Pontificem delegat exequutionem missionis in possessionem ex primo decreto, quod ad mixtum imperium spectat.

Hinc iam constat, vicarios pedaneos Episcoporum, qui vnum tribunal secum non efficiũt, quíque iudices sunt delegati Episcoporum, & vniuersim delegatos iudices ecclesiasticos ad vniuersitatem aliquam causarum, mandare posse exequutioni sententias à se latas, quæ in rem transeant iudicatam: quod disputat *Panor. c. si quis contra clericum* citato *n. 31. & in relect. n. 35.* minus enim de his est dubitandum, qui magis ad iudices ordinarios accedunt, quàm accedant delegati ad vnam aut ad alteram causam ecclesiasticam. Iudices verò pedanei seculares, qui in oppidulis de minimis iudicant, iudices sunt ordinarii, vt suprà, dum de iudicibus ordinariis habitus à nobis est sermo, dictum est.

Nec verò hactenus dictis repugnat *c. si quis contra clericum* citatum, dum habet, si ordinarius recusetur, posse delegare causam alicui alteri, qui de illa cognoscat, lataque per eum delegatum sententia, ad ordinarium ipsum spectare illam exequutioni mandare, vt *disp. 23. a §. quando iudex* copiosè explanatum est. Non, inquam, id hactenus dictis repugnat, quoniam, vt disp. 23 citata dictum à nobis est, in ordinario, facta delegatione causæ, etiam in totum, remanet iurisdictio ad sententiam delegati exequutioni mandandam, in quo ibi diximus ordinarium delegantem longè distare à delegato in totum subdelegante. Et quoniam vt *Panor.* illo eodem capite *n. vlt. & in relectione in calce n. 39* rectè ait, ibi non negatur, delegatum ab ordinario posse suam sententiam exequutioni mandare, si ordinarius causam illi absolutè cõmittat, nolitque ordinarius ipse se intromittere ad sententiam illius exequutioni mandandam, vt potest. Multo autem rectiùs ibi Panor. addit, quòd quia ibi ordinarius vt suspectus recusatus fuerat, solùm censetur delegasse definitionem causæ, circa quam solam poterat esse A suspectus, non verò exequutionem sententiæ, circa quam, lata iam à delegato illo sententia, suspectus esse non poterat. Legas quæ disp. 23 dicta sunt.

6 De iure verò ciuili delegatus ab inferiori à principe exequi nõ potest sententiam à se latã, sed exequutio illius ad iudicem ordinarium delegantem spectat. Ratio autem est, quoniam exequutio sententiæ ad merum mixtúmve imperium spectat: ea autem quæ meri aut mixti sunt imperii, de iure ciuili non delegantur, vt disp. 21 dictum est. Id etiam comprobatur ex. *l. a diuo Pio in prin. ff. de sent.* & *iud.* cuius verba sunt: *A diuo Pio rescriptum est magistratibus populi Ro-* B *mani, vt iudicum a se* (id est, à magistratibus ipsis) *datorum vel arbitrorum sententiam exequantur ii, qui eos dederunt*, & quoad hos delegatos consentiunt glossa ibi, & aliæ iuris ciuilis citatæ. Idem comprobatur ex authentica & qui de bon. auto. iud. poss. iuncta glossa ibi verb. dedit, & verb. mittat, quo in loco delegatus non exequitur, nec mittit in possessionem, sed ordinarius, qui ipsum delegauerat. Idem affirmat *Panor. c. si quis contra clericum* citato *n. vlt. & in relect. n. 39.* & doctores communiter. Atque de iure ciuili, & non de iure canonico, est intelligendus *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 8. n. 43. & part. 6. tract. vlt. n. 4.* dum discrimen constituit C inter ordinarium & delegatum non à principe, quòd ordinarius suam exequatur sententiam, delegatus verò non à principe suam sententiam non exequatur, sed illam exequatur ordinarius, qui eum delegauerat.

7 De vicario ordinarii, qui vnum tribunal efficit cum ordinario, quíque ordinarius reuera est, dubitandum non est, tam de iure canonico, quàm ciuili, suam exequi posse sententiam, quod Panor. vbi suprà etiam disputat: sicque consuetudine est receptum in hoc regno, non solùm in tribunalibus ecclesiasticis vicariorum generalium Episcoporum, sed etiam in tribunalibus secularibus *de los alcaldes maiores tinientes,* D seu vicarios correctorum.

Delegati iurisdictio quando expiret, quòd functus sit iam suo munere, vel quòd elapsum sit tempus illi præscriptum, intra quod causam finiret. Et quantum temporis sit ei concessum, vt sententiam à se latam exequutioni mandet.

Disp. 27.

SVMMARIVM.

1. *Potestas delegati exspirat eo ipso, quòd sententiam definitiuam à se latam plenè per se vel per alium executioni mandauit.* E
2. *Quando in litteris Apostolicis executores eorum conceduntur cum clausula, vt quando & quoties opus fuerit eas publicari efficiant, &c. tunc sanè etiam anno elapso postquam tales litteræ executioni sint mandatæ, non cæsat eorum executorum iurisdictio.*
3. *Quando causa delegatur termino temporis præscripto intra quod decidatur, tũc eo termino trãsacto, estò indecisa adhuc sit, exspirat eius delegati iurisdictio, atq; ad delegantẽ causa deuoluitur, nisi*

nisi ante aduentum termini tempus de partium consensu prorogetur.

4. Quando causa delegato fuit commissa, vt illam intra certum terminum finiret, & malitia alterius partis litigantium impeditus fuit, tunc delegatus punire eum debet, qui eo modo malitiosè deliquit, committeregq; causam alteri debet, qui illam intra terminum præscriptum finiat.

5. Citatus peremptoriè in diem aliquem, ex æquitate est expectandus in diem sequentem, siue sit citatus ad sententiam audiendam, siue ad aliquid aliud.

1 POtestas iurisdictióve delegati expirat eo ipso, quòd sententiam definitiuam à se latam plenè per se, vel per alium, cui exequutionem illius commiserat, exequutioni mandauit. Ita habetur *c. in literis de offic. deleg.* Quo loco obserua capite quærenti eod. titu. solùm concedi iudici à summo Pontifice delegato annus à die latæ definitiuæ sententiæ circa causam sibi commissam ad eius sententiæ exequutionem. Quare si annus labatur à puncto sententiæ latæ, & intra id tempus non perduxerit sententiam ad exequutionis effectum, non poterit progredi vlteriùs ad eam exequutionem, sed vsque adeò omnino ea iurisdictio expirat, vt neque possit absoluere excommunicatum à se, si eo anno elapso parêre sententiæ velit, petatque absolutionem ab excommunicatione incursa: sed recurrere is pro absolutione debet ad summum Pontificem, aut ad alium, qui ad absoluendum ab ea excommunicatione potestatem habeat. Ita habetur *c. quærenti* citato, affirmatque communis doctorum sententia.

Quòd si delegatus ante annum elapsum ad finem suæ sententiæ exequutionem perduxisset, tũc eo ipso omnino expiraret iurisdictio ipsius, adeò vt si postea non in continenti, sed ex interuallo, iterum is turbaretur, in cuius fauorem lata ea sententia esset, is delegatus non posset eum tueri, sed, qui ita turbaretur, necesse haberet recurrere ad ordinarium, aut ad alium, qui ad id iurisdictionem haberet. Ita habetur *c. in literis de offic. deleg.*

2 Illud verò obserua, quando in literis apostolicis exequutores eorum conceduntur cũ clausula, vt quando & quoties opus fuerit eas solemniter publicari efficiant, eisque apostolica autoritate efficaci præsidio ac defensione assistant facientes in eis contenta inuiolabiliter obseruari, neque in futurũ permittentes illos, quorum cõmodũ concernunt, à quocunq; quomodolibet molestari, inquietari, impediri, seu perturbari, &c. tunc sanè, etiam elapso anno postquam tales literæ exequutioni sint mandatæ, & postquã effectum sint sortitæ, non cessãt eorum exequtorũ iurisdictio, vt ex se & ex tenore eius clausulæ, quæ ad id fuit apposita, est notissimum. Idem dic quotiescunque apponitur clausula, vnde iurisdictio prorogari in longius tempus, quã in annum aut in perpetuum intelligitur. Quo fit, vt si exequutores cum prædicta clausula delegati sint super literis gratiam aliquam continentibus, vt circa vnionem aliquorum reditum alicui collegio, talesque exequutores expressi sint nomine dignitatuum ipsorum, iurisdictio eorum tunc quo ad id in perpetuum duret per præsentes, & per successores eorum in eadem dignitate, qui omnes eo ipso exequutores earum literarum dati censentur: habetq; id verum, etiam si tempore summi Pontificis, eos exequutores ad id concedentis, tali exequutorum iurisdictione vsi non fuerint, quia nullus interim restitit, aut perturbauit earum literarum effectum.

Quando causa delegatur termino temporis præscripto, intra quod decidatur, tunc eo termino transacto, estò indecisè adhuc sit, expirat eius delegati iurisdictio, atque ad delegantem causa deuoluitur, nisi ante aduentum eius termini de partiũ consensu ab ipsismet partibus ei delegato tempus prorogetur. Cùm enim ea tẽporis præfixio in fauorem partium constituta fuerit, partes de communi consensu prorogare illud possunt, modò id efficiant ante id tempus præfixum elapsum omnino, atque adeò antequam in eo delegato iurisdictio per eius temporis lapsum expiret: iurisdictio enim, quæ semel omnino expirasset, prorogari non potest: quia quod non est, prorogari non potest. Ita habetur *c. de causis in prin.* iuncta glossa & Panor. ibi de offic. deleg. Quod si tempus definitum sit die aliquo constituto pro termino illius, vt vsq; ad diem paschalis, natiuitatis, Dominici, sancti Ioannis Baptistæ, aut vsque ad alium similem, tũc eo die expirat delegati iurisdictio, siue delegationis literæ tardiùs siue citiùs ad eum peruenerint, iuxta. *c. de causis*, iuncto *Panor. ibi. n. 5.* Si verò definitum sit mense, bimestri, trimestri, anno, aut alio simili determinato tempore quo ad quantitatem, sed indeterminato in singulari quoad indiuiduum, quia non est dictum vsque ad finem talis mensis, putà Maii talis anni, vel vsque ad aliud terminatum tempus in singulari, tunc tempus computari debet à die, quoad delegatum literæ delegationis peruenerunt. Ita habetur *c. super eo. 2. §. vlt. de appel.* & affirmat *Panor. n. 5.* citato, excludíque debet dies, in quo literæ ad delegatum peruenerunt, nec annumerari debet in tempore ad eam causam decidendam, vt *glossa vlt. 1. §. vlt.* citato affirmat. *Panor. c. de causis* citato *n. 9.* cum Bart. notat, attendendum esse, num solùm iudici sit impositum præceptum, vt intra certum terminum causam aut causas definiat, vel vtrùm terminus sit statutus iurisdictione illius, ita vt deinceps iurisdictione non habeat ad eam causam terminandam: atque in hoc posteriori euentu sunt intelligenda, quæ dicta sunt: non verò in priori: quia tũc si iudex sua negligentia causam intra id tempus non finiuit, puniendus ob eam culpam est, non tamen expirat eius iurisdictio, sed progredi in causa potest. Item quando terminus temporis quouis modo ex explicatis præfigitur, nec exprimitur, quòd sit etiam ad exequutionem sententiæ, intelligitur ad causæ decisionem: vnde potest tunc is delegatus vlteriùs intra annum à lata sententia illam mandari exequutioni. Ita affirmat glossa c. de causis verb. eo transacto. Semper enim ad exequutionem sententiæ censetur concessus annus delegatio summi Pontificis post eam latam, iuxta *c. quærenti eod. titu.* nisi aliud ex rescripto delegationis colligatur.

Quando causa delegato fuit cõmissa, vt illã intra certũ terminũ finiret, malitiaq; alterius partis litigantium impeditus fuit, quoniã in causa fuit,

fuit, vt delegatus à Rege vocaretur, aut alia simi- A
li ratione, tunc delegatus punire eum debet, qui eo modo malitiosè deliquit, committereq; causam alteri debet, qui illam intra terminum sibi præscriptum finiat, idq; appellatione postposita. Hæc habentur, *c. pastoralis. §. vlt. de offic. deleg.* Atque tunc subdelegatus à delegato summi Pontificis procedit appellatione postposita, non quidem autoritate subdelegantis, sed autoritate summi Pontificis, qui id illi in eo euentu cõcedit in odiũ partis, quæ prædicto modo malitiosè deliquit, vt glossa & Panor. ibi rectè exponunt ac affirmant. Ex eo verò textu colligitur, estò delegatus malitiosè ab altero litigantiũ impediatur, ne causam intra terminum sibi præscri- B
ptum expediat, non idcirco prorogari vltra eũ terminum iurisdictionem talis delegati, sed exspirare nihilominus: nisi partes communi consensu ante eius termini elapsum illam prorogent, vt possunt, in eoque §. vltimo asseritur, & ex. *c. de causis* dictum paulo antea est. Quando verò in eo euentu partes communi sensu delegato iurisdictionem prorogarent, locum non haberet, delegatum eam causam subdelegare, vt in ea subdelegatus appellatione postposita procederet, vt satis apertè eodem §. vltimo innuitur.

5 Citatus peremptoriè in diem aliquem, ex æ-
quitate est expectandus in diem sequentem, si- C
ue sit citatus ad sententiam audiendam, siue ad aliquid aliud. Excipitur, nisi in eo ipso termino peremptorio illi designato finiatur iurisdictio iudicis delegati: Tunc enim in fine diei vltimi exequi poterit, quod aduersus contumacem intendit. Et cùm non expediat iudicium in tenebris celebrari, iudex procedere aduersus illum debebit ante lucem finitam, quantum sit satis, vt ante tenebras, quod intendit, perficiat. Expedit verò vt iudex non se ita coarctet, vt in termino peremptorio parti designato expiret simul ipsius iurisdictio. Hæc omnia habentur. *c. consuluit de offic. deleg.*

Si aliquis literas à summo Põtifice obtinuit, D
vt à iudice aliquo ad id delegato intra certum temporis terminum in possessionem restitueretur, à qua summo Pontifici significauit se fuisse spoliatum, modò tamẽ intra id terminum probaret se possedisse, spoliatumq; ab ea possessione fuisse, tunc si contingat aduersarium possidentem absque contumacia non apparere coram iudice ad id delegato, vt partes suas defendat; sanè is, qui eas literas impetrauit, mitti ab eo iudice in eam possessionem non potest, estò probet & se possedisse, & spoliatum ab ea sua possessione fuisse, nihil impediente quòd terminus ei iudici datus, vt ipsum in eam possessionem mitteret, omnino labatur, expiretque ea E
iurisdictio talis iudicis delegati. Secùs autem esset, si ille alius dolo & contumacia in causa fuit, vt intra id tempus comparere non posset: quoniam tunc, probante eo, qui eas literas obtinuit, se possedisse, suaque possessione fuisse spoliatum, mitti in eam possessionem ab eo iudice debet. Hæc habentur *c. consultationibus de offic. deleg.*

Num

Num inquisitores hæreticæ prauitatis iudices sint delegati, an ordinarii. Et multa circa illorum iurisdictionem. Disp. 28.

SVMMARIVM.

1. *INquisitores hæreticæ prauitatis sunt iudices delegati summi Pontificis ad fidei causas.*
2. *Ad Episcopos spectat curare, vt subditi in sana doctrina instituantur, vt in hæreticos inquiratur: ac proinde sunt iudices ordinarii.*
3. *Episcopis in suis diœcesibus à sede Apostolica est concessum procedere in crimina hæreseos aduersus ab ipsis exemptos, authoritate summi Pontificis.*
4. *Pontifex vt est iudex ordinarius in causis fidei, is etiam delegat inquisitores fidei, vt iudices delegatos.*
5. *Inquisitores fidei, tam supremus quàm inferiores, immediatè habent suam potestatem à summo Pontifice.*
6. *Perpetuus inquisitor generalis, qui à Rege eligitur, & à Pontifice confirmatur, habet iurisdictionem delegatam instar ordinariæ, & in multis cum illa conuenientem.*
7. *Senatores supremi tribunalis inquisitionis sunt iudices immediatè delegati à summo Pontifice, ab eo immediatè suam iurisdictionem habentes.*
8. *Inquisitores, cùm delegati à summo Pontifice sint, subdelegare vnum aut multos possunt, qui vel simul coniunctim procedant in iisdem causis, vel diuisim in distinctis locis sui districti; etiam creare possunt vicarios.*
9. *De iure communi quando multi sunt constituti inquisitores in eodem districto, simul ac diuisim procedere possunt contra eos, ad quos iurisdictio eorum se extendit.*
10. *Si existentibus inquisitoribus in eadem prouincia ipsorum, summus Pontifex causam aliquã fidei alicui particulariter deleget, vt de ea cognoscat, tunc censetur ea causa ad summum Pontificem auocata, nec proinde possunt illi alii inquisitores de ea cognoscere.*
11. *Episcopi sine inquisitoribus & inquisitores sine Episcopo procedere de iure communi possunt aduersus hæreticos, eos inquirendo, in ius illos vocando, & alia efficere.*
12. *Episcopus sine inquisitore & inquisitor sine episcopo procedere non possunt ad includendum aliquem in duriori carcere, qui magis deseruire videatur ad pœnam & afflictionem, quam ad debitam eius rei custodiam.*
13. *De Hispanica inquisitione in particulari agitur latiùs, & quid ea peculiare habeat.*
14. *Quando inquisitores & ordinarii in aliquo discordant, tunc de iure communi causa ab inquisitoribus & ordinario bene instructa remitti debet ad summum Pontificem. Secùs in Hispaniis.*
15. *Quando ferenda est sententia definitiua aut interlocutoria, non potest vnus sine alio validè ac licitè procedere sententiam absolutoriam pronuntiando, quia delictum non sufficienter probatum inuenitur.*
16. *Quando sententia non est omnino absolutoria, sed in pœnam reus abiurare præcipitur, aut pœna alia ei imponitur, stando in solo iure communi*

muni non potest inquisitor sine ordinario aut ordinarius sine inquisitore procedere ad eam sententiam ferendam.

17. *Licèt delegatus summi Pontificis circa causam aliquam, quando summus Pontifex non reliquit ordinario integram suam iurisdictionem, quo ad vsum circa eandem causam, sed eam causam tali delegatione censetur ad se auocare, sit superior ordinario.*

18. *Tam inquisitores quàm ordinarii iurisdictionem habent, non habent non solum in clericos seculares, sed etiam in quoscunque religiosos, vt contra eos procedant ac eos puniant, quando de fidei negotio agitur.*

19. *Contra episcopos hæreticos neque priuati inquisitores neque etiam generalis inquisitor procedere possunt, nec inquirere, nisi horum aliquid eis expresse à Pontifice concedatur.*

20. *Aduersus nuntios Apostolicos procedere non possunt inquisitores hæreticæ prauitatis nec ordinarii, nisi de expressa Sedis Apostolicæ licentia. Possunt tamen inquirere sed informare, vt Pontificem certiorem efficiant.*

21. *Quando vnus inquisitorum hæreticus reperiretur, episcopus aut alius inquisitor potest aduersus eum procedere, eumq; comprehendere.*

22. *Si Rex hæresis suspectus sit, prudentis requisitoris erit aduersus eum non procedere, sed Pontificem consulat.*

23. *Commissarii inquisitorum & inquisitores debent esse quadraginta annorum.*

EXaminandum consequenter est in hac quidem Disputatione de inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & in sequenti de conseruatoribus, num iudices sint delegati.

1 Quod autem ad inquisitores attinet, quamuis Archidiaconus *c.ne aliquis de hæret. lib.6.* eos iudices esse ordinarios admittat; eo quòd, inquit, à Principe ad vniuersitatem causarum sint deputati; communis tamen doctorum sententia cum Eymerico in directorio inquisitorum part.3.q.4. meritò affirmat, eos esse iudices delegatos summi Pontificis ad fidei causas, & ad ea quæ ad illarum debitã expeditionem necessaria sunt, quem sententiam, inter alios, referunt ac sequuntur Simancas de catholicis institutorib. *titu.34.n.4. & Franciscus Peña in tertiam partem directorii inquisitorum, Scholio.74.* qui est ad 4. Eymerici quæstionem citatam, & *Nauar. lib. 1.consil.in titu.29.de offic.iud.deleg.consil.1.n.1.* Tametsi multum hodie inquisitorum iurisdictio ad ordinariam, vt ostendemus, accedat.

2 Vt verò hoc & sequentia meliùs intelligantur, obseruandum est. Ad episcopos ex suo munere & officio attinere curare, vt in suis diœcesibus sana in sibi subditis sit doctrina, inquireque proinde in hæreticos, eosque punire & arcere à suis ouibus, curare eorum reductionẽ, atque eos recipere ad fidei vnitatem, ecclesiæque gremium, & ad aliorum communionem, quando id ita expedire iudicauerint. Quo fit, vt ipsi sint iudices ordinarii omnium sibi subditorum, quemadmodum ad alia ad finem spirituale m ac supernaturalem attinentia, sic etiam quo ad hoc, vnusquisque tamen eorum in sua diœcesi. Quin & hæreticos alterius diœcesis, si in sua quo ad fidem delinquant, punire tanquam iudices ordinarii possunt ratione loci delictiue

A in sua diœcesi commissi. Possunt verò id episcopi efficere, non solùm postquam cõsecrati sunt; sed etiã eo ipso, quòd episcopi eius diœcesis creati sunt; quippe cùm eo ipso iurisdictionẽ totam episcopalem in eam totã diœcesim consequantur. Hæc omnia ex se sunt notissima, constatque episcopos ad ea omnia iurisdictionem habere ordinariam ex *c. ad abolendam de hæret. & ex. c. per hoc eod.titu.lib.6.* vbi dicitur eos quo ad hoc procedere iurisdictione ordinaria aduersus eos, qui autoritate Sedis Apostolicæ ab ipsorum iurisdictione non sunt exempti, & constat ex aliis iuribus, consentiunt *Eymericus.q.4.* citata, & cõmunis doctorum sententia, quam referunt ac

B sequuntur *Simancas de catholicis constitutionibus, titu.25. & Peña* vbi suprà, *Scol.71.* Atq; cùm ad capitulum sede vacante iurisdictio ordinaria episcopalis transeat, vt Disput. 1 dictum est, capitulum sede vacante iudex est ordinarius in causis hæresis.

Eisdem verò episcopis in suis diœcesibus à 3 Sede Apostolica est concessum procedere in crimine hæreseos aduersus ab ipsis exemptos, autoritate summi Pontificis. Quo fit, vt in crimine hæreseos, horum tantùm comparatione, non iudices ordinarii, sed delegati Sedis Apostolicę sint. Ita habentur *c. ad abolendam. §. vlt. de hæret.* cuius verba sunt: *Si qui verò fuerint, qui à lege*

C *diœcesanis iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicæ potestati; nihilominus in his, quæ sunt contra hæreticos instituta, episcoporũ subiaceant iudicium: & eis in hac parte, tanquam a Sede Apostolica delegatis, (non obstantibus libertatis suæ priuilegiis) obsequantur.* Idem habetur *c. per hoc eod.titu. lib.6.* illis verbis; *diœcesanis episcopis, quin & ipsi autoritate ordinaria in eodem procedere valeant, nolumus derogare.* Et infrà. §. vlt. illis verbis: *Sive autem ordinaria sive delegata episcopi potestate procedant.* Et affirmat *Eymericus.q.4.* citata & 5, ac doctores communiter.

Vt autem Disp. 4 copiosè fuit explanatum, 4 summus Pontifex iure diuino supremus iudex

D est ordinarius in tota vniuersali ecclesia, curam loco Christi vniuersalem illius habens cum plenissima iurisdictione, vt quo ad cætera omnia, sic etiam ad fidei causas, ea omnia in totum ecclesiæ corpus & in singulas illius partes exercere valens, quæ inferiores sub ipso exercere possunt, coarctareque iurisdictionem episcoporum potest, illisque adiutorium præstare, & cætera efficere, quę in ecclesiæ bonum expedire iudicauerint. Hinc, quia expediebat prouincias aliquas diligẽtiùs ab hæreseos ac apostasiæ crimine purgari, episcopique earum circa multa alia pro suo munere occupati, non quantum par erat huic grauissimo negotio operam nauabant, summi

E Pontifices pro sua vniuersali cura, plenissimaq; iurisdictione in totam ecclesiam, delegare ac mittere ad varias prouincias cæperunt inquisitores hæreticæ prauitatis, fidei zelo inflãmatos, prudentia ac virtutibus præditos, qui, tanquam ipsis delegati, minimè episcopos impediendo, neque illorum iurisdictionem in causis fidei minuendo, adiumento eis essent ad hæreses extirpandas, conseruandamque fidei catholicæ synceritatem ac puritatem, ei dumtaxat rei grauissimæ totis viribus incumbendo, modumque ac formam eis præscriptam seruando. Atque quo tempore mitti cęperint, tradit *Peña in tertiam*

part. dist. schol. 43. & lib. 8. de panis hæreticorum in principio.

Hos verò iudices non ordinarios, sed delegatos Sedis Apostolicæ esse, ex se est notissimũ, & cum Eymerico q. 4. vt suprà dictum est, affirmat communis doctorum sententia. Id autem Eymericus ibi probat ex literis Vrbani 4 & Clementis 4, quæ sunt primæ & secundæ inter decem & octo, quæ diuersorum summorũ Pontificum in 2. part. directorii referuntur, illis verbis: *Prouidimus igitur ibidem ad præsens personas aliquas circumspectas pro tanto negocio deputari, &c.* & aliis quæ *Eymericus. q. 4.* citata refert. Idẽ euidentiùs etiam probat ex *c. ne aliqui de hæret. lib. 6.* cuius verba sunt: *Ne aliqui dubitationem solicitam excitantes in dubium reuocent, an officium inquisitionis hæreticæ prauitatis, solicitudini vestræ infra certos limites ab Apostolica Sede commissum, expiret per mortem Romani Pontificis, qui commisit; præsertim declaramus edicto, ipsum officium, non solum quo ad negotia viuente mandatore incæpta, imò etiam quo ad integra & nondum capta, & quod plus est, quantum ad ea, quæ tunc nequaquam emerserant, in fauorem fidei post committentis obitum perdurare.* Quid euidentius dici poterat? Si enim ordinaria iurisdictio fuisset, perspicuum erit, illam morte concedentis non expirare.

Illa verò alia ratione, qua *Eymericus. q. 4.* citata ibidem probat; *quia* scilicet inquisitor *nullam habet iurisdictionem, nec in personis, nec in criminibus, nec in causis, nisi vbi, quantum, & circa quos ei confert dominus noster Papa*; optima est, si de munere inquisitorum in genere intelligatur, vt illam Eymericus intellexit, prout à principio quidam destinabantur ad certas personas, vt de illis inquirerent, & quo ad certam vel certas causas in particulari, & quidam ad certam prouinciam aut prouincias, quo ad omnia vniuersim ad fidei negotium attinentia, vel prout omnibus his & aliis modis inquisitores hæreticæ prauitatis ab Apostolica Sede possunt delegari. Quòd si de officio inquisitoris ad aliquam aut ad aliquas prouincias quo ad omnia, quæ ad fidei causas spectant, intelligatur, vt maximè vt hodie in Hispaniis est id officium perpetuũ stabilitum sub vno generali inquisitore, & cum generali senatu illius, creatis tribunalibus particularibus variis in locis similiter perpetuis, præscripto cuique particulari tribunali suo fixo ac determinato distinctu tot vel tot diœcesium aut locorum, sanè ea causarum fidei vniuersalitas, cum ea subditorum designatione, sufficientissima est, vt id munus ordinarium cum iurisdictionéve ordinaria potuerit statui: imò verò si à principio ita à supremo ecclesiæ principe Pontifice Maximo fuisset statutum, non dubitarem appellare illud ordinarium, & non delegatum. Quia tamen à principio delegatum emanare incipit ad hæreses in aliquibus prouinciis extirpandas, postea verò in vniuersis Hispaniis, & aliis in locis, experientia ipsa vtilitate illius maxima ac necessitate comperta, perpetuum est stabilitum, non solùm ad hæreses extirpandas, sed etiam ad præseruandum ab illis, atq; ad conseruandam catholicæ fidei syncericatem ac puritatem, paulatim multis priuilegiis in fidei fauorem eidem muneri concessis, iam nunc appellemus hoc munus ac iurisdictionem, vt hodie est, delegatam quidem, sed valde accedentẽ ad ordinariã, non solùm quia est ad vniuersalitatem causarum fidei, & ad ea, quæ ad illas extirpandas necessaria sunt, sed etiam quia est iurisdictio perpetua, in quo mortuis quibusdam, aut inde depositis, promotione & ascensu ad alia, vel aliqua alia ratione, succedunt perpetuò alii, vt in iurisdictione ac munere ordinario; & quia prouisus in illo, etiam re omnino integra, non expirat iurisdictio & prouisio morte illũ creantis ac prouidentis, nomine creantis ac prouidẽtis non solùm intelligendo summũ Pontificem, sed etiam quemcunque electorem, vt *Eymericus 3. part. q. 7 & 8* ait, & cum eo *Peña Schol. 76.* idque non secus atque si ea iurisdictio ordinaria esset, idq; munus ordinarium esset; & ob alia, in quibus cum iurisdictione ordinaria hodie cõuenit. Quo fit, vt hoc munus & sit iurisdictio delegata à summo Pontifice, quo ad ea quæ in tali delegata à summo Pontifice iurisdictione sunt perfectionis & excellentiæ supra ordinariam iurisdictionem cæterorum infra summum Pontificem, nempe repræsentare summum ipsum Pontificem, viceſq; illius tenere in iis, quæ muneris inquisitoris sunt, ac proinde excellere ea ex parte ordinarios omnes, qui sunt infra summum Pontificem (modo tamen infrà explicando) & simul careat imperfectionibus iurisdictionis delegatæ, consentiatq; cum iurisdictione ordinaria in contrariis illarum imperfectionũ: vnde præter illa in quibus est dictum, eam cum iurisdictione ordinaria cõsentire, anè iurisdictio hæc in fidei fauorem non est odiosa, nec restringenda, vt sunt aliæ delegatæ iurisdictiones, sed est fauorabilis & extendenda instar ordinariarum iurisdictionum.

Dubium est, à quo inquisitores hæreticæ prauitatis, tam supremus quàm particulares illi inferiores, suam immediatè habeãt iurisdictionẽ. *Eymericus. 3. part. direct. q. 3.* loquens de inquisitoribus sui temporis, respondet, illam habere immediatè à summo Pontifice, nihil impediente, quòd ex inquisitoribus quosdam summus Pontifex immediatè constituat ac eligat, quosdam verò eligi ac constitui cõmittat alicui cardinali vel legato, & frequentiùs tempore Eymerici eos eligi ac constitui, & etiam deponi, committeret generalibus & prouincialibus ordinis diui Dominici & diui Francisci, ex quorũ ordinibus inquisitores tunc creabantur ad diuersa loca ordinibus illis tunc designata, vt in eis illos constituerent. Licèt enim electio & cõstitutio ita aliis committeretur, qui meliùs nouerant zelum, prudentiam, ac alia ad id munus requisita in eligendis, præsertim in sibi subditis; qui tamen ita constituebantur ac eligebantur, iurisdictionem habebant immediatè, non ab electoribus, sed à summo Põtifice, præuia ea electione tanquam conditione sine qua summus Pontifex eam iurisdictionem illis non conferebat. Sicut etiam summus ipse Pontifex licèt iurisdictionem in totum ecclesiæ corpus immediatè habeat à Christo, habet tamen illam depẽdenter à canonica ipsius electione facta à Cardinalibus iuxta ordinem ecclesiæ ad eam electionem præscriptum, vt in materia de fide dictum explanatumq; est. Quòd autem inquisitores immediatè iurisdictionem suam habeant à summo Pontifice, estò ab aliis ex præscripto summi Pontificis eligantur ac constituantur, consen-

consentiunt, cum Eymerico doctores quos *Peña eodem.3.part.Schol.73.* refert ac sequitur: atque id apertissimè probant literæ Clementinis 4 ad inquisitores hæreticæ prauitatis ordinum Prædicatorum ac Minorum, quæ habentur 2 part.direct.inter literas diuersorum summorum Pontificum, & incipiunt Catholicæ fidei, &c. sic enim.§.vlt. sic habent: *Nam si prædicta Sedes interdum prælatis aliquibus vestrorum ordinum per suas literas sub certa forma committat, vt ad exercendum inquisitionis officium contra hæreticam prauitatem aliquos suorum fratres ordinum assumere valeant, ipsosq; cum expedire viderint, amouere, ac alios subrogare: non tamen per hoc, quod ipsis ea dumtaxat de causa in hac parte committitur, quia de fratrum suorum ordinum idoneitate pleniorem habere notitiam præsumuntur, aliqua eis sub huiusmodi inquisitionis negotio, vobis immediatè à prædicta Sede commisso & committendo, facultas vel iurisdictio attribuitur seu potestas.* Quæstione autem 6.eiusdem.3. part. affirmat ac probat Eymericus, inquisitores ita electos ac constitutos à suis generalibus aut prouincialibus, non ab ipsis, sed à solo summo Pontifice habere iurisdictionem. Peña autem Schol. 73 citato varias literas summorum Pontificum refert, in quibus generalibus & prouincialibus ordinum Prædicatorum & Minorum est concessum, vt prædicto modo inquisitores hæreticæ prauitatis eligant ac constituant & deponant.

6 Hodie verò in Hispaniis à tempore catholicorum Regum Ferdinandi & Elizabethæ, vt *Simancas titu. 34.* citato *n. 5. & Peña* vbi suprà *Schol.43.* refert, vnus perpetuus inquisitor generalis creatur, Rege illum eligente ac proponente summo Pontifici, summoque Pontifice illum confirmante ac creante, vt *Simancas* vbi suprà, *n.6* refert: vnde à solo summo Pontifice suam totam delegatam iurisdictionem habet, instar tamen ordinariæ, in multisque cùm ordinaria conuenientem. Ei verò committitur facultas creandi inquisitores & ministros sub ipso, qui ab eo pendeant tanquam ab ipsis omnibus superiore, moderatore, ac directore, qui illos punire ac deponere possit. Habet autem supremum inquisitionis senatum, qui supra particularia omnia tribunalia inquisitionum omnium particularium est, eis præscribens, quæ pro natis circumstantiis expedire præscribenda iudicat, & ad se auocans, sibique reseruans, quæ auocanda ac reseruanda iudicat, ad illumque recurritur ex particularibus inquisitionibus via appellationis, & in multis aliis iuxta præscriptum eis traditum. Ea tamen omnia ex præscripto inquisitoris generalis fiunt, à quo omnes pendent, & penes quem est tota autoritas ac iurisdictio circa res fidei, negotiumque totum sanctæ inquisitionis. Senatores eius senatus inquisitor generalis nominat, Rexque ipse eos elegit, vt idem Simancas ibidem n. 7 refert. Inquisitores verò particulares, & alios ministros, ipse generalis inquisitor eligit ac creat, consulto regulariter suo supremo senatu.

7 Vtrùm autem senatores supremi tribunalis inquisitionis, inquisitoresque particulares, hodie in Hispaniis subdelegati sint inquisitores generalis, quasi ab illo, & non à summo Pontifice immediatè, habeant suam iurisdictionem; an verò iudices delegati immediatè sint à summo Pontifice, ab eo immediatè habentes suam iurisdictionem. Arbitror dicendos eos esse iudices immediatè delegatos à summo Pontifice, habentes immediatè ab eo suam iurisdictionem, tamersi iurisdictioni inquisitoris generalis modo explicato subiectam: quia ita expedit regimini, vnioni, fini, ac bono, ad quod negotium totum sanctæ inquisitionis in his regnis ordinatur. Ducor, vt existimem eos esse iudices subdelegatos, aut commissarios inquisitoris generalis, de quibus post hoc dubium expeditum erit sermo, sed esse subdelegatos immediatos Sedis Apostolicæ, ab eaque immediatè habere suam iurisdictionem. Primò, quia ita expedit negotio fidei, bonoque communi, vt maiorem autoritatem habeant coram subditis, meliusque exequi possint suum munus, atque vt subdelegare possint, quæ pro suo munere subdelegare eos oportet, quæque ab inquisitore generali aut ab ipsius supremo senatu subdelegare non sint prohibiti: neque id pugnat cum dependentia & subordinatione omnimoda, quam in suo munere habere eos oportet generali inquisitori, ipsiusque supremo senatui. Secundò, quoniam id sonat nomen & officium inquisitorum in supremo particulari districto. Tertiò, & potissimùm, quoniam id non impedit, quòd ab alio munus inquisitoris magis generalis habente, à quo ipsi pendeant, deponique possint, eligantur ac constituantur immunere particularium inquisitorum variis in districtis: vt enim in literis Alexandri 4, quas Peña post commentaria in directorium refert, & incipiunt, *quod super. §. adiecistis*, habetur, ad similem quæstionem Alexander 4 respondit, tales particulares ac inferiores inquisitores, non subdelegatos, sed delegatos Sedis Apostolicæ esse, ad illa immediatè suam habentes iurisdictionem: sic quippe paragraphus ille habet: *Adiecistis præterea negotium seu officium inquisitionis contra hæreticos dilecto Lisio Priori fratrum Prædicatorum Parisiensi a Sede Apostolica fuisse sub hac forma commissum, vt ipse super hoc possit inquirere, tam per se, quam per alios, quos ad hoc idoneos reputet: in quo quæritur, vtrum tales delegati vel subdelegati existant, & quid possit etiam sic electi. Super quo taliter duximus ordinandum, quòd idem prior possit tres vel quatuor idoneos ad hoc opus assumere, qui parem cum ipso habeant potestatem: & amouere illos, ac ipsorum loco alios substituere, quotiescunque viderit expedire: ipsi tamen Priori, & aliis sic assumptis, committendi dumtaxat citationes, ac examinationes testium, cùm de huiusmodi crimine ac circumstantiis eius inquiritur, ac denunciationes sententiarum, quas super his contra quoslibet contigerit fieri, & iis similia faciendi conceditur ab eadem Sede facultas*, immediata videlicet, ita vt tam Priori, quàm cæteris ab eo electi, per quos de prauitate hæretica inquirat, iudicet ac puniat, iurisdictio immediata à Sede Apostolica delegata concedatur. Consentiunt etiam literæ Clementinis 6, & forma creationis cuiusdam in inquisitorem particularem, facta à Bertrando Cardinali Legato à Látere & inquisitore generali, quæ omnia à Peña referuntur in fine literarum omnium, quas post commentarios in directo-

rium adiecit.

Neque obstat, quòd, vt Simancas titu. 34. citato. n.15. refert, inquisitores particulares sub hac forma ab inquisitore generali creentur; *committimus vobis vices nostras, donec ad nos duxerimus eas revocandas:* non, inquam, id obstat, quoniam idcirco sub ea forma creantur, vt intelligatur, eos esse amouibiles ad nutum inquisitoris generalis, iurisdictionemque ipsorum subiectam omnino esse iurisdictioni inquisitoris generalis, qui arctare & ampliare eam potest, vt expedire iudicauerit: non verò, quòd subdelegata iurisdictio sit, vt Simancas ibidem autumat. Quod autem ibi Simancas subiungit, nempe subdelegatos alios sub eadem forma non expirare morte subdelegantis, verum est, si id intelligat, re non integra, ex dictis supra Disput. 20 & 21 constat. Si verò intelligat, re integra, sanè in aliis subdelegatis, non solùm si sub illa forma subdelegatio fiat, sed etiam si fiat sub quacunque alia, expirat eorum iurisdictio, seu potiùs efficaciter in eos non transit, vt Disput. 21 explanatum est: atque in eo differt iurisdictio particularium inquisitorum à iurisdictione quorumcunque aliorum subdelegatorum in fidei fauorem, siue illam appellemus subdelegatam, siue immediatè delegatam à summo Pontifice, sed præuia electione inquisitoris generalis tanquam conditione sine qua non. Tametsi fortasse aliquis contendere posset, priuilegium illud, vt munus inquisitoris re omnino integra non expiret morte delegantis, intelligendum est de inquisitoribus delegatis à summo Pontifice, siue eorum electio ad alium pertineat, siue non, non verò de subdelegatis ab immediatè à summo Pontifice delegatis. Vnde commissariorum inquisitorum, de quibus mox erit sermo, subdelegata iurisdictio exspirare videtur re omnino integra morte eos subdelegantis ac constituentis.

Confirmare possumus, inferiores inquisitores delegatos immediatè esse à summo Pontifice, ab eoque immediatè habere suam iurisdictionem, nihil impediente quòd electio & creatio eorum generali inquisitori à summo Pontifice sit commissa, cum subiectione omnimoda quo ad eorum iurisdictionem inquisitori generali, vt fidei negotium efflagitabat. Quoniam senatores supremi senatus inquisitionis non sunt subdelegati inquisitoris generalis, sed iurisdictionem suam delegatam immediatè habent à summo Pontifice. Tum quia non creantur nec eliguntur ab inquisitore generali, sed à Rege, solumque ab inquisitore generali nominantur: Rex autem licèt id efficiat autoritate & concessione summi Pontificis, non tamen confert iurisdictionem spiritualem, qualis illa est, & multo minùs eam subdelegat: sed ipso eligente eos senatores immediatè consequuntur iurisdictionem à summo Pontifice, vi facultatis à Sede Apostolica concessæ, vt ordo & modus inquisitionis ab inquisitore generali & à Rege instituatur, vt meliùs viderint expedire. Tum etiam quoniam ad tribunal eorum appellatur ab inquisitoribus inferioribus: appellatio autem, iuxta ordinem iuris, licèt esse possit à subdelegato ad subdelegantem, non tamen est ab vno subdelegato ad alium subdelegatum vnius & eiusdem subdelegantis, vel diuersorum subdelegantium, vt ex dictis in superioribus, maximè Disput. 21 facilè constat. Crediderim verò eiusmodi senatores velut vicarios esse generales inquisitoris generalis vnum tribunal cum eo efficientes, (in quo iurisdictio inquisitoris generalis ordinariæ iurisdictioni æquiparatur & cum ea conuenit) nec tamen illos habere suam iurisdictionem immediatè nisi à summo Pontifice. Neque illa ipsorum iurisdictio expirat morte inquisitoris generalis, vt vicariorum iurisdictio, quando ordinaria est, omnino expirat morte illorum, quorum sunt vicarii, vt Disput. 10 & sequentibus comprobatum est: quia talis creata est ex præscripto summi Pontificis, ipso illam eis conferente ad ipsorum electionem à Rege. Simili ergo modo quamuis inferiores inquisitores eligantur, ipsi omnino subiecti, ab eoque amouibiles ad nutum, à summo tamen Pontifice immediatè habent suam iurisdictionem tanquam ab eo delegati immediatè, vt maiorem habeant autoritatem, & subdelegare meliusque in fidei fauorem exequi suum munus possint.

Adde, quæ de inquisitoribus in iure disponuntur comparatione ordinariorum illorum de quibus inquiritur, & qui incarcerandi, iudicandi, absoluendi, aut puniendi sunt, vt in aliquibus simul concurrant, in Hispaniis, iuxta ordinem Apostolica autoritate in eis institutum, intellige exequutioni mandari quo ad solos inquisitores inferiores, quo ad solasque particulares inquisitiones, non verò quo ad inquisitorem generalem, illiusque supremum senatum, vt dicemus: quod est signum esse inquisitores delegatos immediatè à Sede Apostolica, de eorum numero, de quibus in eisdem iuris canonici depositionibus mentio fit. Adde etiam inquisitores particulares per alios, & non per se ipsos, immediatè sententias pronunciare in publico teatro, suoque nomine proprio autoritate Apostolica, & non nomine inquisitoris generalis: quod sanè non efficerent, si solùm essent commissarii ac subdelegati inquisitoris generalis, & non iudices delegati immediatè à Sede Apostolica ad rem tanti ponderis ac momenti, quanti est negotium fidei: solis enim illis tribus iudicibus permittitur per alios pronunciare ac intimare sententias à se latas, *l. 2. C. de sent. paric. recit.*

Inquisitores hæreticæ prauitatis, cùm delegati à summo Pontifice sint, subdelegare vnum aut multos possunt, qui vel simul coniunctim procedant in eisdem causis, vel diuisim in distinctis locis sui districti, in distinctisve causis, atque hi commissarii seu vicarii inquisitorum dicuntur. Possunt item, vel ob aduersam valetudinem, vel ob absentiam, aut ob aliam causam constituere eos vicarios vniuersales, qui ad tempus, seu vsque ad ipsorum beneplacitum, id munus exerceant, vel plenè, vel cum restrictione aliqua: illosque deponere possunt, quia semper ad inquisitorum beneplacitum censentur instituti: idoneosque illos ad rem tanti momenti eligere debent,

debent, atque circa illos num rectè se gerant, A vigilare ipsos oportet. Ita *Eymericus lib. 3. direct. quæst. 13.* & quatuor sequentibus, anteaque eodem *lib. 3. a num. 37.* apud Peñam tradiderat varias formas eosdem creandi, ex quibus eadem res magis illustratur. Consentit cum Eymerico communis doctorum sententia, quam *Simancas titu. 34.* citato. *num. 30.* sequitur, etiam refert ac sequitur *Peña in. 3. lib. directorii, Schol. 9. 10. & 81. 83.* Id verò probat Eymericus, quoniam inquisitores hæreticæ prauitatis delegati sunt summi Pontificis : delegatus verò à principe subdelegare potest, vt à Diſput. 15 copiosè à nobis explanatum est. Et quoniam subdelegatus subde- B legare iterum non potest, etiam si à delegato à principe subdelegatus sit, vt à Diſput. 15 citata cum communi doctorum sententia est dictum, inde idem Eymericus quæst. 15 colligit, eiusmodi commissarios seu vicarios inquisitorum subdelegare non posse, etiam si vicarii vniuersales constituti sint. Idem censet Peña Scholio 81 citato. Et quamuis Peña non adeò certam eam sententiam esse censeat, quæ affirmat subdelegatum non posse iterum subdelegare, quàm certam nos cum communi sententia eam censemus, illam tamen amplectitur ac probat. Primò cum Ioann. And. quoniam si subdelegatus posset iterum subde- C legare, sanè & hic posset iterum subdelegare, & ita in infinitum ; cùm nulla congrua ratio reddi possit, cur vnus potiùs subdelegatus posset iterum subdelegare, quàm alius : progressus autem in infinitum iura abhorrent, ac vitari præcipiunt, *l. fidei commißum. §. si quis. ff. de leg. 3.* Secundò, quoniam potestatem quam delegatus à principe ad subdelegandum habet, est à lege id statuente ac concedente, estque priuilegium personale eis solis delegatis competens, quod proinde in alium non transit, *c. priuilegium de reg. iur. lib. 6.* notantque *gloſſa. c. quamsit de elect. lib. 6. & Bart. l. si quis pro emptore. ff. de vſuc.* Hinc sanè, si inquisitores D particulares huius regni subdelegati essent ab inquisitore generali, eorumque solùm vicarii, vt Simancas arbitratur, subdelegare non possent: quod neque cum praxi neque cum ipsorum munere ac autoritate, quam eos habere expedit, consentit. Inquisitores subdelegare posse, ac proinde commissarios seu vicarios posse creare, probant etiam Eymericus ex clem. 1. de hæret. §. porrò illis verbis ; *inquisitoris vel suorum commissariorum ordinatio refragatur.* Et illis ; *coram dictis inquisitoribus, vel substitutis ab eis.* Et rursus illis ; *inquisitore, vel substitutis ab eis.* Et ex *§. verum*, illis verbis; *inquisitoribus prædictis, ac aliis ad dicti exequu-* E *tionem officii substituendis ab eis.* Item ex *clem. 2. eodem titu.* illis verbis; *super hoc deputatis commissariis.* Et illis ; *socii inquisitorum & commissariorum ipsorum, qui dictos inquisitores aut commissarios.* Et infrà ; *prælatis inquisitorum & commissariorum eorundem.* Et infrà ; *inquisitores & commissarios prædictos reos repertos ab officiis amouere.* Varias alias literas Apostolicas refert *Peña Schol. 80* citato, quibus idem comprobatur.

Hodie verò in Hispaniis generales commissarii deputari non solent. Quoniam inquisitor generalis habet supremum senatum, vbi totius A distrícti ipsius res in præsentia & in absentia, in prosperataque & in aduersa valetudine illius, aut etiam eo defuncto expediuntur, saltem quæ moram non patiuntur, vt expectetur creatio noui inquisitoris generalis, aut illius expressum beneplacitum. Et quoniam inquisitiones particulares duos aut plures habent inquisitores, qui simul aut diuisim expediant causas sui distrícti, qua ratione commissario generali non indigent. Per varia autem loca cuiusque distrícti deputantur varii commissarii particularium inquisitionum, qui denunciationes recipiant, ne mulieres & alii accedere cogantur ad inquisitiones ad denunciandum, & qui similia alia ex præscripto inquisitorum efficiant.

De iure communi quando multi constitu- 9 ti sunt inquisitores in eodem distrícto, simul ac diuisim procedere possunt contra eos, ad quos iurisdictio ipsorum se extendit : quoniam singulis in solidum censetur concessa iurisdictio in reos omnes eius distrícti. Ita habetur *c. vt offic. in princ. & c. vt commissi de hæret. lib. 6.* & affirmat *Eymericus. 3. part. direct. quæst. 46.* & cum eo *Peña Schol. 106. Simancas titu. 34.* citato *num. 26*, & doctores communiter. In Hispaniis autem formam eis præscriptam, quando simul procedere debeant, & quando seorsim procedere possint, seruare tenentur.

Obseruat *Peña Schol. 106* citato, cum aliis, quos citat, si existentibus inquisitoribus in aliqua prouincia, distrícto ve ipsorum, summus Pontifex causam aliquam fidei alicuius particulariter deleget, vt de ea cognoscat, tunc censeri eam causam ad summum Pontificem auocatam, nec proinde posse illos alios inquisitores de illa cognoscere, etiam si de illa cognoscere incepissent. Idem affirmat *gloſſa. 1. c. per hoc de hæret. lib. 6.* & consentiunt, quæ Diſput. 26 dicta comprobataque à nobis sunt. Ex quibus etiam constat, si morte talis, specialiter ad eam causam à summo Pontifice delegati, aut alia ratione expirasset in illo iurisdictio illa delegata, recurrendum circa eam causam esse ad summum Pontificem, neque inquisitores illos alios neque episcopum de illa posse cognoscere: eo quòd ea causa auocata ad summum Pontificem censetur particulari illa delegatione illius. Lege quæ Diſput. 26 citata quo ad hæc dicta sunt. Addit Peña, eum inquisitorem, particulariter ad eam causam à summo Pontifice deputatum, compellere posse, quemadmodum quoscunque alios, vt exhibeant quæcunque conducere possunt ad notitiam & ad processum eius causæ, iuxta *c. vt commissi. vers. nec non de hæret. lib. 6.* & iuxta literas alias Apostolicas Alex. 4, quas idem *Peña Schol. 101* refert, sic etiam inquisitores illos alios, vt ei exhibeant processus omnes, scripturas, inquisitiones, testium depositiones, & cætera, si quæ ab ipsis aut ab aliis confecta iam aduersus eum reum erant. Tametsi addat, modestius esse vt id efficiat autoritate superioris, quando specialiter in literis suæ commissionis ea facultas non est expressa. Dicerem, petere ab eis amicabiliter ea debere : quando verò exhibere illa ita amicabiliter petita non vel-

dent, vel cogere eos posset ad illa exhibenda, vel, iuxta consilium Peñæ, recurrere deberet ad summum Pontificem. Idem Peña ibidem addit, si is inquisitor speciali malitia, aut aliis non iustis de causis, non procedat, vel procedat non vt oportet, inquisitores illos alios eius loci certiorem ea de re efficere debere summum Pontificem.

11 Episcopi sine inquisitoribus (idem intellige de habentibus iurisdictionem quasi episcopalem, vt de capitulo sede vacante, & de aliquibus ordinariis habentibus iurisdictionem exemptam ab episcopo, vt in hoc Conchensi episcopatu de Priore conuentus de Voles) & inquisitores sine episcopo procedere de iure communi possunt aduersus hæreticos, fautores eorum, &c. eos inquirendo, processus contra eos formando, in ius illos vocando, in carcerem eos mittendo, compedibus eos vinciendo, & manicis ferreis, & reliqua efficiendo, præter ea quæ excipiemus. Tenentur tamen sibi inuicem processus communicare, quando vterque procedit, & vnus seorsim ab alio (Id verò Benedictus vndecimus *extrauag. 1. de hæret.* inter communes exposuit, intelligendum esse in fine causæ, quando aliud non restat, quàm ferre sententiam, aut in progressu semel tantùm, quando vnus eorum commodè procedere non posset nisi viso processu & actis alterius, & postulat vt sibi ostẽdatur.) Eundem ordinarii modum in procedendum seruare tenentur, qui iuribus aut constitutionibus inquisitoribus est præscriptus, vt eum seruent. Hæc habentur *c. per hoc de hæret. lib. 6.* Et *clementina. 1. §. propter de hæret.* quo ad hoc sic disponitur: *Vt negotium inquisitionis eo prosperetur felicius, quo deinceps diligentius & cautius peragetur, ipsum tam per diœcesanos Episcopos, quàm per inquisitores à Sede Apostolica deputatos, decernimus exerceri sic, quòd quilibet de prædictis sine alio citari posset, & arrestare, siue capere, ac tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, si ei visum fuerit faciendum, super quo ipsius conscientiam oneramus, nec non inquirere contra illos, de quibus pro eiusmodi negotio secundùm Deum & iustitiam viderit expedire.* Consentiunt Eymericus *lib. 3. direct. q. 47, 51, 52, & 53.* & cum eo *Peña Schol. 107, 110, & 111. Simancas titu. 25. n. 4. & titu. 34. n. 23.* & doctores communiter. Idem constat ex literis Vrbani 4, quæ apud Peñam habentur post commẽtarios in directorium, & incipiunt: Licèt ex omnibus. Addit rectè Peña Schol. 111. citato, cum aliis, quos citat, inquisitorem & ordinarium etiam ante sententiam, qua reum ad torturam condemnant, teneri communicari processus, si seorsim procedant: eo quòd ad torturam reos condemnare non possint, nisi præsente & consentiente vtroque, vt subiungemus. Non verò censet, idem faciendum ad torturam testis.

12 Episcopus sine inquisitore aut inquisitoribus, & è contrario inquisitores sine Episcopo, aut illius vicario generali, aut alio ea in parte delegato ab Episcopo, vel, sede vacante, sine aliquo ad id à capitulo delegato (idem intellige de quocunque alio ordinario habente iurisdictionem quasi Episcopalem in eum, aduersus quem est procedendum) procedere non possunt ad includendum aliquem in duriori carcere, qui magis deseruire videatur ad pœnam & afflictionem, quàm ad debitam eius rei custodiam ac cautelam, neque ad eum torquendum, neque ad sententiam contra eum ferendam, & per consequens neque ad vllam pœnam illis infligendam. Atque si aliter procedant, totum est irritum & inane. Excipitur, nisi Episcopus aut alii ordinarii suprà commemorati copiam habere non possint Episcopi, aut alterius ex ordinariis commemoratis. Tunc enim soli, etiam ad prædicta, procedere possunt. Item excipitur, si vel Episcopus (idem intellige de commemoratis aliis ordinariis) inquisitores requirat, vel inquisitores Episcopum aut alium ex prædictis ordinariis requirant, & intra octo dies postquam fuerint requisiti non accedant ad interessendum per se vel per suos ad id delegatos: tunc enim, qui ita alios requisierunt, soli ad prædicta procedere possunt. Item Episcopus aut alius ex ordinariis commemoratis delegare inquisitoribus possunt vices suas ea in parte, vel eis per literas significare suum consilium ac consensum: & è contrario inquisitores eodem modo se gerere possunt cum ordinario. Et tunc, qui ita vices aut consilium ac consensum ab alio acceperit, procedere ad prædicta ad sententiæque exequutionem optimè potest. Hæc habentur *clem. 1. de hæret. §. duro*, cuius verba sunt: *Duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam quam ad custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos, Episcopus sine inquisitore, aut inquisitor sine Episcopo diœcesano, aut eius officiali, vel, Episcopali sede vacante, capituli super hoc delegato, si sui ad inuicem copiam habere valeant intra octo dierum spatium, postquam ad inuicem requisierunt, non valebit. Et si secus præsumptum fuerit, nullum sit & irritum ipso iure. Verum si Episcopus, vel eius capituli sede vacante legatus, cum inquisitore, aut inquisitor cum altero eorundem, propter præmissa nequeat, aut non velit præsentialiter conuenire, possit Episcopus, vel eius seu capituli sede vacante delegatus, inquisitori, vel inquisitor Episcopo, vel eius delegato, seu sede vacante illi, qui ad hoc per capitulum fuerit deputatus, super illis committere vices suas, vel suum significare per literas consilium & consensum.* Hactenus paragraphus ille. Ante eam autem clementinam vnus illorum sine alio procedere non poterat ad sententiam, vt dispositum erat *c. per hoc de hæret. lib. 6.* Consentiunt *Eymericus q. 47* citata, & 49, & doctores communiter.

13 Hæc autem, quæ de iure communi sunt sancita, quo ad quæ inquisitores & ordinarii possunt procedere diuisim, & quo ad quæ conuenire debeant, item quæ de carcere inquisitorum & ordinariorum & de custodibus ab vtrisque carceri adhibendis *clementina. 1. de hæret. §. sanè.* & sequenti subiunguntur, non eodem prorsus modo locum habent ac seruantur in Hispaniis. Cùm enim experientia compertum sit, multa ac grauia incommoda ex eo sequi, quòd ordinarii processus contra reos circa fidei negotium forment, præsertim ob secretum, quod maximè refert haberi ac seruari: eademque de causa sit experientia compertum,

pertum, minimè expedire, vt rei ab ordinariis comprehendantur, & vt in ordinariorum carcere asseruentur ac custodiantur; vsu est receptum, vt soli inquisitores processum formet, atque contra delinquentes ipsi soli procedant, & vt rei inquisitorum iussu comprehendantur, in soloque inquisitorum carcere detineantur, ac custodiantur. Quòd si ordinarii aliud circa hæc efficere aggrediantur, nec desistant, certior sit Rex, ad eosque scribit, vt desistant, & vt deinceps simile quid non efficiant: quoniam fidei negocio id non expedit, vt inter alios testatur *Simancas tit. 34. num. 7.* Quòd si non parerent, (quod inauditum hactenus est) Rex summum Pontificem certiorem efficeret, eosq; in fidei bonum cessare efficeret. Quin audio, neque ordinarius permitti, vt adiecta proferant, quibus præcipiant, ipsis aut ipsorum ministris denunciari, quæ ad fidei negotium pertinent: quoniam expedit eiusmodi denũciationes fieri solis inquisitoribus, & commissariis ab ipsis deputatis, propter eandem rationem. Postquam verò hæc ita scripsi, à fide dignis accepi literas Apostolicas esse in Hispaniis, quibus præcipitur, vt hæc Episcopi & alii ordinarii inquisitoribus relinquant, neque in eis se intromittant. Si quæ verò ordinarii reperiant, efficere debent illis de rebus summariam informationem, eamque ad inquisitores debent transmittere. Si item expediat delinquentem circa causas fidei comprehendere, ne dispareat ac fugiat, comprehendere illum possunt ordinarii, & transmittere ad inquisitores, aut illos certiores facere, vt illum ad suum carcerem adducant.

In his verò, in quibus *c. per hoc de hæret. lib. 6. & clem. 1. eod. titu.* est sancitum, vt inquisitores non procedant sine ordinariis, neque ordinarii sine inquisitoribus, inquisitores sine ordinariis, aut sine eorum ad id delegatis non possunt in Hispaniis procedere, neque re ipsa procedunt: solent verò ordinarii ad id in inquisitionibus particularibus habere suos deputatos. Rectè verò Peña Schol. 116. cũ aliis quos citat, admonet, quamuis iuxta clementinam citatam inquisitores sine ordinario non possint in suo carcere includere aliquem reum in duriori, & obscuriori parte, vt id ad afflictionem & pœnam illi sit, quod sæpe iuxta Eymericũ expedit vt confiteatur ac reducatur; & ratio est, quia id non ad debitam solùm custodiam spectat, sed ad torturam ac pœnam; nihilominus quãdo reus in loco mitiori securus nõ est, ne fugiat, vel ne loquatur cum aliis, aliquidve sequatur in suum aut aliorum vel veritatis ac iustitiæ detrimentum, tunc inquisitor sine ordinario includere illũ potest in duriori, & obscuriori loco: quoniam id non ad pœnam atque ad afflictionem fieret, sed ad debitam cautelam ac rationabilem custodiam. Cæterùm neque ad cautelam ac custodiam, neq; ad pœnam & afflictionem ordinariis consentientibus, tam duro ac aspero carceri emancipari possunt, vt asperitate & malitia carceris mors illorum sequatur: quoniam ea sequuta, inquisitores & ordinarii, qui adeò duro carceri eos manciparent, irregularitatem incurrent, vt cum aliis, quos citat, Peña ibi affirmat, dictumque à nobis est tract. 3. in calce disp. 74. quo in loco ea adiecimus, quæ hoc loco admoneri poterant.

14 Quando inquisitores & ordinarii in aliquo ex iis discordant, ad quæ iuxta *clement. 1. de hæret.* dictum est vtrosque concurrere debere, tunc de iure communi causa ab inquisitoribus & ordinario bene instructa remitti debet ad summum Pontificem, vt quid ea de re fieri debeat, statuat. Ita habetur *cap. per hoc de hæret. lib. 6.* Et quamuis caput illud solùm de sententia loquatur, ad quam solam inquisitor & ordinarius tunc temporis non concurrere simul tenebantur, sanè eo ipso, quòd clement. 1. de hæret. sancitum fuit, vt ad quædam alia suprà commemorata etiam concurrant simul, si circa illa discordes sint, idem efficiendum est: eo quòd sit eadem ratio. Consentiunt *Eymericus lib. 3. direct. quæst. 50.* & doctores communiter. Quia enim non ita summus Pontifex inquisitores hæreticæ prauitatis delegat, quasi vellet iurisdictionem ab ordinariis auferre, aut illam eis arctare in causis fidei, sed solum adiutores ad eas causas illis præbere, iuxta ea quæ in principio huius Disputationis dicta sunt, & constat ex variis iuribus & literis Apostolicis, præsertim Vrbani 4. quas refert Peña post commentarios in directorium, & incipiunt: Licèt ex omnibus, &c. sanè Pontifex maximus delegando inquisitores hæreticæ prauitatis non intendit efficere illos superiores ordinariis in causis fidei, sicut quando alios ad eas causas alias delegat, censetur illos efficere quo ad eas causas superiores ordinariis, easque causas ad se auocare, etiam si alioquin ad ordinarios attinerent, vt Disput. 26. explanatum est; sed solùm intendit efficere illos pares illis, eaque de causa, si inquisitores & ordinarii dissentiant in iis, ad quæ concurrere simul tenentur, non præualet inquisitor, estò delegatus sit Apostolicæ Sedis, sed causa instructa ab ordinario & inquisitore remitti ad summum Pontificem debet. In Hispaniis tamen aliud meritò reseruatur vsu, habetque sanctio recepta, ipsoque vsu confirmata, referentibus *Simancas tit. 25. num. 5. Peña Schol. 119. Rojas. & aliis*, vt scilicet si inquisitores & ordinarius in aliquo eiusmodi discordent, causa instructa remittatur non ad summum Pontificem, sed ad supremum inquisitionis senatum, eiusque definitioni stetur. Cùm enim soli inquisitores particulares sint, qui in hoc regno processus contra reos formant, propterea quæ paulo antea dicta sunt, solumque concurrant ordinarii per se aut per suos delegatos, ad consilium, suffragium, & consensum prædendum circa ea, circa quæ clementina 1. est sancitum, vt inquisitores sine ordinariis non procedant, meritò est sancitum, vt si discordent, causa non feratur ad summum Pontificem, vt breuiùs dilucidiusq; in ipsamet prouincia & sine tot sumptibus causæ definiatur, sed deferatur ad supremũ grauissimum tribunal inquisitionis generalis, quod solùm vacat causis fidei, iisq; quæ cũ illis connexa sunt, definiendis. Neq; iam nunc ordinarii audirentur, si aliud vellent, consuetudine in his regnis retribuente iurisdictionẽ tribunali inquisitionis circa hæc, & circa alia rationabilissima,

bilissima, vsu consuetudineque recepta, Rex que ipse ac summus ipse Pontifex consultus, silentium illis omnino imponerent: quia id postulat negotium fidei, estò consuetudine recepta, & fortè ex præscripto summi Pontificis introducta, id non esset iam obfirmatum. Peña vbi supra sequentem ea de re institutionem de *Madrid* latinè donatam refert: *In omnibus casibus, in quibus contigerit suffragiorum discrepantia inter inquisitores & ordinarium, vel aliquem ipsorum, in definitione causæ, vel in quocunque alio actu, vel sententia interloquutoria, debet causam ad senatum supremum inquisitionis remitti. Quòd si episcopus & inquisitores concordauerint, quamuis periti, seu consultores dissentiant, & si numero sint plures, sententia episcopi & inquisitorum exequutioni mandetur. Verumtamen in causis grauissimis non debent vota inquisitorum, ordinarii, & consultorum exequutioni mandari, etiam si fuerint conformia, inconsulto senatu, sicut solitum est, & iussum fieri.* Hæc ibi. Iuxta quæ nullus relaxatur brachio seculari senatu supremo inconsulto, etiam si vota inquisitorum, ordinarii, ac consultorum omnino consentiant: quoniam id inter causas grauissimas computatur. Postquam hæc etiam scripsi, a fide dignis accepi, id quod de recursu ad supremum senatum inquisitoremve generalem, quando ordinarius, & inquisitores discordant, autoritate literarum Apostolicarum fuisse in hoc regno sancitum. Neque sanè aliter id sibi generales inquisitores vsurpassent in Episcoporum præiudicium, quam Apostolica autoritate.

15 Dubium est, vtrùm quando ferenda est sententia definitiua, quæ reum absoluat, aut interloquutoria, quæ vim definitiuæ habeat, & sit similiter in rei fauorem, vt qua eum absoluat a tormentis, aut ab aliquo aliorum, ad quæ *clementina 1. de hæret.* statuitur, vt inquisitores, sine ordinario, neque ordinarius, sine inquisitore procedant, possit vnus sine alio validè ac licitè procedere, sententiam omnino absolutoriam pronunciando, quia delictum non sufficienter probatum inuenitur. *Eymericus. 3. part. direct. quæst. 48 cum Ioann. Andr.* & aliis, quos citat, affirmanter respondet. *Peña Schol. 108.* rem latè ac doctè discutit, ac plurimis autoribus pro ea parte relatis ostendit Eymericus sententiam communem esse stando in iure communi cum glossa *Ioann. And. clement. 1. de hæret. verb. contra eos.* Nec desunt rationes vrgentes ad id probandum. Quæ enim in ea clementina fieri prohibentur ab inquisitoribus sine ordinario, & ab ordinario sine inquisitoribus, manifestè in reorum fauorem sunt sancita, atque in cautelam maiorem, ne molestia iniustè ac indebitè eis inferatur, sancitaque sunt propter querimonias, quæ ea de re ad aures summi Pontificis in principio eius clementinæ peruenisse narrantur: vndè cùm sententia absolutoria reis fauorabilis sit, & clementina illa apertè loquatur solùm de sententia condemnatoria, vt constat ex illis verbis; *aut ad sententiam procedere contra eos:* argumento a contrario sensu ex illa clementina est dicendum, integrum esse ordinario sine inquisitoribus, & inquisitoribus sine ordinario, sententiam absolutoriam proferre. Item ob rationem Eymerici, quæ in idem recidit, nempe quoniam a iure antiquo recedendum non est, nisi quantum prohibitum, correctum, seu emendatum iure nouo reperitur: sed iure antiquo integrum erat ordinario sine inquisitore, & inquisitor sine ordinario procedere ad sententiam, tam contra reum, quam pro reo, illum absoluendo: cùm ergo iure nouo solùm reperiatur prohibitum vnum sine alio procedere ad sententiam contra reum proferendam; consequens est, vt integrum cuique eorum sine altero sit, sententiam absolutoriam pro reo proferre. Consentiunt literæ Vrbani 4. relati ab *Eymerico 2. part. dist. §. si verò*, quæ incipiunt *Præcunctis*, & apertiùs literæ Clementis 7. quæ a Peña post commentarios in direct. referuntur, & incipiunt, cùm sicut, illis verbis; *contra huiusmodi exemptos vsque ad sententiam definitiuam, ad quam ferendam si fuerit condemnatoria, cum consensu ordinarii procedatis.* Vbi vides, ad sententiam absolutoriam necesse non esse concurrere ordinarium cum inquisitore. Ancharranus tamen, *Simancas de cathol. institut. 3. num. vlt.* & pauci alii, censent, vnum sine alio neque ad sententiam absolutoriam procedere posse. Et quamuis stando in solo iure communi contraria Eymerici, & communis sententia longè probabilior sit, in Hispaniis tamen meritò hæc alia vsu est recepta. Quoniam ita cautiùs ac meliùs in fidei fauorem proceditur.

16 Vtrùm autem quando sententia non est omnino absolutoria, sed in pœnam reus abiurare præcipitur, aut pœna alia ei imponitur, possit stando in solo iure communi, inquisitor, sine ordinario, aut ordinarius sine inquisitore procedere ad eam sententiam ferendam. Quidam, quos *Peña Scholio. 108.* citato refert, affirmanter responderunt, censentes, solùm quando reus relaxandus per sententiam esset brachio seculari, necesse esse, vt inquisitor, & ordinarius simul concurrant. Et quamuis Peña ibi dicat eam sententiam defendi posse, arbitreturque contrariam tutiorem ac probabiliorem, omnino existimo illam aliam sententiam falsam esse, minimeque iuri communi clementina 1 citata consentaneam. Etenim clementina citata, neque reos mancipare duriori carceri, qui magis ad afflictionem ac pœnam quam ad solam tutam ac prudètem sit custodiam, permitti ordinario sine inquisitore, neque inquisitori sine ordinario, estò id optimo fine fiat, vt vexatio intellectum tribuat, eaque via detegatur veritas, ac reus conuertatur; multo verò minùs vni eorum sine alio permittet sententiis pœnas eisdem reis propter ipsorum delicta imponere: quæ plenæ sententiæ ea ex parte, qua pœnam continent, verè sunt sententiæ contra eos reos, ac proinde nullæ redditæ sunt ea clementina, si ordinarius sine inquisitore, vel inquisitor sine ordinario eas proferat. Sanè, qui confessi de suis erroribus ecclesiæ reconciliantur, sententia in eos lata pronunciantur incidisse in excommunicationem, bonaque omnia ipsorum illis in pœnam eisdem sententiis confiscantur, & vestem illam duabus crucibus rubeis affectam, ipsis & suis omnibus valde ignominiosam, ad longius,

vel

vel ad breuius tempus gestare similiter in pænam præcipiuntur, item præcipiuntur publicè abiurare, vt si iterum labantur, tanquam relapsi puniantur. Quis autem dicat, sententiam, quæ has omnes grauissimas pœnas continet, non esse sententiam contra illos latam? Illi quoque, qui in pœnam obiurare sententia publica præcipiuntur, & quibus sæpe pœnæ aliæ imponuntur, saltem vt aperto capite, sine pallio & cum cereo, in publicum exeant, suamque sententiam publicè audiant, multum sanè ea sententia puniuntur, vereque de ea sententia ea ex parte, qua talia continet, dicitur, esse sententiam contra eos latam.

Idem dicendum est de eis, quibus sententia purgatio canonica imponitur, & de eis, qui de leuiter suspectis damnentur, & in publicum modo explicato prodire præcipiantur, ibique sententiam è suggesto in publico teatro audire. Quare meritò in Hispaniis vsu est receptum, vt ad has sententias concurrat etiam ordinarius. Vidi nihilominus ego in Lusitania, cùm Christianus quidam captus à Saracenis fuisset, atque vt seruitutem fugeret, sectam Mahumeti inter illos fuisse professus, ad nostrosque propria sponte aufugisset, reconciliatum secretò fuisse in tribunali inquisitionis, ibique abiurasse, solis inquisitoribus & aliis ministris eius tribunalis, ac me, qui illum fui comitatus, præsentibus, neque ordinarium, aut alium loco illius interfuisse. Forte in simili euentu, in quo nullum dubium interuenire potest, necessaria non erit præsentia ordinarii. *Eymericus. 3. part. direct. quæst.* 5. comparans de iure communi inquisitorem cum episcopo quo ad fidei causas ait, si episcopus procedat contra alioquin ab eo exemptum, vt contra religiosum alioquin ab ipso exemptum, tunc quia procedit, non iurisdictione ac potestate ordinaria, sed delegata summi Pontificis, vt suprà est explanatum, tunc parem omnino esse cum inquisitore, qui semper procedit potestate delegata summi Pontificis. Atque tunc, si seorsim procedant episcopus & inquisitor contra eum, de iure communi posse seorsim procedere est explanatum, illumque exemptum episcopus & ordinarius citent, vt coram ipsis diuersis temporibus compareat, ita vt vtrique præcepto commodè satisfacere possit, teneri eum coram vtroque comparere. Si verò citetur pro eodem tempore ita, vt commodè vtrique præcepto satisfacere non possit, integrum illi esse, coram quo illorum maluerit, tempore sibi præscripto comparere: quoniam duo illi iudices pares sunt. Postea verò comparere debebit coram alio eorum, prudenterque facturum si rationem reddat, cur tempore sibi præscripto coram eo non comparuerit, quia scilicet pro eodem tempore citatus etiam fuit ab alio, & coram illo comparuit. Si autem episcopus potestate ordinaria procedat aduersus minimè alioquin à sua iurisdictione exemptum, tunc ait Eymericus, maiorem esse inquisitorem episcopo; eo quòd inquisitor sit delegatus summi Pontificis, qui ea ratione est superior ordinario, iuxta *c. sanè 2. de offic. deleg.* & ea quæ Disput. 26 copiosè dicta sunt; ac proinde in euentu, quòd is, qui ab vtroque citatus pro eodem tempore fuit, non posset in illo coram vtroque comparere, teneri comparere coram inquisitore, estò ab episcopo fuerit priùs citatus, & postea coram episcopo, quia in eo euentu maior est inquisitor. *Peña Scholio. 75.* cum Eymerico consentit.

Ibidem verò subiungit, non idem dicendum esse de commissario inquisitoris comparatione episcopi, quasi eodem modo superior Episcopo sit, citatioque ab eo facta, eam prærogatiuam habeat comparatione episcopi iurisdictione ordinaria procedentis, quam inquisitoris citationem habere est dictum. Id Peña confirmat ex doctrina Bart. *l. filius. ff. de legationib.* vbi ait, interdum vice-rectorem seu vicarium rectoris constitui ab ipsomet rectore, & tunc vicem rectoris subire, rectoremque per illum administrare, eiusmodique vice-rectorem non habere rectoris immunitatem. Interdum verò ab vniuersitate ipsa constitui, morte aut discessu rectoris, & tunc habere rectoris immunitatem. Vnde, inquit Peña, cùm commissarii inquisitorum ab ipsomet inquisitore loco sui substituantur, non habent illam immunitatem ac prærogatiuam comparatione Episcopi, quam habet inquisitor ipse. Si autem à Principe, ab ipso videlicet summo Pontifice, constituerentur, tunc censerentur immediatè delegati summi Pontificis, haberentque proinde eandem prærogatiuam comparatione Episcopi.

Mihi, sub aliorum iudicio, non omnino probatur, quod Eymericus affirmat: & multo minùs, quod Peña subiungit. Licèt enim delegatus summi Pontificis circa causam aliquam, quando summus Pontifex non relinquit ordinario integram suam iurisdictionem, quo ad vsum circa eandem causam, sed eam causam tali delegatione censetur ad se auocare, sit superior ordinario, vt Disputat. 26 copiosè est explanatum; in quo euentu loquuntur *c. sanè. 2. de offic. deleg.* & alia iura, quæ id docent; quando tamen aliquis delegatur ad causas aliquas, vt quo ad illas coadiutor sit ordinariorum, relicta ordinariis sua integra iurisdictione quo ad vsum circa easdem causas, vt in re, de qua disputamus, fit, sanè non est cur dicamus, inquisitores supra ordinarios habere eam prærogatiuam in causis fidei, neque id credo intendisse summum Pontificem, sed satis est, si dicamus pares cum illis esse stando in iure communi: id quod satis indicat, quòd quando inquisitores & ordinarius discordant, non præualet inquisitor tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, sed causa instructa ad summum Pontificem, vt dictum est, mittitur. Atque, si consulas iura, & literas Apostolicas summorum Pontificum, quæ ea de re agunt, nullam sanè prærogatiuam inquisitoribus supra ordinarios tribuunt, sed solùm præcipiunt, vt ordinarii modum procedendi inquisitorum seruent, quem vsu est compertum idoneum valde esse & accommodatissimum ad fidei sinceritatem conseruandam. Suspicor etiam à principio inquisitores à summo

17

Pontifice

Pontifice delegatos, multum episcopos obseruasse, illosque nequaquam impediuisse, sed solùm adiuuasse, vt exactiùs hæreses extirparentur, fideique syncericas conseruaretur. Hæc verò quæstio hodie locum in Hispaniis non habet: soli enim inquisitores, vt dictum est, processus formant aduersus reos in rebus fidei, ac proinde ipsi soli sunt, qui eos citant, non verò ordinarii. Quòd si, vt suprà dictum est, ordinarii edictos in Hispaniis promulgent, vt ipsis aut ipsorum ministris denunciationes circa ea fiant, quæ ad fidem spectant, id eis non permittitur, sanè multo minùs permittetur, vt citent reos, vt coram ipsis compareant.

Quod sapientissimus, satisque alioquin in sua doctrina solidus, Peña subiungit, mihi idcirco minùs probatur: quoniam subdelegatus à delegato summi Pontificis, sanè summum ipsum Pontificem repræsentat, vicesque illius gerit, vereque dicere de suis mandatis potest, ea potiùs ac veriùs summi Pontificis esse, quam sua, sicut delegatus immediatus summi Pontificis idem dicere potest; estque is subdelegatus superior ordinariis quo ad eam causam, si illam summus Pontifex simpliciter omnino ei delegauerat, à quo ipse ad eam subdelegatus est: atque, vt summatim dicam, doctrina capitis sanè 2. de offic. deleg. & ea, quæ delegatis summi Pontificis Disput. 26 quo ad superioritatem, quam supra ordinarios habent, dicta sunt, eodem profectò modo intelliguntur de subdelegatis ab illis, eodemque modo in eis locum habent, quo in delegatis ipsis: quare si inquisitores eam prærogatiuam supra ordinarios haberent, quam Eymericus & cum eo Peña affirmant, eandem sanè ipsorum commissarii etiam haberent. Bartolus autem *l. filius de legationib.* iuxta ciuile ius loquitur, iuxta quod iudices ordinarii efficere non possunt vicarios, qui iudices sint ordinarii, excepto euentu necessitatis ratione morbi, aut iustæ absentiæ ipsorum, ac proinde is vice-rector à rectore pro suo libito constitutus, solùm esset delegatus rectoris, nec gauderet immunitatibus & prærogatiuis rectoris: si autem à communitate ipla, potente eligere rectorem suum, aut à Principe nominaretur, mortuo aut absente rectore, vti illi ea omnia competerent, quæ rectori verò competunt. Denique Bart. eo in loco non aliud intendit, quàm quod à nobis ea de re Disput. 13 fuit explanatum, iunctis iis, quæ à 10 Disput. dicta quoque à nobis sunt. Ac sanè cùm inquisitores hæreticæ prauitatis à Sede ipsa Apostolica priuilegia expressa habeant constituendi commissarios ac vicarios, qui ipsorum loco munus inquisitoris exerceant, si ipsi inquisitores iudices essent ordinarii, & non delegati, ipsorum vicarii vniuersales, vtpote expressa principis concessione constituti, non minùs essent iudices ordinarii, quàm sint vicarii generales episcoporum, & capituli Sede vacante, & quàm in hoc regno sint iudices ordinarii vicarii correctorum, quos *alcaldes mayeres y tenientes de corregidores* vocamus, iuxta ea quæ Disputationibus citatis copiosè explanata sunt.

Tam inquisitores, quàm ordinarii, iurisdictionem habent, non solùm in clericos seculares, sed etiam in quoscunque religiosos, quantumcunque alioquin exemptos, vt contra eos procedant ac eos puniant, quando de fidei negotio agitur, de iisve quæ ad tribunal sanctæ inquisitionis spectant. Ita habentur *c. ad abolendam de hæret. c. accusatus. §. penult. & vlt. &. c. vt officii. §. denique de hæret. lib. 6.* & aliis literis Apostolicis, quas referunt *Eymericus. 3. part. direct. quæst. 28 & 29. Peña Schol. 94. & Simancas titul. 34. citato, numer. 33.* atque in his tres doctores citati consentiunt, & notant doctores c. per hoc verb. delegata de hæret. lib. 6, referuntque Peña nonnulla priuilegia aliquibus religionibus in contrarium concessa, & postea abrogata. In Hispaniis autem est meritò sancitum, vt particulares inquisitores, priùs quàm comprehendant religiosos aut alias notabiles personas, vt ob nobilitatem, literas, dignitatem, vel ob vitæ exemplum, eosque in carcerem mittant, consulant ea de re inquisitorem generalem suprematumque illius senatum. Ita *Simancas. num. 33.* citato, *Peña Schol. 117.* & alii: qui meritò excipiunt, nisi esset periculum in mora, vt fugæ, vel alterius grauis mali. Peña eam sanctionem Madritii anni 1561 latinè donatam his verbis refert: *Si inquisitores de captura consenserint, inbeant eam fieri sicut decreuerunt. Quod si negotium fuerit magni momenti propter personas insignes, vel ob alias causas, priùs quam suum decretum exequutioni mandent, senatum consulant. Vbi verò suffragia non fuerint conformia, rem ad senatum remittant, vt is prouideat, quod fieri conueniat.* Hactenus sanctio illa. Ait verò idem Peña, quando circa capturam iudicium senatus est expectandum, mitti ad illum debere indicia & probationes, quæ sunt contra talem reum, & qui dissentiant, quibusque de causis, vt senatus meliùs statuere possit, quid fieri debeat. Scholio etiam 18 tradit, quo ordine & quando ad capturam sit perueniendum. Est enim ea captura res magni præiudicii, & quæ sola multum infamat captum, illique coniunctos: eaque de causa à tribunali inquisitionis fieri non debet, nisi re maturè considerata, & interueniente causa ac notitia illius ad id sufficiente. 18

Contra episcopos hæreticos aut de hæresi suspectos, vel infamatos, neque priuati inquisitores, neque etiam generalis inquisitor, procedere possunt, quin neque inquirere, nisi horum aliquid eis expressè literis Apostolicis concedatur. Si quem talem episcopum sciuerint aut inuenerint hæreticum, vel de hæresi suspectum, tenentur id Apostolicæ Sedi denunciare, vt ipse summus Pontifex quid sit faciendum statuat. Ita habetur *c. inquisitores de hæret. lib. 6.* cuius verba sunt: *Inquisitores hæreticæ prauitatis ab Apostolica Sede, seu ab alio vel aliis quibuslibet deputati, de huiusmodi crimine inquirere contra episcopos nequeunt, aut eius prætextu procedere contra eos; nisi in literis commissionis Apostolicæ, quòd hoc possint, concedatur expresse. Si tamen inquisitores ipsi Episcopos, vel alios superiores prælatos, sciuerint, vel inuene-* 19

inuenerint, circa crimen hæreſeos commiſiſſe, aut eos de hoc diffamatos exiſtere, vel ſuſpectos, id tenentur Sedi Apoſtolicæ denunciare. Conſentiunt *Eymericus.l. 3. direct. quæſt. 27.* & communis doctorum ſententia. Hæc verò locum habent etiam in epiſcopis titularibus: quoniam verè ſunt epiſcopi. Itemque in electis & confirmatis à ſummo Pontifice, eſtò nondum ſint conſecrati: quoniam iam habent epiſcopalem iuriſdictionem. Non verò habent locum in epiſcopis ſolùm electis, nondumque ab Apoſtolica Sede confirmatis: quoniam nondum ſunt epiſcopi, etiam quo ad ſolam epiſcopalem iuriſdictionem. Hæc *Simancas. titu. 25.* citato, *num. 11 & 12*, & alii, quos citat. In Hiſpaniis ſi inquiſitores particulares ſciant epiſcopum aliquem eſſe hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum, ea de re certiorem faciunt inquiſitorem generalem, ipſiuſque ſenatum, & ipſe generalis inquiſitor certiorem facit ſummum Pontificem, vt quid facto opus ſit. Ita *Simancas* ibidem *num. 7.* Licèt autem inquiſitores inconſulto ſummo Pontifice nec inquirere poſsint de epiſcopo hæretico, aut de hæreſi ſuſpecto, recipere tamen poſſunt dicta teſtium ad ipſos ad id recurrentium, vt certiorem ſummum Pontificem efficiant, eaque teſtimonia ad eum mittant. Ita *Simancas* ibidem *num. 8. Peña Schol. 94.* & alii, quos citat. Quando grauiſsima ſequerentur mala, niſi epiſcopus hæreticus ſtatim comprehenderetur, vt peruerſionis multorum, quos ſua doctrina inficit, aut fugæ illius cum non modico malo ac detrimento ſuo & aliorum, tunc quidam, quos Peña Scholio citato refert ac ſequitur, cenſent inquiſitores poſſe illum comprehendere; non tamen contra eum procedere quouſque id ſummus Pontifex conſultus concedat. Ratio autem cur comprehendi tunc poſsit, eſt: quoniam per epicheiam is euentus eſt intelligendus exceptus ab ea ſummi Pontificis prohibitione, de quo abſque vllo dubio eſt cenſendum, id gratum ſummo Pontifici fore. Quando autem pericula prudentis arbitrio vrgent, omnino non id efficere, ſed aliquod eſſet dubium, num id placitum ſummo Pontifici eſſet futurum, procedendum non eſſet ad capturam illius: quoniam legum prohibitioni eſt ſtandum, quando per epicheiam prudentis arbitrio non eſt certum, contrarium in tali euentu ac circumſtantiis gratum legiſlatori illi futurum: & quoniam ea comprehenſio infamiam affert tali epiſcopo, detrimentumque maximum, eſſeque facilè poterit cum grauiſsimo populi ſubditorumque illius ſcandalo ac detrimento, quando de hæreſi ſui prælati ipſis non conſtaret, de iuſtaque ac prudenti illius comprehenſione.

20 Aduerſus nuncios ſeu legatos Sedis Apoſtolicæ, alioſque eiuſdem Sedis miniſtros, procedere non poſſunt inquiſitores hæreticæ prauitatis, nec ordinarii, niſi de expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia. Poſſunt tamen aduerſus eos (modò tamen epiſcopi non ſint) inquirere, ſeque informare, vt certiorem ſummum Pontificem efficiant. Hæc habentur in *extraug. Ioann. 22. cùm Matthæus de hæret.* cuius verba ſunt: *Nos volentes de cætero talium præſumptionibus obuiare, vniuerſis & ſingulis, tam ordinariis, quàm delegatis iudicibus, ac inquiſitoribus prauitatis eiuſdem, & aliis vniuerſis & ſingulis quacunque autoritate fungantur, autoritate Apoſtolica diſtrictiùs inhibemus, & mandamus expreſsè, nè contra noſtros & Apoſtolicæ Sedis officiales, vel nuncios, aut ipſorum aliquem, quauis occaſione vel cauſa, abſque noſtra & Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali eis per Sedis ipſius literas concedenda, plenam facientes de tenore præſentium mentionem, procedere quoquo modo præſumant, aut in eos, vel ipſorum aliquem, excommunicationis, vel ſuſpenſionis, ſeu quaſuis alias ſententias promulgare. Nos enim ex nunc decernimus irritum & inane, quicquid contra inhibitionem & mandatum huiuſmodi contigerit attentari. Volumus tamen, quòd diœceſani & inquiſitores prædicti ſuper his, quæ negotium tangunt fidei, alii verò ſuper his, quæ rem tangunt vel publicam vel priuatam, ſiue ordinarii ſiue delegati, quacunque autoritate fuerint, prout poſſet ad eorum officium pertinere, ſi quid per officiales & nuncios ipſos immediatè forſan attentatum extiterit, ſe plenius informare: idq; nobis ſignificare ſtudeant, vt prouidere ſuper hoc de remedio oportuno valeamus.* Conſentiunt Eymericus vbi ſuprà quæſt. 26, & communis doctorum ſententia. Nomine autem nunciorum ſeu legatorum Sedis Apoſtolicæ intelliguntur etiam, qui iudices non ſunt, & à Sede Apoſtolica mittuntur ad aliquid cum aliquo. nomine ſummi Pontificis agendum, de quibus Diſput. 9 in princ. dictum eſt: vnde nuncius Sedis Apoſtolicæ latè hoc loco ſumitur. Vt tamen bene *Peña Schol. 92.* cum Lapo & Decio ait, nomine nunciorum & officialium Sedis Apoſtolicæ non comprehenduntur hoc loco delegati, qui ad cauſas particulares inter alios iudicandas ac derimendas quotidie à Sede Apoſtolica conceduntur. Hi enim non negotium Sedis Apoſtolicæ, ſed particularium, autoritate tamen Sedis Apoſtolicæ delegata, agunt. Addit etiam, in euentu in quo dictum eſt inquiſitores per epicheiam, quia illa abſque dubio intelligitur concurrentibus eis circumſtantiis eſſe mens ſummi Pontificis, comprehendere poſſe epiſcopos hæreticos, poſſe etiam comprehendere eiuſmodi nuncios ac officiales ſummi Pontificis, nihil impediente prohibitione huius extrauagantis, quæ per epicheiam in tali euentu ac circumſtantiis non intelligitur locum habere.

Quo ad inquiſitores verò attinet, quando 21
vnus eorum hæreticus reperiretur, aut de hæreſi ſuſpectus, num epiſcopus aut alius inquiſitor poſsit aduerſus eum procedere, illumque comprehendere; placet, quod *Eymericus quæſt. 30.* & cum eo *Peña Schol. 95* aiunt. Videlicet cùm fidei cauſæ ad ſummum Pontificem potiſsimùm ſpectent, ad quem potiſsimùm pertinet eccleſiam ab hæreſibus purgare, fideique puritatem ac ſynceritatem in ea conſeruare; & inquiſitores de Apoſtolica Sede delegentur, vt nomine ac loco ſummi Pontificis in locis diſtricti eis deſignati id præſtent; inquiſitores hæreticæ prauitatis inter nuncios ac miniſtros Sedis Apoſtolicæ, de quibus

proximè

proximè est dictum, esse computãdos, ac proinde episcopos & alios eius districti inquisitores posse circa illos inquirere, vt summum Pontificem certiorem faciant, eiusque mandatum circa id expectent; non tamen posse cõtra eos procedere, neque illos comprehendere, nisi quando ita vrgerent circumstantiæ vt per epicheiam absque vllo dubio crederetur, mentem summi Pontificis esse, eos comprehendi debere statim ad grauissima mala vitanda. In Hispaniis verò, si is, qui hæreticus aut de hæresi suspectus inueniretur, inquisitor esset particularis; cùm ad nutũ amouibilis sit ab eo munere ab inquisitore generali, sanè illo certior facto, amoueri ab eo munere deberet, ac comprehendi & puniri optimè tunc posset. Quòd si, vt Simancas autumat, subdelegati essent ac commissarii inquisitoris generalis, tunc inter ministros Sedis Apostolicæ non connumerarentur, possetque contra eos ab inquisitore generali optimè procedi.

22 Quamuis iurisdictioni inquisitorum & ordinariorum laici omnes cuiuscunq; status & conditionis subiaceant, vt constat *c. vt officium. §. denique de hæret. lib. 6.* & in literis Vrbani 4 suprà relatis, quæ incipiunt Præcunctis, etiam si Reges illi sint: prudentia tamen efflagitat, vt contra Reges, regalesque personas, vel potissimas consulatur summus Pontifex, præsertim quando seditio & scandalum timeri possit: & idem est in quocunque alio euentu, in quo idem, nec præualendum fore, iustè termini possit: tametsi tunc verbo Dei, explanandæque ac defendendæ fidei veritati, acriter sit insistendum, etiam cum vitæ periculo. Plus verò esset aduersus magnates procedendum, quando princeps temporalis supremus eius loci faueret. Lege Eymericum q. 31. & Peñam Schol. 96. Inquisitores de iure communi non minoris ætatis cõstitui possunt, quàm quadraginta annorum. Satis tamen est, si quadragesimum annum attigerint, licèt illum nondum expleuerint. Ita sancitum fuit *clem. 2. de hæret.* his verbis: *Hoc sacro concilio approbante, statuimus, nullis ex nunc, nisi qui quadragesimum ætatis annum attigerit, officium inquisitionis prædictæ committi inquisitoribus.* Consentiunt *Eymericus. 3. lib. direct. q. 2.* & communis doctorũ sententia. *Simancas titu. 34.* citato *n. 13.* hæc verba subiungit: *Sed quia nonnunquam scientia & prudentia defectum ætatis supplet, Pontificis Maximi generali decreto constitutum est, vt qui trigesimum annum attigerit, inquisitor apostolicus esse queat.* Peña verò *schol. 72.* sic ait: *Id decretum nunquam vidimus, nec scimus cuius Pontificis sit. Et quamuis id in Hispaniis fiat, alibi ius commune omnino seruandum censeo: nam & experientia docet in tam iuuenili ætate non facile contingere tam acre adesse iudicium, & tantam prudentiam, quanta ad hoc grauissimum officium exercendum requiritur. Non tamen ambigo, ex causa, expectata persona probitate, doctrina, & prudentia, super hac ætate à iure communi requisita, dispensari posse.* Hactenus Peña. Quòd si de inquisitoribus particularibus Hispaniarum Simancas loquatur, iuxta ipsius sententiã, qui subdelegatos & commissarios generalis inquisitoris eos arbitratur, necessaria non erat Pontificis Maximi dispensatio, vt qui triginta essent annorum, tales inquisitores crearentur: ea enim ætas, vt mox subiungo, sufficiat ad commissarios inquisitorum. Meritissimè autem Archidùx Albertus, tunc Cardinalis, ante quadragesimum annum creatus fuit generalis inquisitor Lusitaniæ & prouinciarum ei regno annexarum: summa enim cum prudentia, rectitudine, integritate, ac autoritate, in eius regni catholicæque fidei bonum id munus administrauit.

Quo ad commissarios inquisitorum attinet, 23
Eymericus in calce. q. 2. & q. 16. refert. Ioan. And. asserentem eos, sicut & inquisitores, esse non posse, nisi ætatis quadraginta annorum. Ipse verò Eymericus in calce q. 16. citatæ id non probat: quoniam, inquit, iure id non est statutum. *Peña schol. 80 & 82* refert literas Clementis 7, qui post tempora illa Eymerici, quæ sic habent: *Decernimus insuper, vt vestros vicarios seu commissarios instituere valeatis, viros, vestra sententia, prouidos, aptos, & idoneos, dummodo ætatis trigesimum annum attigerint.* Ac fortasse Simancas de solis particularibus inquisitoribus Hispaniarũ iuxta suam sententiam est loquutus, & de illo decreto Clementis septimi.

Conseruatores num iudices sint delegati. Quanta eorum sit iurisdictio. Et qui in conseruatores eligi possint. Disp. 29.

SVMMARIVM.

1. *Conseruatores iudices sunt delegati.*
2. *Conseruatorum munus est defendere eos, quibus conceduntur, à manifestis tantùm iniuriis ac violentiis.*
3. *Non possunt deputari in conseruatores, nisi episcopi vel obtinentes dignitates aut personatus in ecclesiis cathedralibus aut collegiatis, & qui conseruatores esse non possint.*
4. *Cognoscere non possunt conseruatores extra ciuitatem, in qua fuerunt deputati, de causis ad quas sunt conseruatores concessi.*
5. *Conseruatores subdelegare non possunt vices suas, nisi sit eis concessum expresse.*
6. *Per mortem Pontificis qui eos concessit, ipso iure exspirant quo ad negotia nondum capta: secus autem quo ad iam capta.*
7. *Conseruatores academiæ Eborensis & Conimbricensis sunt iudices ordinarii.*
8. *Qui conseruatores intelligantur in concilio Tridentino.*

1 Conseruatores iudices sunt delegati, vt *glossa. c. 1. de offi. deleg. lib. 6.* affirmat, & consentit communis doctorum sententia, quam sequitur *Nauar. lib. 1. consil. titu. 29.* qui est *de offic. deleg. cons. 1. n. 1.* Quia enim delegati iudices sunt, de eis solùm fit sermo *c. 1. & vlt. de offic. deleg. lib. 6.* tametsi aliqua mentio illorũ etiam fiat *c. 2. eod. titu.* Conceduntur verò à solo summo Pontifice, vt colligitur ex duobus capitibus citatis, & communis doctorum sententia affirmat. Societati autem nostræ in Bulla ea de re à Pio 5, qui ex ordine fuit diui Dominici, concessa & à Gregorio 13 edita, est concessum, vt nostri conseruatores iudices sint ordinarii.

2 De iure communi munus conseruatorum est, defendere eos, quibus conceduntur, à manifestis tantùm iniuriis ac violentiis. Quare si non constet, manifestumque sit, aliquem fecisse aliquid, quod in eorum iniuriam cedat, quibus

conser-

conseruator est datus, atque quo ad ea, ad quæ illis est datus conseruator, vel estò constet, manifestumque sit, tale quid esse factum, non tamè manifestè constet, id esse iniuriam; quia cũ probabilitate defendi potest, vel non esse factum, vel non esse iniuriam, non possunt se intromittere conseruatores ad cognoscendum ea de re; atque si se intromittant, incidunt in pœnam suspensionis ab officio per annum, (& per consequens suspensionis à beneficio, vt glossa. c. vlt. citato ait, & consentiunt doctores cõmuniter) pars verò, quæ procurauerit, vt conseruator se intromittat, incurrit pœnam excommunicationis ipso facto, à qua absolui non potest, nisi priùs alteri parti satisfaciat expensas ab ea de causa factas. Quo fit, vt quandocunque causa est talis, vt indaginem requirat ad hoc, vt constet manifestam iniuriam ei aut eis esse factam, quibus conseruator est datus, is conseruator intromittere se in illa non possit, sed relinquere eam debeat ac teneatur iudicibus ordinariis. Hæc omnia habentur *c.1.& vlt. de offic. deleg. lib. 6.*

A

B

Potest tamen conseruator inquirere & examinare, num iis, quibus conseruator est datus, facta sit manifesta iniuria; & cognito per testes manifestam iniuriam esse eis factam, procedere aduersus delinquentem poterit. Item vocare poterit delinquentem, atque si interrogatus ab eo confessus fuerit se fecisse eam iniuriam, neque sufficientem rationem reddat, cur iniuria non sit id, quod se fecisse confitetur, & quod in se, nisi sufficienter excusetur, cõstat esse iniuriam, procedere aduersus eum poterit: quoniam eo ipso, quòd confitetur se id fecisse, quod, nisi sufficienter excusetur manifestèque, est iniuria, sanè manifestum est, imò & notorium iuris notorietate per cõfessionem rei, iniuriã fecisse. Hæc *glossa. 2.c.1. de offic. deleg. lib. 6.* & doctores communiter. Quoniam nisi conseruator illa efficere posset, inutile esset eius munus. Et quoniã is, cui iurisdictio committitur, per consequens censetur ei commissum, vt inquirat, an in euentibus oblatis locũ sua iurisdictione habeat. Potest præterea conseruator procedere, (etiam inuocando auxilium brachii secularis, si ita sit opus) non solùm postquam illata est iniuria manifesta, vt desistatur, & resarciatur damnum illatum, atque vt sumatur competens vindicta de iniuria, adiudicata per ipsum pœna competente delinquenti, sed etiam quando iniuria paratur manifestè, ad illam censuris impediendam. Ita *glossa.3.c.1. de offic. deleg. lib. 6.*

C

D

Hoc loco obserua, hodie concedi solere conseruatores cum clausula, vt cognoscere possint de iniuriis & aliis causis, tam ciuilibus quàm criminalibus, & mixtis ex criminalibus & ciuilibus, etiam si indaginem iudicialem requirant. Et aliquando concedi cum clausulis, vt sint iudices eorum, quibus in conseruatores conceduntur, non solùm si sint rei, sed etiam si sint actores, imò & vt sint iudices eorum ordinarii, & cum aliis priuilegiis, vt cum eiusmodi omnibus clausulis in bulla Pii. 5. & Greg. 13 citata concessum Societati nostræ est eligere conseruatores. Quo fit, vt inspicienda sint priuilegia ea in parte concessa, tam ils propria, quibus conceditur aliquos eligere in suos conseruatores, quàm quæ eis competunt per communicationem priuilegiorum aliis concessorum.

E

De iure communi deputati in conseruato- 3
res non possunt nisi Episcopi, vel qui superiores Episcopis sint, vt Archiepiscopi & Patriarchæ, vel Adbates, vel obtinentes dignitates aut personatus in ecclesiis cathedralibus aut colligiatis. Ita habetur *c. vlt. in prin. de offic. lib. 6.* Cùm autem, vt Disput. 25 dictum est, in delegatos sedis apostolicæ cõstitui possint, etiam canonici ecclesiæ cathedralis. In bulla autem citata nostræ societatis est concessum eligere in suos conseruatores, etiam canonicos ecclesiarum cathedralium & vicarios generales Episcoporum & Archiepiscoporum.

Item non possunt aliqui esse sibi inuicem cõseruatores. Vt si Abbas huius monasterii sit conseruator alterius monasterii, Abbas huius alterius monasterii nõ potest simul esse cõseruator illius alterius monasterii. Ita habetur. c. vlt. citato in prin. Cùm tamen id prohibitum non sit in delegatis summi Pontificis, tametsi recusari ea de causa in iudices delegatos possint, vt vtrumque glossa ibidem affirmat.

Item nullus habere eum in suum conseruatorem potest, qui dominio ipsius temporali aut ecclesiastico fuerit subiectus. Excipiuntur Reges & Reginæ, qui habere possunt in conseruatorem eum, qui ipsius dominio sit subiectus. Vtrũque habetur *c. vlt. citato. §. nec aliquis.* Conseruator autem Regibus aut Reginis concedi à sede apostolica posset circa bona aliqua ecclesiastica eis concessa, aut applicata ad aliquod eorum opus pium.

Item conseruatores extra ciuitatem, aut diœ- 4
cesim, in quibus fuerint deputati, cognoscere non possunt de causis, ad quas sunt conseruatores concessi: estque id intelligendum, etiam de consensu partium. Neque possunt trahere ad iudicium vltra vnam dietam à fine ciuitatis aut diœcesis, in quibus sunt conseruatores deputati. Ita habetur *c. vlt.* citato *§. conseruatores*, iuncta glossa ibi. Hodie verò multis conceditur, vt possint eligere in conseruatores & iudices ordinarios constitutos vbilibet, vt nostri Societati in prædicta bulla est concessum, & qui possint ad iudicium vocare intra duas dietas.

Item conseruatores subdelegare non possunt 5
vices suas, (excepto ad citandum, aut ad denunciandam sententiam ab ipsis latam) nisi sit eis concessum expresè. Atque tunc, subdelegare non possunt nisi personis in eisdem locis constitutis, in quibus ipsi conseruatores sunt constituti, & quæ qualitates habeant, quas est dictum ipsos conseruatores habere debere. Hæc habentur *c. vlt.* citato. *§. vices.* Nobis tamen conceduntur conseruatores ac iudices cum facultate subdelegandi, etiam extra loca, vbi tales conseruatores fuerint, vt patet in bulla Pii 5 & Greg. 13 citata.

Conseruatores per mortem summi Pontificis 6
qui eos concessit, ipso iure expirant quo ad negotia nondum cepta: secùs autem quoad iam cæpta. Ita habetur. *c. vlt.* citato. *§. officium.* Multis verò conceditur, vt mòrte concedentis non expirent: vt si appònatur clausula, quæ eis concedat iurisdictionem quoad negotia nondum tẽpore mortis summi Pontificis, qui eos concessit, vel alia, vnde idem colligatur. Nostræ autem societati in bulla sæpius citata conceditur facultas

eligendi in conseruatores & iudices ordinarios vnum vel plures, quos voluerimus, qui tam quo ad cæpta, quàm quo ad non cæpta, & tam quoad præsentia, quàm quo ad futura, perpetuam habeant potestatem ac iurisdictionem, perinde atque si prædicta omnia & singula coram ipsis cæpta essent, & proinde ac si eis & ipsorum cuilibet iurisdictio de præmissis omnibus per citationem, vel alium modum, legitimè perpetuata esset: quo fit, vt morte concedentis ipsorum iurisdictio, etiam quoad negotia nondum cæpta, non cesset. Mitto, quòd cùm in iudices ordinarios eligantur, ipsorum iurisdictio morte concedentis non cessabit. Et quòd societati nostræ gratia & priuilegium eos eligendi in perpetuum est concessa: gratia verò morte concedentis non expirat.

Quæ in calce Disput. 25 & copiosiùs tractatu 2. Disput. 84 dictum est, delegatos sedis apostolicæ seruare debere circa munera non recipienda, circa expensas, assessores, notarios, ac testes vocandos, illa eadem simili modo habere locũ in conseruatoribus. Ita habetur. c. vlt. citato. §. circa munera.

Si quid à cõseruatoribus fuerit attentatũ, quod cum eorum aliquo, quæ de eis dicta sunt, pugnet, totum est ipso iure irritum & inane. Ita habetur. *c. vlti.* citato. §. *vlt.*

7 Dum hæc Euoræ exponebamus, admonuimus cõseruatores eius vniuersitatis, & Conimbricensis, iudices esse ordinarios, ac proinde de numero eorum illos non esse, de quibus sermo in hac disputatione. *c. 1. & vlt. de offic. deleg.* sermo nobis est habitus. Est enim iurisdictio illa quo ad scholasticos merè seculares à Rege eis conseruatoribus immediatè collata ad quandam vniuersalitatem causarum, quæ in dubio ordinaria est censenda, iuxta ea quæ in superioribus fæpe explanata sunt: facileque constat eam iurisdictionem ordinariam esse ex illorum munerum creatione. Ad differentiam verò cæterorum iudicum & propter priuilegia maxima vniuersitati ac scholasticis à Rege concessa, quæ efficere vt eis seruentur, cura eiusmodi iudicibus incumbit, & quoniam iuxta ea priuilegia tenentur de rebus vniuersitatis & scholasticorum, ipsosque scholasticos iudicare, iudices conseruatores earum vniuersitatum nuncupati sunt. Aliis verò in vniuersitatibus, vt in Salmanticensi & Complutensi, aliis appellantur nominibus. Idem est dicendum de ecclesiastico conseruatore Euorensis academiæ, virtute literarum apostolicarum creato, eligente quidem illum Rectore vniuersitatis, sed immediatè iurisdictionẽ à sede apostolica habente in omnes scholasticos clericos ac beneficiarios eius vniuersitatis, qui omnino literis apostolicis exempti sunt à iurisdictione ordinaria Archiepiscopi Euorensis.

8 Illud hoc loco est postremò obseruandum, concilium tridentinum *sess. 14. c. 5. de reformat.* quod de conseruatoribus & conseruatoriis statuit, nihil omnino intelligi de cõseruatoribus & conseruatoriis datis vniuersitatibus generalibus, collegiis doctorum, seu scholarium, & locis regularibus, nec non hospitalibus actu hospitalitatem seruantibus, ac personis vniuersitatum, collegiorum, locorum regularium, & prædictorum hospitalium; sed hæc omnia à disputatione illius decreti esse exempta. Sic enim in fine eius capitis adjicitur: *Vniuersitates autem generales, ac collegia doctorum, seu scholarium, & regularia loca, nec non hospitalia actu hospitalitate seruantia, ac vniuersitatum, collegiorum, locorum, & hospitalium huiusmodi personæ in præsenti canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omnino sint & esse intelligantur.*

Quo ad conseruatores autem aliis concessis concilium Tridentinum eo capite statuit: Primò, vt *nemini omnino, cuiuscunque dignitatis & conditionis sit, etiam si capitulum fuerit, conseruatoriæ literæ, cum quibuscunque clausulis aut decretis, quorumcunque iudicum deputatione, quocunque prætextu aut colore concessæ, suffragentur ad hoc, vt coram suo Episcopo, siue alio superiore ordinario, in criminalibus aut mixtis causis* (ex criminalibus scilicet & ciuilibus) *accusari, & conueniri, ac contra eum inquiri & procedi non possit: aut quominus, si qua iura ei excessione competierint, super illis libere valeat apud iudicem ordinarium conueniri.* Secundò vt *in ciuilibus causis, si ipse actor steterit, aliquem ei apud suos conseruatores iudices in iudicium trahere minimè liceat.* Tertiò. *Quòd si in his causis,* (ciuilibus scilicet) *in quibus ipse reus fuerit, contigerit, vt electus ab eo conseruator ab actore suspectus esse dicatur, aut si qua inter ipsos iudices, conseruatorem & ordinarium, controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros, in forma iuris electos, super suspicione aut iurisdictionis competentia fuerit iudicatum.* De qua re ex parte Disput. 23 est dictum. Quartò, vt *familiaribus eius, qui huiusmodi literis conseruatoriis tueri se solent, nihil illi prosint, præterquam duobus duntaxat, si tamen illi propriis eius sumptibus vixerint.* Quintò, vt *nemo similium literarum beneficio vltra quinquẽnium gaudere possit.* Sextò, vt *non liceat conseruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum.* Septimò, vt *in causis mercedum, aut miserabilium personarum, huius sanctæ Synodi super hoc decretum in suo robore permaneat.* De quo est sermo *sess. 7. c. 14.*

Iis, quæ de iuribus delegatis hactenus præcedentibus disputationibus sunt dicta, non modicam lucem afferre poterant disputationes de rescriptis. Quia tamen commodiùs subjicientur, si priùs de iuribus arbitris, & de arbitratoribus, itemque de legibus dicamus, rem totam de rescriptis in illum commodiorem locum reseruemus.

De arbitris, & compromisso. Et quod discrimen sit inter arbitros presse, & arbitratores, & inter amicabiliter compositores. Disp. 30.

SVMMARIVM.

1. ARbiter interdum latè sumitur pro existimatore siue suarum siue aliarum rerum, interdum pro iudice siue ordinario siue delegato.
2. Aliquando arbitri sumuntur presse pro iis, quos partes mutua inter se conuentione sibi eligunt, qui controuersias inter ipsos dirimant, ac quoris iudicio stent.
3. Arbiter presse sumptus quasdam habet velut partes subiectas.

4. Arbi-

4. *Arbitratores solùm sunt extra lites, quoad contractus & similia alia.*
5. *Distinctio inter arbitros & arbitratores.*
6. *Refutantur nonnulla in distinctione arbitrorum & arbitratorum.*
7. *Alia tamen arbitrorum definitio & proprietas ex Paulo & Proculo declarata.*
8. *Quando pactum est in aliquos, vt arbitrentur ac iudicent aliquid, ita vt ei arbitrio partes stent, neque ex forma pacti constat partes intendisse se obligare ad standum arbitrio, tunc partes intelligendæ sunt se intendisse obligari ad illi standum.*
9. *Arbitri & arbitratores eatenus amicabiles compositores nuncupari possunt, quatenus vt partes fugiant lites, ex compromisso earundem partium in illis, quòd eorum definitioni stabunt, illas componunt amicabiliter.*
10. *Qui nullo præuio pacto partium, componere eas circa suas controuersias moliuntur dependenter à libero earundem partium consensu, similes sunt proxenetis.*

DIsputatione. 8. tria iudicum genera distinximus, iudicis nomine latissimè: tertiumque genus ibi esse diximus eorum, qui per potestatem ab illis ipsis in singulari mendicatâ iudicant, inter quos iudicium exercere debent, qui in ipsos compromittunt, vt eorum stent definitioni, eosque proinde in iudices seu in definitores controuersię, quæ inter ipsos est, oriríve potest, sibi eligunt, non resistente, sed potiùs id approbante ac concedente Republica suis legibus. Hos autem ibidem subiecimus arbitros nuncupari. Cùm ergo huc vsq; de duobus prioribus iudicum generibus sit dictum, nempe de ordinariis & delegatis, congruo ordine iam nunc de iudicibus arbitris est dicendum.

Arbiter, cùm ab arbitrando, censendo, seu existimando dicatur, interdum sumitur latè pro existimatore, siue suarum siue aliarum rerum, & siue alii eius iudicio & existimationi se subiecerint, siue non. Sic sumitur. *l. quis tam. C. de decurionib. lib. 10.* illis verbis; *quis tam inueniri iniquus arbiter rerum potest*; id est existimator irrationabiliter ac malè. Et. *l. in re. §. 1. C. mandati*, illis verbis; *Nam suæ quisque rei moderator atque arbiter*; id est, dispositor atque existimator, qualiter de ea pro suo arbitrio disponere debeat. Et quia arbitrari & existimare de rebus conuenit etiam iudici, iurisdictionem habenti ad iudicandum de illis, interdum arbiter pro iudice siue ordinario siue delegato sumitur, vt. *l. arbitro, & l. si ab arbitro. ff. qui satisdare cogantur, & l. quisquis in prin.* iuncta glossa ibi verb. *arbitros. C. de postulando*, & affirmant *Ioan. Baptista lib. 1. de arbitris. c. 2. num. 1. tomo. 3. tractatuum, & Greg. Lopez l. 23. titu. 4. part. 3. glosa. 1.* & plerique alii. Vnde disputatione sequenti arbitros iuris, qui iurisdictionem verè habent, distinguemus ab arbitris, de quibus nobis hoc loco præcipuè est sermo: qui, vt Disput. 8 dictum est, & fusiùs hoc loco explicabitur, nullam habent iurisdictionem, sed per potestatem ab iis ipsis illis concessam, qui ad controuersias inter eos componendas ac definiendas illos eligunt, res definiunt.

Aliter sumuntur presbè hoc loco arbitri pro iis, quos partes mutua inter se conuentione ac pacto sibi eligunt, qui controuersias inter ipsas dirimant, & quorum iudicio ac definitioni stent. Et quoniam partes dum ita pacto inter ipsas inito eos eligunt, sibi mutuò promittunt stare eorum definitioni ac arbitrio, actus seu contractus, quo eos ita eligendo mutuò sibi promittunt stare illorum definitioni ac arbitrio, dicitur compromissum, quasi simul à pluribus mutuò promissum ac conuentum. Illi verò, qui eo contractu eliguntur, appellantur iudices compromissarii. Et quia suo arbitrio ac iudicio dubia & controuersias partium sunt definituri, iudices etiam arbitri nuncupantur: tametsi quidam eorum, vt subiungemus, peculiari nomine arbitratores dicantur. Lege. 23. titu. 4. part. 3. *jueces auenidores* etiam nuncupantur, & in Lusitania *juizes lounados*. Fortè quia laudati priùs de rectitudine & peritia sufficiente ad id definiendum eligi consueuerunt. Atque inde fortasse ortum habuit, vt sententia ac definitio eorum, laudum multis in prouinciis, & passim à doctoribus, qui arbitris scripserunt, appelletur. Tametsi *Ioan. Baptista, de Perusio lib. 1.* citato. *c. 7.* censeat, sententiam seu definitionem eorum dici laudum ad differentiam sententiæ iudicum habentium iurisdictionem ad eam ferendam: eo quòd arbitrorum sententia seu definitio nunquam infamet: sententia verò iurisdictionem habentium interdum infamet, vt vtrumque tractatu 4. Disput. 9. circa primum euentum, in quo ex sententia incurritur infamia, explanatum fuit.

Quando tamen de vocum significatione constat, parum refert originem scire: præsertim quando tales voces neque in iure reperiuntur, neque latinæ sed barbaræ sunt, vt est in re proposita vocabulum laudum.

Conueniunt doctores, & consentiunt iura, arbitrum presbè hactenus explicatum, de quo & de cuius partibus differere intendimus, quasdam habere velut partes subiectas. Sic enim habet. *l. societatem* (aliàs, *l. si societatem*) *§. arbitrorum. ff. pro socio. Arbitrorum genera duo sunt. Vnum eiusmodi, vt siue æquum sit siue iniquum, parère debeamus: quod obseruatur, cùm ex eo promissio ad arbitratum est. Alterum eiusmodi, vt ad boni viri arbitrium redigi debeat, etsi nominatim persona sit comprehensa, cuius arbitratu fiat.* Consentit. *l. 23. titu. 4. part. 3.* quæ, explicato qui arbitri latinè & Castellanè dicantur, addit: *E estos son en dos maneras. La vna*, &c. Et de secunda subjicit, *à que llaman en latin* arbitratores. Licèt autem doctores consentiant, sub arbitro duas partes contineri, varii tamen admodum sunt in eis explanandis, vt inter alios refert *Ioan. Baptista lib. 1.* citato. *c. 3.* Video autem omnes conuenire, quando compromisso aliquis eligitur in iudicem, vt seruato iuris ac iudicii ordine sententiam proferat, cui partes stent, ita vt coram illo libellus offeratur, lis contestetur, & cætera præcedant ac fiant, quæ iuris dispositione in ordinariis iudicis seruari ac præcedere debent sententiæ definitiuæ pronunciationem, eum arbitrum iudicem presisissimè sumptum nuncupari, ac distingui ab arbitratore, eiusque sententiam appellari

lari arbitrium & pactum, quo ita in iudicem eligitur, dici compromissum. Atque de eiusmodi compromisso l. 1. ff. de recep. arbit. sic habetur: *Compromissum ad similitudinem iudiciorum redigitur:* quia scilicet iudices eo electi, iudicii formam seruare debent, eaque seruata proferre sententiam, non secùs atque alii iudices ordinarii ac delegati. Rarò autem, aut fortè nunquam, arbitri hodie eo modo eliguntur, vt cognoscant seruato omni ordine formaque tota iuris: sic enim potiùs partes contendent coram iudicibus ordinariis, aut coram delegatis, quàm coram talibus arbitris.

4 Quo ad arbitratores autem variant doctores. Quidam enim censent, arbitratores solùm esse extra lites, quoad contractus & similia alia, vt quando aliquid venditur pretio, quo aliquis aut aliqui fuerint arbitrati, aut ineunt societatem, vt vnus sociorum partem lucrorum accipit, quam aliquis fuerit arbitratus, vel aliquid locatur pretio, quod talis fuerit arbitratus, vel pro damno dato, aut iniuria illata, vel pro obsequio præstito nulla priùs statuta certa mercede, aut pro aliis similibus rebus, conueniuntque partes, vt vnus alteri tribuat, quod talis vel tales statuerint, fuerintve arbitrati; vel etiam interdum vt id soluat aliquis iniuriam aut damnum passo, quod ipsemet, qui iniuriam aut damnum passus fuerit, arbitratur, & sic de aliis similibus rebus, ita scilicet vt si, qui id statuere debent, & quorum definitioni est partibus standum, sufficientem notitiam circunstantiarum ad iudicium ferendum remque definiendam habeant, eam absque alia concertatione coram ipsis definiant: si verò non sufficientem notitiam circunstantiarum ad id habeant, notitiam earum accipiant, vel per se ipsos circunstantias inspiciendo, aut inquirendo ex aliis, vel partibus ipsis proponentibus, quid in fauorem cuiusque earum efficiat, absque alia iudicii forma. Hi verò autores censent, arbitros, ab his arbitratoribus distinctos, esse omnes, in quos compromittitur, vt sententiæ illorum stetur seruata iudicii forma, siue plena ac integra, siue non plena, prout fuerit compromissum, vt de forma iudicii plus aut minus remittatur, ita scilicet, vt quotiescunque lis coram ita electis est intentanda aut prosequenda, siue seruata integra iudicii forma, siue non, quam litem ita electi sententia terminare debeant, tales compromissarii iudices censendi sint arbitri, vt arbitri ab arbitratoribus distinguuntur.

Bartolus verò. *l. societatem in prin. & §. arbitrorum. ff. pro socio.* quem sequuntur *Panor. c. Quintanalis de iure iur.* præsertim à num. 7. (tametsi dum num. 7. citato ex Innocentio refert & approbat sequentia verba; *Arbiter dicitur, qui eligitur vt iudex, scilicet vt procedat seruato in substantialibus ordine iudicario, vt litem dirimat coram se captam, vel coram alio ordine iudicario*; sanè videtur cum proximè relata opinione conuenire) & communior multo doctorum sententia, censent, quandocunque aliqui siue circa contractum & alia, siue circa litem compromittunt in aliquem aut in aliquos, qui id dirimant ac definiant non seruato integro iudicii ordine ac forma, esse arbitratores distinctos contra arbitros. Atque hanc sententiam sequuti sunt conditores partitarum, & iuxta eam tulerunt. *l. 23. titu. 4. part. 3.* Horum verò arbitrorum iudicium ac definitio appellari consueuit arbitramentum.

5 *Bart.* vbi suprà, & *Panor. c. Quintanalis* citato. *num. 8.* referentes discrimen, quod multi constituunt inter arbitros & arbitratores, quòd scilicet arbitratores semper versentur circa contractus, & arbitri circa lites, & quasi ad concordiam reducere conantes opinionem aliorum paulo antea relatam cum sua proximè relata, inquiunt, Arbitratores siue sint circa contractus antea à partibus inchoatos, arbitramentum circa pretium, aut circa portionem societatis, vel circa aliquid aliud ferendo, quo perficiatur contractus, siue sint circa lites, ferendo arbitramentum circa controuersiam partium non seruato ordine iuris in ea re definienda, in eóve arbitramento ferendo, semper circa contractus versari. Nam, inquiunt, arbitramentum eorum ex conuentione partium in ipsos, vt illud ferant, & vt ei partes stent, transactio quædam est, latiùs sumpto transactionis vocabulo, atque adeò est contractus, si non antea initus, quem arbitratores suo arbitramento perficiant, sanè initus tunc qua ratione, inquiunt, arbitratores semper circa contractus versantur, aut perficiendos, aut illos innuendo, vt Panor. in fine eius numeri 8 ait. Dicunt verò arbitramentum circa lites esse transactionem latiùs sumpto vocabulo: quoniam transactio presse est, qua vnus aliquid dat aut remittit, saltem ius dubium quod in eo habet, vt alter à lite discedat, atque adeò vt condonet ius dubium, quod in re, de qua erat controuersia, prætendebat, vt tractatu 2, Disput. 558 explanatum est: quamuis autem, dum aliqui in arbitratores compromittunt, vnusquisque eorum promittat alteri, se staturum arbitramento eorum arbitratorum, vt alius vicissim idem sibi promittat, (qua ratione contractus ille non est gratuitus, sed oneroſus, vt Disput. 556 explicatum fuit) arbitramentum tamen esse potest, adiudicando vni totum, de quo est controuersia, & nihil alteri, in quo à transactione presse sumpta differt id arbitramentum, seu potiùs id compromissum, sequuto arbitramento, vt disputatione citata dictum est.

6 Multa sunt, quæ in his Bartoli ac Panor. dictis mihi non probantur. Primum, quòd arbitramentum, hoc est, arbitrorum iudicium ac definitionem appellent transactionem latè ac contractum, eaque ratione dicant, arbitratores quo ad lites versari circa contractus, illos innuendo, vt Panor. ait. Cõpromissum quidem, quo partes sibi mutuò promittunt stare arbitramento ac definitioni eorum, quos ad dirimendam ipsorum controuersiam sibi in arbitros eligunt, verè est contractus oneroſus, isque innominatus, facio vt facias, hoc est, adstringo me vt tu vicissim te astringas stare ei arbitramento ac definitioni, qui contractus cõpletur consensu arbitrorum, quo se esse arbitros circa eam controuersiam acceptent, atque arbitramento ac definitioni eorundem arbitrorum, vereque is contractus est transactio latè sumpto

sumpto vocabulo, sequuto arbitramento eorundem arbitrorum, atq; emologatione illius, vt Disput. 556 citata explanatum est. At verò arbitramentum talium arbitrorum appellare contractum ac transactionem, etiam latè sumpto vocabulo, eaque ratione affirmare arbitratores quo ad lites versari circa contractus, si non eos perficiendo, eos certè ineundo, teneri meo iudicio aliena prorsus sunt à ratione ac veritate. Neque enim arbitratores contractum celebrant arbitramentum proferendo, sed compromissum ac transactionem partium, sumptam latè, ex parte sua perficiunt, estque proinde valde absurdum, multumque à ratione ac veritate alienum, appellare arbitramentum contractum ac transactionem, addereque arbitratores ad litem dirimendam ea ratione circa contractus versari.

Secundum, quod in eis dictis mihi non probatur, est, quòd constituant discrimen inter arbitratorem quo ad litem & arbitrum, qui seruato ordine iuris litem definit, quòd is arbitrator, modo quem ipsi explicant, versetur circa contractum: & arbiter non. Etenim compromissum, quo partes in controuersia sua confugiunt ad arbitrum, qui seruato ordine iuris litem definiat, sequuta acceptatione arbitri, & sequuto arbitrio seu sententia illius, non minùs habet rationem contractus, transactionisque latè sumptæ, quàm habeat compromissum, quo confugitur ad arbitratorem, sequuta similiter acceptatione illius, sequutoque arbitramento seu definitione illius, vt ex se liquet, & Disput. 556 citata fuit explanatum: imò ex sententia doctorum, cum quibus disputamus, atque vt intelligunt legem *societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio* plus habet rationem contractus perfecti ac transactionis, quàm habeat compromissum in arbitratorem quo ad litem: si quidem ex sententia horum doctorum, iuxta §. *arbitrorum* citatum, omnino est completus contractus compromissi in arbitrum & transactio illa partium sequuto arbitrio, estò arbiter iniquè atque iniustè iudicet: cùm tamen iuxta eundem §. sequuto iniusto arbitramento arbitratoris, non sit omnino perfectus is contractus, sed reducendus quo ad id arbitramentum adhuc restet ad æqualitatem arbitrio boni viri: quo fit, vt nullum sit discrimen, quod tradunt inter arbitratorem in lite, & arbitrum, quod scilicet ille prædicta ratione circa contractum versetur, hic verò non item

17 Vt de hac re tota dicam, quod sentio, lucemque dicendis sequentibus disputationibus, vniuersæque huic materiæ de arbitris & arbitratoribus afferam, sanè arbitror sapientissimos Bartolum & Panormitanum, cæterosque, qui illos ea in re sequuntur, assequutos non fuisse planum ac verum intellectum Proculi iurisconsulti. *l. societatem* citata, & quatuor sequentibus, quarum duæ sunt Pauli iurisconsulti, duæ verò aliæ eiusdem Proculi: cùm tamen in eis iuribus malè intellectis plurima fundent ex iis, quæ in tota hac materia tradunt.

Vt autem *l. societatem* ait Proculus, duo sub hac forma inierant societatem, eamque exercuerant, vt Nerua communis eorum amicus arbitraretur ac definiret, quantam portionem lucri vnusquisque eorum deberet accipere. Nerua verò arbitratus est ac definiuit, vt vnus acciperet trientem, hoc est, tres partes lucri diuisi in partes duodecim, & vt alius acceperet bessem, hoc est, reliquas octo partes: quod in effectu est, vt lucrum in tres partes diuideretur, & vnus acciperet vnam earum, alter verò reliquas duas. Is autem cui tertia tantùm pars lucri à Nerua adiudicata est, quæsiuit à Proculo, num ratum id iure socieratis esset: an nihilominus ex partibus æqualibus essent socii. Respondet Proculus: *Existimo autem te melius quæsiturum fuisse, vtrum ex iis partibus socii essemus, quas is* (Nerua scilicet) *constituisset: an ex iis, quas virum bonum constituere oportuisset*, nihil scilicet impediente eis arbitratu ac definitione. Et reddit rationem §. *arbitrorum*, statim sequuti, & quatuor sequentibus legibus, cur id potiùs quærere debuisset, remque totam definit. Quoniam, inquit, *Arbitrorum genera duo sunt. Vnum eiusmodi, vt siue æquum sit siue iniquum,* (quod scilicet arbitrati fuerint ac definierint) *parêre debeamus: quod obseruatur, cùm ex compromisso* (quo scilicet est conuentum, vt quicquid illi definierint, stetur omnino eorum definitioni) *ad arbitrum itum est.* Atque adeò si talis arbiter ab eis duobus sociis Nerua constitutus est, dicendum est, eos esse socios ex portionibus, quas Nerua definiuit. *Alterum* (inquit, arbitrorum genus) *eiusmodi est, vt ad boni viri arbitrium redigi debeat* (quod illi arbitrati fuerint ac definierint, si comperiatur in se iniquum ac iniustum) *etsi* (id est quamuis) *nominatim persona sit comprehensa* (id est expressa) *cuius arbitratu fiat*, pacto nempe, quo is arbiter est constitutus, solùm scilicet eo pacto statuendo, vt is de ea re iudicaret ac statueret faciendum ac tenendum partibus esse.

Post hæc, quæ ex §. *arbitrorum*, relata & ex parte explanata sunt, continuò ibidem. *l. veluti* proximè sequenti, ex Paulo iurisconsulto additur exemplum, in quo quamuis res aliqua pacto ac contractu relinquatur arbitrio alicuius, nihilominus si is non quod æquum, iustum, ac rationabile est arbitretur, dirigitur id ad prudentis arbitrium. Sic enim ea lex habet: *Veluti cum lege locationis comprehensum est,* (id est, cum forma, sub qua contractus locationis operarum alicuius ad opus aliquod efficiendum fuit celebratus, fuit expressum ac conuentum) *vt opus arbitrio locatoris fiat.* Si enim is locator irrationabile aliquid circa opus id faciendum exigat ac censeat, reducitur, quod irrationabiliter postulat ac faciendum censet, ad prudentis arbitrium, vt is censeat ac iudicet quod fieri sit æquum.

Deinde in *l. in prosposita*, quæ ibi continuò subiungitur, additur ex ipsomet Proculo responsio ad quæstionem, quæ illi l. societa-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

tem fuerat propoſita. Sic enim ea lex habet: *In propoſita autem quæſtione, arbitrium boni viri exiſtimo ſequendum eſſe: eo magis, (id eſt, eo præſertim) quòd iudicium pro ſocio, bonæ fideī ſit*, atque adeò, quaſi dicat æquitas in iudicando circa ſocietatem ſit ſeruanda, quando aliud de forma contractus ſocietatis non conſtat, iuxta ea quæ de contractibus, actionibus, ac iudiciis bonæ fidei tractatu 2. Diſput. 259 dicta ſunt.

Continuò verò. l. *vnde*, ibi proximè ſubiuncta, Paulus iuriſconſultus ſic infert: *Vnde ſi Nerua, arbitrium ita prauum eſt, vt manifeſta eius iniquitas appareat, corrigi potest per iudicium bonæ fidei.* Quibus verbis manifeſtè rectiſſimeque innuit ac docet, quando arbitrium, iuxta hactenus dicta & magis adhuc explicanda, eſt tale, vt in eo locum habeat reductio ad arbitrium boni viri, tunc ſolùm habere locum eam reductionem, quando de iniquitate prioris arbitrii manifeſtè conſtat, & quoad id ſolùm, quod iniquitatem continere conſtat: quando autem id non conſtat, locum non habere eam reductionem, atque adeò in dubio an id arbitrium iniquitatem contineat, illi eſt ſtandum, ex antecedente contractu & conuentione partium, vt illi ſtarent: quod intelligendum erat, modò id arbitrium manifeſtam iniquitatem non contineret.

Deinde Proculus. *l. quid enim*, ſtatim ſequenti, oſtendit, non recte lege ſocietatem, fuiſſe ab eo quæſitum, num ratum eius Neruæ arbitrium iure ſocietatis eſſet habendum, an potiùs ex æquis portionibus eſſent futuri ſocii. Quoniam, inquit, ſi lucrum eſſet tria millia, & Nerua manifeſte iudicaſſet iniquè, vt vnus acciperat vnam tantùm partem ex illis tribus milibus, & alter duas reliquas, fieri optimè poſſet, vt arbitrium boni viri non eſſet, vt duo illi ſocii æquales partes acciperent: vt, verbi gratia, ſi vnus ſociorum plus induſtriæ, operarum, ac laboris, vel plus pecuniæ appoſuiſſet, quæ non ſufficerent, vt is duplum lucri, quàm alter, iuſtè acciperet; ſufficerent tamen vt iuſtè minus aliud incrementum ſupra alterum ſocium acciperet.

Certè vides prudens lector Proculum paragrapho *arbitrorum*, iunctis aliis iuribus explanatis, diſcrimen illud inter duo illa genera arbitrorum, vt arbitrio vnius arbitri eſſet ſtandum, eſtò deprehenderetur iniquum, arbitrio verò alterius non item, ſed in eo haberet locum reduci ad æquitatem arbitrio prudentis, non retuliſſe ad hoc, (vt doctores, quos impugnamus, affirmat) quòd primus eſſet conſtitutus à partibus, vt inter ipſas iudex eſſet, ſeruataque integra forma iudicii, quam iudices ordinarii ſeruant, ſententiam ac arbitrium proferret; ſecundus verò vel extra iudicium circa contractus arbitraretur, vel in iudicio ſeruata aliqua iudicii forma, ſed non integra, quam iudices ordinarii tenentur ſeruare; de qua re nulla omnino mentio imò neque veſtigium mentionis eſt in eo paragrapho & in eis iuribus: ſed id diſcrimen retuliſſe ad diuerſitatem contractus ac compromiſſi, quo aliquis à partibus arbiter inter ipſas eſſet conſtitutus. Si enim expreſsè compromiſſum contineret, vt omnino arbitrio illius ſtaretur, quicquid ille iudicaret, aut ex circunſtantiis conſtaret, id partes ſuo contractu ac compromiſſo intendiſſe, quia ſcilicet intenderunt ſe exponere quaſi fortunæ, periculoque ac commodo iudicii eius arbitri, perinde atque in ſortibus, & in alearum ludo; ſanè eſtò, quod iniquum in ſe eſſet, quodque in grauamen alterius partis cederet, ſtatuiſſet, ei arbitrio in conſcientiæ & in exteriori foro partibus ipſis ſtandum. Ratio autem eſt, quoniam æqualis eſt vtrimque contractus compromiſſi, quicquid poſtea ſequatur, quo vnus compromittentium dicit, promitto ſeu aſtringo me ſtare hac in re arbitrio & ſententiæ, quam talis circa eam tulerit, vt tu viciſsim idem mihi promittas, eodemque modo te mihi aſtringas, quicquid ſit quod ille protulerit. Sicut enim contractus ſortium ac ludi, quo vnus ſe exponit periculo amittendi in alterius commodum, vt alius ſimiliter ſe exponat amittendi periculo, iuſtus in ſe eſt & æqualis, eique eſt vtrique parti ſtandum, quicquid poſtea ex illo ſequatur: ſic res habet in propoſito: vtiliterque fit talis contractus in vtriuſque partis commodum, vt ea ratione ſe excuſent à maximis ſumptibus ac moleſtiis litium, & à non minori periculo ſiniſtræ & iniquæ in ſe ſententiæ iudicum ordinariorum, aut delegatorum, vel eorundem iudicum nequitia, qui ad alteram partem ſint affecti, vel imperitia, vel quòd pars, quæ re ipſa ſententia grauatur, non habuit eam dexteritatem in lite proſequenda, ac in manifeſtando ſuum ius, quam habuit pars contraria, in cuius fauorem ſententia lata eſt. Atque de eiuſmodi etiam compromiſſo eſt ſermo. *l. diem proferri. §. ſtari. ff. de recep. arb.* quo in loco Vlpianus ſic ait: *ſtari autem debet ſententiæ arbitri, quam de re dixerit, ſiue æqua ſiue iniqua ſit. Et ſibi imputet, qui compromiſit* (vt illi ſcilicet ſtaretur vtrimque) *Nam & diui Pii reſcripto adjicitur; vel minus probabilem ſententiam æquo animo ferre debet, qui ſcilicet compromiſit, vt illi vtrimque ſtaretur.*

Quamuis autem in prædicto euentu ſtandum ſententiæ ſit, eſtò in ſe æqua non ſit, neque locum habeat eam ad æqualitatem arbitrio prudentis redigi; ſi tamen dolo alterius compromittentis ita lata ſit, quia per ſe vel per alios corrupit arbitros pecunia, donis, minis, aut fauore & precibus aliorum, vel corrumpendo aduocatum eius, aduerſus quem lata eſt ſententia, vel quauis alia ratione dolo fuit in cauſa, vt ita pronunciaretur; tunc ei, cuius præiudicium id arbitrium latum eſt, competit exceptio doli aduerſus exequutionem eius arbitri, atque ſi pœna in compromiſſo ſtatuta ei fuit, qui arbitrio non parèret, eaque ab eo exigatur, quòd illi parère noluerit, ſimili-

ter eidem competit doli exceptione vt eam pœnam soluat : quoniam compromissum illum eam tacitam habebat conditionem, modò aduersarius nec per se nec per alium dolo vtatur : quin & is , in cuius præiudicium id arbitrium latum est , agere tunc poterit aduersus partem contrariam actione de dolo ad damna inde sibi sequuta, seu ad interesse.

Atque si in compromisso stipulatione interueniente clausula fuit apposita , vt dolus neutra ex parte interueniret, tunc actione ex stipulatu aget ad damna , seu ad interesse. Hæc omnia habentur. *l. ita demum. ff. de recep. arb. & l. arbitrorum. C. de arbit.* Quando autem ex parte arbitrorum interueniret dolus, quia scienter iniquam tulerunt sententiam , tunc ipsi etiam in conscientiæ foro , & in exteriori , si in eo id probari posset , tenerentur ad damna. Qui & ad illa tenerentur in conscientiæ foro , si ex lata culpa crassaue ac supina ignorantia iniquam proferrent sententiam , de qua re Dispur. 33 redibit sermo.

Quando autem pactum seu compromissum est in aliquem aut in aliquos, vt arbitrentur ac iudicent aliquid, ita vt ei arbitrio partes stent, neque ex forma compromissi ac pacti & ex circumstantiis constat, partes intendisse se obligare ad standum arbitrio , siue æquum siue iniquum in se esset , tunc partes intelligendæ sunt se intendisse obligari ad illi standum, modò non deprehenderetur apertè iniquum , & quatenus non deprehenderetur apertè iniquum : quo fit, vt in ea pacti ac compromissi forma locum habet , si arbitrium iniquum in se deprehendatur , petere vt prudentis arbitrio ad limites æqualitatis ac iustitiæ dirigatur.

Neque minus hoc habet locum, si partes hoc posteriori modo paciscantur ac compromittant in aliquem tanquam in iudicem, qui seruata integra iudicii forma arbitretur ac sententiam proferat, quàm si paciscuntur ac compromittunt, vt extra iudicium in contractibus, aut in iudicio non seruata integra iudicii forma aliquid arbitretur ac definiat. Imò verò ex eo, quòd arbiter astringatur seruare integram iudicii formam , ita vt alioquin non valeat eius arbitrium ac iudicium , multo magis colligitur partes solùm intendere , stare eius arbitrio ac sententiæ, si iniqua non reperiatur, quàm si non tot eum debere seruare eadem forma contractus paciscerentur ac compromitterent: nam minus se subjicere intendunt eius arbitrio & sententiæ , qui tot ab illo exigunt, vt vires aliquas habeat, quàm qui pauciora ab eo exigunt vt valida sit. Non ergo tam attendendum ad iudicandum, an in arbitrio in se apertè iniquo locum habeat reductio ad æqualitatem arbitrio prudentis, vel non, ad modum arbitri, an sit ad iudicandum seruata integra forma iudicii ; vel potiùs sit ad iudicandum non seruata integra iudicii forma, quàm est attendendum ad modum & formam compromissi, num scilicet eo intenderint partes se omnino subjicere arbitrio ac definitioni arbitri , estò deprehenderetur iniqua, vel non tantum se subjicere ei arbitrio intenderint, quin si apertè iniquum deprehenderetur, locum haberet petere vt publica autoritate ad limites æqualitatis ac iustitiæ reduceretur. Ex qualitate enim compromissi atque ex intentatione compromittentium prouenit, quòd ex natura ipsa rei, atque adeo in conscientiæ & in exteriori foro, compromissum eam vim habeat, aut non habeat, vt explanatum est, & non ex aliquo alio capite, vt cõstat, quoniam doctores , cum quibus disputamus, nullum aliud caput cum probabilitatis specie designari possunt, vnde id proueniat.

Vnde nisi ex forma compromissi & ex circunstantiis concurrentibus constet partes se omnino subjicere intendisse definitioni arbitri, qualiscunque illa esset , semper est existimandum intendisse integrum sibi relinquere petere reductionem talis definitionis ad limites æquitatis ac iustitiæ arbitrio prudentis , quando apertè iniqua reperiretur , siue arbitri definitio lata esset in iudicio seruata integra iudicii forma ex partium conuentione , siue extra iudicium , aut in ipso iudicio non seruata ex conuentione eorundem partium integra iudicii forma. Atque hoc non obscurè confirmat. *l. si libertus ita. ff. oper. lib.* vbi Celsus iurisconsultus sic ait: *Si Libertus ita iurauit,* (quando scilicet manumissus à patrono est) *dare se quot operas patronus arbitratus sit; non aliter ratum fore arbitrium patroni , quam si æquum arbitratus sit. Et ferè ea mens est personarum arbitrio substituentium ,* (id est constituentium, qui aliquid arbitretur , quod loco vtriusque partis fieri solet) *vt quia sperent eum rectè arbitraturum, id faciant : non quia vel immediatè obligari velint.* Vbi primò vides , etiam quando promissum est stare arbitrio alicuius, non teneri eum, qui id sub iure iurando promisit stare arbitrio, si arbitrium sit apertè excedens id, quod æquitas rectaque ratio postulat : quoniam promissio illa intelligitur , modò arbitrium intra limites æquitatis sit , eamque quasi tacitam conditionem subintellectam habet: iuramentumque licèt arctiùs obliget, quàm promissio, non tamen ad plus se extendit , quàm promissio, quæ illo confirmatur. Vides etiam , compromittentes in aliquem, eam ferè seu regulariter habere mentẽ, vt intendant se obligare stare arbitrio, si rectum & æquum sit, non verò si sit immodicum & excedens. Vnde ex mente & dispositione illius textus, semper quando arbitrium æquum ac rectum non est , habet locum, non velle illi stare , petereque vt reducatur ad æqualitatem ac iustitiam prudentis arbitrio, nisi contrarium ex forma compromissi & ex circunstantiis concurrentibus constet fuisse mentem compromittẽtium, vt dictũ à nobis est.

Confirmare autem (præterea quæ hactenus dicta sunt) possumus intentum Proculi. §. *arbitrorum* , & legibus sequentibus , & post eum Pauli, non fuisse , quod autores , quos impugnamus , intendunt , sed quod nos dicimus. Quoniam si intentum proculi. §. arbitrorum fuisset distinguere arbitros in iudicio seruata integra iudicii forma, à reliquis arbitris seu arbitratoribus , constituereque inter eos

discrimen, quòd iudicio ac definitioni priorum esset standum, estò reperiretur iniquum, iudicio verò ac definitioni posteriorum non item, sed locum in eo haberet reductio ad æqualitatem, si reperiatur iniquum; sanè inde soluta omnino erat quæstio ipsi proposita, dicturusque erat affeneranter omnino, quòd cùm Nerua manifestò esset de numero arbitrorum posterioris generis, quippe cùm extra iudicium circa societatem initam esset arbitraturus, quam partem lucri vnusquisque eorum sociorum esset accepturus, dubium nullum omnino erat, quin eo arbitrio locum haberet reductio ad æqualitatem arbitrio prudentis, si deprehenderetur inæquale ac iniquum. Non verò sic intrepidè. *l. in proposita*, ex eo fundamento respondit Proculus ad quæstionem; sed quasi locum circa contractum habere posset arbiter, tam primi quàm secundi generis, pro vt esset qualitas compromissi, spectatisque circunstantiis concurrentibus, sic respondit: *In proposita autem quæstione arbitrium boni viri existimo sequendum esse,* (attenta scilicet qualitate pacti inter eos socios antecedentis) *eo magis, quòd iudicium pro socio, bonæ fidei sit.* Certe hæc verba non quadrant cum doctrina, quòd vniuersim in arbitrio circa contractum semper habeat locum reductio ad æqualitatem, si deprehendatur iniquum, nihil curando de qualitate pacti ac compromissi in talem arbitrum, seu in talem arbitratorem.

Idem confirmare possumus ex exemplo illo, quod Paulus iurisconsultus subiecit. *l. veluti*, quòd in arbitris secundi generis locum haberet reductio ad æqualitatem arbitrio prudentis, *veluti*, inquit, *cum lege locationis comprehensum est, vt opus arbitrio locatoris fiat.* Quia enim in eo euentu non cõpromittitur in æqualem tertium, qui æquè in commodum, quemadmodum vnius, ita etiam alterius partis posset ferre arbitrium, vt contractus esset æqualis, quicquid postea eueniret, sed solùm in eo euentu interuenit pactum, quo res arbitrio vnius partium contrahentium relinquitur, locum sanè tunc, vi eius pacti, non habet, vt arbitrium, quod in solùm suum commodum locator operarum tulerit, reduci non debeat ad æqualitatem boni viri arbitrio, sed comperiatur irrationabile ac iniquum ab eo in alterius partis detrimentum esse latum. Hæc omnia adiunge iis, quæ *tract. tau. 2. Disput. 415. §. quando societas*, dicta sunt: ibi enim polliciti sumus nos hoc loco hæc fore explanaturos.

Quamuis Proculus, *§. arbitrorum* citato, tam in arbitris prioris generis, quàm posterioris, comprehenderit, tum eos, qui extra iudicium circa contractus & circa alia definienda assumuntur, tum etiam eos, qui ad ferendam sententiam iudicio priuato, auditis priùs partibus, discussaq; coram ipsis priùs causa assumuntur, siue seruata integra iudicii forma, siue multum de illa partium compromisso remissa, vt hactenus copiosè est comprobatum; in communitatem loquentium vsu frequentiùs, qui extra iudicium, quo ad contractus & alia, res ex pacto & compromisso partium aut iudicis iussu definiunt, peculiari nomine consueuerunt arbitratores dici: ii verò, qui iudicio coram ipsis inito, siue seruata integra iudicii forma, siue non, res ex pacto & compromisso partium definiunt, arbitri consueuerunt appellari.

Illud est obseruandum, arbitros & arbitratores, de quibus dictum est, eatenus amicabiles compositores nuncupari posse, quatenus vt partes fugiant lites, ex compromisso earundem partium in illis, quòd eorum definitione stabunt, illas componunt, amicabiliter, hoc est, extra iudicium publicum, & sine concertatione in iudicio publico: quod sæpe fit, diuidendo id, de quo erat controuersia inter partes, aut adiudicando vni totum, illique iubendo vt tantum pecuniæ, aut alterius rei, alteri soluat: cùm tamen in iudicio publico vni eorum tantùm adiudicari totum deberet, lege quæ de hac amicabi compositione *tractatu. 2. Disput. 556. §. hoc loco*, dicta sunt. Hi autem arbitri & arbitratores dicuntur etiam mediatores inter partes ipsas. c. cùm à nobis de arbitris. Interdum verò, nullo præuio compromisso, pactóve partium, quòd stabunt arbitrio ac definitione aliquorum, aliqui suo proprio motu, vel rogati à partibus ipsis, vel ab aliquo extraneo, accedunt vt illas suo iudicio atque arbitrio & autoritate componant, omnino dependenter à libero partium consensu in tali arbitrio: atque hi magis propriè appellantur amicabiles compositores partium: eorumque arbitrium nullam vim habet, nisi dependenter ex eo, quòd partes in illo consentiant. Atque hi neque arbitri sunt, neque arbitratores, de quibus hactenus habitus à nobis est sermo, habeburque in sequentibus in tota hac materia. De eis verò est sermo. *l. idem Pomponius* (& aliàs incipit, si de meis) *§. recepisse. ff. de recept. arb.* illis verbis; *Quòd si hactenus* (id est, eo vsque solùm) *interuenit, vt experiretur, an consilio suo, vel autoritate, discuti litem peterentur, non videtur arbitrium suscepisse*, quasi scilicet cogi possit ferre arbitrium ac sententiam, iuxta ea quæ paulo antea de vero arbitrio Vlpianus ibidem præmiserat. Vnde non est in eis verbis sermo de arbitratoribus, de quibus Bart. & Panor. loquuntur, vt cum *Bart. §. arbitrorum* citato, *Panor. num. 8.* citato, & alii perperam volunt. De eisdem, meo iudicio, est etiam sermo in authentica si verò. *C. de iud. & in authentico vt differentes iudices. §. 1.* vnde illa authentica desumitur, illis verbis: *Iubemus sanctissimum Archiepiscopum adire cum clarissimo iudice, vt ambo per amicabilem conuentum dissoluant, quæ dubia sunt*, partesque, ea dubia eis dissoluendo, suis suasionibus componant, concordareque inter se efficiant: *aut per annotationem in scriptis factam, aut cognitionaliter iudicetur inter litigantes, & forma detur iustitiæ, legibusq; conueniens.* Sensus quippe est, conueniant, videantque, si partibus verbo tenus proponendo, quid rei veritas habeat, illas possunt amicabiliter componere: alioquin forma iudicii in scriptis seruetur, & sententia pronuncietur, quæ cum iustitia ac legibus consentiat. Non ergo ibi est sermo de arbitratoribus, de quibus Bart. & Pa-

9

nor.

nor. loquuntur, vt perperam idem Bart. & Panor. locis citatis intendunt. Multo autem minus est sermo de eisdem arbitratoribus. *l. 1. §. inde quæritur. ff. de nou. oper. nunc.* illis verbis: *Inde quæritur apud Marcellum, si post opus nouum nunciatum conueniat sibi cum aduersario, vt opus faceret, an danda sit conuencionis exceptio*, aduersus eum scilicet, qui nunciauit, quique nunciationem prosequi vult, quòd ei obstet conuentio illa facta. Et respondetur dandam: quoniam licèt pacta priuatorum impedire non possint iuris dispositione prætorisq; iussum; illud tamen intelligitur, quando ea dispositione ac iussu non intenditur bonum priuati, cui sua conuentione & pacto cedit, vt in re proposita euenit. Certè conuenire inter eum, qui opus nouum nunciauit, & eum aduersus quem nunciatum est, vt opus nihilominus fiat, neque est compromisisse in arbitrum, neque in arbitratorem, neque arbitrum aut arbitratorem id definiuisse: quare mirandum est, autores prædictos eum textum citare, quasi in eo sermo de arbitratoribus extra contractum in iudicio sit.

A *s. Qui sint arbitri testamentarii.*

ARbitrorum quidam sunt, qui compromissarii dicuntur arbitri, eo quòd ex cõpromisso & pacto partium, quo se astringunt illorum arbitrio ac definitioni stare, vim habet ipsorum arbitrium; sub quibus arbitratores etiam comprehendimus: alii verò sunt, qui dicuntur arbitri iuris. Vnde arbitri compromissarii sunt, in quos partes compromittunt eorum sententiæ seu definitioni stare, nulla lege aut statuto ad id eos cogente. Atque hi nullam habent iurisdictionem. Iurisdictio enim à lege est aut à principe mediatè vel immediatè, & nõ à partibus priuatis: hi verò arbitri per potestatem à partibus acceptam vi compromissi, seu pacti ea de re inter ipsas initi, sententiam pronunciant, réfve definiunt, quæ definitio partes vi talis pacti antecedentis obligat, lege non refragante, sed annuente. Ea verò definitio arbitrium potiùs aut arbitramentum est dicenda, quàm sententia: eo quòd non proferatur ab habente ad eam pronunciandum iurisdictionem. 1

Arbitri verò iuris illi dicuntur, qui disponente ac obligante ad id lege, aut statuto, seu principis iussu, eliguntur ac sententiam proferunt, siue ex dispositione legis, statuti, aut principis, eligantur à partibus, siue ab arbitris à partibus iam electis, quando non concordant, & vnà cum arbitris à partibus electis sententiã proferant, siue lex illa talem arbitrum aut arbitros designet, vel aliquem alium eos designare præscribat. Huiusmodi autem arbitri iurisdictionem habent, non solùm ad iudicandum, sed etiam ad ea, quæ ad ita iudicandum necessaria sunt, vt ad testes vocandum, & ad eos cogendum vt testimonium dicant, & ad similia alia ad ita iudicandum necessaria; eo quòd legis aut principis autoritate iudicent: cogíque eiusmodi arbitri possunt munus suscipere: vt hæc omnia *Disput. 23. §. porrò eiusmodi*, explanatum fuit. Ibidem, §. glossa, adiecimus, ac ostendimus, eam iurisdictionem extraordinariam esse, eaque de causa non competere illi conditiones omnes ordinariæ iurisdictionis; annumerandam tamen esse cum ordinaria iurisdictione, & non cum delegata, nec ineptè à glossa. *c. suspicionis de offic. deleg.* verb. *ad quos omnia*, appellari quasi ordinariam. Lege quæ ibi dicta sunt. 2

Arbitri iuris sunt illi, de quibus Disput. 23 citata copiosè est dictum, eligi ex præscripto iuris ad iudicandum de suspicione, quando iudex aliquis delegatus aut ordinarius vt suspectus recusatur. Et quoniam ea de re, iunctis iis, quæ Disput. 24 sequenti addita sunt, copiosè est dictum, nihil amplius de illis est hoc loco dicendum. 3

Aliquibus in locis sunt statuta, vt coniuncti in certis gradibus, si controuersiam inter se habeant, non contendant in iudicio publico, sed arbitros eligant, qui inter ipsos iudicent. Quia verò talia statuta in Hispaniis, quod sciam, non sunt, de eiusmodi arbitris non dicam hoc loco. Sunt tamen arbitri iuris: & de eius longum statutum habes Marci Antonii Blanchi. 3. tomo Tractatuum.

Si clericus cum suo Episcopo negotium habeat, iubetur eligere arbitros, qui rem definiant, Episco-

Qui ita, nullo præuio compromisso, aut pacto partium, componere eas circa suas controuersias moliuntur dependenter à libero earundem partium consensu, similes sunt, circa controuersias inter partes iam ortas, proxenetis (*corredores* nostri vocant) circa contractus inter partes ineundos, in quibus ipsi proxenetarum munus exercent. Proxenetæ enim non solùm dant notitiam volentibus aliquid emere, quis illud vendat, volentibusque aliquid vendere, quis illud emet, & volentibus aliquid locare, quis illud conducet, & è contra; sed etiam mediatores inter partes sunt, vt illas ad concordiam circa ineundos ac perficiendos eos contractus, dependenter ab ipsarum libero consensu, adducant. Vnde sicut isti amicabiles compositores partium sunt circa contractus innuendos ac celebrandos: ita illi amicabiles compositores sunt controuersiarum inter partes iam ortarum. Quo fit, vt proxenetæ ab illis aliis amicabiliter compositoribus in hoc differant, quòd proxenetæ sint circa contractos innuendos ac celebrandos: illi verò alii circa componendas controuersias inter partes ortas.

Discrimen inter arbitros iuris, & arbitros compromissarios, de quibus præcipuè est hoc loco sermo. Et de arbitris testamentariis.

Disp. 31.

SVMMARIVM.

1. *QVi sint arbitri compromissarii.*
2. *Qui sint arbitri iuris.*
3. *Cum arbitris iuris computantur arbitratores, qui non à partibus sed a iudice eligũtur, vt iuxta ipsorum artem, quid de aliqua re sentiant, dicant, vt quo ad dimensionem & mensuram, quo ad valorem rei alicuius.*
4. *Iudices circa vnam & eandem rem pro altera tantùm parte litigantium ferre debent sententiam.*

Episcopusque, estò in eo negotio suo clerico sit suspectus, cogere eum debet, vt secum arbitros eos eligat. Ita habetur. *c. si clericus. 11. q. 1.* iuxta glossã ibi verb. *arbitros.* Hi verò cùm ex præscripto eius iuris eligantur, vt eam causam definiant, arbitri iuris sunt.

Quando sunt duo rescripta, vnum obtentum ab vna parte, & alterum à parte contraria, & est controuersia, quod eorum præualeat, tunc iudices vtriusque rescripti iudicare simul debent, quod præualeat, nisi iudices vnius rescripti deferant ac committant iudicibus alterius rescripti, quod efficere optimè possunt: atque tunc erit standum sententiæ eorum, qui de illorum aliorum consensu iudicauerint. Quòd si omnes simul iudicent, neque conueniant in sententia, recurrendum est ad arbitros à parte vtraque electos, qui iudicent quod rescriptum præualere debeat. Ita habetur. *c. pastoralis de rescrip.* & de hac re sermo redibit infrà, cùm de rescriptis agamus. Hi itaque arbitri, cùm ex præscripto legis eligantur ac iudicent, arbitri iuris etiam sunt.

3 Cum arbitris iuris computantur arbitratores, qui non à partibus, sed à iudice eliguntur, vt iuxta ipsorum artem ac peritiam, quid de aliqua re sentiant, dicant ac statuant, vt quoad dimensionem & mensuram, quoad valorem rei alicuius, quoad vulnus an fuerit lethale, vel ex illo aut aliunde vulneratus obierit, quo ad morbos an periculosi sint, & tales, vt propter illos concedendum alicui sit, vt è carcere egrediatur, & an quod alicui est propinatum, vel propinari est attentatum, venenum sit. Sic etiam deputantur obstetrices, quæ iudicent, an grauida sit, vel non. Et in aliis multis euentibus deputantur à iudice arbitratores, quos *veedores* sæpe vocant, qui de aliquibus ad ipsorum artem ac peritiam attinentibus iudicent. Cùm autem hi iuxta legum præscriptum publica iudicis autoritate in similibus euentibus arbitramenta proferent, quibus, si irrationabilia & iniqua nõ deprehendantur, in iudicio statur, neque id efficiant sola electione compromisso in illis ac pacto partium, vtique ad arbitros seu ad arbitratores iuris pertinent, & non ad compromissarios arbitratores.

4 Iudices circa vnam & eandem rem pro altera tantùm parte litigantium ferre debent sententiam. Euenit verò aliquando, rem adeò esse dubiam, vt pro neutra parte tutò audeant ferre sententiam, rem integram alteri adiudicando, maximè quando neutra partium cæperat rem illam bona fide possidere, vt quando contenditur quis succedere debeat in aliquibus bonis, siue liberis, siue vinculatis. Ea de causa præses & senatores regalium prætoriorum sæpe solebant præcipere litigantibus, vt in eosdem iudices compromitterent tanquam in arbitros, qui illos tanquam iudices arbitri componerent, rem neutri integre adiudicando, sed illam inter ipsos diuidendo, saltem iubendo ei, cui adiudicaretur, vt aliquid alteri compensaret pro quantitate dubii, quod esset an ad illum res illa attineret. Id in hoc regno prohibetur præsidi & senatoribus efficere, nisi Rege consulto priùs in vnoquoq; simili negotio in particulari, Regeque id concedente ac statuente, vt habetur. *l. 13. tit. 5. lib. 2. noua collect.* In hoc autem euentu, quando id ex præscripto Regis fieret, dicerem hos arbitros nõ compromissarios propriè, sed iuris potiùs esse nuncupandos, cum arbitrisve iuris eos potiùs esse annumerandos.

Vt bene *Ioan. Baptista, lib. 1. de arbitris c. 9. §* notat, præter duo genera arbitrorum & arbitratorum hactenus explicata, distinguendum est tertium genus arbitrorum & arbitratorum testamentariorum. Si enim quis sub testamento aliquos hæredes instituat, aut aliquid aliquibus relinquat, præscribens eis, vt, si dubium aliquod circa id fuerit exortum, stetur arbitrio aut arbitramento talis vel talis, sanè eo ipso, quòd post testatoris mortem hæreditatem adeunt, aut legata acceptant, tacitè consequenter se astringunt, stare arbitrio aut arbitramento illius aut illorum, atque adeò illi verè sunt arbitri aut arbitratores, si quid dissidii aut difficultatis circa id insurgat. Et quia sunt tales, non ex præscripto iuris aut principis, neque vi proprii eorum pacti ac compromissi, qui stare ipsorum arbitrio aut arbitramento tenentur, sed vi testamenti, dispositionisve testatoris, sequuta editione hæreditatis, acceptationeque legatorum, meritò testamentarii, tanquam tertium genus distinctum à duobus generibus præcedentibus, nuncupantur ac distinguntur. Quando item testator aliquid alicui relinquit, taxandum arbitrio alicuius, tunc arbitratorem summæ talis legati eum reliquit, de quo arbitratore testamentario sermo est. *l. 1. ff. de leg. 2. & l. fideicommissum. §. quamquam. ff. de leg. 3.*

Sicut testamento, aut alia vltima voluntate, potest aliquid relinqui sub ea obligatione ac modo, vt ii, quibus relinquitur, teneantur orto aliquo dubio circa id stare definitioni alicuius, vel aliquorum, vel commodo, vt id inter eos arbitrio alicuius aut aliquorum diuidatur, sequutaque aditione hæreditatis, aut acceptatione legati, vel donatione causa mortis, virtute acceptantes, censentur eo ipso compromittere in tales arbitros aut arbitratores, seu stare modo cum quo ea bona fuerunt ipsis relicta: ita res euenit, si aliquid aliquibus donatione inter viuos sub simili modo ac onere donetur, de qua re *Ioan. Bap. 6. lib. de arb. c. 5.*

De compromisso in arbitrum, aut in arbitratorem. Et de variis illius modis.

Disp. 32.

SVMMARIVM.

1. *COmpromissum, quo partes compromissarios arbitros eligunt, sibiq; mutuò promittunt illorum arbitrio stare, liberum ac voluntarium est, vt fiat aut non fiat ex parte vtriusque compromittentium, item ex parte arbitrorum, antequam consentiant & acceptent se arbitros esse.*
2. *Compromissum hoc perficitur solo consensu exterius inuicem expresso: aut nutibus.*

3. *Nisi*

3. *Nisi apertè constet compromissum inter partes interuenisse, quo manifestè constet se intendisse obligare stare illorum arbitrio, non censetur tale cõpromissum esse factum, parteſq; teneri eam rem coram illis prosequi, eorumq; definitioni stare.*

4. *Compromissum interdum transire efficitur in contractum nominatum adiectione stipulationis ex vtraque parte.*

5. *Cum contractus compromissi ex parte arbitrorum, ita vt partes audire & ferre arbitrium teneantur, consensu & acceptatione eorum completur, Prætor neminem ad id cogit: at postquam semel consentiunt, munusq; acceptant, prætor suam interponit authoritatem.*

6. *Si partes committant in aliquem & aliquos, & illi simul consentiant se esse arbitros, tunc contractus est perfectus ex parte compromittentium & compromissariorum.*

7. *In compromisso ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum à compromittentibus in arbitris aut arbitratoribus facultas eis conceditur.*

QVoniam à compromisso ac pacto, quo aliquis aut aliqui in arbitros aut in arbitratores eliguntur, quorum arbitrio ac definitioni à partibus stetur, tanquam à fundamento pendet, quòd aliquis aut aliqui arbitri aut arbitratores compromissarii sint, & quòd illorum arbitrium seu definitio vim habeat, vt ex se & ex dictis facilè patet, atque ex dicendis erit magis manifestum, à compromisso erit ordiendum.

1 Eiusmodi compromissum, quo partes compromissarios arbitros aut arbitratores eligunt, sibique mutuò promittunt illorum arbitrio ac definitioni stare, vt ex se & ex dictis satis patet, liberum ac voluntarium est, vt fiat aut non fiat, ex parte ita compromittentium, itemque ex parte arbitrorum ac arbitratorum, antequam consentiant & acceptent se arbitros aut arbitratores esse, vt habetur. *l. 29. titu. 4. part. 3.* idque perinde atque emptio & venditio, & regulariter alii contractus, dum fiunt, liberi sunt vt fiant, aut non fiant, ex parte eos innuentium: vt autem explicemus quantum compromissum, postquam celebratum est, partes astringat illi stare, stareque arbitrio ac definitioni arbitrorum seu arbitratorum, & quantum arbitros aut arbitratores astringat rem ex parte sua prosequi ac definire, postquam se esse arbitros aut arbitratores ea in re consenserunt ac acceptarunt; quemadmodam & ceteri contractus, postquam celebrati sunt, contrahentes astringunt; obseruandum est.

Compromissum contractum esse respectiuum ac onerosum, quo vnusquisque compromittentium se astringit stare definitioni arbitrorum, aut arbitratorum, vt alter vicissim similiter sibi astringat eidem stare definitioni, vt ex se & ex dictis Disput. 30 & tractatu 2. Disput. 252, 253, & 556. §. ex definitione, constat.

Idem esse contractum innominatum, facio, vt facias, id est, astringo me stare ei definitioni, vt tu similiter te mihi astringas, vt ex dictis Disput. 253 & 556 liquet. Compromittere enim, hoc est, simul ac mutuò sibi promittere, aliis quoq; contractibus conuenit, ac proinde hic contractus non habet proprium & peculiare nomen, vt habent venditio, locatio, & alii nominati contractus, sed solùm per accõmodationem ac appropriationem: sicut permutationis nomen, alioquin aliis contractibus commune, appropriatur contractui innominato, do vt des eaque de causa permutatio non est contractus nominatus, sed innominatus, vt Disp. 253 citata explanatum fuit.

Perficitur verò solo consensu exteriùs inuicem expresso, vt affirmat *Ioan. Baptista lib. 5. de arbitris. c. 1. num. 2.* & ex dictis *tractatu. 2. Disput. 254* facilè intelligitur. Vocabulum enim compromissio non factum aliquod atque opus significat, vt significant ac sonant vocabula mutuum, commodatum, depositum, pignus, permutatio, & aliam cõtractum, qui opere perficiuntur, sed significat consensum exteriùs expressum, vt significant vocabula emptio, venditio, locatio, conclusio, sponsalia, & cætera contractum, qui consensum perficiuntur, vt ex explanatis Disput. 254 citata hæc omnia perspicua sunt. Quo fit, vt compromissum voce, epistola, ac nutibus, atque per internuntium, tam inter præsentes, quàm inter absentes, perfici possit, vt Disput. 254 citata vniuersim de contractibus, qui solo consensu perficiuntur, explicatum est. Si tamen celebrare volentes hunc contractum, illum, suspendant, vt scriptura perficiatur, tunc non perficitur, neque vllam obligandi vim habet quousque ea de re perfecta omnino sit scriptura, iuxta ea quæ explanata sunt eadem *Disput. 254. & Disput. 337. a. §. quæ dicta sunt*: hocque loco posteriori exposuimus, quando celebrantes contractus suspendere illos censeantur, aut non censeantur, vt scripturæ perficiantur, tum de iure communi ac Lusitano, tum etiam de iure huius regni. Vnde quando in calce *legis 23. titu. 4. part. 3.* sic dicitur, *E de todas estas cosas, que las partes pusieren entre si, quando el pleyto meten en mano de auenidores, deue ende ser fecha carta por mano de escriuano publico, o otra que sea sellada de sus sellos: porque no pueda nacer despues ninguna duda*: quando, inquam, sic in ea lege dicitur, vt bene ibi Greg. Lopez glossa vlt. notat, non idcirco, quasi ad perficiendum eum contractum, ad illumque probandum necessaria sit excriptura, & non sufficiant testes, sed meliùs res constet ac probentur, si ita necesse sit. Idem verò est procul dubio dicendum de compromisso in arbitrum presse sumptum pro eo, qui formam integram iudicii seruare debet, quicquid cogitandum ibi Greg. Lopez lectori relinquat: quippe cùm id etiam compromissum solùm consensu exteriùs expressa perficiatur, vt dictum est. Neque quicquam obstat. *l. 1. ff. de recep. arb.* quæ habet, arbitria redacta esse instar iudiciorum, ordinariorum scilicet, quæ scripto peraguntur: licèt enim cognitio causæ & eius sententia ac definitio scripto peragi debeat: cõpromissum tamen, partium in talem arbitrum id non requirit, sed solo consensu mutuo exteriùs expresso perficitur, testibusq; probari potest. Idquod apertissimè cõstat ex. l. 2. C. de recep. arb. vbi apertè est sermo de arbitro, etiá pressissimè sumpto, atq; de compromisso in illo sic dicitur:

Sanci-

Sancimus in eos arbitros, quos prædicimus, & quos A *talis consensus elegerit sub eo pacto, vel in scriptis vel in non scriptis habito, vt eorum definitioni stetur, &c.*

3 Quamuis, vt dictum est, compromissum in arbitros, aut in arbitratores, perficiatur solo cõsensu exteriùs expresso, etiam nutibus, ex quibus constet partes intendisse se obligare stare arbitrio ac definitioni eius, aut eorum, quos sibi tali compromisso ad id eligunt; quia tamen, vt Disput. 30 dictum est, sæpe res pertractatur apud amicabiles compositores dependenter à libero partium consensu in eorũ arbitrio, ad eosque eo modo confugitur; sanè, nisi apertè constet compromissum in illos interuenisse inter B partes, quo manifestè constet se intendisse obligare stare illorum arbitrio ac definitioni, censendum non est tale compromissum esse factũ, partesque teneri eam rem coram illis prosequi, eorumque definitioni stare: maximè cùm, secluso partium compromisso, quoad id se intendant obligare, nullam potestatem eiusmodi arbitri aut arbitratores habeant ad rem definiendam, partesque sua definitione quoquo modo obligandum. Vnde plus iusto existimo Ioannem Baptistam. 6. lib. de arbitris. c. 1. & sequentibus extendere, censendum in aliquibus euentibus, de quibus ibi agit, interuenisse partium compromissum.

4 Compromissum interdum transire efficitur in contractum nominatum adiectione stipulationis ex vtraque parte, vt tractatu. 2. Disput. 255 & Disp. 556 dictum est. Cæterùm vt in contractũ nominatum adiectione stipulationis transeat, necesse est vt vterque compromittentium præsens sit, vt ex dictis tractatu. 2. Disp. 254 constat. Interdum verò in cõpromisso pœna apponitur ei, qui illi ac definitioni arbitri aut arbitratoris non steterit. Atque interdum simul pactum vallarur stipulatione, & appositio ac promissio pœnæ stipulatione etiá vallatur. Interim dum quoque compromissum iuramento firmatur, siue simul interueniant stipulatio ac promissio pœnæ, D siue non, vt hæc omnia ex parte dicta sunt Disp. 556 citata, & sequentibus disputationibus copiosè de his est etiam agendum.

5 Cùm autem contractus compromissi ex parte arbitrorum, aut arbitratorum, ita vt partes audire & ferre arbitrium seu arbitramentum ac definitionem teneantur, consensu & acceptatione eorum compleatur, quoniam vt habetur *l. 3, §. 1. ff. de recep. arb.* Prætor neminem ad id cogit, eo quòd id liberum & absque vlla necessitate ex parte illorum sit; attamen postquam semel consentiunt, munusque acceptant, Prætor suam interponit autoritatem, eosque cogit vt officiũ, quod in se receperunt, impleant: cùm, inquam, E ad eum effectum (vt ex eo iure atq; ex se liquet) acceptatione seu consensu arbitrorum seu arbitratorum exteriùs expresso is contractus compleatur, sanè arbitrorum præsentia ex eo capite idem contractus non indiget, vt ex eo pacto nudo ad id arbitri aut arbitratores teneantur, eo modo quo id pactum nudum (iuxta ea quæ dicenda sunt) potest eos ad id obligare; sed satis est, si per epistolam aut per internuncium in id cõsentiant, aut alio modo absentes ac distantes à compromittẽtibus in ipsis, vt rectè *Ioan. Baptista. lib. 6.* citato *c. 11.* ait. Si tamẽ stipulatione ad id se essent obligaturi, necessaria esset eorum præsentia, vt ex dictis Disput. 254 citata patet.

Si partes compromittant in aliquem aut in 6 aliquos, & illi simul acceptent ac consentiant se esse arbitros aut arbitratores, tunc cõtractus est perfectus ex parte compromittentium & compromissariorum, hoc est, eorum in quos vt in arbitros aut in arbitratores compromittitur, pro qualitate contractus, siue sit pactum nudũ, & siue stipulatione, additione pœnæ, aut iuramento insuper firmetur, siue non. Quando autem partes compromittunt in aliquem, (idem intellige in aliquos) qui sit postea acceptaturus, tunc designare illum possunt purè, aut sub conditione, & certum in indiuiduo, aut certum in aliqua qualitate, & incertum, quisnam sit, qui illam sit habiturus, vt in eum qui eligeretur ad hoc vel ad illud munus, vel qui talem vel talem aliam qualitatem habuerit. Possunt etiam eligi duo, vel tres, aut plures, sub conditione, vt si vnus non acceptet, sit alius. & si hic alius non acceptet, sit alius, &c. Possunt etiam compromittere in eum, quem tertius aliquis designauerit, aut ad id elegerit, vel in eos, quos designauerit aut elegerit, vt patet. c. penult. de arb. Atque in omnibus his, & in aliis similibus euentibus, si compromissum factum sit in aliquẽ, sub aliqua conditione, tunc, si conditio deficiat, expirat õnino compromissum: si verò impleatur, tenentur compromittentes (nisi consensu mutuo recedere velint à contractu) ad illum accedere, illíque id significare, atque si acceptet, perfectum manet compromissum: si verò non velit acceptare, expirat compromissum. Quando autem cõpromissum factum fuit purè, tenentur compromittentes adire similiter singulos, in quibus cõpromiserunt, seruato ordine, si quem statuerũt: atque si aliquis eorum acceptet, completus est contractus: si verò nullus acceptare velit, expirat contractus. De compromisso autem in eum, quem duo tales elegerint, sanè si conueniant, & ita electus acceptet, perficitur contractus: si verò eligere non velint, aut non consentiant in eundem, vel esto consentiant, ita electus acceptare non velit, expirat cõtractus. Si compromittant in eum, quem postea ipsi eligent: si eueniat eos concorditer eligere, & ille acceptet, perficitur contractus: alioquin nullus redditur. Et cũ ab arbitrio cuiusque eorum pendeat, non consentire in eo, quem alius elegerit, nullas sanè vires habet is contractus ad alterum obligandum. Hæc omnia ex se notissima sunt, & quatenus *Ioan. Bapt. lib. 6.* citato *c. 12.* in eis consentit, approbo illius sententiam.

Si compromittant duo in Petrum aut in Paulum, tunc is erit arbiter, quem compromittens elegerit postea ex illis duobus, atq; si is acceptet, cogetur à iudice ordinario in causam progredi & sententiam ferre. Et hoc est quod habetur *l. item si vnus. §. item Pomponius. vers. sed si ita. ff. de recep. arb.*

In compromisso ea exprimi debent, ad quæ 7 arbitrandum ac definiendum à compromittentibus in arbitris, aut arbitratoribus, facultas eis conceditur: quoniam arbitrium ac definitio excedere non potest facultatem à compromittẽtibus concessam, & in compromisso contentã: si autem excedat, est nullum quo ad id arbitriũ ac definitio. Ita habetur *l. non distinguamus. §. de officio.*

officio.ff. de recep. arb. & l. 26. titu. 4. part. 3. Possunt tamen, clausula multa comprehendente, exprimi ea multa in eo compromisso, vt si dicatur, compromittimus in talem, aut in tales, quæstiones omnes, quæ inter nos sunt, aut similis alia clausula multa comprehendens apponatur, vt habetur *l. idem Pomponius* (alias *si de meis*) *in prin. l. si cum dies. §. plenum. ff. de recep. arb. & l. 23. titu. 4. part. 3.*

De variis clausulis appositis interdum in compromisso. Et de potestate arbitris & arbitratoribus compromisso eis clausulis data. Disp. 33.

SVMMARIVM.

1. *IN compromissis apponi consueuerunt clausulæ, quòd arbitri procedant non seruata forma & solemnitatibus iudicii, sed summariè & de plano, sine figura iudicii, seruata tantùm æquitate: quæ clausulæ validæ sunt & vim habent.*
2. *Quando aliqui dicerent se compromittere in aliquem, vt in arbitrum & in arbitratorem, nihil aliud adjiciendo, nec exprimendo modum, quem in procedendo seruare deberet, nisi ex circunstantiis concurrentibus intelligeretur partes eis verbis aliud intendisse, relicta est ei optio, vt seruata iudicii forma vel non seruata procederet, prout vellet.*
3. *Quando in aliquem vt in arbitrum compromitteretur, nihilq; exprimeretur vnde intelligeretur vt procederet non seruata iuris forma, illam omnino seruare teneretur in procedendo & arbitrando.*
4. *Quando partes in aliquos compromittunt cum facultate vt procedant non seruata forma iuris, seruata tantùm æquitate, & sine strepitu iudicii, arbitri tales audire debent, quæ partes proponere velint.*
5. *Quando autem partes non concederent solùm facultatem arbitris, vt procederent non seruata forma iudicii, sed etiam compromisso eis præscriberent, vt eam formam non seruarent, tunc seruare non possent, partibus aut earum altera inuitis, formam, quam ex forma compromissi intelligeretur, partes intendisse vt non seruarentur.*
6. *Neque arbitri neque arbitratores quidquã scienter aut ex ignorantia crassa, & lata culpa in examinandis meritis & iure vtriusque partis, tollere possunt de iure vnius partis, & tradere alteri, nisi id eis à partibus ipsis efficere concedatur.*
7. *Quando vna pars ad vitandos sumptus litium consentiret, vt arbitri aut arbitratores scienter aliquid de iure ipsius tollerent, ac traderent alteri parti, tunc arbitri & arbitratores licitè id efficiunt, quãtum intelligunt contentam esse partem de cuius iure tollunt, nec proinde ad vllam restitutionem eius damni ei tenentur.*
8. *Inualidum est compromissum, quo aliquid in aliquem compromittitur, eum astringendo, vt in iudicando aliquem consulat, eorumq; consilium sequatur.*

IN compromisso non solùm apponi consueuerunt clausulæ, intra quantum tempus arbitri pronunciare debeant definire suum munus, & in quo loco iudicare ac pronunciare debeant, de quibus rebus commodiùs dicetur inferiùs; sed etiam circa cognoscendi ac pronunciandi modum clausulæ ac pacta varia apponi etiam in compromisso assueuerunt.

Hinc in compromissis apponi consueuerunt 1
clausulæ, quòd arbitri procedant non seruata forma & solemnitatibus iudicii, sed summariè & de pleno sine strepitu & figura iudicii, seruata tantùm æquitate. Atque cùm compro-
B missariorum arbitrorúmve, in quos à partibus compromittitur, potestas tota à compromisso, facultatéve à partibus compromissi, pro libito eis data pendeat, vt ex se liquet, & ex. *l. non distinguamus. §. de officio. ff. recept. arb.* atque ex aliis iuribus constat, sanè dubium esse non potest, has clausulas, seu pacta, & similia alia, quæ cum bonis moribus non pugnant, vim habere, validasque esse, consentitque communis doctorum sententia, quam *Ioan. Bapt. l. 7. de arb. c. 4. num. 1.* refert ac sequitur. Neque refert, quòd iudicibus ordinariis ac delegatis partes remittere non possint, vt procedant forma iudicii minimè ser-
C uata, vt tradit glossa. *c. de causis verb. de consensu partium de offic. deleg.* & cum illa affirmat communis doctorum sententia, sed id eis remittere ad solùm Principem legum conditorem spectat, in eo, quod pro communi vtilitate alioquin est statutum, ex rationabili causa interdum in aliquibus euentibus dispensando, à quo Principe tales iudices mediatè aut immediatè habent suam potestatem ac iurisdictionem: secùs enim res habet in arbitris, quibus, vt à partibus habent totam potestatem inter ipsas eo modo iudicandi, sic modum quẽ seruare in iudicando inter eas possint, aut debeant, præscribere possunt, remittendo illis
D de forma iudicandi, quod voluerint, vt *Ioan. Bapt. lib. 8. de arb. c. 7.* & sequentibus cum communi doctorum sententia rectè affirmat, & probat. *l. diem proferre §. si quis litigatorum. ff. de recep. arb.* illis verbis; *nisi in compromisso hoc specialiter expressum sit*; quo in loco sermo est de solemnitate in pronunciando non seruata.

Quando aliqui dicerent, se compromitte- 2
re in aliquem, vt in arbitrum & in arbitratorem, aut vt in arbitrum vel in arbitratorem, nihil aliud adjiciendo, nec exprimendo modum, quem in procedendo seruare deberet, credo, nisi ex circunstantiis concurrentibus
E perspicuè intelligeretur partes eis verbis aliud intendisse, relictam illi esse optionem, vt seruata iudicii forma ac solemnitatibus, vel eis minimè seruatis, procederet, pro vt vellet, ac melius iudicaret: ea enim verba ortum habuisse videntur ex opinione Bart. & frequenti doctorum, quòd id sit discrimen inter arbitrum & arbitratorem, quòd arbiter seruare debeat formam & solemnitates iudicii, arbitrator verò non item.

Quando in aliquem vt in arbitrum compro- 3
mitteretur, nihilque exprimeretur, vnde intelligeretur vt procederet non seruata iuris for-

ma, illam omnino seruare teneretur in procedendo ac arbitrando seu definiendo, iuxta *l. 1. ff. de recep. arb.* & communem doctorum sententiam : alioquin inualida esset, quæ talis arbiter ageret, ea integre non seruata. Vt tamen in præcedentibus dixi, rarò in Hispaniis compromittunt aliqui in aliquem, aut in aliquos, vt seruent iuris integram formam in procedendo & iudicando: si enim id vellent, potiùs contenderent eo modo coram iudicibus ordinariis aut delegatis. Quando autem partes formam iudicii remitterent, aut compromitterent in aliquem vt in arbitratorem, ex eo quòd adjicerent, vt nihilominus teneretur seruare integrum iustitiæ & iuris rigorem in arbitrando, sanè nihil secum pugnarent. Quoniam adiectione eius clausulæ solùm significaretur ac intenderetur, neutram partem velle vt quicquam de iure sibi debito, & de iustitia, quam ea in re haberet, velle ab ipsa auferri & tribui alteri parti, etiam pro bono pacis, (cuius tamen contrarium solet interdum à partibus arbitris & arbitratoribus pro bono pacis, atque vt cessent lites, concedi) sed velle vt is arbiter integrũ ius cuique parti tribuat, nihilq; omnino præiudicet cuiusq; earũ iustitiæ, quã in ea procedẽdi forma nouerit ad ipsũ attinere.

4 Quando à supremo Principe lege aut rescripto aliquo conceditur, aut præcipitur, iudicibus delegatis vel ordinariis, vt in aliquibus causis procedant simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura iudicii, Clemens quintus clement. sæpe de verb. sig. propter varias interpretationes, quæ eis verbis à doctoribus adhibebantur, exposuit, quid ea verba significarent; & quæ princeps remittere de forma iudicii, & quæ non remittere, eis verbis esset censendus: de quare commodiùs suo loco in hoc quinto tractatu dicetur. Quod verò ad rem præsentem de arbitris attinet, credo, quando partes in aliquem aut in aliquos compromittunt cum facultate, vt procedant non seruata forma & solemnitatibus iuris seu iudicii, sed summariè & de plano sine strepitu & figura iudicii, seruata tantùm veritate & æquitate, arbitros tales audire quidem debere, quæ vnaquæque partiũ proponere pro sua iustitia velit, eaque omnia eos videre, expendere, ac examinare debere, quantum sit satis, vt rei veritatem more humano intelligere sufficienter valeant, atque tunc vocatis partibus, si præsentes non sint, proferre coram illis arbitrium seu definitionem suámve sententiam eos debere, neque esse necessariam aliam solemnitatem: quoniam omnis alia solemnitas eis compromissi verbis censetur illis remissa. Idem existimo esse, si non omnia ea verba in compromisso apponantur, sed quædam eorum tantùm, aut similia alia, ex quibus prudentis arbitrio intelligatur, id partes eis verbis eoque compromisso intendisse. Atque quando, auditis ac examinatis quæ à partibus essent proposita, eo modo, quo à partibus essent proposita, partes sine tergiuersatione aliqua contentæ essent, vt arbitrium, definitio, seu sententia ipsis præsentibus, per se vel per interpositas personas, quas ad id deputarent, vel etiam ipsis absentibus, proferretur, sanè tunc omnis illa solemnitas esset censenda ab ipsis remissa. Consentiunt autem in his omnibus *Ioan. Bapt. lib. 11. de arb. c. 1.* & sequentibus, cum communi doctorum sententia, quam ad singula citat. Sic verò frequentissimè hodie in his regionibus compromittitur, ac examinantur causæ ab arbitris, & peraguntur ac pronunciantur arbitriã, arbitrorúmve sententiæ, seu definitiones. Vi autem compromissi possunt eiusmodi arbitri seu arbitratores (vt multi doctores eos nominant) vocare partes, vt coram se ad aliqua necessaria compareant, reliquaque efficere ac præcipere & expedire, quæ ad munus ipsis compromisso iunctum fuerint necessaria : quoniam eo ipso, quòd partes in aliquem quo ad aliquid compromiserunt, eo compromisso ac contractu censentur ea omnia illis concedere, ad eaque omnia eodem contractu se obligare, vt rectè *Ioan. Baptist. l. 11.* citato *cap. 6.* & sequentibus affirmat. Quòd arbiter aut arbitrator ex superueniente causa (idem intellige de antecedente occulta, quæ de nouo detegatur; cùm sit eadem ratio) suspectus fiat, recusari potest ad effectum vt cesset, atque si cessare non velit, cogatur ab ordinario, & vt arbitrium illius non valeat, sed repelli possit doli exceptione, nec pœna compromisso statuta incurratur, sed similiter excipi aduersus illam exigentem possit dolì mali exceptione, vt habetur. *l. non distinguamus. §. cùm quidam. ff. de recep. arb.* idemque habere locum non minùs in arbitratore, quàm in arbitro, rectè affirmat *Ioan. Bapt. lib. 11.* citato, *c. 9.* & habetur *l. 31. titu. 4. part. 3.* & consentit *Greg. Lopez.* ibi cum aliis, quos citat, etiam quoad causam suspicionis præcedentem de nouo cognitam.

5 Quando autem partes non concederent solùm facultatem arbitris, vt procederent prædicto modo non seruata forma & solemnitatibus iudicii, sed etiam compromisso eis præscriberent, vt eam formam & solemnitates non seruarent, tunc seruare non possent, partibus, aut earum altera, inuitis, formam & solemnitates, quas ex forma compromissi intelligeretur partes intendisse, vt non seruarentur : quoniam semper est standum dispositioni compromissi.

Ex eo autem, quòd partes in compromisso concedant, aut præscribant arbitris, vt de plano & sine iudicii strepitu procedant, non seruata forma & solemnitatibus in iudiciis consuetis, sanè non desinunt esse arbitri, vt probè *Ioan. Bapt. lib. 8. c. 7.* citato & sequentibus aduersus multos affirmat. Sicut enim iudices delegati & ordinarii non desinunt esse tales ex eo, quòd eis à Principe concedatur, aut præscribatur, vt procedant summariè ac de plano non seruatis solemnitatibus iure alioquin præscriptis : sic arbitri ex eo, quòd partes eis concedant, aut præscribant, vt prædicto modo procedant, non desinunt esse arbitri, vt causam modo illis concesso aut præscripto sufficienter audiant, expendant, ac examinent, arbitriumque seu sententiam circa illam pronuncient. Multa autem Ioan. Baptista eo capite & sequentibus prodigit verba ad examinandum, quando, remissis variè forma & solemnitatibus iuris iis, in quos partes compromittunt, censendi sint arbitri, & quando censendi sint arbitratores,

iuxta

iuxta modum illum loquendi Bartoli & frequentem apud doctores, Disp. 30 à nobis impugnatum. Nobis verò semper in hac materia erit loquendum iuxta verissimum modum ex iure & ex natura ipsa rei depromptum, eaque Disp. 30 copiosè explanatum.

6 Neque arbitri neque arbitratores quicquam scienter, aut ex ignorantia crassa & supina, latáve culpa in examinandis meritis & iure vtriusque partis, tollere possunt de iure vnius partis & tradere alteri, nisi id eis à partibus ipsis efficere concedatur. Atque si contra eius partis voluntatem, de cuius iure tollunt, id efficiant, restituere illi tenentur damnum totum, quod ei fuerit inde sequutum, tanquam iniustæ totius eius damni causæ. Ex eo autem, quòd arbitrorum aut arbitratorum iudicio aut arbitrio partes committant eius rei definitionem, quam in ipsos compromittunt, neutra pars censetur concedere eis facultatem, vt licite de ipsis iure possint aliquid tollere & tribuere alteri. Nomine enim iudicii & arbitrii, rectum, nomineque iniquum & culpabile intelligitur: nullusque est præsumendus velle, vt de ipsius iure tollatur, & tribuatur alteri, nisi id sufficienter exprimat: eis autem verbis sufficienter non exprimitur.

Quando autem id partes aliis verbis sufficienter exprimerent, variis ex causis posset id prouenire. Primò, animo condonandi ac efficiendi eam liberalitatem: quod rarò est præsumendum. Atque tunc tantum fas esset arbitris, aut arbitratoribus, auferre de iure vnius partis, & tribuere alteri, quantum præsumerent partem, à qua id iuris auferunt, esse contentam, velleque id condonare, & non plus. In eo autem euentu & arbitri, aut arbitratores, possent licitè id efficere, & pars altera, cui id tribuitur, aut adiudicatur, tuta conscientia posset illud retinere. Quoniam ex merè libera ac gratuita voluntate alterius partis id fieret: volenti autem ac consentienti, plena libertate, nulla fit iniuria.

Secundò, possent id partes velle, ad litium sumptus ac molestias vitandas, redimendamque propriam vexationem: in quo euentu pars, de cuius iure auferretur, ac tribueretur alteri, inuoluntariè mixtè sanè consentiret, non minus, imò plus, quàm qui ad vsuram pecuniam accipit, inuoluntariè mixtè consentit ac vult vsuras inde soluere. Atque tunc, si vtraque pars consentiat, quia res est valde perplexa, neque arbitri, aut arbitratores, munus suscipere volunt, nisi id eis integrum relinquatur, neque se astringere volunt ad multum examinis, & ad pericula conscientiæ, si illud non adhibeant, ac rem non vt oportet definiant, vel si partes, arbitris aut arbitratoribus id non petentibus, illis id offerant, vt promptiùs munus suscipiant, remque celeriùs definiant, ipsaque à molestiis & sumptibus liberent, idque arbitris aut arbitratoribus concedendo æquè se exponant periculo, vt de iure vnius tribuatur alteri, sanè tunc neque arbitri ad vllam restitutionem tenentur, neque illicitè quicquam faciunt, si non data opera, sed quia pro tunc id faciendum illis occurrit, suo arbitrio aut arbitramento aliquid de iure vnius partis alteri tribuant: neque pars, cui id adiudicatur, ad vllam restitutionem teneatur, estò postea intelligat, non tantùm fuisse sibi adiudicandum aut relinquendum: quoniam is contractus compromissi eo modo facti non gratuitus, sed onerosus fuit, ex parte vtriusque partis, & æqualis; cùm partes æquè se exposuerint periculo, vt eo arbitrio aut arbitramento auferretur de iure suo, & tribueretur alteri, & contractus simpliciter fuit voluntarius, quicquid ex illo postea sequeretur, vt disputatione 30 dictum est: quod autem ex contractu oneroso, & ex æquali, simpliciterque voluntario, sequatur vni partium effectus aliquis inuoluntarius mixtè, sanè neque inualidum reddit eum contractum, neque illum vitiat: sicut aliquid accipi contractu merè lucratiuo, in quo nullus alius iustus titulus interuenit, vt licitè possit accipi, quàm sola voluntas id dantis, vitiatur ac inualidus redditur, si in eo interueniat inuoluntarium mixtè, vt cernitur ex parte dantis in contractu, quo quis promittit ac postea soluit vsuras. Quod autem tunc nec arbitri vel arbitratores ad vllam restitutionem teneantur, ex eo etiam constat, quòd contractus ille compromissi in illos, ac acceptationis eius muneris, onerosus etiam est ex parte ipsorum, neque in vllum commodum ipsorum cedit, parteque libere simpliciter consenserunt, vt ita iudicarent, exponendo se æqualiter periculo ac commodo: quare ita iudicando nihil illicitum fecerunt, ac proinde quicquid inde alteri parti sequatur, ad nullam restitutionem ei tenentur: quia neque ex parte rei acceptæ, neque ex parte iniustæ acceptionis. Quòd si data opera, scienterque se auferre de iure vnius, id tribuerent alteri, tunc ad restitutionem eius damni tenerentur parti, à qua id ius scienter abstulerunt: quoniam in priori illo eius partis consensu non censetur is euentus comprehensus, eaque pars tunc si interrogata fuisset, num consentiret, vt eo modo scienter, dataque opera, de iure ipsius tolleretur, ac tribueretur alteri parti, neganter procul dubio responderet. Pars autem, cui ita iniquè id adiudicatum esset, si causa vt id ita ipsi adiudicaretur precibus aut alia ratione fuit, teneretur ante omnes alios id restituere tanquam concausa iniusta, ad quam id iniustum emolumentum deuenit. Quin, estò causa iniusta non fuerit, vt ita iniquè ei adiudicaretur, credo teneretur illud restituere, quando intelligeret iniquitate & iniustitia illa formali arbitrorum, aut arbitratorum, fuisse sibi adiudicatum, si extaret: si autem non extaret, attamen ex illo tempore talis scientiæ se in aliquo inueniret locupletiorem, teneretur id præcisè restituere, in quo se inueniret ex tali re locupletiorem. Ratio autem est, quoniam licèt non teneatur restituere ex parte iniustæ acceptionis, eo quòd concausa iniusta eius iniustitiæ non fuerit, neque id acceperit mala fide, sciens per eam formalem iniustitiam aliorum esse sibi adiudicatum: quia tamen per iniustitiam formalem ei adiudicatum ac tributum fuit, tenetur ex parte rei acceptæ illud restituere, secùs, atque si illud idem furto eorundem arbitrorum,

rum, aut arbitratorum, fuisset ab illa alia parte ablatum, sibique id ignoranti tributum.

7 Quando autem pars vna, ad vitandos sumptus ac molestias litium, ad suamque redimendam vexationem, consentiret, vt arbitri aut arbitratores scienter aliquid de iure ipsius tollerent, ac traderent alteri parti, quia fortè arbitri aut arbitratores aliter nolunt suscipere id munus, timentque odium alterius partis, aut quia aliter pars illa alia non cessabit à litibus ac molestiis, tunc arbitri aut arbitratores licitè id efficiunt, quantum intelligunt contentam esse partem, de cuius iure tollunt, nec proinde ad vllam restitutionem eius damni materialiter iniusti ei tenentur: quoniam volenti ac consentienti, non in commodum eorum, qui id de consensu illius efficiunt, sed quodam modo in bonum ita consentientis, quia ea ratione maiora vitat mala, nulla profectò à talibus arbitris aut arbitratoribus fit iniuria. Pars verò altera, cui de iure illius alterius ita tribuitur, restituere id tenetur parti, ad quam ita attinebat, si sciebat, aut scire debebat, suaque peruicacia ac ignorantia crassa & supina id non sciuit, quod ita ipsi adiudicatur, ad illum alium attinere. Neque enim potest iustum alium titulum in eo euentu obtendere, quàm consensus illo modo partis alterius: is verò consensus fuit inuoluntarius mixtè ad maiora mala vitanda, redimendamque propriam vexationem, qui proinde consensus insufficiens fuit ad priuandum se iure suo, ad illudque in illum alium transferendum.

Potrò eiusmodi euentus frequentior est, quando nullo præuio compromisso in arbitros, aut in arbitratores, aliqui accedunt ad amicabiliter componendas partes inter se discordes, tanquam mediatores ad id, dependenterque ex eo, quòd partes consentiant in tali concordia: de quo euentu sermo est. *l. apud Labeonem* (alias *l. si de meis*) *§. recepisse. vers. quòd si. ff. de recep. arb.* à nobisque disputatione 30 de eo est dictum. Quando enim eiusmodi mediatores aliter adducere non possunt partes ad concordiam, vni illarum suadent, vt patiatur in ea concordia detrimentum aliquod ad maiora damna vitanda: aut pars ipsa se offert ac consentit velle illud subire ad vitandas molestias & maiora damna. Cùm autem ea pars inuoluntariè mixtè in eo suo damno consentiat, certè partem alteram id non deobligat ab onere id detrimentum in se iniustum parti illi restituendum, quando sciebat, sciréve modo explicato debebat, id esse iniustum partis illius detrimentum. Hoc verò delictum cum onere restituendi frequens est in transactionibus, & in amicabilibus compositionibus, siue mediatores accedant ad partes componendas, siue partes se ipsas sine aliis mediatoribus componant, vnaque earum ad redimendam suam vexationem, & ad vitandas molestias & maiora mala, alteri de suo iure aliquid cedat, ea parte sciente aut scire debente ad se id non attinere.

8 Obserua, esse inualidum compromissum, quo aliquid in aliquem aut in aliquos compromittitur, eum aut illos astringendo, vt in iudicando aliquem aut aliquos consulant, eorumque consilium ac sententiam sequantur. Quoniam arbiter liber relinqui debet, vt id iudicet, quod sibi iustum ac æquum fuerit suum. Ita, habetur. *l. item si vnus. §. item Pomponius. ff. de recep. arb. & l. 26. titu. 4. part. 3.* Non tamen prohibentur arbitri consulere peritiores: imò verò expedit vt id ita efficiant, atque ad id astringi compromisso possunt: non verò vt illorum consilium ac sententiam sequantur, vt *lege 26* citata subiungitur.

Compromissum si solo pacto nudo fuit celebratum, consentientibus compromissariis, hoc est, arbitris, quousque partes compromittentes & arbitros obliget de iure ciuili communi, & de huius regni, & de canonico iure, sequuto & emologato arbitrio, aut illo nondum emologato vel sequuto.

Disp. 34.

SVMMARIVM.

1. *QVando compromissum solo pacto nudo fuit celebratum, neque pœna apposita neque stipulatione, ex iure communi ciuili ex illo non oritur obligatio ciuilis illud seruandi, nisi ex altera parte traditione sit impletum, & sic transeas in pactum vestitum.*
2. *Ex iure communi ciuili conceditur retinere, quod ex tali pacto nudo solutum acceptúmque est, ita vt ius ciuile actionem non concedat ad illud repetendum.*
3. *Compromissum, quo aliqui promittunt se stare arbitrorum sententiæ, pactum est nudum, interim dum a neutra parte quidquam est tributum alteri ratione eius pacti.*
4. *Sententia arbitrorum solam vim habet obligandi, quæ ex pacto & compromisso oritur, aut quam ius temporis progressu pacto dare voluerit.*
5. *Quid de obligatione pacti nudi veteres leges sanciant.*
6. *Arbitri licèt consentiunt in compromisso nudo, de iure ciuili communi cogi non possunt progredi vlteriùs in causa sibi commissa; si verò pœna apposita sit partibus consentientibus, cogi possunt in causa progredi.*
7. *In foro conscientiæ tam arbitri quàm partes debitum naturale contrahunt, si in causa non procedant, & ad arbitrium ferendum, licèt solo nudo pacto inter se compromiserint.*
8. *Quamuis de iure communi, vt sententia arbitri censeatur expresse emologata, necesse sit vt partes illi se subscribant, de iure tamen canonico satis est, si verbo aut quouis alio modo in eam sententiam consentiant.*
9. *In Hispaniis ex compromisso nudo debitum ciuile oritur, daturq; actio.*
10. *Compromissum ex nudo pacto obligat partes ad parendum præceptis arbitrorum rationabilibus concernentibus ad causæ expeditionem, nisi impedimentum iustum interueniat.*

Hac

HAc & sequentibus disputationibus est explicandum, quousque compromissum variis modis disputatione 32 explicatis celebratur, obliget partes compromittentes ad ea, quæ vt arbitrium proferatur sunt ex parte ipsarum necessaria, atque ad standum arbitrio iam prolato, & quousque arbitros, qui in eo compromisso consenserunt, munusque acceptarunt, obliget in causa progredi, illamque suo arbitrio ac sententia definire. Atque primo loco est dicendum, quando compromissum solo pacto nudo fuit celebratum, neque pœna apposita, neque stipulatione, neque item iuramento in eo adhibitis.

1 Vt verò rem hanc intelliges, obserua, quamuis ex pacto nudo obligatio naturalis ad illi standum illudque implendum oriatur, atque adeò contrahentes pacto nudo in conscientiæ foro teneantur illi stare, illudque implere; de iure tamen communi ciuili ex illo non oriri obligationem ciuilem, nec proinde dari actionem, qua contrahentes teneantur illi stare, illudque implere, nisi ex altera parte traditione sit impletum, atque adeò ea traditione ac impletione transeat ex parte illius in pactum vestitum. Tunc enim illi, qui impleuit, conceditur actio de iure ciuili aduersus alterum, quo implere non vult, vt vel cogat illum implere pactum ex sua parte; vel vt cogat illum soluere interesse, quantum eius, qui impleuit, intererat eum alterum ex sua parte impleuisse etiam pactum; vel vt condicat ac repetat, quod dedit: optioque est ex parte eius, qui ex parte sua pactum impleuit, agere aduersus alterum ad quod ex illis tribus maluerit. Hæc omnia explanata comprobataque à nobis sunt tractatu 2, disputatione 255. & disputatione 257, eaque de causa in illis hoc loco non ampliùs immoror.

2 Obserua deinde, quamuis de iure ciuili communi ex pacto nudo non oriatur ciuilis obligatio, nec detur actio; quia tamen ex illo oritur naturalis obligatio, atque adeò obligatio in conscientiæ foro, inde de eodem iure ciuili communi conceditur nihilominus retinere, quod ex tali pacto nudo solutum acceptumque est, ita quòd ius ciuile actionem non concedit ad illud repetendum. Item conceditur, vt si is, cui ex pacto nudo aliquid debetur, aliquid obligatione ciuili debeat illi eidem suo ex solo pacto nudo debitori, possit illud in exteriori foro compensare, ita vt cogi in exteriori ac seculari foro non possit plus soluere, quàm incrementum, si fortè ipse plus debeat ciuili debito, quàm ipsi naturali tantùm debito ex pacto nudo debeatur. Inde vlteriùs de eodem iure communi eidem conceditur, vt si aliquid ex pacto nudo iustè teneat, quod ex debito ciuili contendatur ad ipsum non pertinere, liceque ab eo exigatur, possit excipere ac opponere ex pacto nudo illud iustè retinere, neque locum iam eam litem circa id habere. Vnde naturale debitum ex solo pacto nudo, quamuis non pariat actionem ciuilem, parit tamen exceptionem de iure ciuili & in foro seculari. Hæc omnia explanata comprobataque à nobis sunt disp. 257 citata.

3 Tertiò obserua, vt disputatione 32 est ostensum, & ex dictis tractatu 2, disputatione 556 etiam constat, compromissum, quo aliqui in arbitros aut in arbitratores compromittunt, atque se astringunt stare illorum sententiæ, seu arbitrio, aut arbitramento, pactum esse nudum interim, dum à neutra parte quicquam est tributum ac traditum alteri ratione eius pacti. Id quod verum habet, non solùm dum arbitri aut arbitratores ad sententiam seu ad arbitrium aut ad arbitramentum non peruenerunt, sed etiam post sententiam ab ipsis prolatam, estò partes in illam consenserint; modò tamen nondum à partibus aliquid sit tributum ac traditum ad implerionem contractus.

4 Quartò obserua, sententiam arbitri, arbitramentumq; arbitratoris, quia nō procedunt ab habente iurisdictionem, sed solùm procedunt vi pacti & compromissi partium, nullam aliam vim habere obligandi, quàm illam, quæ ex pacto & compromisso partium oritur, aut quam ius temporis progressu tribuere voluit pacto & compromisso consentientibus partibus in sententia, aut reducto iam arbitrio ad æqualitatem in euentibus, in quibus id locum habet.

5 His ita constitutis, intelliget res hæc aliquin perobscura ac inuoluta. Quando compromissum in arbitrum erat pactum merè nudum non vallatum stipulatione nec iuramento, nullaque illi erat apposita pœna, qui ei compromisso & sententiæ arbitri non staret, quondam de iure ciuili communi, sequuta arbitri sententia, si lata quidem erat pro reo, qui in possessione erat eius, de quo contendebatur, solùm concedebatur ei exceptio aduersus actorem, si coram iudice ordinario vellet cum eodem reo postea de eadem re contendere, eámve ab eo exigere, quòd scilicet præcedente pacto compromissi nudo iam illi ab arbitro erat adiudicata, eoque modo se is reus tuebatur coram quocunque iudice ea exceptione. Si verò sententia lata erat pro actore contra reum, tunc nulla actori competebat actio vi eius sententiæ contra reum nollentem illi stare, neque soluere ac tradere, quod ea sententia actori adiudicatum erat, idque estò is actor consensisset in sententia. Ratio autem erat, quoniam ex pacto nudo nulla resultat obligatio ciuilis, neque datur actio de iure ciuili, sed solùm resultat obligatio naturalis, & datur exceptio ac compensatio de eodem iure ciuili. Ita habetur *expresse. l. penult. in prin. C. de recept. arb.* & consentiunt. *l. 1. eod. titu. & l. litigatores*, iuncta glossa ibi, & iuncta *glossa. 1. l. 2. ff. eod. titu.* Postea verò de eodem iure ciuili eadem. *l. penult. C. de recep. arb.* fuit sancitum, vt quemadmodum ex compromisso solo pacto nudo celebrato non datur actio de iure ciuili subsequuta sententia arbitri, sic neque concederetur exceptio ex eodem pacto nudo subsequuta solùm sententia. Sancitum tamen fuit, vt si subsequuta sententia partes in illam expressè consentirent se illi subscribendo, aut etiam tacitè

citè consensissent, quia videlicet intra decem dies postquam fuit lata, neque coram iudice arbitro, neque coram parte contraria dixerunt, se nolle illi stare (quæ duo à iure & à doctoribus dicuntur emologare, hoc est, approbare tacitè vel expresè sententiam) ex tunc, & reo competeret exceptio, si pro ipso sententia esset lata, & actori competeret actio in factum, atque perinde à iudice ordinario rei ea sententia mandaretur exequutioni, atque si à iudice ordinario aut delegato fuisset lata, transiissetque in rem iudicatam. Idem habetur. *l. vlt. titu. 4. part. 3. & 3. lib. Lusita. ord. titu. 81. §. 2.*

6 Quemadmodum ex solo pacto nudo compromissi, etiam sequuta sententia, non coguntur partes de iure ciuili stare compromisso ac sententiæ arbitri, sed impunè ac libere omnino possunt illi non parêre, nisi hodie de iure nouissimo legis *penult. C. de recep. arb.* sententia sit per partes ipsas tacitè aut expresè emologata: appositа verò in compromisso pœna, si partes non stent compromisso ac sententiæ, tenentur pars vtraque illi stare, alioquin incurrunt eam pœnam, vt disputatione sequenti dicetur: ita arbitri licèt consentiant in compromisso facto solo pacto nudo, nullaque in eo appositа pœna, munusque suscipiant, de eodem iure ciuili communi cogi non possunt progredi in causa ipsis commissa, arbitriumque proferre: Si verò pœna sit appositа partibus non stantibus arbitrio, cogi à iudice ordinario ad partium aut ad partis petitionem possunt in causa progredi, arbitriumque proferre. Atque idem est, si partes pignora dederint, quòd arbitrio stabunt: nam tunc illa in pœnam amittent, nisi arbitrio stent. Idem credo esse, si fideijussores dedissent, quòd arbitrio & compromisso starent: eo quòd, vt disp. 257 citata iuxta *l. fideijussor. §. fideijusor. ff. de fideijussorib.* est dictum, quamuis ex pacto nudo non detur actio de iure ciuili aduersus pacisentes ipsos, datur tamen aduersus fideijussores datos, quòd partes id pactum implebunt, quibus fideijussoribus recursus manet aduersus pacisentes ipsos ad damna ex eo ipsis sequuta, quòd ei pacto nudo non steterint. Prædicta habentur *l. litigatores. §. arbitrum*, iuncta glossa ibi, & §§. sequentibus, & *l. non distinguamus. §. non cogetur. ff. de recep. arb.* Consentiunt *l. 23. 26. & l. vlt. iuncta. l. 29. titu. 4. part. 3.* Atque l. 29. citata ait, iudicem ordinarium posse cogere arbitros proferre arbitrium, quando ad id tenentur, & iussi ab eo nolunt, includendo illos in domo aliqua, à qua non egrediantur, donec arbitrium ferant: ibique Greg. Lopez ex Baldo refert, posse prohibere cibum ac potum eis præberi, donec arbitrium ferát. Sub certa etiam arbitraria pœna posset eis præcipere, vt intra certum terminum arbitrium proferrent, quam incurrerent, nisi intra id tempus sua culpa id opere implerent.

Compromissum quoq; pacto nudo erit sufficienter celebratum, vt arbitri cogi possint arbitrium proferre, si partes ex aliis causis mutuò sibi debebant vna aliquid alteri, & hæc alia aliud illi alteri, atque compromittant pacto nudo causam aliquam in arbitrum, cum pacto etiam nudo, vt quæ pars arbitrio ac sententiæ non paruerit, amittat alteri parti id aliud debitum. Ita habetur *l. litigatores. §. interdum. ff. de recep. arb.* tunc enim pœna illa non parenti sententiæ censetur appositа: atque si quæ earum partium sententiæ non pareat, ac petat suum id aliud debitum, exceptio non competit alteri parti, se non teneri illud soluere ex illo alio pacto nudo, quo non parendo sententiæ arbitri, illud debitori amisit.

Quamuis de iure ciuili communi partes, solo pacto nudo compromittentes in arbitros absque pœnæ adiectione, debitum ciuile non cõtrahant ad standum compromisso ac sententiæ, nisi per ipsas tacitè aut expresè sententia sit emologata, nec proinde ad id aduersus eas de eodem iure ciuili communi detur vlla actio, quamuis item de eodem iure ciuili communi arbitri tunc, qui in eo compromisso consenserunt, munusque id acceptarunt, nullum similiter debitum ciuile contrahant ad procedendum in causa, & ad arbitrium ferendum, nec proinde ad id de eodem iure ciuili communi cogi à iudicibus ordinariis possint: in foro tamen conscientiæ, tam partes quàm arbitri, debitum naturale quo ad ea omnia contrahunt sub culpa lethali aut veniali, pro qualitate rei, ad quam ita tenentur, vt ex dictis tractatu 2, disputatione 257 citata perspicuè constat, eaque ratione sub eadem culpa tenentur in conscientiæ foro stare sententiæ arbitri, si iniusta deprehensa non fuerit, ab illaque non redamnare. 7

Ea autem ratione de iure canonico, tam partes, quàm arbitri, in eo euentu debitũ simpliciter in exteriori foro ecclesiastico contrahunt ad illa omnia, daturque tam aduersus partes compromittentes, quàm aduersus arbitros actio, vt illa omnia impleant, vt ex ipsamet rei natura atque in foro conscientiæ tenentur, idque etiam habet locum in terris ecclesiæ in causis secularibus, vt hæc omnia ex dictis disputatione 257 citata constant, iunctis iis, quæ disputatione 556 dicta etiam sunt.

Hostiensis, vt refert *Panor. c. per tuas de arb. n. 8.* quod dictum est de iure canonico, locum etiam habere affirmat de iure ciuili communi. Ducitur *l. diem proferre. §. vlt. ff. de recep. arb.* quo in loco, nulla de stipulatione facta mentione, ita habetur: *Sed si pœna non fuisset adiecta compromisso, sed simpliciter sententiæ stari quis promiserit, incerti aduersus eum foret actio.* Vbi glossa exponit, id est, condictio certi, quæ datur ad incertum, id est, ad interesse. Est verò ea Hostiensis opinio singularis contra communem doctorum sententiam, illeque textus communiter exponitur interueniente stipulatione in compromisso, ex qua ea actio resultat. Euidentissimè autem probatur, eam sententiam falsam esse, paragraphumque illum esse intelligendum, non quando compromissum celebratum fuit pacto nudo, sed quando in eo interuenit stipulatio: quoniam. *l. penult. C. de recep. arb.* perspicuè affirmat, ante ipsam non

non dari de iure ciuili actionem ex compromisso solo pacto nudo celebrato, sententiaque arbitri subsequuta: lex autem ea penultima lata fuit post omnes alias Digestorum, quin & post antecedentes omnes Codicis in eo titulo.

8 Illud est obseruandum, cum *Panor. c. per tuas* citato *num. 9.* & cum communi doctorum sententia, quamuis de iure communi ciuili, vt sententia arbitri censeatur expressè emologata, necesse sit partes sese illi subscribere, vt constat ex. l. ne in arbitris. §. vlt. & ex. l. penult. C. de recep. arb. supraque dictum est, (idem non dubito esset, si publico instrumento illud consensissent) de iure tamen canonico satis ad id esse, si verbo aut quouis alio modo in eam sententiam consentiant, consentit. *c. per tuas* citatum, illis verbis; *si ex parte plebani arbitrium receptum fuerit*; & affirmant Host. & Anton. à Bart. quos Panor. refert ac sequitur, cæterique doctores communiter: quoniam de iure canonico ea subscriptionis solemnitas non exigitur. Imò verò esto sententia aliàs esset nulla, quia procurator sine sufficiente ad id commissione celebrasset compromissum, nihilominus si sententia approbaretur à parte, cuius ille erat procurator, censeretur emologata: quoniam eo ipso ea pars censeretur ratum habere antecedens compromissum, vt habetur eodem *c. per tuas* citato; in hoc autem regno etiam de iure partitarum, vt in seculari foro sententia arbitri expressè censeatur emologata, non requiritur partes illi se subscribere, sed satis est, quòd in illa apertè quouis modo consentiant, vt patet. *l. vlt. titu. 4. part. 3.* illis verbis: *Mas si lo tuuießen las partes por bueno, diziendo quando auian iudgado, que se pagauan del juizio, o escriuiendolo por su manos la carta de la sentencia, que la confirmauan, tal sentencia como esta deue valer.*

9 In hoc autem regno ex compromisso solo pacto nudo facto debitum ciuile oritur, daturq; ciuilis actio ad ea omnia, ad quæ de iure canonico est dictum ex eodem cõpromisso actionem dari in foro ecclesiastico, & in terris ecclesiæ. Ratio autem est, quoniam in hoc regno, iuxta. *l. 3. titu. 8. lib. 3. ord.* quæ est. *l. 2. titu. 16. lib. 5. nouæ collect.* non minùs ex pacto nudo oritur debitum ciuile & datur actio, quàm si vallatum stipulatione esset, & propter illam in contractum transiisset nominatum, vt tractatu 2, in calce disp. 257, & quo ad rem præsentem disputatione 556 dictum explanatumque est.

10 Diximus ac ostendimus, compromissum solo pacto nudo celebratum iure naturali atque in conscientiæ foro obligare; non verò de iure ciuili communi in foro exteriori, nisi arbitrium sit iam latum, atque expressè aut tacitè sit emologatum. Diximus item de iure canonico, & de iure huius regni, etiam in exteriori foro obligari. Petes, ad quid partes obliget ante latum arbitrium, tam quando eo modo fuerit confectum compromissum, quã quando adhibitæ fuerint in eo maiores firmitates, de quibus sequentibus disputationibus erit sermo. Infrà verò suo loco dicetur, ad quid obliget post arbitrium latum. Dicendum autem est, obligare partes ad parendum præceptis arbitrorum rationabilibus ac iustis concernentibus ad causæ expeditionem, nisi iusta causa superueniat impedimenti sufficientis; quæ partem id non adimplentem excuset. Atque si in compromisso apposita fuit pæna non stanti cõpromisso, eo ipso talis pæna incurritur, quòd præcepto iusto arbitrorum absque causa sufficiente non obeditur, & quando pæna non fuit apposita, agi aduersus eum potest ad interesse, perinde atque quando non statur aliis contractibus & obligationibus, vt, iuxta. *l. si quis alio. ff. de re ind. l. 1. C. de sententiis quæ pro eo, & l. stipulationes non diuiduntur. §. Celsus. ff. de verb. obligationib.* affirmat *Ioan. Bap. lib. 5. de arb. c. 1.* Ratio autem cur ita partes eiusmodi arbitrorum præceptis parêre teneantur, est. Quoniam, præterquam quòd in compromisso solet exprimi, quòd stabitur arbitrio & sententiæ arbitrorum, & quòd compromittentes parebunt præceptis eorum quo ad necessaria ad causæ expeditionem, (quæ forma traditur. *l. 23. titu. 4. part. 3.* illis verbis; *è sobre todo deuen prometer de guardar è de obedecer el mandamiento è los juizios, que los auenidores fizießen*) id ipsum sanè habet natura compromissi in arbitros, & munus, quod eo compromisso illis tribuitur & ab ipsis acceptatur. Vnde, vt bene *Ioan. Bap. lib. 5. de arb. c. 1.* ait, licèt neutra pars cogi possit vt litiget, hoc est, vt partem suam defendat, & vt probationes adhibeat, cogi tamen potest, vt temporibus necessariis compareat, neque in iis deficiat, quæ vt arbitri sententiam congruo tempore validè pronuncient, necessaria sunt. Hæc & ex se constant, & ex. *l. diem proferre. §. si quis litigatorum. ff. de recep. arb.* cuius verba sunt: *Si quis litigatorum defuerit, quia per eum factum est quominus arbitraretur; pœna committetur.* Et infrà: *Pœna autem is, qui defuit, committit, quia per eum factum est, quominus arbitraretur.* Constant item ex. *l. 2. C. eod. titu.* quæ ita habet: *Si contra compromissum aduersarius tuus apud electum arbitrum præsentiam sui facere detrectauit, placitæ pœnæ videtur obnoxius.* Constant præterea ex *l.* si cum dies. §. compromisso. ff. eod. titu. & ex. l. 33. iuncta. l. 34 sequenti, titu. 4. part. 3. Pœna autem exequutioni mandari debet per ordinarium iudicem eius, qui illam incurrit: sicut & per eundem eius ordinarium compelli debet, vt præscriptis iustis arbitrorum pareat, quando contumax fuerit, atque in euentibus, in quibus in foro exteriori ad id, iuxta ea quæ dicta sunt, actio seu compulsio datur.

Per iudicem etiam ordinarium arbitrorum compelli arbitri debent procedere in causa, & ferre arbitrium, quando ad id, iuxta hactenus dicta, & in sequentibus dicenda, tenentur, & actio seu coactio ad id in foro exteriori conceditur. Semper enim actor forum rei sequi debet.

A

Si compromissum in arbitros stipulatione sit vallatum, aut etiam in eo, vel in compromisso pacto nudo celebrato, si apposita fuit pœna, quousque arbitros & partes obliget, sequuto & emologato. Et quousque appellare ab arbitrio liceat, aut non liceat de iure ciuili, canonico huius regni, & Lusitano, hæc examinantur.

Disp. 35.

SVMMARIVM.

B

1. QVando compromissum in arbitrum stipulatione fit, arbiter cogitur progredi in causa, & suam tempore congruo sententiam ferre.
2. Quando compromissum stipulatione vallatum est, & lata per arbitrum fuit sententia, de iure communi ciuili parti, quæ vult illi stare, in cuius q. fauorem lata est, conceditur actio aduersus alteram ei parère nolentem.
3. De iure canonico & Hispanico, etiam si solo pacto nudo compromissum celebratum fuerit, competit parti, in cuius fauorem sententia ab arbitris lata est, actio aduersus alteram parère nolentem, modò sententia manifestè iniqua non sit.

C

4. De iure communi à sententia arbitri non admittitur appellatio, siue in compromisso pœna fuerit apposita, parti, quæ illius sententiæ non steterit, siue non, de iure tamen Lusitano, estò partes sub compromisso obligauerint se sententiæ stare, potest pars, quæ ea se sententia grauatam sensit, ab ea appellare, neque ideo pœnam incurrit.
5. In Hispania latæ sententiæ statim executioni mandantur, Bartolus tamen nonnihil relaxat.
6. Quando post sententiam ab arbitro latam appellandum est, ad quem iudicem appellandum sit.
7. Non est appellandum ad iudicem arbitro superiorem, si is diuersus à iudice pacti non sit.

D

8. Appellandum est ad iudicem rei, qui ab arbitri sententia appellat: quoniam ille futurus est executor sententiæ arbitri, secùs in Lusitania & Hispania olim fiebat.
9. Postquam à sententia arbitri appellatum est ad iudicem ordinarium, potest pars ea appellatione grauata vlteriùs ad alium iudicem appellare.
10. Renuntiari in compromisso non potest petitio reductionis arbitri ad æqualitatem arbitrio prudentis.
11. Quando compromissum pacto nudo fuit, tunc stando in solo iure ciuili communi, si secuta fuit

E

emologatio expressa sententiæ arbitrorum, mandanda est executioni, nihil impediente quòd dãnatus velit soluere pœnam, & non stare sententiæ semel à se expresè emologatæ.
12. Sed si secuta fuerit emologatio sententiæ arbitrorum tacita solum lapsu decem dierum, in quibus ab ea non fuit reclamatum, tunc integrum est damnato ea sententia soluere pœnam, eaq. solutione non stare arbitrorum sententiæ, & impedire eius executionem.
13. Cum emologata tacitè est sententia, non secùs atque si in compromisso adhibita non fuisset pœna, sententia mandanda est integrè executioni.
14. Quando compromissum stipulatione fuit vallatum, & apposita fuerit pœna contrauenienti sententiæ, tunc si apposita nõ fuit clausula, rata manente sententia de iure communi, si is, qui ea fuit damnatus, expresè illam emologauit, victor agit ad sententiæ executionem, si victus eam implere moretur.
15. Quando compromissum stipulatione vallatum fuit, & secuta fuit emologatio tacita lapsu dierum decem aut quinque in regno Hispaniæ, in quibus ab ea non fuit reclamatum, tunc de iure regni Hispanici ac Lusitanici non admittitur appellatio ab ea sententia, mandabiturq. executioni in Hispania, & de iure ciuili communi.
16. At quãdo sententia ab arbitris est lata, & nec expresè nec tacitè emologata, sed reclamata esset ante dies decem elapsos, & in Hispania ante quinque, tunc in Hispania & Lusitania admitteretur appellatio ab illa ad iudices ordinarios, & nihilominus in Hispania executioni mandaretur.
17. Quando compromissum stipulatione esset vallatum apposita pœna non stanti compromisso ac sententiæ, additaq. esset clausula, rato nihilominus manente compromisso; tum secuta sententia, & emologata expresè de iure ciuili communi, agitur solum ad sententiæ executionem, si damnatus sit in mora eam adimplendi, & non ad pœnam.
18. Quando compromissum similiter & cum eadem clausula esset celebratum, secutaq. arbitrorum sententia, tacitè esset emologata, quia intra decem dies illi non esset reclamatum, nec ab ea esset appellatum, tum de iure regni Hispanici & Lusitani non admittetur appellatio a tali sententia, sed executioni mandabitur.
19. Quando compromissum eodem modo esset celebratum, secutaq. arbitrorum sententia, nec tacitè aut expresè esset emologata, sed reclamata esset ante decem dies, tunc in Hispania & Lusitania admitteretur ea reclamatio & appellatio, & in Hispania nihilominus executioni ea sententia mandaretur.
20. Obseruanda nonnulla circa hoc.

QVando compromissum in arbitrum stipulatione fuit vallatũ, arbiter cogitur progredi in causa, & arbitrium seu sententiam congruo tempore ferre. Ita intelligunt glossa ibi cum Ioanne, & doctores communiter, *legem diem proferre. §. vlt. ff. de recep. arb.* dictumque præcedente disputatione exparte est. Est item ratio manifesta, cur ita dicendum omnino sit: quoniam idcirco arbitri de iure ciuili communi, quando compromissum celebratum fuit solo pacto nudo, nec fuit apposita aliqua pœna, non coguntur progredi in causa, nec proferre sententiam, quoniam partes tunc de eodem iure communi nec progredi in causa nec parère sententiæ coguntur, sed vtrumque libere & impunè possunt omittere: atque ne opera & sententia arbitrorũ frustrarẽtur, non coguntur arbitri de iure communi progredi in eo euentu in causa & sententiam ferre: quando autem compromissum à partibus stipulatione fuit vallatum, eaque ratione

1

ne transire in contractum nominatum fuit effectum, quia vires eo ipso ex disposition iuris ciuilis communis habet ad partes ciuiliter obligandum, vt in ea causa progrediantur, & vt pareant arbitrorum sententiæ, quæ perspicuè deprehensa non fuerit iniusta, idque longè magis, quàm quando compromissum fuit celebratum solo pacto nudo, appositáque fuit pœna; quoniam in hoc posteriori euentu partes, soluendo pœnam, nec in causa progredi coguntur, nec stare sententiæ, vt ex dicendis patebit; in illo verò alio priori vi stipulationis tenentur omnino progredi in causa, & stare sententiæ, & ad vtrumque in foro exteriori actio coram iudicibus ordinariis datur; inde efficitur, vt quando compromissum stipulatione fuit vallatũ, arbitri in causa cõgredi cogantur, & sententiam ferre. Quando ergo iura, tam ciuilia communia quàm partitarum, dicunt, nisi in compromisso pœna sit apposita, arbitros non cogi progredi, neque sententiam ferre, aut compromittentes non cogi progredi in causa, vel parêre sententiæ, sermo vtique est de pacto nudo compromissi; eo quòd compromissum in se sit pactum nudum: non verò illis est sermo, quando vallatum est stipulatione, rationeque stipulationis transit in contractum nominatum: quoniam non intendunt à contractu illo stipulationis auferre vim, quam iure ciuili habet, vt ex illo obligatio ciuilis oriatur, actióque ciuilis concedatur ad ea omnia, quæ sub eo contractu cadunt, iuxta ea quæ *tractatu. 2. disp. 253, 255, 256.* & aliàs sæpe dicta sunt. Et quoniam de iure canonico, & in hoc regno, pactum nudum eandem vim habet ad obligandum ciuiliter, & vt ex eo actio concedatur, quàm habet si stipulatione sit vallatum, vt disputatione præcedente & tractatu 2. disp. 257 & aliàs sæpe dictum est, ea vtique omnia, quæ de compromisso vallato stipulatione dicemus, vim habent in foro ecclesiastico, in terris ecclesiæ, & in hoc regno, quando compromissum solo pacto nudo fuit celebratum, vt disputatione præcedente ex parte etiam est dictum.

Quibus arbitrorum præceptis in calce disputationis præcedentis dictum est, partes iure naturali, canonico, atque huius regni, teneri parêre ante latam sententiam, & ad id posse cogi in foro ecclesiastico, & in seculari huius regni, estò compromissum celebratum sit solo pacto nudo, neque vallatum sit stipulatione, aut iuramento, neque in eo apposita sit aliqua pœna, eisdem sanè de iure ciuili communi parêre tenentur, si compromissum stipulatione sit vallatum, atque vi eiusdem iuris ciuilis communis ad id cogi possunt in foro seculari: quoniã partes ad id eo compromisso se astringunt, vt in calce disputationis præcedentis explanatum est, vique stipulationis, qua vallatur eodem iure ciuili communi debito ciuili, & non solùm naturali, ad id iam tenentur: quippe cùm ad parandum illis omnibus præceptis se extendat is contractus ac stipulatio.

2 Quando compromissum stipulatione fuit vallatum, lataque per arbitrum fuit sententia, de iure ciuili communi parti, quæ vult illi stare, in cuiusve fauorem lata est, conceditur actio aduersus alteram illi parêre nolentem, vt illi pareat, & soluat, quantum sua eius, in cuius fauorem lata est, intererat eam alteram partem illi paruisse. Ita habetur *l. diem proferre. §. vlt.* iuncta *glossa ibi. ff. de recep. arb.* & affirmant *Greg. Lopez l. vlt. titu. 4. part. 3.* verb. *E no sera despues.* (qui tandem cum Host. & *Panor. c. per tuas de arb. n. 8.* annuit eam actionem ad ea omnia se extendere) & doctores communiter, de quorum numero est Ant. à Butrio à Panor. ibidem citatus. Probari etiam potest, quoniam stipulatio est legitimus contractus nominatus, ex quo de iure ciuili communi resultat ciuilis obligatio, debitúmve ciuile, ad id omne, ad quod quis se eo obligauit, daturque ex eo actio ad illius integram impletionem, & in defectum impletionis ad interesse, vt *tractatu 2. disp. 253, & 255,* & aliàs sæpe ostensum est: eo autem compromisso stipulatione vallato partes se astrinxerunt sententiæ arbitri stare. Cùm verò de iure canonico, & de huius regni, post. *l. 3. titu. 8. lib. 3. ord.* quæ est *l. 2. titu. 16. lib. 5. nouæ collect.* tantam vim ad ciuiliter obligandum, & vt ex illo actio in foro exteriori concedatur, habeat compromissum celebratum solo pacto nudo, quantam haberet, si stipulatione esset vallatum; cõsequens profectò est, vt hæc, quæ de compromisso stipulatione vallato dicta sunt, similiter in foro ecclesiastico, in terris ecclesiæ, & in hoc regno locum habeant, etiam si solo pacto nudo, sine pœnæ adiectione, celebratum sit, idque affirmat Greg. Lopez verb. *E no sera despues*, citato.

3 Quod dictum est, eam scilicet actionem competere parti, in cuius fauorem sententia ab arbitris lata est, aduersus partem alteram, quæ non vult illi parêre, quando compromissum stipulatione fuit vallatum, & de iure canonico & huius regni, etiam si solo pacto nudo fuerit celebratum, intelligendum est, modò sententia non contineat manifestam iniquitatem ac iniustitiam, vt si esset contra ius apertum, aut manifestam inæqualitatem contineret, vel aliquid contra bonos mores præciperet, aut lata esset dolo, falsíque probationibus vel corruptis arbitris pecunia, aut alia re, etiam precibus: in his enim euentibus, quamuis de iure ciuili communi, atque etiam canonico, propriè ab eis arbitris non concedatur appellatio, effigies tamen quædam appellationis parti ea sententia grauatæ conceditur, dum illi de eodem ciuili iure communi & canonico conceditur doli exceptio aduersus partem, à iudice ordinario exequutionem eius sententiæ petentem, impletionemque eius compromissi contractus, vt habetur *l. non distinguamus. §. cum quidam.* vers. & *idem. ff. de recep. arb.* quo in loco sermo est, quando ab arbitro, qui antea legitimè à parte tanquam suspectus fuerat recusatus, lata est sententia: ait enim ibi imperator, effigiem appellationis concedi aduersus eam sententiam, dum aduersus illam conceditur doli mali exceptio. Quæ similiter exceptio competeret, si sententia lata esset de re compromisso minimè comprehensa. Quod autem in his omnibus euentibus effigies appellationis exceptióque ac reclamatio aduersus eam sententiam parti ea grauatæ competat, constat

ſtat ex *l. 3. C. de recep. arb. ex. c. 2. de arbit.* ex *l. diuus. ff. de re iud. C. ſi ex fal. inſtrum.* per totum, ex. *l. ita demum* iuncta *l. ſi cum dies §. compromiſſo. ff. de recep. arb.* & ex *l. 34. titu. 4. part. 3.*

4 Quamuis de iure communi à ſententia arbitrorum non admittatur appellatio, ſiue in compromiſſo pæna fuerit appoſita parti, quæ illorum ſententiæ non ſteterit, ſiue non, vt conſtat. *l. 1. C. de recep. arb.* & *l. vlt. titul. 4. part. 3.* quia illa, quatenus ſententia, vim non habet obligandi, ſed ſolùm vis obligandi vt illi ſtetur, prouenit ex compromiſſo, ac pæna in illo appoſita; de iure tamen Luſitano, eſtò partes compromiſſo ſub certa pæna ſe obligauerint ſententiæ ſtare, & ſub pæna ab illa non appellare, & quòd quamuis pænam ſoluerent, ſententiæ nihilominus ſtaretur, poteſt nihilominus pars, quæ ea ſententia grauatam ſe ſenſerit, his omnibus nihil impedientibus, ab ea ſententia appellare, neque idcirco pænam incurrit. Atque ſi arbitri eam appellationem illi denegauerint, iudices ordinarii compellunt eam illi concedere; ordinatio habet *façam lhadar os juizes* ordinarios vel compellendo arbitros, vt illam eis dent, vel eam illis per ſe ipſos dando. Si tamen iudices, ad quos fuerit appellatum, ſententiam arbitrorum confirmauerint, tunc, qui ſententiæ arbitrorum non paruit, ſed ab ea appellauit, ſoluet parti, in cuius fauorem ſententia fuerat lata, pænam, ſi quę in compromiſſo fuerat ei appoſita, qui arbitrorum ſententiæ non parêret: quandoquidem ſub ea pæna ſe obligauerat ei ſententiæ non contrauenire: atque compertum eſt malè ab ea appellaſſe, illiſque malè contrauenisſe, iudicibus appellationis approbantibus ac confirmantibus arbitrorum ſententiam. Et quamuis partes in compromiſſo renuncient ei Luſitanæ legi, quæ appellare, nihil illis omnibus impedientibus, ab arbitrorum ſententia permittit, inualida eſt talis renunciatio, poteſtque pars grauata, nihil impediente ea renunciatione, ab ea ſententia appellare. Hæc omnia habentur *lib. 3. Luſit. ord. titu. 81. in prin.* Quando autem ita eſt appellatum à ſententia lata à iudicibus arbitris, probationes, tam teſtibus quàm ſcripturis, à partibus coram iudicibus arbitris exhibitæ, fidem faciunt coram iudicibus appellationis, ſicut eam fecerant coram iudicibus arbitris. Cæterùm ſi pars aliqua rationem aliquam propoſuiſſet, ob quam appareat teſtes non in forma debita fuiſſe coram iudicibus arbitris interrogatos ac examinatos, tunc iudices appellationis efficient, vt in forma conſueta interrogentur ac examinentur, aliterque inualida erunt illorum teſtimonia coram iudicibus appellationis. Si tamen aliqui eorum teſtium fuerint iam defuncti, tunc eorum teſtimonia eandem fidem coram iudicibus appellationis efficient, ac ſi per eoſdem iudices appellationis iterum eſſent examinati. Hæc habentur ibidem §. 1.

5 In hoc autem regno, vt habetur *l. 4. titul. 21. lib. 4. nouæ collect.* ſententiæ latæ *por los jueżes arbitros iuris que determinaſſen conforme à derecho, o por los jueżes arbitros arbitradores,* A mandantur exequutioni ſtatim ac latæ ſunt, eſtò reclamentur, aut petantur reduci ad æqualitatem ad arbitrium prudentis viri, idque ſiue pæna reclamanti in compromiſſo fuerit appoſita, ſiue non, & nihilominus admittitur reclamatio ac appellatio, vt cum Bart. Bal. & Panor. conſentaneè ad legem 4 citatam ait *Gregor. Lopez. l. vlt. gloſſa. 1. titu. part. 3.* eſſe admittendam. Sub forma tamen, quam ſubiiciemus, in ea lege 4 præcipiuntur eiuſmodi ſententiæ mandari exequutioni, non obſtante reclamatione & appellatione ab eis, & nihilominus reclamatio & appellatio admittitur. Cùm verò neceſſitas eius diſpoſitionis in ea lege eſſet propoſita ac explicata, ſic in ea ſubiungitur: *Porende quiriendo en ello prouecer y prouejendo, mandamos, que luego que la tal ſentencia arbitraria fuere dada, de que la parte pidiere execucion, ſe execute libremente, pareciendo y preſentandoſe el compromiſſo y ſentencia ſignada del eſcriuano publico* (Idem credo eſſet, ſi pars contraria confiteretur præceſſiſſe compromiſſum, & ſequutam eſſe talem ſententiam, iuxta ea quæ duabus præcedentibus legibus ibidem habentur: & quoniam id ſufficit ad obligandum in hoc regno, & vt debitum ciuile oriatur, ac detur actio. Atque idem eſſet, ſi teſtibus, aut aliter, illa eadem ſufficienter eſſent iam probata, pronunciatumque eſſet ſententia, quæ in rem tranſiiſſet iudicatam, illa omnia anteceſſiſſe). *y pareciendo que fue dada dentro del termino del compromiſſo, y ſobre las coſas ſobre que fue comprometido, y que la parte ſea ſatisfecha de aquello ſobre que fue ſentenciado en ſu fauor, haziendo obligacion, y dando fianças llanas y abonadas ante el juez, ante quien ſe pidiere, o ouiere de executar la ſentencia, y de tornar y reſtituir lo que ouiere recebido por virtud de la tal ſentencia con los frutos y rentas, ſegun que fuere condenado, ſi la tal ſentencia fuere reuocada. Y ſi la otra parte ouiere reclamado o reclamare, o pedido o pidiere reduction y aluedrio de buen varon, o fecho o fiziere de nulidad, o por otro remedio o recurſo alguno, ſi la tal ſentencia arbitraria fuere confirmada por el preſidente y oydores, que de la tal ſentencia confirmatoria no aya mas ſuplicacion, ni nulidad, ni otro remedio alguno. Pero ſi por juez inferior fuere confirmada, que pueda apelar para ante el preſidente y oydores, para que ſentencien en ello. Y ſi fuere confirmada, no aya mas grado. Y ſi fuere reuocada por el preſidente y oydores, que de la tal ſentencia reuocatoria ſe pueda ſuplicar para ante ellos miſmos, quedando en ſu fuerça la execucion haſta que ſe de ſentencia en reuiſta. Y que aquellas fianças ſean auidas por baſtantes, quales à los dichos jueżes, que an de executar la dicha ſentencia, pareciere que lo ſon. Y que de lo que à los dichos jueżes pareciere, y declararen ſobre eſto de las fianças, no pueda ſer ſuplicado ni apleado. Y eſto miſmo mandamos que ſe haga y execute en las tranſactiones, que fueren hechas entre partes por ante eſcriuano publico. Y mandamos, que los del nueſtro conſejo que den y libre nueſtras cartas para todos los cõcejos y perſonas ſingulares, que las pidieren.* Hoc verò, quod de tranſactionibus in hac lege diſponitur, adiunge dictis tractatu 2. diſp. 556. Credo

do autem in hoc regno, quando pœna fuisset apposita contrauenienti sententiæ, si à tali arbitrorum sententia esset appellatum, confirmataque esset sententia à iudicibus appellationis, tunc & exequutionem antea factam vi legis 4. relatæ suam vim habere, & appellantem ac contrauenientem sententiæ incurrere pœnam illam conuentionalem, cogendumque esse eam soluere, propter rationem, qua id de iure Lusitano est dispositum: in quo non nouum ius, sed explanatorem iuris communis arbitror contineri. Hoc tamen ita intellige, quòd si in compromisso, in quo ea pœna fuit apposita, addita fuit clausula, rata nihilominus manente sententia, vtrumque exigatur ac soluatur: si verò talis clausula non fuit apposita, victor agere possit vel ad sententiæ exequutionem & interesse, vel ad pœnam optione eius, & insuper ad incrementem vltra pœnam, si interesse erat maius, quàm pœna, iuxta ea quæ infrà dicenda sunt, quando compromissum stipulatione erat vallatum, in eo similiter erat pœna apposita non statim sententiæ arbitrorum. Suprà dixi, iuxta legem 4 citatam, sententiam arbitri aut arbitratoris mandari exequutioni in hoc regno, & nihilominus admitti reclamationem & appellationem ab ea. Atque addidi, vt cum Bart. Bal. & Panor. consentaneè ad legem 4 citatam, ait *Greg. Lopez. l. vlt. glossa. 1. titu. 4. part. 3.* esse admittendam. Hæc vt in maiorem lucem huius materiæ intelligas, obserua, *Bartolum l. 1. C. de recep. arb. & l. nemo potest. ff. deleg. 1. an. 13.* asseruisse, quoties ex compromisso resultat actio ad standum sententiæ arbitri, seu vt exequutioni mandetur, vel vi ipsius compromissi, vt quia de iure ciuili communi vallatum fuit stipulatione, (idemque est de iure canonico & huius regni ex pacto nudo, iuxta ea quæ dicta sunt, & quæ adjicientur) vel quia statuto loci mandari sententia præcipitur exequutioni, vt in hoc regno iuxta legem 4 relatam, tunc admittendam esse appellationem à sententia arbitri aut arbitratoris, seu potiùs reclamationem, vt reuideatur ac examinetur per iudicem ordinarium, num æqua sit, compertoque illam æquam non esse, vel illam omnino rescindat ac reuocet, si omnino iniqua reperta sit, vel illi moderamen adhibeat, eamque ad æqualitatem reducat, si ex parte solùm iniusta comperiatur. Ad legem autem *1. C. de recept. arb.* quæ habet, sententia arbitri appellationem non admitti, respondet Bart. eam loqui, quando lata sententia non resultat nec conceditur actio de eodem iure ciuili communi, quia compromissum pacto nudo fuit celebratum. Textus quippe ille rationem reddit, quare ab ea sententia appellatio non admittatur, dicens: quia neque ex tali sententia actio rei iudicatæ competit: eaque de causa pœna compromisso à partibus inuicem promittitur, si sententiæ non stent, vt metu eius pœnæ ab ea sententia non recedatur. Quare, inquit Bart., quando vi compromissi, aut antecedente statuto loci, datur actio, vt sententia arbitri exequutioni mandetur, admitti debet appellatio seu reclamatio ad iudices ordinarios, si pars, quæ sensit ea iniustè grauatam, velit ab ea reclamare ac appellare: quoniam vi compromissi aut statuti est cogenda illi stare actioni, vt exequutioni mandetur, quatenus ea sententia iusta fuerit & æqua: non verò quatenus iniusta fuerit comperta ac iudicata à publicis potestatibus. Atque in hoc euentu, etiam si pœna imposita fuerit in compromisso non stanti sententiæ illi, aut ab ea appellanti, vel illam reclamanti, non incurritur ea pœna, sed iudices appellationis eam sententiam integre aut ex parte reuocent, vt suprà ex ordinatione Lusitana *lib. 3. titu. 81.* in principio ex parte est dictum, vt infrà copiosiùs dicetur. Quoniam eo ipso censetur, appellationem iuste ac licitè fuisse interpositam: eaque vbi nulla est culpa, locum non habet conuentionalis pœna, quæ culpam supponit, & ob culpam imponitur.

Bartolus voluit, suam hanc sententiam locum habere, etiam quando arbitrorum sententia fuerit expressè aut tacitè emologata. Quia enim, inquit, *lege penult. C. de recep. arb.* actio conceditur, vt ea sententia per iudices ordinarios exequutioni eo ipso mandetur, quòd expressè aut tacitè est emologata, censet Bart. concedendam esse appellationem parti, quæ illa senserit iniustè grauatam, etiam postquam expressè aut tacitè illam emologauit. Contrarium tamen in eo euentu meritò affirmant glossa l. 1. C. de recep. arb. & communis doctorum sententia, vt ipsemet Bart. confitetur. Eo enim ipso, quòd pars ipsa expressè vel tacitè sententiam arbitrorum approbauit, nihil contra eam reclamando, de illiusque iniustitia non conquerendo, approbasse illum censetur non solùm vt sententiam, sed etiam vt non iniquam, eaque sententia. l. penult. citata habetur pro sententia, quæ in rem transierit iudicatam ad effectum vt exequutioni per iudices ordinarios mandetur, non secùs atque si per eosdemmet iudices ordinarios fuisset lata, lapsuque decem dierum ad appellandum ab ea concessorum similiter in rem transiisset iudicatam. Consentit apertè Lusitana ordinatio *lib. 3. titu. 81. §. 2.* quæ id statuit, vt infrà referemus. Obserua tamen de iure huius regni post legem *1. titu. 18. lib. 4. noua collect.* appellationem interponendam esse intra quinque dies à lata sententia ab arbitro, alioquin sententia arbitri transiret in rem iudicatam: in hoc enim regno lege illa tempus ad appellandum à quacunque sententia arctatum est ad quinque dies.

Panor. c. cum dilectus de arb. num. 17. quamuis Bartoli sententiam reprobet in proximo euentu explicato, in quo nos eam reprobamus, atque eam approbet, quando est lex seu statutum in aliquo loco, vt sententia arbitri exequutioni mandetur; negat tamen illam habere locum, quando de iure canonico conceditur actio ex compromisso pacto nudo celebrato, aut stipulatione vallato. Ducitur, quoniam tunc non datur actio ex sententia arbitri, vt ab illa appellari debeat, sed datur ex contractu compromissi, à quo non est cur appelletur, aut reclametur: quin potiùs, qui ab eo reclamaret, sibique ipsi repugnaret quoad pactum à se libere celebratum. Amplectenda tamen est Bart. sententia, etiam in hoc euentu. Quoniam cùm id, ad quod partes

eo

eo compromisso ac contractu se obligarunt, A sit stare sententiæ arbitri tanquam æqualiac iustæ, sanè id pactum eam tacitam habet conditionem, modò illa æqua minimeque iniusta sit; atque adeò eo ipso, quòd pars altera iniustam illam iniusteque ipsam grauare reputat, seque id probare est parata, æquum est vt ei appellare ab ea ad publicas ordinariasque potestates permittatur, ac cõcedatur, vt illæ pro munere suo publico eam reuocent, aut moderamẽ illi adhibendo, eam ad æqualitatem, iustitiæque limites reducant: id quod sanè efficiunt, non resiliendo à compromisso, illique non stando, sed resiliendo ab arbitrorum sententia, ab illaque appellando, vt ad iustitiam æqualitatémve B reducatur, ne compromissum in se iustum & æquum cum inæqualitate ac iniustitia ex parte eius arbitrorum sententiæ exequutioni mandetur per potestates publicas.

6 Dubitant verò doctores, quando à sententia arbitri in euentibus explicatis appellatio locum habet, ad quem iudicem sit appellandum. Num ad iudicem superiorem iudici arbitro, qui sententiam tulit, quem admodum quando appellatur ab aliis iudicibus, tam ordinariis quàm delegatis, appellatio fit ad iudicem superiorem ei iudici, qui sententiam tulit: an verò ad iudicem, qui futurus erat causæ, si partes in iudicem arbitrum non compromisissent. Et num, si eueniat, C vt arbiter sententiam ferat in actoris fauorem, qua reus se iniustè grauatum existimet, reusque appellet, ac proinde in gradu appellationis de antea reo fiat actor, appellare debeat ad eum, qui antea futurus fuerat suus iudex in ea causa: an verò ad iudicem eius, qui antea erat actor; eo quòd de actore reus in gradu appellationis fiat; actorque forum rei sequi debeat.

Bartolus. *l. 1. ff. de leg. 2. Couar. 2. var. resc. 12.* & plerique alii, quæstionem hanc excitant de sententia ab arbitratore lata, à qua per reclamationem seu acclamationem reductio petitur ad arbitrium prudentis viri, iuxta doctrinam illam D Bartoli, & communem multorum, quam Disp. 30 retulimus ac impugnauimus, & qua affirmant, arbitrum & arbitratorem in eo distingui, quòd à sententia arbitri non admittatur reclamatio, sed illi omnino sit standum: à sententia verò arbitratoris latè sumpti petatur ac concedatur reclamatio seu appellatio, vt ad æquitatem iudicis prudentis arbitrio reducatur. Vt tamen de iure huius regni & Lusitani est relatum, etiam ab arbitratoris iuris sententia conceditur reclamatio & appellatio, vt per iudices ordinarios ad limites æquitatis ac iustitiæ reducatur, quando pars se illa iniustè grauatam sentit, talisque ea sententia à iudicibus ordinariis E reperitur ac iudicatur.

7 Angelus & quidam alii, quos *Couar. c. 12.* citato *n. 1.* refert, & quorum sententia sequitur *Greg. Lopez, l. 23. titu. 4. part. 3.* verb. *de aquel lugar*, censuerunt, eam reclamationem ac appellationem faciendam esse ad iudicem superiorem arbitro, qui sententiam tulit, & non ad iudicem partium, quæ compromiserunt, si is iudex superior arbitro diuersus à partium iudice sit. Ducuntur, quoniam petitio reductionis illius sententiæ & reclamatio ab illa effigiem appellationis habet, iuxta. *l. non distinguamus.* §. *cùm quidam. ff. de recep. arb.* appellatio verò fit ad superiorem iudicis, qui sententiam protulit. Communis tamen sententia Panor. Bart. & complurium aliorum, quam *Couar. num. 1.* citato refert ac sequitur, est in contrarium, tunc scilicet reclamationem & appellationem non fieri ad iudicem superiorem arbitri, si is diuersus sit à iudice partium. Quoniam ea non tam est appellatio, quàm querela & reclamatio, neque est à sententia lata ab habente ad id iurisdictionem, neque à sententia, quia sententia est iudicis, sed à sententia, quæ vim habet ex solo contractu compromissi & tanquam effectus & complementum eius contractus, neque est lata iustè, & qualis tacitè compromisso ipso intelligebatur: vnde est reclamatio & exceptio aduersus partem, quæ vi contractus contendit, aut contendere poterit, illam mandandam esse exequutioni, qua reclamatione & exceptione ei parti objicitur, quòd ea sententia non sit qualis vi contractus poterat ac debebat fieri: quo fit, vt apud iudicem partium vi contractus contendentium sit examinandum, num illa manifestam iniustitiam contineat, vel non, vt illi, si iniqua non reperiatur, sit standum vi contractus. Consentit *c. venerabilis in prin. &. §. 1. de sent. excommun. lib. 6.* Vbi habetur, querelam proponi non posse apud eum iudicem, qui aliter iudex non est litigantium, quàm per appellationem: res autem, de qua disputamus, potiùs est querela & reclamatio, quàm vera appellatio. Neque probanda est Angeli opinio, etiam quando lege eius prouinciæ sententia arbitri mandari præcipitur exequutioni, vt in hoc regno exequutioni mandari præcipitur: in quo tamen euentu Bart. & alii, quos *Couar. cap. 12.* citato *num. 2.* refert, voluerunt, appellationem faciendam esse ad iudicem arbitro, qui eam sententiam tulit, superiorem: quoniam contrarium rectiùs Couar. cum Paulo Castrensi & cum aliis, quos citat, ibi affirmat: eo quòd lex illa iurisdictionem talibus arbitris non tribuat ad ferendam eam sententiam: sed solùm præcipiat eam mandari illam exequutioni ad contractus compromissi impletionem, admittendo reclamationem ab illa ad iudices ordinarios, si illam iniustam comperiant, latamque esse non vt expediebat iuxta formam contractus. Vnde rectè ibidem cum Panor. & aliis subiungit Couar. & ex eo, quòd vi legis eius prouinciæ talis arbitrorum sententia mandari exequutioni per ordinarios iudices præcipiatur, non sequi, damnatos, ab arbitris ea sententia, eaque mandata exequutioni per iudices ordinarios vi talis legis, incurrere infamiam in euentu, in quo illam incurrent, si lata fuisset per iudices ordinarios, cum quibus ea consentiunt, quæ disputatione 30 & tractatu 4 dicta à nobis ea de re sunt, quicquid quidam in hoc ipso euentu dubitauerint, vel in contrarium asseruerint.

8 Ostenso autem à sententia arbitrorum appellandum non esse ad iudicem arbitro superiorem, si is diuersus à iudice partium sit, quod ad illam aliam quæstionem attinet, num scilicet si is, qui reus erat futurus, si in arbitrum non fuisset compromissum, se sentiat ea

ea ſententia iniuſtè grauatum, appellare debeat ad iudicem alterius partis, quæ eo ipſo in illo appellationis gradu reus videtur manare, an verò ad ſuum proprium iudicem, coram quo pars aduerſa agere debebat, ſi cauſa in arbitrum non fuiſſet compromiſſa: quod, inquam, ad eã quæſtionem attinet, quidam, quos Couar. c. 12. citato. n. 1. refert ac ſequitur, aſſeruerunt, appellandum tunc ei eſſe, non ad ſuum iudicem, ſed ad iudicem partis aduerſæ: idque illa ratione, quòd in eo appellationis gradu maneat actor, & actor ſequatur forum rei. Addit tamen Couar. quando cauſa alioquin tractanda foret in ſeculari tribunali, quia reus, qui appellat, ſecularis eſt, & quia actor perſona eſt eccleſiaſtica, per eamque appellationem, ſequendo forum illius, cauſa tractanda veniret corã iudice eccleſiaſtico, id permittere non debere ſeculares poteſtates. Illaq; eadem ratione permittere ſimiliter non deberent eccleſiaſticæ poteſtates, quando reus, qui à ſententia arbitri appellaret, eſſet eccleſiaſticus, & actor perſona ſecularis, vt ea accuſatione cauſa coram iudice ſeculari perageretur. Mihi verò plus longè probatur contraria ſententia Bart. Panor. c. Quintaualis de iureiur. n. 39. & multorum aliorum, quos Couar. ibidem refert, in euentu ſcilicet quæſtionis propoſitæ appellandum eſſe ad iudicem rei, qui ab arbitri ſententia appellat. Quoniam ille futurus eſt exequutor ſententiæ arbitri, in eo euentu: & per modum exceptionis coram illo appellatur à ſententia arbitri, quòd tanquam iniuſta, eaque ratione vi compromiſſi locum non habens, mandari ab eo non debeat exequutioni, niſi ſaltem moderamen illi adhibeatur, quo ad iuſtitię limites redigatur. Neque quòd reus ita ſententia arbitri iniuſtè grauatus præueniat ea exceptione & appellatione coram illo iudicem, qui illam exequutioni debet mandare, antequam fortè exequutio ſententiæ ab altera parte ab illo eodem iudice petatur; eo quòd niſi ante lapſum decem dierum, aut quinque in hoc regno, grauatus reclamaret & appellaret, cenſeretur conſenſiſſe in ea ſententia, taciteque illam emologaſſe; impedit quominus ea exceptio & appellatio interponi poſſit coram illo eodem iudice, antequã exequutio eo petatur: ſicut interponenda eſſet, ſi pars aduerſa priùs peteret ab illo eodem iudice exequutionem eius ſententiæ, & grauatus intra tempus ſibi permiſſum exciperet ſententiam eſſe iniuſtam, ideoque mandandam nõ eſſe exequutioni, niſi in gradu appellationis aut querelæ inſtar appellationis ab ea ſententia, priùs ab eo, tanquam à iudice alioquin ordinario eius cauſæ, pronuncietur, num iuſta ſit, exequutionique mandanda: an verò iniuſta & reuocanda, aut moderamine aliquo temperanda & reducenda ad iuſtitiæ limites. Atq; ſi contraria ſententia Couarruuiæ & aliorum vera eſſet, non video, quando, qui à ſententia arbitri reclamaret, laicus eſſet, & pars aduerſa eſſet eccleſiaſtica, cur poteſtates laicæ iuſtè aut licitè impedire poſſent, quominus gradus ille appellationis coram iudice eccleſiaſtico perageretur: cùm id iuxta ipſorum ſententiam natura ipſa rei poſtulet iuriſque diſpoſitio. De iure etiam Luſitano partes, quæ ſe ſentiunt grauatæ ſentẽtiis arbitrorũ, non appellant ad eos iudices ordinarios locorum, qui futuri fuiſſent iudices in ea cauſa, ſi partes in arbitrum nõ compromiſiſſent, ſed quondam de iure ordinationum appellabatur ad quoſdam ſuper-iudices, qui erant in eo regno, vt habetur *lib. 3. ord. titu. 81. in primo.* atque hi, vt habetur *lib. 1. earundem ord. titu. 32.* erant vniuerſales quidam iudices domus, quam in eo regno vocãt *do ciuel*, ad quos appellatio fiebat ex toto regno. Similes videbantur eſſe in hoc regno tempore legum partitarum, vt conſtat ex illis verbis *l. 1. titu. 4. pa. 3. Otros y ha aun ſin aquellos, que ſon pueſtos añaladamente para oyr las alçadas de los jueẓes ſobre dichos. E tales como eſtos llamarõ los antiguos ſobrejueẓes, por el poder que han ſobre los otros.* Vt autem in hoc regno ſunt ſublati, quoniam vt ibi Gregorius Lopez ait, & vſus teſtatur, atque habetur *l. 12. titu. 5. lib. 2. nouæ collect.* in cauſis ciuilibus auditores curiarum iudicant in gradu appellationis, & in aliquibus euentibus conſiliarii Regis iudicant in gradu ſupplicationis, & in nonnullis aliis paucis, etiam quo ad primum gradum appellationis, vt habetur *l. 20. titu. 4. lib. 2. nouæ collect.* ita in Luſitania ſunt iam hodie ſublati, atq; illorum loco appellatio interponitur *à os deſembarguadores do agrauo da caſa do ciuel*, vt habetur *l. 3. in prin. iuncta. l. 4.* etiam *in princ. part. 2. leg. extrauag.*

Vlteriùs dubitant doctores, num poſtquam à ſententia iudicis arbitri appellatum eſt ad iudicem ordinarium, ſi eueniat, vt pars aliqua ſe iniuſtè grauatam ſentiat à ſententia lata ab eo iudice ordinario in eo gradu appellationis ſeu reclamationis ac querelæ, liceat vlteriùs appellare à tali ſententia ad iudicem alium ſuperiorẽ, ad quem à tali iudice appellatur, quando ipſe via ordinaria ſententiam profert, nullo precedente antea compromiſſo. Bart. Panor. & communior fortè ſententia, quàm Couar. c. 12. citato. n. 3. refert, affirmant, non admitti talem vlteriorem appellationem. Multi etiam alii quos idem Couar. refert ac ſequitur contrarium affirmant. Atque cum hac ſententia conſentit in hoc regno *lex. 4. titu. 21. lib. 4. nouæ collect.* ſuprà relata, quæ appellationem in eo euentu à iudicibus ordinariis ad curias admittit: in curiis autem, ſi ſententia arbitri confirmetur, non admittitur vlterior ſupplicatio: ſi verò in totum aut in parte reuocetur, admittitur ſupplicatio ad eoſdem curiæ iudices, vt eadem l. 4 habetur. Quando autem ſententia nõ eſſet quo ad quantitatem, quæ cederet valorem decem mille marauedinorum, tunc appellatio non admitteretur à iudice ordinario ad curias, niſi quando locus eſſet intra octo leucas à curiis, iuxta *l. 7. titul. 18. lib. 4. nouæ collect.* In locis tamen, in quibus conſuetudo eſt, vt nihilominus admittatur appellatio *à el aiũtamiento*, & vt ibi deputentur duo decuriones, qui in gradu appellationis vnà cum iudice, qui ſententiam tulit, de ea re iterum cognoſcant, admittenda eſt ea appellatio, iuxta eandem legem 7. Ea autem conſuetudo eſt in hac Conchenſi ciuitate. In cauſis tamen de rebus, quæ non excederent valorem quadragintorum marauedinorum, nulla à iudice ordinario admitteretur appellatio, iuxta *l. 19. lib. 3. eiuſdem nouæ collect.* In Luſitania autem ſicut quo ad alias appellationes, quę quondam in ciuilibus fiebant ad ſuperiudices, & hodie fiunt *à os deſembargadores do agrauo da caſa do ciuel*, ſi in gradu appellationis lata apud eos ſenatores ſit ſententia circa res immobiles,

mobiles, quæ non excedunt valorem triginta millium *reais*, aut circa res mobiles, quæ non excedunt valorem quadraginta millium *reais*, non admittitur vlterior appellatio seu *agrauo*, (hoc est, supplicatio) si verò excedant, admittitur, vt habetur *l.3. in prin. & l.4. in prin. & §.1 & 2. titu.1. part.2. leg. extrau.* sic res similiter habet in appellationibus à sententiis arbitrorum ad eosdem senatores circa res eorundem valorum.

Bartolus verò, & qui illum sequuti sunt, inde videntur decepti, vt asserent, à iudice ad quem ab arbitri sententia est appellatum, non esse admittendam vlteriorem appellationem, quòd eum non censuerunt esse ordinarium iudicem, neque procedere vt iudicem ordinarium, sed præcisè vt subrogatū quo ad id iudicis arbitrio, locumq; illius quo ad id iudicium subeundo ac tenendo: cùm tamen verè sit iudex ordinarius, & vt ordinarius iudex propria sua iurisdictione procedat; tametsi ratione habere debeat compromissi à partibus antea celebrati, neq; causam definire debeat, quasi compromissa antea non fuisset illam in se solam inspiciendo ac definiendo, nouumq; omnino iudicium inchoando, sed rationem compromissi habere debeat; tametsi non teneatur ipse modum arbitri iudicis seruare in eo appellationis gradu, sed modum sui tribunalis proprium: à sententia autem lata à iudice ordinario inferiore vtique appellatio admittitur ad superiorem, si pars se iniustè grauatam inueniat, neque lege particulari sit talis appellatio sublata: durumque valde esset, si is, in cuius fauorem lata ab arbitro fuisset sententia, quique ab illa nec appellasset, nec esset cur appellaret, se iniustè grauatum sentiret à iudice appellationis, qui noua sua sententia illa aliam priorem reuocaret, aut attemperaret iniustè, nō posset ad iudicem superiorem illius appellare, sed eo ipso noua contraria sententia iudicis, ad quem ab arbitro fuit immediatè appellatum, transiret omnino contra ipsum in rem iudicatam. Vnde meritò in hoc regno *lege. 4.* citata *titu.21. lib. 4. nouæ collect.* longè plus huic laxatæ sunt habenæ ad appellandum pluries, quàm illi alteri, qui ab arbitri sententia appellauit. Lege alia, quibus Couar. vbi suprà eandem sententiam confirmat.

10 Vtrùm autem validè renunciari in compromisso possit petitio reductionis arbitri ad æqualitatem arbitrio prudenis, reclamatioq; & appellatio ab eo arbitrio de iure huius regni ac Lusitani, ita vt quantumuis pars vna postea se inueniat eo arbitrio grauatam, non possit validè petere reductionem illius ad æqualitatem, iustitiæq; limites, ab illo ve validè appellare. Dicendum arbitror, in euentu, in quo Disp. 30 est dictum, quantumuis vna pars se inueniat grauatā arbitrio, locū non habere petere reductionem illius ad æqualitatem arbitrio prudentis iuxta *l. si societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio, & l. diem proferre. §. stari. ff. de recep. arb.* in illo, inquam, euentu, siue in compromisso renunciatum esset ei petitioni, non quidem quia renunciatum illi esset, sed quia vi compromissi locum non haberet. Si tamen tunc dolo & machinatione ac nequitia alterius partis latum esset tale arbitrium inæquale ac excedens, tūc inualidum sanè esset, vt ibidem explanatū est. Secluso verò eo euentu, & condonatione libera ac manifesta partis grauatæ, quo ad id in quo grauata est, existimo renunciationem petitioni reductionis arbitri ad æqualitatem, inualidam esse, neq; impedire, quominus ea reductio peti possit, & quominus de iure huius regni & Lusitani appellari ab eo possit. Sicq; apertè est sancitum de iure Lusitano lib.3. ord. titu. 81. in prin. Ratio autem est, quoniam ea renunciatio, cùm non esset condonatio eius grauaminis iniusti, neq; per illam ius sibi ad id grauamen compararet pars aduersa, sanè integrum parti grauatæ manet non secùs reclamare ab eo grauamine simpliciter iniusto nihil impediente præuia renunciatione ei petitioni, quàm si ea renunciatio non antecessisset. Atq; ad hæc pauca verba, hac de re à nobis hoc loco tradita, admetienda est longa hac de re disputatio, quam Ioan. Ba. 7. lib. de arb. c. 15. & alii texunt. Quando autem ea renunciatio iuramento esset confirmata, quàm vim ex iuramento in conscientiæ & in exteriori foro haberet, Disputatione sequenti dicetur.

Dubium est, vtrùm quando compromissum stipulatione modo suprà explicato fuit vallatū, locum habeat, quod de emologatione sententiæ arbitrorum, quando antecesserat pactum nudum, disputatione præcedente dictum est, nempe eo ipso, quòd sententia arbitrorum tacitè aut expresè modo ibi explicato est emologata, de iure ciuili communi concedi actionem ad exequutionem eius sententiæ, non secùs atque si à quocunque alio iudice habente ad eam ferendam iurisdictionem fuisset pronunciata, transiissetque in rem iudicatam.

Bart. l. penult. C. de recep. arb. neganter respondet. Ducitur, quoniam lege penultima citata, id de arbitrorum sententia tacitè aut expresè emologata, solùm statuitur, quando in compromisso apposita non fuerat pæna, atq; adeò quando de iure ciuili communi nullū erat remedium ad cogendum damnatum ea sententia stare compromisso saltem metu pænæ: vnde cùm, quando compromissum stipulatione est vallatum, possit ita damnatus cogi ad interesse vi compromissi sequuta ea arbitrorum sententia; consequens est, vt tunc locum non habeat, quando de emologatione tacita aut expressa sententia, præcedente solo pacto nudo ea lege penultima est dispositum.

Contraria sententia est communis interpretum iuris canonici, eam sequitur Panor. c. pertuas de arb. n. 10. affirmans communem esse interpretis iuris canonici, & saltem de iure canonico esse omnino amplectenda. Quoniam cùm de iure canonico ex compromisso solo pacto nudo celebrato detur actio, vt hac & præcedente disputatione dictum est, sanè si quando aliunde daretur actio, vel esset aliud remedium cogendi partem aduersam stare compromisso ac sententiæ, locū non haberet dispositio illa legis penul. C. de recep. arb. circa sententiā arbitrorū tacitè aut expresè emologatam, nunquam id de iure canonico haberet locum: cuius tamen contrarium expresè habetur c. per tuas citato.

Panormitanus, tam de iure canonico, quàm de iure ciuili communi, censet habere locum, quod de emologatione tacita aut expressa sententiæ arbitrorum dictum est, præcedēte compromisso stipulatione vallato. Non verò quādo in compromisso apposita fuit pæna stare non volenti

volenti arbitrorum sententiæ, siue id compromissum celebratum fuerit pacto nudo, siue vallatum fuerit stipulatione, in hocq; vltimo consentit etiam idem Panor. *c. dilecti de arb. n. 17.*

11 Quamuis autem cum Panor. cõsentiam in eo, quod dicit de compromisso stipulatione vallato, in quo apposita non fuit pœna, lataq; fuit sententia arbitrorum, & sequuta fuit emologatio eius sententiæ; reliqua tamen lõgè aliter definienda censeo, idq; accommodatè ad ea, quæ diximus lateq; ostendimus *tractatu 2. Disp. 556. §. quando transactio.* Atq; in primis quando cõpromissum celebratum fuit pacto nudo, appositaq; fuit pœna non stanti compromisso, sententiæve arbitrorum; tunc, stãdo in solo iure ciuili communi, si sequuta fuit emologatio expressa sententiæ arbitrorum, credo mandandam esse exequutioni, nihil impediente, quòd damnatus ea sententia velit soluere pœnam, & non stare sententiæ semel à se expresè emologatæ ac approbatæ: cõsentireq; videntur Hostiensis, & præsertim Innocentius, qui de emologatione expressa loquitur per subscriptionem sententiæ, à Panor. *c. per tuas de arb. n. 15.* relati, quin & ipsemet Panor. ibi videtur consentire, qui non vi sententiæ arbitrorum, sed vi pacti, quo expresè ac formaliter approbata est, ait resultare actionem, vt is, aduersus quem lata est, cogatur illi stare, & vt exequutioni aduersus eum mandetur. Bart. quoque & communis sententia, quam *Greg. Lopez. l. vlt. tit. 4. part. 3.* verb. *las partes por bueno*, refert, consentiunt, quando in tali compromisso fuit apposita clausula, rata nihilominus manente sententia: malè tamen multi negant, quando ea clausula non fuit apposita. Ducor autem ego, quoniam in eo euentu per eam expressam emologationẽ sententiæ arbitrorum is, aduersus quem lata est, expresè eligit illi stare, eamq; adimplere, & nõ soluere potiùs pœnam, vt ex dispositione iuris ciuilis communis ante eam electionem erat in ipsius optione, eligere potiùs soluere pœnam, & liberari ab adimpletione eius sententiæ, iuxta ea quæ subjiciemus. Ducor item, quoniam irrationabile *prorsus* videtur censere, dispositionem illam legis penultimæ. C. de recep. arb. nempe, si præcessit pactum nudum compromissi, quòd staretur arbitrorum sententiæ, & sequuta fuit sententia & emologatio illius, competat actio vt exequutioni mandetur per iudicem ordinarium; prorsus, inquam, irrationabile videtur cẽsere ex eo eam dispositionem impediri, quòd in eo pacto nudo apposita sit pœna non stanti eidem sententiæ, quando emologatio eius sententiæ fuit expressa, per quam, aduersus quem ea sententia est lata, elegit potiùs stare ei sententiæ, quàm soluere pœnam. Quamdiu enim illam expresè non approbauit, eligendo illi stare, integrum sanè illi manebat, quando, iuxta eandem l. penult. per iudicem ordinarium mandari exequutioni intentaretur, dicere, eligere potiùs soluere pœnam compromissi, & nolle stare iudicatis per arbitros, vt sibi de iure communi est permissum. Neque id pugnat cum dispositione legis penultimæ citatæ, quę, intellecta indistinctè, siue in pacto nudo apposita fuerit pœna, siue nõ, vt indistinctè ipsamet lex loquitur, quando præcessit pœna in compromisso, & sequuta fuit tacita emologatio eius sententiæ, concedit quidem eam actionem, vt sententia illa executioni mandetur; attamen concedit illam in eo euentu dependenter ex eo, quòd, si damnatus ab arbitris ita velit, soluat potiùs pœnam compromissi, vt sibi de iure ciuili est permissum. Quando verò expresè elegit stare sententię illam expresè emologando, locum iam tunc non habet, vt inde resiliat, volẽs potiùs pœnam soluere. Cùm ergo hæc nihil pugnent cum dispositione legis penultimæ citatæ, neque in ea quicquã habeatur, vnde constet ea, quæ ibi dispositа sunt circa pactum nudum compromissi, sequuta emologatione tacita vel expressa sententiæ arbitrorum, locum non habere ex eo, quod in eodem pacto nudo appositа sit pœna non stanti sententiæ; sanè dicendum est, dispositionem illius legis non minùs habere locum, quando præcesit solùm pactum nudum sine appositione pœnæ, & secuta est emologatio tacita vel expressa sententiæ, quàm quando pacto nudo compromissi appositа fuit pœna, & sequuta fuit emologatio sententiæ tacita vel expressa: cùm libertate tamen damnati ea sententia, eligendi soluere potiùs pœnam & non stare iudicatis, vt sibi de iure communi ciuili permittitur, interim dum is sibi eam libertatem non ademerit emologando expresè sententiam, illiq; ea expressa emologatione parêre volendo: tacita verò emologatio, quamuis ab eo, iuxta dispositionem eius legis, auferat potestatem reclamandi ab ea sententia & impediendi vt exequutioni ex eo capite non mandetur, idq; non minùs quàm idem impediat emologatio expressa; non tamen ab eo tollit libertatem eligendi potiùs soluere pœnam compromisso statutam, eaque via euadendi exequutionem eius sententiæ; sicut emologatio expressa ab eo tollit eandem libertatem, eamque facultatem electione illa solutionis pœnæ, impediendi exequutionem eiusdem sententiæ.

12 Quando compromissum celebratum fuit pacto nudo, appositaq; fuit pœna non stanti compromisso sententiæve arbitrorum; tunc, stando in solo iure ciuili communi, si sequuta fuit emologatio sententiæ arbitrorum tacita solùm lapsu decem dierum, in quibus ab ea non fuit reclamatum, sanè, nihil impediente dispositione legis penultimæ. *C. de recep. arb.* integrum est damnato ea sententia, soluere pœnam, eaque solutione non stare arbitrorum sententiæ, impedireque illius exequutionem. Res hæc ex parte est dicta ac explicata circa euentum præcedentem; copiosiùs tamen nunc explananda ac comprobanda est. Primò illam probat *authentica decernit. C. de recep. arb.* illis verbis; *sed pœnam statuant,* (compromittentes scilicet) *qua præstita liceat à iudicatis recedere.*

Secundò illã probat *l. vl. tit. 4. part. 3.* quæ iuxta commune ius ciuile lata est, illis verbis: *Mas quien no se pagare del,* (iudicio scilicet & sententia arbitrorum) *peche la pena que le fuere puesta, è despues no sera tenudo de obedecerla.* hoc est, non tenebitur stare sententiæ arbitrorum. Et consentit Greg. Lopez ibi, etiam quando in hoc regno reclamatum & appellatum fuit ab arbitrorum sententia, & facta fuit exequutio iuxta legem 4 nouæ collectionis suprà relatam, & per iudices appellationis approbata fuit arbitrorum sententia: censet enim etiam tunc, (licèt id lectori relinquat cogitandum) eligendo soluere

pænam, eximi ab obligatione ſtandi ſententiæ illi, etiam eo modo à iudicibus appellationis cõfirmatæ, reddendaq; ei eſſe bona, in quibus vi legis quartæ relatæ facta fuerat exequutio ſententię arbitrorum. Ego verò in hoc vltimo contrarium cenſeo, atq; Gregorius Lopez, tametſi non omnino firmus arbitratur. Cẽſeo enim eam libertatem non eſſe tunc penes victum, ſed ſi in compromiſſo appoſita nõ fuit clauſula, rata nihilominus manente ſententia, quamuis victor non poſſit agere ad vtrumq;, in ipſius tamẽ optione eſſe, agere ad exequutionem ſentẽtiæ, ſeu ad intereſſe, vel ad pænam, & inſuper ad incrementum intereſſe, ſi quod aliud ſit vltra pænam, iuxta ea quæ ſubiungemus. Ducor, tum ob ea, quæ mox circa Luſitanum ius ſubiungo. Tum etiam quoniam iam hodie compromiſſum pacto nudo celebratum longè maiores vires habet in hoc regno poſt *l. 3. titu. 8. lib. 3. ord.* quæ eſt *l. 2. tit. 16 lib. 5. nouæ collect.* quàm habuerit de iure ciuili communi, & in hoc regno tempore legis vltimę titu. 4. part. 3. habet enim hodie in hoc regno tãtas vires, quantas habet idem compromiſſum ſtipulatione vallatum, eaſdemq; ſemper habuit de iure canonico, & in terris eccleſiæ: vnde idẽ quo ad id eſt hodie in hoc regno dicendum, quod ſubjiciemus de compromiſſo ſtipulatione vallato, quando ſimul appoſita fuit pęna non ſtanti tali compromiſſo & ſententiæ arbitrorum, nec addita fuit clauſula, rata nihilominus manente ſententia.

Tertiò eandem reprobat diſpoſitio Luſitana *lib. 3. ord. tit. 81. §. 2.* quæ iuxta ius commune, quod in eo regno viget, lata eſt, excepto quòd ab arbitrorum ſententia reclamatio & appellatio in eo regno admittitur intra decem dies, vt & à ſententiis ab aliis iudicibus latis, vt ſuprà relatum eſt. Ea autem diſpoſitio, quæ de compromiſſo pacto nudo celebrato, ſequutaq; arbitrorum ſententia, loquitur, ſic habet: *Eſe cada hũa das partes nom appellar da dita ſentença dada por los arbitros ſe dara a execuçam por los juizes ordinarios, quer no cõpromiſſo foſſe poſta pena, quer nom, aſſi como ſe daria a execuçam ſendo dada por os juizes ordinarios. Porem no caſo onde for poſta pena no compromiſſo, ficara a em eſcolha do condenado paguar a pena, ou eſtar pola ſentença, a qual eſcolha poderafazer do dia que for requerido a tres dias, com tanto que quando aſſi eſcolher de paguar a pena, pague logo a dita pena, e nom a pagando logo, ſe faça execuçam pe la dita ſentença ſem mais gouuir* (id eſt gaudere) *da dita eſcolha. Empero ſe no duo cõpromiſſo for poſta clauſula, que paguada a pena, ou nõ paguada, ſe ſigue a ſentẽça ſemper valida, em tal caſo nom auera luguar a dita eſcolha, mas a ſentença ſe dara em todo a execuçam.* Hæc ibi. Vbi vides, ſi ſemel expreſsè emologetur ſententia, eligendo illi ſtare, non ampliùs damnato ea ſentẽtia concedi, ſoluendo pænam, non ſtare ſententiæ, iudicatiſve ab arbitris. Vides deinde, ſi ſententia emologata ſit tacitè lapſa decem dierum, in quibus ab ea non ſit reclamatum ac appellatum, ſi nulla appoſita fuit pæna, mandari ſententiam exequutioni iuxta diſpoſitionem *legis penultimæ. C. de recep. arb.* & ea quæ ſuprà dicta ſunt. Si verò appoſita fuit pæna, neque addita fuit clauſula, ratis nihilominus manentibus compromiſſo ac ſententia, mandari ſimiliter ſententiam exequutioni, ſed relicto in optione damnati, vt potiùs ſtatim in cõtinenti ſoluat pænam, in quo ea ordinatio Luſitana omnino cum noſtra ſententia conſentit. Meritò verò de iure eius regni fuit ſancitum, vt tempus ad deliberandum, an velit potiùs ſoluere pænam, vel ſtare ſententię, eſſet trium dierum à puncto, quo eſſet requiſitus, vt alterum eligeret. Vides item, ſi in compromiſſo, in quo pæna fuit appoſita, addita fuit clauſula, rata manente ſententia, tunc ſequuta tacita emologatione ſententię lapſu decem dierum, in quibus non fuit ab ea reclamatum & appellatum, mandari integre ſententiam exequutioni, neque locum eſſe, vt ea damnatus eligat tunc velle potiùs ſoluere pænam: quoniã quando ea clauſula fuit adhibita, appellatio pænæ non relinquit optionem vt eligatur ſoluere pænam, & non ſtare iudicatis; ſed ſequuta tacita ſententiæ emologatione, perinde vi legis penultimæ. C. de recep. arb. eſt mandanda exequutioni, atq; ſi ſolùm compromiſſum pacto nudo celebratum, ſine pœnæ additione, præceſsiſſet: id enim ſignificat tunc clauſula illa, rata nihilominus manente ſententia, vt ſcilicet ſententia eodem modo vim habeat ac mandetur exequutioni, atque ſi pœna appoſita inſuper non eſſet in eo compromiſſo.

Vtrùm autem tunc, qui tacitè emologauit ſententiam, teneatur pati integram ſententiæ exequutionem, & inſuper ſoluere pænam. Dicendum eſt, cùm tunc emologata tacitè ſit ſententia, non ſecùs atque ſi in compromiſſo adhibita non fuiſſet pœna, ad effectũ, vt nihil impediente pœnæ appoſitione, vi *legis penult. C. de recep. arb.* abſque vllo obſtaculo mandetur exequutioni, vt paulo antè eſt dictum ac explanatum, ſententiam in primis mandandam procul dubio eſſe integre exequutioni, vt Luſitana ordinatio accommodatè ad ius commune rectè diſponit. Quòd ſi poſt eam tacitam emologationem intentetur à parte damnata ei ſententiæ non ſtare, nec mora non parendi ei ſententiæ purgetur ante litem ea de re conteſtatam, modo tractatu 2. Diſp. §§6 §. vtrùm autem explicato, tunc pœna ſimul etiam incurritur, vi præcedentis pacti de ea in eo euentu ſoluenda, iuxta ea quę diſputatione citata circa tranſactionem & alios contractus dicta ſunt. Quando autem præceſsit compromiſſum pacto nudo, pœna appoſita ei, qui ſententiæ non ſtaret, ſine clauſula rata nihilominus manente ſententia, & neque tacitè neque expreſsè ſententia fuit emologata, ſed ab ea fuit reclamatum & appellatum, vt in Luſitania eam reclamare & ab ea appellare licet, tunc de iure Luſitano videtur dicendum, ſequuta poſtea reuocatione aut moderatione ſententia arbitrorum, non incurri pœnam: quoniam, nihil impediente pacto pœnæ ei ſtatutæ, qui ſententiæ non paruerit, permittitur in eo regno ea appellatio, legitimeque comperitur fuiſſe appellatum: atque hæc omnia partim conſtant apertè, & partim argumento à contrario ſenſu perſpicuè colligitur ex ordinatione illa Luſitana *lib. 3. titu. 81. in prin.* Si verò confirmetur arbitrorum ſententia, credo de Luſitano iure ſoluendam omnino eſſe pœnam, vt ibidem expreſsè aſſeritur, ſi ad illam agere victor velit, & inſuper poſſe agere ad incrementum intereſſe, ſi quod maius erat in ſententiæ exequutione, quàm in valore pœnæ, vel agere poſſe ad exequutionem

quutionem ſententiæ ac intereſſe, ipſius optione. Ad vtrumque autem ſimul agere poteſt, quando in compromiſſo appoſita non fuit clauſula, rata nihilominus manente ſententia, iuxta ea quæ tractatu 2. Diſp. 556. §. quādo tranſactio. dicta ſunt, & quæ in ſequentibus ſubjiciemus. Cùm enim ſententia illa non ſit iam arbitrorum dumtaxat, ſed ſit etiam iudicum ordinariorum appellationis, tranſeatq; in rem iudicatam, ſanè omnino iam vim habet, vt exequutioni mandetur, ſi ad id potiùs victor agere eligat, non minùs, quàm ſi compromiſſum ſtipulatione eſſet vallatum appoſita pæna non ſtanti ſententiæ, ſed ſine clauſula, rata nihilominus manente ſententia; in quo euentu, vt ſubjiciemus, licèt victor non poſſit agere ad vtrumque, optio tamen, ad quod illorum agat, ad ipſum ſpectat, nec ad victum tunc pertinet eligere, quid potiùs illorum ſoluere velit. Atque ſi confirmata in eo euentu ſententia à iudicibus ordinariis appellationis integrum eſſet parti, ea ſententia damnatæ, eligere potiùs ſoluere pænam, eaque ratione non ſtare ita iudicatis, nunquam Luſitana illa ordinatio ſtatueret in euentu, de quo diſputamus, ſoluendam eſſe pænam victori; ſed diceret, ſoluendam ei eſſe, vel parendum illi eſſe tali ſententiæ, ipſius optione. Hæc eadem adueſus Gregorium Lopez, gloſſa citata, vim ſimiliter habere credo in hoc regno, in quo, nihil impediente quòd pæna in compromiſſo ſit poſita, reclamare ſententiam arbitrorum & ab ea appellari ſimiliter permittitur, & nihilominus exequutioni ſententia per iudices ordinarios mandatur ante confirmationem illius per iudices appellationis, iuxta diſpoſitionem ex l. 4. titu. 21. lib. 4. nouæ collect. ſuprà relatam: idq; propter rationes paulo antea redditas. Accedit etiam, quod mox ſubiungemus.

14 Quando verò compromiſſum ſtipulatione fuit vallatum, & ſimul appoſita fuit pæna contrauenienti ſententiæ, tunc ſi appoſita non fuit clauſula, rata manente ſententia, de iure communi, ſi is, qui ea fuit damnatus, expreſsè illam emologauit, victor agit ad ſententię exequutionem, ſi victus eam implere moretur. Probatur, quoniam damnatus ea ſententia iam elegit potiùs illi parére, quàm ſoluere pænam. Et quoniam vi contractus ſtipulationis, maximè ſequuto illiùs expreſſo conſenſu ſententiæ, de iure ciuili communi ad id tenetur ciuili debito, competitque iam actio de eodem iure ciuili communi, vt, quod iudicatum eſt, adimpleat, & vt intereſſe ſoluat, ſi non adimpleat, aut ſi non congruo ac debito tempore adimpleat, conſentitque in hoc euentu. *l. diem proferre. §. vlt. ff. de recep. arb.* iuncta gloſſa ibi & communi doctorum ſententia ac intellectu eius paragraphi. Item, quoniam in eo euētu locum habet diſpoſitio legis *penult. C. de recep. arb.* vt exequutioni per iudices ordinarios mandetur ſententia arbitrorum expreſsè emologata. Neque id impedit, ſed adiuuat, quòd compromiſſum non fuerit pactū nudum, ſed vallatum fuerit ſtipulatione: robur quippe ſtipulationis additum nihil detrahere debet de diſpoſitione ac vi eius legis, quæ indiſtinctè loquitur. Neque item id impedit, appoſitam ſimul fuiſſe in eo compromiſſo pænam non ſtanti ſententiæ arbitrorum. Tum quoniam eo ipſo, quòd pars ea ſententia damnata expreſsè illam emologauit, illiq; conſenſit, elegit potiùs ſtare illi ſententiæ, quàm ſoluere pænam, eaque electione ſe priuauit poteſtate eligendi potiùs ſoluere pænam, quàm ſtare ſententiæ, vt ſuprà, quando compromiſſum pacto nudo fuerat celebratum, in ſimili euentu dictum comprobatumque eſt. Tum etiam quoniam, quando in pacto non gratuito, ſed oneroſo, ex quo actio de iure reſultat, qualis eſt is, de quo diſputamus, appoſita fuit pæna ei pacto non ſtanti, ſine clauſula rata nihilominus manente contractu, tunc licèt is, qui illi ſtare non vult, non teneatur ad vtrumque, ſed ad alterum; optio tamen, ad quod agatur, non ad eum pertinet, ſed ad alterum, qui contractui ſtat, vt ex multis iuribus tractatu 2. diſp. 556. §. quando tranſactio, copioſè oſtendimus, & mox dicemus: atque tunc ſi is agat ad pænam, & maius ſit intereſſe, poteſt rurſus agere ad incrementum intereſſe, vt ibidem oſtenſum eſt.

15 Quando compromiſſum ſtipulatione vallatum, celebratum fuit modo præcedente paragrapho explicato, & ſequuta fuit emologatio ſententiæ arbitrorum, non expreſſa, ſed tacita lapſu decem dierum, aut quinque in hoc regno, in quibus ab ea non fuit reclamatum, tunc de iure huius regni ac Luſitaniæ non admittitur appellatio ab ea ſententia, mandabiturque exequutioni in his regnis, & de iure ciuili communi. Quòd ſi reclametur, illiq; reſiſtatur, nec mora purgetur ante litem conteſtatam in euentu, in quo ea purgatio, iuxta dicta *tractatu 2. diſp. 556. §. vtrùm autem*, locum habet, tunc victor agere poterit vel ad exequutionem ſententiæ, vel ad pænam, ipſius optione. Quòd ſi agat ad pænam, pluſque interſit ſtari ſententiæ arbitrorum, illamque implere, agere inſuper poterit ad incrementum intereſſe illius. Quod autem in eo euentu, emologata illo modo tacitè arbitrorum ſententia, non admittitur appellatio ab illa in hoc regno & in Luſitania, ex eo conſtat, quoniam tranſactum eſt tempus ad illam reclamandum & ab ea appellandum conceſſum, idque expreſſum ac diſpoſitum eſt in Luſitania *3. lib. ord. titu. 81. §. 2.* Quòd verò etiam de iure ciuili communi mandetur tunc ea ſententia exequutioni per iudices ordinarios, ex eo probatur, quoniam iuxta diſpoſitionem legis penult. C. de recep. arb. ſententia tacitè emologata, quæ lata fuit per iudices arbitros, mandatur exequutioni per iudices ordinarios. Neque id impedit, compromiſſum antecedens nō fuiſſe pactum nudum, ſed vallatum eſſe ſtipulatione: quoniam robur ſtipulationis additum, eum effectum & vim ab ea lege non tollit, ſed potiùs auget: quippe cùm, eſtò ea lex lata non eſſet, vi ſolius compromiſſi ſtipulatione vallati reſultaret actio de iure communi, vt arbitrorum ſententia, etiam tacitè non emologata, mandaretur exequutioni per iudices ordinarios, & ageretur ad intereſſe: eo quòd ea ſit vis eius contractus nominati, conſentitque *l. diem proferre. §. vlt. ff. de recep. arb.* iuncta gloſſa ibi & communi intellectu eius paragraphi. Quòd autem, quando poſt ſententiam tacitè emologatam, talis ſententia reclamatur, eique non ſtare contenditur, nec mora ei parendi purgatur, victor

agere posſit, vel ad exequutionem ſententiæ, & ad intereſſe, vel ad pœnam optione eius victoris, neque tunc integrum victo ſit eligere ſoluere pœnam, & liberari ab exequutione ſententiæ, ſicut de iure ciuili communi eſt illi integrum, quando compromiſſum, in quo ea pœna erat ſtatuta, celebratum fuerat pacto nudo, ex eo probatur, quoniam id priuilegium ſolùm erat victo conceſſum, quando compromiſſum pacto nudo erat celebratum, ex quo pacto de iure ciuili communi actio victori non concedebatur: quando verò compromiſſum celebratū eſt ſtipulatione, rationeque ſtipulationis tranſiuit in contractum nominatum, quia ſtipulatio parit ſufficientem ciuilem actionem, vt contractus impleatur, tunc, ſi ſimul pœna fuit appoſita non ſtanti ei compromiſſo ac ſententiæ, quamuis victor agere non poſſit ad vtrumque, optio tamen ei competit, vt agat ad quod maluerit, iuxta ea quæ Diſput. 556 citata copioſè oſtenſa ſunt. Atque cùm vi contractus actio illi competat ad exequutionem ſententiæ & ad intereſſe, ſanè, ſi plus ſit intereſſe, quàm pœna, & eligit agere ad pœnam, illi etiam competit inſuper actio ad incrementum intereſſe, vt ibidem oſtenſum fuit: quo fit, vt totum, quod propoſuimus, verum ſit comprobatumque maneat.

16 Quando compromiſſum ſtipulatione eſſet vallatum, modoque duobus paragraphis præcedentibus explicato eſſet celebratum, ſententiaq; ab arbitris eſſet lata, & nec expreſsè nec tacitè eſſet emologata, ſed reclamata eſſet ante decem dies elapſos, & in hoc regno ante quinque, tunc in hoc regno & in Luſitania committeretur appellatio ab illa ad iudices ordinarios, & nihilominus in hoc regno exequutioni mandaretur modo ſuprà ex *l. 4. titu. 21. lib. 4. nouæ collect.* relato. Si autem per iudices appellationis ſententia reuocaretur, aut moderamen illi adhiberetur, tunc reclamans & appellans nullam pœnam incurret. Si autem ſententia confirmaretur, victor agere poſſet optione ipſius, vel ad exequutionem ſententiæ, vel ad pœnam, & etiā ad incremētū intereſſe, ſi intereſſe in aliquo pœnam ſuperaret: nō verò poſſet agere ad vtrūque, nempe ad intereſſe & ad pœnam. De iure verò ciuili communi appellatio non admitteretur, ſed reductio ad arbitrium boni viri, ſi compromiſſum ita intelligeretur factum, vt haberet locum reductio ad arbitrium boni viri, iuxta ea, quæ Diſp. 30 explanata ſunt. Atque tunc ea petitio reductionis ad arbitrium boni viri eandem vim haberet, quam appellatio ab ea ſententia in hoc regno & in Luſitania habet, ac proinde eadem de iure ciuili communi tunc ſunt dicenda, quando ea reductio petereturr, quæ proximè dicta ſunt, quando de iure huius regni ac Luſitaniæ appellatum eſt à tali ſententia. Quando autem de iure ciuili communi locum non haberet petitio reductionis ad arbitrium boni viri, tunc victor, nihil impediente ea reclamatione, vi ſtipulationis compromiſſi, agere optione ſua poſſet, vel ad exequutionem ſententiæ, ſeu ad intereſſe, vel ad pœnam ob eam reclamationem incurſam, & inſuper ad incrementum intereſſe, ſi quod eſſet vltra eam pœnam. Quòd in eo euentu admittere-

A tur in hoc regno & in Luſitania appellatio, ex iuribus vtriuſque regni ſuprà relatis conſtat, quæ intendunt ſuccurrere ſubditis per ordinarias poteſtates, ne ex arbitrorum ſententiis grauamen ſuſtineant, nihil impediente quocunque compromiſſo in eis arbitris ſub quacunque pœna celebrato. Atque eo ipſo, quòd pronuntiatur iuſtè fuiſſe appellatum, reuocando arbitrorum ſententia, aut moderamen illi adhibendo, appellans immunis redditur à pœna compromiſſo ſtatuta non parenti ſententiæ: quoniam eo ipſo, quòd appellatio conceditur, intelligitur ea pœna incurri, modò in gradu appellationis non B comperiatur iuſtè fuiſſe appellatum, arbitroſque appellantem ea ſua ſententia grauaſſe, vt ſatis apertè colligitur ex Luſitana ordinatione titu. 81. citato in prin. Quòd autem, ſi ſententia per iudices appellationis confirmaretur, agere victor poſſet ad vtrumuis illorum optione ipſius, & non ad vtrumque, ſatis profectò patet ex dictis duobus paragraphis præcedentibus, & tractatu 2, Diſput. 556, idque ex vi contractus ſtipulationis eo modo celebrati, ſequuta incurſione eius pœnæ in eo appoſitæ, arbitrorum ſententiæ indebitæ non ſtando, prouenit. Quòd verò de iure communi appellatio tunc C non admittatur, ſed petitio reductionis ad arbitrium prudentis viri in euentu ſolùm ibi explicato, ex dictis diſputatione hac & præcedente, iunctis iis, quæ Diſput. 30 dicta ſunt, ſatis liquet. Quòd autem ea petitio reductionis talis ſententiæ ad arbitrium prudentis viri, in euentu in quo de iure communi admittitur, vim habeat appellationis, immunemque reddat à pœna illam partem, quando pronunciatur iuſtè fuiſſe petitam, eademque proinde dicenda tunc ſint de iure communi, quæ de iure huius regni ac Luſitani proximè erant dicta, ex ſe ſunt notiſſima, neque alia probatione indi- D gent. Reliqua etiam, quæ addidimus, ex ſe etiam ſunt ſatis perſpicua, & ex dictis hac & præcedente diſputationibus, iunctis iis, quæ Diſput. 30 ſunt dicta, atque ex dictis Diſp. 556 ſæpius citata.

Quando compromiſſum ſtipulatione eſſet 17 vallatum, appoſita pœna non ſtanti compromiſſo ac ſententiæ, additaque eſſet clauſula, rato nihilominus manente compromiſſo, ſeu rata manente ſententia. Tum ſequuta ſententia, & emologata expreſsè de iure ciuili communi, agitur ſolùm ad ſententiæ exequutionem, ſi damnatus ſit in mora eam adimplendi, & non ad pœnam: eo quòd pœna incurſa non ſit, quandoquidem ſententiæ ſtetur, ei non repugnando ac contradicendo. Hæc ex ſe patent, & ex dictis ſuprà, quando compromiſſum eodem modo erat factum, ſed appoſita non erat clauſula, rata nihilominus manente ſententia. Quòd ſi poſt ſententiam expreſsè emologatam, eidem ſententiæ repugnaretur ac contradiceretur, nec mora illi parendi purgaretur ante litem conteſtatam, tunc agi inſuper poſſet ad pœnam præter ſententiæ exequutionem, propter clauſulam illam, rata nihilominus manente ſententia, vt ex dictis tractatu. 2. Diſp. 556. §. quando tranſactio, perſpicuè conſtat. Si tamen minor ſe

læſum

læsum ea sententia inueniret, peteretque in eo A euentu beneficium restitutionis in integrum aduersus eam sententiam, tunc pœnam nullam incurreret: quoniam nihil impediente tali compromisso, & clausula illa in eo apposita, vteretur iure suo ac priuilegio ciuili iure sibi concesso, quod impunè ac licitè efficere posset. Hoc idem intellige in cæteris euentibus suprà explicatis & explicandis. Atque idem de ecclesia intellige, quæ se læsum similiter inueniret, ac beneficium restitutionis in integrum intra tempus sibi concessum similiter peteret.

18 Quando compromissum similiter & cum eadem clausula esset celebratum, sequutaque arB bitrorum sententia, tacitè esset emologata, quia intra decem dies illi non esset reclamatum, & in hoc regno intra quinque, nec ab ea esset appellatum, tunc de iure huius regni ac Lusitani non admitteretur appellatio à tali sententia, sed exequutioni mandabitur. Si autem reclametur, eique restituatur, nec mora parendi sententiæ ante litem contestatam purgetur; tunc, etiam de iure communi, victor aget simul ad sententiæ exequutionem, seu ad interesse, & ad pœnam eo ipso incursam, propter clausulam illam, rata nihilominus manente sententia. Hæc patent ex dictis suprà in simili euentu, & ex eo, quòd clausula illa, rata manente C sententia, operatur, vt victor ad vtrumque simul agere possit, vt Disput. 556 citata ostensum est, neque est cur illa hoc loco iterum repetantur.

19 Quando compromissum eodem modo & cum eadem clausula esset celebratum, sequutaque arbitrorum sententia, nec tacitè nec expresse esset emologata, sed reclamata esset ante decem dies, & in hoc regno ante quinque elapsos, tunc in hoc regno & in Lusitania admitteretur ea reclamatio & appellatio, & nihilominus in hoc regno exequutioni ea sententia mandaretur. Quin de iure communi admitteretur petitio reductionis eius D ac sententiæ ante litem contestatam, quando sententiæ ad arbitrium prudentis viri, quando illa, iuxta formam compromissi, & iuxta ea quæ Disput. 30 dicta sunt, locum haberet: id quod effigiem appellationis habet, estque in effectu appellatio à tali sententia. Atque si per iudices appellationis sententia reuocaretur, aut moderamen illi adhiberetur, tunc reclamans & appellans nullam incurreret pœnam. Si verò sententia confirmaretur, tunc victor agere posset simul ad exequutionem sententiæ, seu ad interesse, & ad pœnam incursam. De iure autem communi in euentu, in quo iuxta formam compromissi & dicta Disput. 30 locum non haE beret reductio ad arbitrium prudentis viri, si mora non parendi sententiæ arbitrorum non purgaretur ante litem contestatam, ageret similiter victor ad vtrumque. Hæc omnia, præter id quod dicitur de actione victoris ad vtrumque, constant ex dictis suprà in simili euentu, quando adhibita non fuit clausula, rata nihilominus manente sententia. Victorem verò posse agere in hoc euentu ad vtrumq; quando apposita fuit clausula, rata manente sententia, ex natura ipsius clausulæ, & ex dictis Disp. 556 sæpius citata, sunt manifesta.

Nonnulla sunt hoc loco obseruanda. 20 Primum est, quando compromissum confirmatum esset iuramento, appositaque esset pœna non stanti sententiæ arbitrorum, tunc siue id compromissum vallatum etiam esset stipulatione, siue non, agere posset victor aduersus victum, qui sententiæ repugnaret, ad vtrumque simul, nempe ad pœnam & ad exequutionem sententiæ, seu ad interesse, estò expresse in eo compromisso apposita non esset clausula, rata nihilominus manente sententia, vt ex dictis *disp. 556.* citata. *§. quando transactio confirmata est*, constat. Ratio autem est, quoniam confirmatio iuramento compromissi, in quo pœna est apposita non stanti sententiæ arbitrorum, vim habet clausulæ, rata nihilominus manente sententia, vt ibidem ostensum est.

Secundum est, clausulam illam, rato manente pacto, in quo pœna est apposita non stanti pacto, aut non stanti sententiæ, vt quoties pacto aut sententiæ contrauenitur, toties posset exigi pœna, sed solùm vt prima vice, seu semel tantùm exigi possit pœna, vt disputatione 556 comprobatum est. Si tamen esset apposita pœna cum clausula, vt quoties contraueniretur pacto aut sententiæ, toties incurreretur ac solueretur pœna. Quidam dixerunt, vi eius clausulæ, bis tantùm posse exigi pœnam, vt infinitas vitetur: Nos autem diximus, eam clausulam operari, vt quoties pœna esset soluta ob transgressionem pacti, posset iterum exigi, si post condemnationem & solutionem iterum pacto contraueniretur. Hæc omnia disputatione 556 citata, explanata, comprobataque a nobis sunt, atque idcirco probationes hoc loco inutiliter non repeto.

Tertium est, *disp. 556.* citata. *§. vtrum autem*, explicatum esse, quando post contrauentum pacto aut sententiæ locum habeat purgare morum pœnitentia, volendoque stare pacto non item.

Quartum est, omnia quæ dicta sunt compromisso stipulatione vallato, siue apposita sit pœna non stanti compromisso aut sententiæ arbitrorum, siue non, & siue expresse siue tacitè emologata sit arbitrorum sententia, siue non, sed ab illa sit reclamatum aut appellatum ante lapsum decem dierum, aut quinque in hoc regno, & siue apposita sit clausula, rato nihilominus manente compromisso, aut rata nihilominus manente sententia, siue non, locum similiter habere in hoc regno & de iure canonico, estò, appositis reliquis, idem compromissum vallatum non sit stipulatione, sed pacto nudo sit celebratum. Ratio autem est, quoniam de iure canonico, & in hoc regno, tantam vim habet pactum nudum, vt debitum ciuile ex eo oriatur, & vt ex eo actio resultet ac concedatur, quantam habet stipulatio de iure communi, vt hac & præcedente disputatione, & tractatu 2, desputatione 257, atque aliàs sæpe dictum comprobatumque est. Ex hoc autem capite arbitror perspicuè cessare in hoc regno opiniones, quas *Gregorius Lopez l. vlt. titu. 4. part. 3.* verb. *las partes por bueno,* refert

refert fuisse de iure communi, num scilicet A quando in compromisso pacto nudo celebrato apposita est pœna non parenti sententiæ arbitrorum, subsequuta emologatione sententiæ, actio ad sententiæ exequutionem victori comtat aduersus victum. Gregorius enim Lopez cessare procul dubio eam controuersiam in hoc regno censet post. *l. 4. titu. 21. lib. 4. nouæ collect.* Ego verò simul ac præcipuè cessare eam censeo post. *l. 3. titu. 8. lib. 3. ord. quæ est. l. 2. titu. 16. lib. 5. nouæ collect.* quæ pacto nudo eandem vim in hoc regno in foro exteriori tribuit, ac si stipulatione esset vallatum.

Non refragantur hactenus dictis *c. dilecti*, & B *c. per tuas de arb.* sed potiùs cum illis consentiunt. Quippe cùm *c. dilecti.* præcipiatur, partem victam, quæ sponte arbitrorum sententiam susceperat, compelli ad illi standum, eamque seruandum ac adimplendum, etiam per pœnam compromisso statutam contrauenienti sententiæ arbitrorum. Quo in loco glossa vltima notat, & doctores consentiunt, etiam personam ecclesiasticam petere & accipere posse eiusmodi conuentionalem pœnam compromissi, sibi adiudicatam. Cùm autem in eo capite non explicetur, num pœna in compromisso fuerit statuta cum clausula, rata nihilominus manente sententia, an non. Sanè C si ea clausula non fuerit adhibita, peti poterat aduersus illam parêre sententiæ nolentem vel pœna, si maior erat quàm interesse, vel pœna & insuper incrementum interesse, vel agi poterat aduersus eam ad exequutionem sententiæ, seu ad interesse optione partis, quæ vicit, iuxta ea quæ suprà explicata sunt, estò compromissum pacto nudo esset celebratum, quod de iure canonico eandem vim habet, eandemque actionem parit, ac si stipulatione fuisset vallatum. Si verò ea clausula fuit in compromisso adhibita, tunc ad vtrumque simul agi aduersus eam poterat, si sententiæ latæ, & à se semel sponte emologatæ ac D susceptę, resisteret, iuxta ea quæ dicta sunt. Capite autem per tuas, cùm à procuratore inualidè esset celebratum compromissum, quia ad id facultas non erat illi concessa, statuitur, si emologata expresè à parte, quæ eum procuratorem constituit, ac susceptа fuit arbitrorum sententia, cogatur illi stare, vi eius emologationis expressæ, qua ratum fuit habitum, quod per eum procuratorem fuit gestum. Si verò per eam partem sententia non fuit emologata ac approbata, & pœna fuit compromisso appositа, agatur aduersus procuratorem, vt pœnam soluat, vel simul scilicet cum interesse, si appositа fuit clausula, rata manente sententia, vel sub disiunctione cum interesse, optione partis alterius, si ea clausula appositа non fuit. Quòd si pœna in compromisso non fuit appositа, statuitur vt solùm agatur aduersus eum procuratorem ad interesse. In quibus sanè nihil continetur, quod cum hactenus dictis pugnet.

Quintum est, actionem ad interesse, de qua est sermo. *l. diem proferre. §. vlt. ff. de recep. arb.* quãdo compromissum vallatum erat stipulatione; quòd partes starent arbitrorum sententiæ, & per consequens quando in hoc regno & de iure canonico solo pacto nudo erat celebratum; eo quòd pactum nudum in hoc regno & de iure canonico stipulatione æquipolleat; itemque de iure communi quando compromissum vallatum fuit iuramento, quòd arbitrorum sententiæ staretur, iuxta. l. ne in arbitris. C. de recep. arb. aut quando emologata tacitè aut expresè fuit arbitrorum sententia, iuxta *l. penult. C. eod. titu.* & vniuersim quoties in præcedentibus dictum est, dari actionem ad interesse & ad pœnam, vel simul, vel sub disiunctione, actoris optione aut rei; eam, inquam, actionem ad interesse, meo quidem iudicio, iuxta glossam l. ne in arbitris citatam, verb. in factum, & Bart. ibidem n. 5. sequestria omnia comprehendere. Si arbitrorum quidem sententia fuit, vt incrementum aliquid solueretur, vt quòd operæ soluerentur, de quibus controuersia erat, an essent soluendæ, incrementumque sit, quantum pro eis sit soluendum, tunc resultat actio in factum vt soluatur, quantum arbitrio prudentis operæ illæ æstimabuntur. Si verò sententia fuit, vt tantum in quantitate solueretur, certum in specie, & incertum in indiuiduo, tunc datur cõdictio, hoc est, petitio quantitatis illius, ex tribus illis legibus citatis. Si autem sententia fuit circa rem certam in indiuiduo, tunc datur actio in eam rem vtilis. Quòd si res illa solui non possit, datur actio ad interesse, in quo æstimatio illius comprehenditur. Hæc verò omnia comprehendit actio, vt stetur arbitrorum sententiæ. Atque quando expresè emologata fuit sententia, non admitteretur exceptio de dolo aduersus illam, & aduersus exequutionem illius à victore petitam, aut non tam facilè, quàm quando exequutio illius ex compromisso stipulatione vallato aut ex tacita illius emologatione peteretur.

Sextum est, non solùm de iure huius regni, & de iure canonico, celebrato compromisso pacto nudo, & appositа etiam in eo pœna pacto nudo, cogi arbitrum proferre sententiam, & partes illi stare, aut ab ea appellare de iure huius regni: quia pactum vtrumque de iure huius regni & de iure canonico eandem vim habet, ac si vtrumque stipulatione esset vallatum; qua ratione pars vincens in eo euentu de iure huius regni, ac de iure canonico, agere poterit optione sua, vel ad solutionem pœnæ, vel vt sententia exequutioni mandetur, quando appositа non fuit clausula, rata manente sententia, atque, si ea clausula appositа fuit, agere poterit ad vtrumque simul, vt ex dictis hæc omnia constant: sed etiam stando in solo iure ciuili communi, in illo eodem euentu, ex eodem compromisso pacto nudo celebrato, E appositaque in eo pœna etiam solo pacto nudo, cogi arbitrum sententiam proferre, & partem ea victam ac damnatam stare ei sententiæ, vel soluere pœnam, optione ipsius, & non optione partis vincentis, vt ex dictis disputatione præcedente constat. Quoniam ius ciuile commune id priuilegium conferre voluit compromisso pacto nudo celebrato, quando in eo appositа fuit pœna pacto etiam nudo, vel quando data sunt pignora vel obsides, aut quando adhibiti sunt fideijussores, quòd partes staretur ei com-

compromisso pacto nudo celebrato, vt pars, A aduersus quam lata ab arbitris esset sententia, cogi à parte victrice posset soluere pænam, vel stare sententiæ, aut amittere pignora, vel fideiussores illos dare soluere interesse quantum sua victoris interesset alteram partem sententiæ arbitrorum stare, atque idem ciuile commune ius concessit, vt pars victa celebraretur ab standō sententiæ arbitrorum, soluendo solam pænam, vt ex iuribus, quo ad id disputatione præcedente citatis constat. Non ergo probo sententiam *Ioan. Bap.* qui *lib. 6. de arb. in calce. c. 8.* innuere videtur, pænam stipulatione debere in eo euentu esse promissam de iure ciuili communi, vt promissio pænæ eos effectus pariat. B

Septimum est, in hoc regno, quæ de emologatione sententiæ arbitri tacita vel expressa hac & præcedente dicta sunt, intelligenda esse, non solùm si lata sit ab arbitro, sed etiam si lata sit ab arbitratore pressissimè sumpto, vt constat ex l. 23, quæ de omni arbitratore loquitur, iuxta *l. vlt. titu. 4. part. 3.* & iuncta *l. 4. titul. 21. lib. 4. nouæ collect.* quæ exequutionem statuit sententiæ, etiam cuiuscunque arbitratoris, admissa reclamatione seu appellatione ab illa, modò suprà explicato. Atque hæc de iure huius regni affirmat *Gregorius Lopez. l. vlt.* citata glossa vlt. post Rodericum Xuarez. Tametsi rectè aduersus illum dicat, id non haberi ex sola ea lege C vltima. Atque etiam de iure communi si arbitramentum arbitratoris pressissimè sumpti esset expressè emologatum per partem, mandaretur continuò exequutioni per iudicem ordinarium aduersus illā post talem illius approbationem & consensum, vt ex se est perspicuum. Quando autem expressè non esset emologatum, quid de iure communi ac Lusitano sit dicendum, infrà suo loco explicabitur. De iure quoque Lusitano, quæ de emologatione tacita aut expressa dicta sunt, intelligenda vtique sunt de omni arbitro, vt distinguitur ab arbitratore pressissimè sumpto, siue procedat seruato ordine toto iuris, siue non, quo ad lites & contro- D uersias dicendas, vt patet, quoniam titu. 81 citato de omnibus arbitris, vt distinguuntur ab arbitratoribus pressissimè sumptis, est sermo: & titu. 82 sequenti sermo est de solis arbitratoribus sumptis pressissimè. Eodem autem modo intelligo *legem penult. C. de recep. arb.* quicquid aliqui Bart. & aliis, iuxta eam suam arbitrorum & arbitratorum distinctionem, à nobis Disput. 30 relatam ac impugnatam, dicant ac sentiant.

Postremò obserua, interdum in compromissis solere apponi pænam eis compromissis, aut arbitrorum sententiæ non stanti, soluendam cameræ seu fisco Regis. Ea verò pæna non in- E curritur nec debetur fisco Regis nisi in euentibus, in quibus, iuxta hactenus dicta, si apposita esset soluenda alteri compromittenti, illi deberetur ac illam ei solui posset cogere. Atque in hoc solo euentu intelligenda est, ac satis perspicuè loquitur *l. 3. titu. 26. lib. 8. nouæ collect.* quæ sic habet: *Mandamos que todos aquellos, que se obligaren por compromisso, ò en otra qualquier manera, à fazer y cumplir algunas cosas so cierta pena para la nuestra camara, que las tales penas sean tenidos de las pagar incurriendo en ellas*, &c.

Compromissum iuramento confirmatum quas vires habeat.

Disp. 36.

SVMMARIVM.

1. *Compromissum aliquando iuramento confirmatur: sed vetitum id est propter frequentiam periurii.*
2. *Quoniam compromittentes vetantur iuramento compromissum confirmare, non tenentur partes, quæ iuramento compromissum confirmarunt, id seruare.*
3. *Licèt arbitri sententia iniustè arbitrum grauaret, si iuramento compromissum fuit confirmatum, atque adeò si iuramento confirmatum fuit illi stare, quacunque ea esset, sub reatu culpæ lethalis tenetur pars ea iniustè grauata illi stare, nisi priùs iuramentum relaxetur.*
4. *De iure ciuili non datur actio ad agendum stare sententiæ arbitri, quando compromissum iuramento fuit confirmatum.*
5. *Quando compromissum iuramento fuit confirmatum, siue interuenerit stipulatio siue non, datur de iure canonico actio, vt stetur sententiæ arbitri.*
6. *Quando in compromisso iuramento confirmato, quòd sententiæ arbitri staretur adiuncta fuit, pœna ei compromisso & arbitri sententiæ non stanti, satis est partem, quæ stare nolit arbitri sententiæ, soluere pœnam, eaq; solutione pœnæ electa non teneri stare sententiæ, nihil impediente ea iuramenti confirmatione.*
7. *Si compromissum iuramento est confirmatum, & sub iureiurādo est promissum, quòd stabitur sententiæ arbitri, tunc eo ipso censetur sub eodem iuramento virtute renunciatum sub periurii reatu petitioni reductionis talis sententiæ, ad æqualitatem arbitrio prudentis.*

A Liquando compromissum iuramēto con- 1
firmatur, quòd compromittētes illi arbitrorumq; aut arbitratorum sententiæ stabunt. Idem est, si fidei præstatione confirmetur: quæ vt Panor. *c. ad aures de iis quæ vi metúsve. caus.* fiunt, ait, species quædam est iuramenti, nempe quando aliquis per Christianam fidem, aut per religionem Christianam, quam profitetur, pollicetur aliquid, aut ad aliquid se astringit. Atque quando compromissum iuramento erat confirmatum, quondam de iure ciuili communi actio in foro exteriori dabatur, vt sententia arbitri, ob iuramenti reuerentiam, & ne partes periurium incurrerent, & in eo perseuerarent, exequutioni mandaretur: id constat ex *l. ne in arbitris. C. de recep. arb.* quæ id disponit. Sæpe autem eueniebat, vt cùm pars altera iniustè grauata esset arbitri sententia, idque vel nequitia vel imperitia arbitri, reclamaret à sententia, & recurreret ad iudicem ordinarium, nolendo illi stare cum periurii peccato, vt habetur in *authentico de iudicibus. §. quia verò.* Cùm enim pars, quæ arbitri sententia eo modo iniustè grauabatur, posset sine dispendio æternæ salutis illi stare, tenebatur in foro conscientiæ sub periurii reatu illi stare, nisi priùs relaxationem eius iuramēti obtinuisset:

quemad-

quemadmodum etiam, qui sub iureiurãdo promisit se soluturum vsuras, aut daturum centum grassatori, ne ipsum iniustè interficeret, tenetur ob eandem rationem sub reatu periurii iuramentum implere, nisi relaxationem illius obtineat, iuxta *c. debitores de iureiurando*, vt sæpius in hac materia de iustitia dictum est. Ad obuiandum verò his malis, ac periuriis compromittentium, & vt liberi manerent ad reclamandum sententiis arbitrorum iniustis, postea de iure authenticorum prohibitum fuit, ne compromittentes in arbitrum iuramento compromissum confirmarent, & ne arbitri ipsi iuramẽto se astringerent iudicare, quod esset iustum: atque vt, si arbitri & compromittentes iuramento ad prædicta se astringerent, arbitri non punirentur, si iniustè iudicarent, sed solùm coram Deo periurii reatum sustinerent: sublataq; ibi videtur actio ad cogendum partes, quę compromissum iuramento confirmatum, sententiæ arbitri stare: quæ tamen actio *l. ne in arbitris* citata fuerat concessa. Hæc habentur *in authentica* decernit. *C. de recep. arb.* & latiùs *in authentico de iudicib. §. quia verò* citato.

2 Bart. in authentica decernit citata, affirmat, post eiusmodi prohibitionem de authenticorum iure, nec de iure canonico, nec ex natura rei, teneri partes, quę compromissum iuramento confirmarent, seruare id iuramentum. Ducitur, quoniam cùm peccent compromissum iuramento contra eius legis dispositionem confirmando, id iuramentum vergit in salutis æternæ detrimentum, atque ea de causa ad sui obseruationem non obligat. Meritò tamen *Panor. c. non sanè de arb. n. 8.* & alii eam Bartoli sententiam reiiciunt. Quando enim, quod fieri cum iuramento promittitur, non est malum in se, sed ex parte iurantis seruari potest sine dispendio salutis æternæ, vt in re proposita seruari potest, sanè prohibitio ne id iuramento confirmetur, non tollit à iuramento vinculum, vímve obligandi, vt sub reatu periurii seruetur, ac proinde ea prohibitio, ne iuramento id confirmetur, in causa non est, vt qui id iurauit, non teneatur seruare rem licitam, ad quam seruandam iuramento se obligauit: sed solùm ea prohibitio efficit, vt peccauerit id ita iuramento confirmando contra legis prohibitionem. Quo fit, vt qui compromissum post eius legis prohibitionem iuramento confirmauit, perinde in foro conscientiæ sub reatu periurii teneatur id compromissum seruare, ac si ea lex lata non esset. De iure autem canonico actio datur ad standum compromissum iuramento confirmato, vt *c. non sanè, & c. cum tempore de arb.* liquet. Neque de iure canonico est prohibitum confirmare iuramento compromissum, sed id potiùs iuribus citatis approbatur: eaque de causa personæ ecclesiasticæ, quin & laicæ in causis ecclesiasticis, licitè id possunt efficere. Neque culpa erit lethalis laicas personas in causis secularibus compromisum iuramento confirmare aduersus illam iuris ciuilis dispositionem, immeritoque Bart. loco citato affirmauit, id culpam esse lethalem; cùm nihil sit vnde cum probabilitatis specie affirmari possit, eam ciuilem legem ad id sub culpa lethali obligare: sed solùm id erit culpa venialis: atque, si ea lex in viridi non sit obseruantia, sed A contraria consuetudine sit abrogata, nulla culpa erit id efficere.

Obserua autem, estò arbitri sententia iniustè 3
partem grauaret, si iuramento compromissum fuit confirmatum, atque adeò si iuramento confirmatum fuit illi stare, quæcunque illa esset, sub reatu culpæ lethalis teneri partem ea iniustè grauatam illi stare, nisi priùs iuramenti relaxationem obtineat: quoniam stare illi potest ex sua parte sine vllo dispendio salutis æternæ. Atque in dubio, num, quando compromissum iuramento confirmauit, mens ipsius fuerit obligare se illi stare, quæcunque illa esset, tenetur illi stare sub reatu eiusdem periurii, nisi priùs B eius iuramenti relaxationem obtineat, idque ne se exponat periculo Deum in testem infidelis promissionis adduxisse, quam absque vlla culpa potest ipse ex parte sua implere. Atque hac de causa summus Pontifex c. non sanè de arb. præcipit, vt si fuisset compertum sententiam latam ex quodam compromisso iuramento confirmato fuisse iniustum, pars, quæ iuramento se astrinxerat stare sententiæ latæ ab eo arbitro, Apostolica autoritate ab eo iuramento absoluatur illud ei relaxando, quasi sine ea relaxatione teneretur sub reatu periurii illi stare. Consentit authenticum de iudicibus, §. quia verò citato, vbi apertè supponitur ac docetur, non C stare tali sententiæ, quantumuis iniustæ, sed ab illa reclamare & recurrere ad iudicem ordinarium, vt illam tanquam iniustam reuocet, vel ad limites iustitiæ reducat, non obtenta priùs relaxatione iuramenti, vt fieri solebat, culpam esse periurii, eaq; de causa ibi prohibetur compromissa iuramento confirmare.

Objicies *l. si libertus ita iurauit. ff. oper. liber.* quam Disput. 30 retulimus, vbi habetur, etiam quando iuramento fuit confirmatum stare arbitrio seu arbitramento alicuius, non teneri eum, qui ita iuramento se astringit, illi stare, si arbitrium sit apertè excedens id, quod D æquitas rectaque ratio postulat: quoniam promissio illa intelligitur, modò arbitrium intra limites æquitatis sit latum: eo quòd id promittentes, ferè (hoc est regulariter) habent mentem, non aliter intendere se obligare illi stare, quàm si limites æquitatis non excedat iuramentum autem non ad plura se extendit, quàm se extendat promissio, quæ illo confirmatur. Ad hanc obiectionem dicendum est, illud esse verum, in foro quidem conscientiæ, quando ei, qui ita sub iureiurando se astrinxit, constat eam fuisse suam mentem, saltem quasi habitualem, dum id iuramento confirmauit, quia si tunc interE rogatus fuisset, an se astringeret stare sententiæ arbitri, quæcunque illa esset, neganter procul dubio responderet, assererque suam mentem non esse illi stare, si apertè esset inæqualis, notabiliterque excedens limites æquitatis. Quando autem habuit mentem, saltem quasi habitualem, astringendi se stare sententiæ arbitri quæcunque illa esset, aut dubius est, an eam quasi habitualem mentem habuerit, tunc in conscientiæ foro sub reatu periurii tenetur illi stare, vt dictum est, nisi priùs relaxationem iuramenti obtineat. In foro autem

tem exteriori dicendum est, si ex circumstantiis A concurrentibus intelligatur, mentem ita se adstringentis fuisse, non aliter intendisse se obligare illi stare, quàm si limites æquitatis aperte non excederet, standum est dispositio eius legis: id verò magis habet locum, quando sub iuramento permittitur stare arbitrio alterius partis, in cuius commodum id promittitur, de quo euentu loquitur ille textus, quàm quando sub iuramento promittitur stare arbitrio & sententiæ cuiusdam tertii. Dicendum præterea est, in re hac de compromisso iuramento confirmato, potiùs esse standum dispositioni iuris canonici theologorumque iudicio, quàm decisionibus iuris ciuilis, à iurisconB sultis, sæpe non multum inter se consentientibus, latis, & qui facilè errare potuerunt. Atque ad hæc admetienda sunt, quæ Gutier. de iuramento confirm. part. 1. c. 37. à n. 13. ex lege si libertus ita iurauit citata, deducit.

Quando autem arbitrium (idem de arbitramentum intellige) præciperet fieri aliquid illicitum, tunc constat non obligare, estò compromissum iuramento esset confirmatum: eo quòd iuramentum ad illicitum non obliget. Atque hic est euentus de quo sermo est c. Quintaualis de iureiur.

4 Vtrùm autem de iure ciuili detur hodie actio C ad cogendum stare sententiæ arbitri, quando compromissum iuramento fuit confirmatum. *Panor. c. non sanè* citato, & apertiùs *c. per tuas de arb.* affirmanter respondet. Quoniam, inquit, quamuis authentica decernit citata, tollat in eo euentu actionem, quam lex ne in arbitris concesserat; nihilominus de iure ciuili datur actio, vt seruetur quodcunque pactum iuramento confirmatum, argumento *l. vnica. ff. de conditione ex lege*, & ex aliis validioribus rationibus, quas nos tractatu 2 Disp. 256 ad id probandum confecimus. Contrarium tamen circa compromissum iuramento confirmatum arbitror esse asserendum: quoniam dari actionem de iure ciD uili ex pacto iuramento confirmato est intelligendum, præterquam si in aliquo euentu particulari ius ipsum ciuile contrarium aliqua de causa non disponat, vt ex se est notissimum, id ita esse intelligendum, eademque Disput. 256 citata dictum est: in re autem proposita, ad obuiandum malis, quæ suprà commemorata sunt, ius ciuile authenticis citatis disposuit, vt ex compromisso iuramento confirmato actionem daretur. *Ioan. Bap. 6. lib. de arb. c. 9.* & si nobiscum in hoc consentiat, putat tamen concedi actionem de iure ciuili communi ex compromisso iuramento confirmato, si in eo simul sit apposita pœna illi non stanti, aut si in eo simul E sit apposita stipulatio. Ducitur, quoniá ex his capitibus actio datur de iure communi, neque id impedire debet appositio iuramenti, quia vtile per inutile non vitiatur. Contrarium existimo esse verum: quoniam in eis quoque euentibus non minùs resisteret pars, quæ se grauatam sentiret, & recurreret ad iudices ordinarios, contra iuramentum præstitum, incurreretque periurium: præsertim cùm appositio pœnæ, & stipulatio adhibita, non impediant recursum ad ordinarium, quòd arbitrium sit iniustũ, ac proinde reuocandum ac moderandum.

5 Quando compromissum iuramento fuit confirmatum, siue intercenerit stipulatio, siue non, datur de iure canonico actio, vt stetur sententiæ arbitri, etiam antequam per partem aduersam expresè aut tacitè emologetur, vt aduersus Ant. à Burrio, quem *c. per tuas de arb. n. 11. refert*, sequentibus numeris Panor. affirmat, & res est satis perspicua. Si tamen sententia arbitri comperiretur apertè iniusta, de eodem iure canonico subueniretur parti ea iniustè grauatæ, relaxatione iuramenti, & reuocationis talis sententiæ, aut reductione illius ad limites iustitiæ, vt ex c. non sanè de arb. suprà relatum est.

6 Quando in compromisso iuramento confirmato, quòd sententiæ arbitri staretur, adiuncta fuit pœna ei compromisso & arbitri sententiæ non stanti, Innocentius, à Panor. vbi suprà relatus, asseruit, satis esse partem, quæ stare non vellet arbitri sententiæ, soluere pœnam, eaque solutione pœnæ electa, nec in conscientiæ nec in exteriori foro teneri stare sententiæ, nihil impediente ea iramenti confirmatione. Ducitur, quoniam iura exposuerunt, vt compromissum, in quo pœna esset apposita illi non stanti, ita intelligeretur, vt integrum esset parti, quæ arbitri sententiæ stare non vellet, soluere pœnam & ei sententiæ non stare, quasi obligatio tunc ex iuris dispositione sit sub disjunctione, vel ad soluendam pœnam, vel ad standum sententiæ, optione partis, quæ sententiæ stare non vellet, vt duabus Disputationibus præcedentibus visum est: quare cùm iuramenti vinculum ac obligatio non ad aliud se extendat, quàm ad ea, ad quæ id sese extendit, super quod cadit, & quod eo confirmatur, intellectum prout intelligeretur, si iuramento non esset confirmatum; consequens est, vt is de quo disputamus, soluta pœna in eo compromisso apposita, periurium non incurrat, nolendo stare arbitri sententiæ, neque in conscientiæ aut in exteriori foro cogi possit stare sententiæ: si quidem obligationi, ad quam eo compromisso iuris interpretatione se astringit, sufficienter ac quantum tenebatur satisfacit. Contrariam tamen sententiam meritò affirmant *Panor. c. per tuas* citato, *num. 13.* Baldus quem ibi citat, & doctores communiter, nempe eum, qui sub iureiurando se astringit seruare compromissum, in quo simul apposita fuit pœna illi non stanti, teneri in conscientiæ & in exteriori foro, etiam seculari ante iura authenticorum, & stare sententiæ arbitri, & soluere pœnam, si pœna etiam ab illo ob culpam transgressionis compromissi exigatur. Ratio autem est, quoniam ex iuramento non solùm resultat obligatio in conscientiæ foro sub reatu periurii adimplendi iuramentum, sed etiam, tam de iure canonico quàm ciuili, datur actio in foro exteriori, vt id impleatur, quod sub iureiurando est promissum, modò iniquum non sit, vt tractatu præcedente Disput. 256 ostensum est: & de iure ciuili, ante iura authenticorum, dabatur in re de qua disputamus l. ne in arbitris. C. de recep. arb. vt dictum est. Et quia iuramentum impleri sub reatu culpæ lethalis in ea ipsa forma debet, in qua est adhibitum,

tum, caditque supra compromissi obseruatio-
nem, sanè vi iuramenti oritur obligatio, non
solùm naturalis in conscientiæ foro, sed etiam
ciuilis, tam in foro ecclesiastico, quàm in secu-
lari, vt illi stetur, eaque de causa actio conceditur in vtroque foro, vt ea obligatio ac debitum impleatur ex dispositione tam canonici iuris quàm ciuilis, vt Disput. 256 citata ostensum est; tametsi ex causis suprà relatis denegata de iure authenticorum postea fuerit in solo euentu cõpromissi iuramento confirmati. Quia ergo iuramentum, quo compromissum confirmatur, cadit supra illius obseruationem, atque adeò stringit stare sententiæ arbitri sub reatu periurii, semper sine vllo dubio est obligatio vi talis iuramenti stare ei sententiæ, siue pœna insuper apponatur non stanti eidem compromisso ac sententiæ, siue non, atque ad id actio competit de iure canonico, & competebat de iure ciuili ante iura authenticorum: eaque de causa iuramentum adhibitum cuicunque pacto vim habet clausulæ rato manente pacto, atque adeò adhibitum compromissam vim habet clausulę, rata manente sententia arbitri, vt Disputatione præcedente & tractatu 2. Disp. 556 cum Panor. vbi suprà & cum communi doctorum sententia est dictum. Et quia quando simul additur pœna non stanti compromisso, aut alteri pacto iuramento confirmato, non vanè ea pœna subiungitur, viſque iuramenti, quo id totum pactum confirmatur, sese extendit ad solutionem eius pœnæ, si exigatur, inde sanè proficiscitur, quòd quando pactum aliquod munitur iuramento & pœnæ appositione non stanti pacto, aut vtrumque coniunctim teneatur transgressor eius pacti, nempe ad illi standum & ad soluendam pœnam ob transgressionem incursam, si ei pacto non stet, eaque pœna exigatur; atq; etiam quòd ad vtrumque coniunctim actio detur in foro ecclesiastico ac seculari de canonico ac ciuili iure. Quod fefellisse Innocẽtium videtur, est, non attendisse ad radicem & originem, vnde de iure solo ciuili fuit dispositum, eum, qui compromissum solo pacto nudo celebrauit, apposita in eo pœna non stanti sententiæ arbitri, solutione pœnæ liberari in foro seculari ab onere standi ei sententiæ. Quia enim de iure ciuili communi ex pacto nudo actio non datur, si tamen pœna sit apposita, aut tradita sint pignora, vel dati sint obsides aut fideijussores, actio de eodem iure ciuili communi in foro exteriori datur, vt vel stetur sententiæ, vel pœna soluatur, aut pignora amittantur, vel obsides retineantur, vel fideijussores soluere interesse cogantur, vt duabus Disputationibus præcedentibus dictum est; inde euenit, quòd de iure ciuili communi, quando compromissum solo pacto nudo fuit celebratum, apposita pœna non stanti compromisso ac sententiæ arbitri, is, qui stare noluerit ei sententiæ, cogi ad id non possit in foro seculari soluendo pœnam in compromisso appositam. Quia tamen ea conuentionalis pœna neque rationem pœnæ haberet, neque licitè in conscientiæ foro exigi ac accipi posset, nisi ob veram culpam antecedentem; sanè, qui stare non vult ei compromisso pacto nudo celebrato, in quo pœna illi nõ stanti fuit apposita, veram culpam commisit, si non contra obligationem ciuilem, quæ ex pacto nudo dispositione iuris ciuilis communis non oritur, certè contra obligationem naturalem, quæ ex eodem pacto nudo oritur, vt Disp. 34 & aliis locis ibi citatis fuit ostensum. Ex eo ergo ea dispositio iuris ciuilis communis vim habet, quòd de eodem iure ciuili communi ex pacto nudo non oriatur ciuilis obligatio, nec proinde detur actio: cùm tamen debitum naturale atque in conscientiæ foro ex eodem pacto nudo oriatur, vt sæpe dictum est. De iure autem canonico, & in hoc regno, quia ex pacto nudo oritur ciuilis obligatio & datur actio, consentitque omnino de vtroque iure exterius forum cum conscientiæ foro; itemq; quia de iure ciuili communi, si pactum compromissi, aut quoduis aliud nudum, stipulatione vallatur, oritur ex illo ciuilis obligatio, & datur actio ad cogendum eum, qui illi stare non vult, vt illi stet; sanè, estò simul sit apposita pœna non stanti ei compromisso aut pacto, cogi potest illi stare, neque ab eo onere liberabitur, si ipse eligat soluere pœnam. Quia tamen in eiusmodi pactis iuramento non confirmatis, quando simul apponitur pœna eis non stantibus, neq; additur clausula, rato nihilominus manente pacto, ius ciuile dispositum, (canonico non refragante) quòd obligatio non intelligeretur ad vtrumque simul, nempe & ad standum pacto, & ad soluendam pœnam, si ei stare renueretur, sed ad alterum eorum; sanè, quia vi talis pacti debitum ciuile oritur, & actio datur ad cogendum eum stare pacto, qui illi stare noluerit, optio tunc non est eius, qui renuit, soluere pœnam, & non stare pacto, sed est optio partis aduersæ, vt eum cogat stare omnino pacto, vel soluere pœnam, & insuper agere ad incrementum interesse, si maius erat in eo, quòd pacto staret, quàm esset valor pœnæ, vt Disputatione præcedente & copiosius tractatu 2 Disp. 556 est comprobatum. Quando verò compromissum, aut quoduis aliud pactũ, iuramento fuit confirmatum, & simul in eo apposita fuit pœna non stanti ei pacto, quia pactum ita iuramento confirmatum ad vtrumque coniunctim obligat, vt explanatum est, ac proinde eo ipso in eo pacto virtute censetur apposita clausula, rato nihilominus manente pacto, ius ipsummet ciuile expressit, transgredienteм eum pactum ad vtrumque posse cogi coniunctim, nempe & ad standum pacto, illudque omnino implendum, & ad soluendam insuper pœnam. Sic sanè est dispositũ l. si quis maior. C. de transi. vbi habetur, si transactio iuramento fuit confirmata, appositaque fuit pœna non stanti ei transactioni, tunc non satis esse eum, qui ei trãsactioni stare non vellet, pœnam soluere, sed cogendum vlteriùs esse stare transactioni. Idemq; ibidem subiungitur esse de cæteris pactis iuramento confirmatis. Atque hic sanè textus manifestè conuincit falsam esse opinionem Innocentii, etiam stando in dispositione iuris ciuilis communis & in foro seculari. Lege quæ copiosiùs hac de re Disp. 556 citata dicta sunt. Consentit *authenticum de iudicib. §. quia verò.* Eo enim in loco idcirco prohibetur fieri compromissum iuramento confirmatum, quoniam partes tenentur illi stare quocunque modo lata sit sententia: atque subiungitur, vt compromissa solùm fiant appositis pœnis illis non stantibus, qua soluta, integrum partibus sit non stare sententiæ, sed recurrere ad iudices ordinarios circa

eandem

eandem causam. Quòd si in compromisso iuramento confirmato, in quo pœna esset apposita illi stare nolenti, licitum in foro conscientiæ & exteriori esset illi non velle stare & soluere pœnam, vt Innocentius affirmat, sanè necesse nõ esset prohibere ob causas in eo authentico redditas compromisso iuramento confirmata, sed satis esset admonere & prohibere, ne iuramento compromissa confirmarentur, nisi pœna simul in eis apponeretur, qua soluta recursus immunis à culpa esset ad iudices ordinarios circa eandem causam.

7 Quando compromissum iuramento est confirmatum, atque adeò sub iure iurando est promissum, quòd stabitur sententiæ arbitri, tunc eo ipso censetur sub eodem iuramento virtute renunciatum sub periurii reatu petitioni reductionis talis sententiæ ad æqualitatem arbitrio prudentis, renunciatumque censetur appellationi ab ea sententia, quantum, iuxta ea quæ suprà dicta sunt, constauerit mentem iurantis fuisse cum tanta læsione intendisse se obligare, aut dubium fuerit, an cum tanta læsione intenderit se obligare: non verò censetur renunciatum quantum constauerit non intendisse se sub eo iuramento obligare: nam tunc sine vllo periurii scrupulo, tam in conscientiæ quàm in exteriori foro, poterit in foro exteriori petere reductionem eius sententiæ ad limites iustitiæ prudentis arbitrio, ab eaque in hoc & Lusitaniæ regno poterit appellare. In aliis autem euentibus, in quibus certum fuerit intendisse illos comprehendere sub promissione, aut compromisso, iuramento confirmatis, vel fuerit dubium an eos comprehendere intenderit, sic est dicẽdum. Siue quis virtute, modo explicato, intenderit renunciare petitioni reductionis sententiæ ad æqualitatẽ, & appellationi ab ea sentẽtia, quia cõpromissum iuramento confirmauit, siue expressè, quia expresè sub iure iurando promisit non petere eam reductionem, neque ab ea sententia vllo modo reclamare aut appellare, tunc in euentibus, in quibus disputatione præcedente est dictum locum non esse petitioni reductionis, quin & in euentibus, in quibus id fuerit dubium, quia non constat de iniusto grauamine sententiæ, peti non potest talis reductio, nec appellari potest à tali sententia, idque sub reatu culpæ lethalis, nec in eis euentibus relaxari ad id potest id iuramentum in præiudicium tertii, in cuius commodum ac fauorem est præstitũ: quoniam id operatur ea renunciatio iuramento cõfirmata: quin & renunciatio tali petitioni & appellationi, etiam si iuramento confirmata non esset, operaretur non posse peti tunc reductionem, eo quòd de inæqualitate iniustoque grauamine non constet, atque in dubio, etiam si renunciatum non sit petitioni eius reductionis, standum sit sententiæ arbitri atque arbitratoris, vt ex se patet, & Disput. 30 est comprobatum. Quando verò de grauamine iniusto constaret, peti priùs possit & concedi debet relaxatio eius iuramenti, vt possit peti reductio talis sententiæ ad æqualitatem, ab eaque appellari: eaque relaxatione priùs obtenta, licitè ac validè posset peti ea reductio, & appellari à tali sententia, non secùs ac si compromissum non fuisset iuramento confirmatum, aut atque si expresè sub iure iurando renunciatum non fuisset petitioni talis reductionis. Ante relaxationem verò iuramenti, culpa periurii esset illam petere: eo quòd illam non petere malum non sit, ad idque obligat iuramentum, interim dum ritè non est relaxatum. Obserua tamen, iudicem, ad quem spectat relaxare id iuramentum, non debere illud relaxare, nisi summariè ipsi apparenter constet de iniustitia sententiæ, quoniam illud aliter relaxare esset in præiudicium tertii, in cuius fauorem fuit præstitum: neque quando illud relaxat, potest aliter illud relaxare, quàm ad effectũ agendi examinandive coram iudice ordinario, num arbitri sentẽtia sit iniusta, vt locum habeat reductio eius sententiæ ad limites iustitiæ, cessetque iniustam grauamen huius partis, iniustitiaque & peccatum alterius partis. His paucis explicatum habes, quid de hac re sit censendum, circa quam *Panor. c. Quintaualis de iure iur. num. 32.* ait, quot capita, tot esse sententias, quas ibi refert.

A sententia arbitrorum iuris an liceat appellare. Disput. 37.

SVMMARIVM.

1. *A Sententia arbitrorum iuris appellandum est, perinde atque à sententia iudicum ordinariorum ac delegatorum.*

QVinam hi arbitri sint, Dispu. 31 fuit explanatum. Quod ad eos verò attinet, cũ iurisdictionem non secùs atque alii iudices ordinarii habeant, vt disputatione citata & Disput. 25 ostensum est, vereque iudices sint, idem de illorum sententia est dicendum, quoad vim obligandi, & quoad actionem quæ ex illa resultat, quod de sententia aliorum ordinariorum ac delegatorum dictũ est. Vnde à sententia illorum perinde appellatur, atque à sententia illorum ordinariorum ac delegatorum iudicum, quando iuris dispositione non est sancitum, vt ibi iudicium finiatur, neque appellatio ni concedatur locus. Id constat ex *c. ab arbitris*, iuncta *glossa vlt. ibi, de offic. deleg. lib. 6. & ex l. vlt. C. de iudiciis*, atque affirmant *Panor. c. cum dilectus de arb. Couar. 2. var. resc. 12. n. 3. Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 6. n. 13.* & doctores communiter. Eodem quoque modo sententia ipsorum transit in rem iudicatam, & mandatur exequutioni, ac aliorum iudicum. Denique, quæ infrà de appellatione à sententia iudicum ordinariorum dicentur, suo modo sunt aptanda appellationi à sententia eiusmodi arbitrorum.

De compromisso in arbitratorem presse, quo vsque varie effectum actio ex illo resultet, aut non. Et num in sententia arbitratoria locum emologatio habeat. Et quo vsque, & intra quantum tempus reductio illius ad limites æquitatis peti possit & apud quem. Disput. 38.

SVMMARIVM.

1. *QVando compromissum est in aliquem arbitratorem, vt aliquid definiat in complementum*

mentum alicuius contractus, ex quo actio de iure ciuili detur, tunc estò compromissum in arbitrũ celebratum sit pacto nudo, non solum de iure canonico, sed etiam de iure ciuili datur actio, vt id arbitramentum exfecutioni mandetur.

2. *Nisi compromissum in simili arbitratore vallatum sit stipulatione, aut factum sit simul cum contractu principali societatis, tunc secuto postea iuramento non datur de iure ciuili communi actio ad illius exfecutionem, eo quòd id compromissum sit pactum nudum.*

3. *Si compromissum esset factum in aliquem, quantũ pro iniuria accepta aut pro damno dato esset soluendum, tunc secuto arbitramento, quod reducendum non sit ad limites iustitiæ arbitrio prudẽtis, datur actio de iure ciuili communi ad exfecutionem talis arbitramenti.*

4. *Si arbitramentum intra dies decem non reclametur, & expressè esset emologatum, & à partibus receptum, non est tunc locus reclamationi, sed mãdandum est executioni.*

5. *Vt pars altera arbitramentum, quo pars altera existimat se grauari iniustè, reuocet, aut ad iudices iustitiæ reducat, reclamare debet ad iudicem ordinarium, qui de ea causa cogniturus esset, si partes non compromisissent in arbitratorem.*

6. *Si duo arbitratores sunt electi ad aliquod arbitramentum ferendum, atque in arbitramento discordent, tunc præcipit iudex partes eligere tertiũ, vt id arbitramentum præualeat, in quo duo ex illis tribus conuenerint.*

7. *Quando duo arbitratores electi de consensu partium, præstito eis iuramento se sincere arbitraturos, concordauerint in eodem arbitramento, tunc si pars aliqua se senserit grauari, recursum habeat ad iudices ordinarios, proponendo tamen rationem coram illis, cur se iniustè grauatam eo arbitramento sentiat.*

8. *In Lusitania arbitramentum arbitratorum reuocari non potest, nisi pars, quæ petit illud ad limites iustitiæ reduci, alleget se esse in eo grauatam in sexta parte cum minimum iusti valoris.*

9. *Quando in arbitratorem est compromissum, pœna ei apposita, qui arbitramento non steterit, tunc id non impedit, quo minus ab arbitramento positi reclamari ac peti, vt ad limites iustitiæ reducatur.*

10. *Arbitratores iurare possunt se verum arbitramentum laturos & partes confirmare compromissum in arbitratorem: præsertim si arbitratores ministri publici sint.*

QVamuis Bart. & Panor. locis proximè citandis, de arbitratore loquantur latiùs sumpto, iuxta suam opinionem Disp. 30 relatam ea impugnatam; nobis tamen hoc loco solùm est sermo de arbitratoribus presbè, quales sunt, qui eliguntur ad complementum contractuum, vt quam portionem lucri vnusquisque sociorum ex societatis contractu debeat accipere, ad arbitrandum pretium rei venditæ, locationis, &c. ad arbitrandum quas operas præstare liberas patrono debeat ob conditionem libertatis, quando illæ arbitrio alicuius sunt relictæ; ad arbitrãdum, quantum pro iniuria accepta accipere eis debeat, eíve debeat solui, qui actionem iniuriarum habet, atque in arbitrium alicuius relinquitur, quantum id esse debeat ob damnum datum; ad arbitrandum, facta noui operis nunciatione, an locum habeat, & quo vsque locum habeat, destruíque aliquid debeat, aut non debeat, & in aliis similibus euentibus, in quibus arbitramentum dependentiã atq; ortum habet ex aliquo cõtractu, tanquã cõplementũ illius, aut exactione aliqua, vt iniuriarum, legis Aquilię ob damnum datum ad damnum resarciendum, aut etiam ad soluendam simul pœnam, exactione nunciationis noui operis, & similium, iuxta ea quæ Disput. 30 citata explicata sunt. Cùm his etiam comprehendere possumus arbitros testamentarios, & quos cum illis Disput. 31 tanquam eis affines computauimus: quin & quos iudices interdum ad aliqua arbitranda deputant, vt eo arbitramento peritorum in sua arte præsuppositò, ipsi circa ea iudicium ferant, quæ id præuiũ arbitramentum requirunt, de quibus etiam Disput. 31 citata est dictum. Atque de his tantùm omnibus arbitratoribus, tanquam de distinctis ab arbitris, loquitur ordinatio Lusitana. *lib. 3. titu. 82. vt ibi patet.*

Bart. l. si societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio. n. 14. post Innocentium. *6. Quintanalis de iure iur. Panor. eodem c. Quintanalis. num. 15.* & doctores communiter, rectè affirmant, quando compromissum est in aliquem arbitratorem, vt aliquid definiat in complementum alicuius contractus, ex quo actio de iure ciuili detur, vt quam portionem lucri quisque sociorũ ex contractu societatis debeat accipere, quãtum pretium solui debeat ex re vendita, ex re locata, &c. tunc, estò compromissum in arbitrum celebratum fit pacto nudo, non solùm de iure canonico, sed etiam de iure ciuili dari actionem, vt id arbitramentum exequutioni mandetur, nihil impediente, quòd nulla pœna fuerit statuta ei, qui tali arbitramento stare non vellet. Si tamen pars aliqua se iniustè grauatam eo arbitramento reperiat, tunc ei conceditur petere vt arbitrio prudentis ad æqualitatem ad iustitiæve limites reducatur, iuxta. §. *arbitrorum* citatum, & leges ibi sequẽtes, & iuxta *l. si libertus iurauerit. ff. de oper. lib.* & iuxta alia iura. Quòd autem tunc ea actio detur, etiam de iure ciuili, vt id arbitramentum exequutioni mandetur, cum ea moderatione, vt peti possit reductio ad limites iustitiæ, si pars se inueniat iniustè eo arbitramẽto grauatã, ex eo cõstat, quòd ea actio non oriatur præcisè ex eo pacto nudo, neque sit actio ex eo pacto nudo, sed ex contractu principali societatis, venditionis, locationis, aut alterius, ex quo actio de iure ciuili datur, vt subsequuto eo arbitramento, tanquam complemento illius alterius contractus principalis, exequutioni mandetur, principalisque contractus complementum id accipiat, vt perficiatur: si quidem vsque ad id arbitramentum, & vsque ad illius exequutionem, contractus principalis non est perfectus.

Quia verò ad exequutionem arbitramenti actio datur de iure ciuili ex illo alio contractu principali, ait bene *Ioan. Bap. lib. 6. de arb. in calce. c. 7.* eo ipso quòd arbitrator munus arbitratoris quo ad id acceptauit, cogi posse de iure ciuili communi ac debere à iudicibus ordinariis ferre arbitrium ad petitionem vtriusque aut alterius partis eorum, qui in illum ita compromiserunt: quoniam cùm vi contra-

ctus principalis actioneque ex contractu principali partes cogi possint stare arbitramentum illius, ipse sanè eo ipso, quòd munus acceptauit, tenetur arbitrium proferre, iuxta ea quæ de arbitratore disputationibus præcedentibus dicta sunt, tunc scilicet teneri arbitrium proferre, quando partes cogi possunt illi stare, aut soluere pœnam illi non stanti appositam.

2 Innocentius. c. Quintaualis citato asseruit, nisi compromissum in eiusmodi arbitratore vallatum sit stipulatione, aut factum sit simul cum contractu principali societatis, venditionis, aut alio simili, ex quo actio de iure ciuili detur, vel nisi illi sit adiunctum statim in continenti, & nõ ex interuallo, tunc sequuto postea arbitramento; non dari de iure ciuili communi actionem ad illius exequutionem: eo quòd id compromissum sit pactum nudum, & de iure ciuili communi ex pacto nudo non datur actio, nisi vestiatur cohærentia alterius contractus simul cum eo contractu illud celebrando, aut illud ei adiungendo in continenti, & non ex interuallo, vel nisi aliquo alio modo vestiatur, desinereque efficitur esse pactum nudũ, & transire efficiatur in pactũ vestitũ, iuxta ea quę tractatu. 2 à Disp. 255 copiosè explanata sunt. Dabitur tamen ex eo compromisso compensatio cõparatione alterius debiti ciuilis & exceptio, iuxta ea quæ Disp. 34 & tractatu. 2. Disp. 257 explanata etiam sunt. Bartolus tamen & Panor. vbi suprà meritò asseuerant, etiam quando ex interuallo compromissum fuit in arbitratorem ad complementũ contractus antecedentis societatis, venditionis, aut cuiusuis alterius, ex quo de iure ciuili communi actio in foro exteriori datur, dari actionem de eodem iure ciuili communi ad exequtionem eius arbitramenti, non secùs atque si idem compromissum celebratum esset simul cũ illo alio contractu, aut in continenti statim post illum; dari tamen eam actionem ad exequtionem eius arbitramenti, non quidem ex pacto nudo, quo id compromissum ex interuallo post- ea fuit celebratum, sed ex cõtractu illo alio principali, sequuto complemento eiusdem contractus principalis eo compromisso & arbitramẽto: tunc enim actio ex contractu principali datur, vt, quod arbiter iudicauit, exequutioni mãdetur, tanquam complementum contractus principalis, & tanquam verè debitum ex contractu illo principali. De iure autem canonico, & de iure huius regni, actio ex illo pacto nudo daretur, etiam ratione solius eius pacti nudi, vt ex dictis Disp. 34 & 35 constat.

3 Obserua, quando compromissum esset factũ in aliquem, quantum pro iniuria accepta, aut pro damno dato, esset soluendum, siue arbitrator futurus sit alter compromittentium, siue aliquis tertius, & in aliis similibus euentibus, in quibus compromissum non fieret, vel simul cũ contractu, ex quo daretur actio de iure ciuili communi, aut in continenti post illum, vel ex interuallo ad complementum illius, iuxta ea quæ proximè dicta sunt; tunc sequuto arbitramento, quod reducendum non sit ad limites iustitiæ arbitrio prudentis, aut quòd iam ad eos limites sit reductum, dari actionem de iure ciuili communi ad exequutionem talis arbitramenti, etiam si compromissum non fuerit stipulatione

A vallatum, idque vel vi actionis, quæ competebat, vt id solueretur, aut etiam vt solueretur aliquid amplius, vt vi actionis iniuriarum, legis Aquiliæ, aut alterius similis; vel certè dari actionem vi talis compromissi, quod vestitum est adimpletione partis offensæ, aut quæ damnum accipit, quæque eo compromisso cum effectu destitit ab actione iusta, quæ ipsi competebat, in recompensam vt ei solueretur, quantum arbiter, in quem id compromittebatur, iudicaret: quando enim pactum non gratuitum vestitum est adimplerione illius facta ab vno contrahentium, datur ei actio de iure ciuili communi aduersus alterum remanentem implere etiam cõ- B tractum, vel reponatur in statu, in quo erat ante eum contractum, si id fieri possit, & si fieri possit, ad interesse, vel vt cogat alteram partem contractum ex sua etiam parte implere, optione eius, qui ex sua pare impleuit, ad quod prædictorum agere maluerit, iuxta ea quæ tractatu 2, Disput. 255 dicta sunt. Quando autem actio integra manet & perseueret minimè remissa, vt nunciationis noui operis, aut iniuriarum, vel alia similis, & arbiter ad aliquid ad illam terminandam necessarium deputatur, vel à potestate publica, vel ex consensu partium, tunc actio principalis est, quæ manet, vt id fiat, quod, supposito eo arbitramento, reperiatur esse C iustum habita ratione iuris, quod ea actione competit.

Nostra autem sententia, iuxta ea quæ Disput. 30 dicta sunt, non minùs vi compromissi potest in arbitramento dari euentus, in quo locum nõ habeat, arbitramentum reduci debere ad limites æqualitatis, esto, spectata natura rei, tale arbitramentum inæquale ac non rectum reperiatur, quàm in arbitrio. Si enim, qui in arbitratorem compromiserunt, quasi se exponentes periculo ac commodo, aliæque fortunæ, statuerunt, vt omnino & absque aliqua reclamatione starent arbitramento illius, quicquid in commodum, ita vt ei periculo (sicut & commodo) D mutuò se vnus in alterius gratiam se exponerent, aut in damnum cuiusque eorum inde resultaret, tunc sanè locum non habet reductio arbitramenti ad limites æquitatis ac iustitiæ, vt de simili euentu arbitri Disput. 30 citata & aliis sequentibus dictum est, idque propter rationem ibi redditam, eoque modo intelligo legem *ſi ſocietatem. §. arbitrorum. ff. pro ſocio*, in qua non minùs de atbitratoribus, quàm de arbitris, sub generali arbitrorum nomine est sermo, vt Disput. 30 ostensum est. Si tamen tunc pars aduersa in causa fuisset, vt id arbitramentum eo modo inæquale ac iniustum ferretur, tunc exceptio de dolo competeret, vt exe- E quutioni non mandaretur, sed reduceretur ad æqualitatem, damnaque resarcirentur parti eo arbitramento grauatæ sequuta, iuxta ea quæ Disput. 30 citata & aliis sequentibus dicta sunt. Quando autem ex compromisso & ex circumstantiis non constat, compromittentes ei discrimini se voluisse subjicere, tunc semper, quando arbitramentum reperitur irrationabile ac iniustum, locum habet petitio, vt ad limites iustitiæ & æqualitatis prudentis arbitrio reducatur, vt de arbitramento & arbitrio Disp. 30 citata & aljis sequentibus dictum comprobatumque est.

4 Vtrùm autem, si arbitramentum intra decem dies non reclametur, ac petatur reduci ad limites iustitiæ prudentis arbitrio, censeatur tacitè emologatum, ita vt deinceps ea reclamatio ac petitio non prosit, sed exequutioni per iudices ordinarios mandetur, vt est prolatum. In primis, si expresè esset emologatum ac receptum à partibus, tunc non dubito deinceps locum nõ esse reclamationi, sed, nihil ea reclamatione impediente, mandandum esse exequutioni per iudices ordinarios, vt in calce Disput. 35 circa septimum, quod ibi obseruauimus, dictum est, & consentit *Panor. c. Quintaualis de iure iur. num. 14.* Sibi autem imputet pars, quæ eo est grauata, quòd semel illud approbauerit. Quod verò ad tacitam emologationem attinet ex eo, quòd intra decem dies non reclametur, & petatur reduci ad limites iustitiæ, in eodem calce Disput. 35 cum *Gregorio Lopez. l. vlt. titu. 4. part. 3. glossa vlt.* & cum Roderico Xuarez diximus, de iure huius regni censeri tacitè emologatum, ac mandari exequutioni, vt est prolatum, non admissa reclamatione, aut petitione reductionis illius ad limites æquitatis & iustitiæ, vt apertè constat ex l. 23. titu. 4. part. 3. quæ perspicuè de omnibus arbitratoribus quo ad id loquitur, iuncta. *l. 4. titu. 21. lib. 4, nouæ collect.* Quin, si intra quinque dies non reclametur & appelletur, censebitur tacitè emologatum in hoc regno, vt deinceps non admittatur appellatio ab illo & petitio vt ad limites æquitatis reducatur, iuxta. *l. 1. titu. 18. lib. 4. nouæ collect.* & ea quæ Disput. 35 citata explanata sunt. Quod verò ad ius commune attinet, variè sunt doctorum sententiæ, quas inter alios referunt *Greg. Lopez, glosa vlt.* citata & *Panor. c. Quintaualis de iure iur. num. 16.* iuncto. *num. 14.* antecedente. Et loquuntur hi autores de arbitratore latè sumpto iuxta ipsorum opinionem Disp. 30 relatam ac impugnatam. Albericus & alii censuerunt, arbitramentum reclamari posse & peti reductionem illius ad limites iustitiæ intra triginta annos, & deinceps eam reclamationem ac petitionem locum non habere. Bartolus verò censuit reclamari posse intra annum & peti eam reductionem: post annum verò locum non habere. Atque hanc opinionem eligunt ac statuerunt Lusitanæ ordinationes *lib. 3. titu. 82. §. 5. sancientes*, vt ea reclamatio erit intra annum à puncto lati arbitramenti, & coram iudicibus ordinariis, ad quos spectat examinare id arbitramentũ ac definire, num approbari aut reuocari debeat, vel mutari ac reduci ad limites æquitatis; vel vt ea reclamatio fiat alibi accepto publico instrumẽto illius, & vt alioquin nõ admittatur. Panor. verò loco citato asseruit, eam reclamationem ac petitionem solùm posse fieri intra decem dies ad appellandum ab aliis grauaminibus datis: illis verò transactis, censeri arbitramentum approbatum seu emologatum, neque deinceps locum esse reclamationi & petitioni, vt ad limites æquitatis ac iustitiæ reducatur: vnde in eo nullum constituit discrimẽ inter arbitrium & arbitramentum. Atque hanc sententiam elegerunt ac statuerunt conditores partitarum. l. 23 citata, quæ mihi sanè probatur, rectèque eam probat *Panor. num. 16.* citato. Eam verò id quoque non parum confirmat, quòd iura nullum discrimen efficiant inter arbitros presè & arbitratores presè, sed eos generali ar-

A bitrorum nomine comprehendant, vt Disput. 30 ostensum est. Quo fit, vt lex penult. *C. de recep. arb.* tam de arbitrorum quàm de arbitratorum sententia quoad emologationem expressam & tacitam loqui videatur, sitque intelligenda.

Ad quem autem sit reclamandum, vt arbi- 5
tramentum, quod pars altera existimat ipsam iniustè grauare, reuocet, aut ad limites iustitiæ reducat, & quisnam futurus sit bonus ac prudens vir, ad cuius arbitrium id sit faciendum. Dicendum est, reclamandum esse ad iudicem ordinarium rei, qui de ea causa cogniturus esset, si per partes non compro-
B mississet in arbitratorem, quique arbitramentum mandare debet exequutioni, si non reperiatur apertè iniustum, aut postquam ad iustitiæ limites fuerit reductum: idque non solùm quando actor ab eo arbitramento reclamat, sed etiam quando reus ab illo tanquam ipsum iniustè grauante reclamat: atque id ob ea, quæ in simili dubio circa arbitri sententiam seu arbitrium Disput. 35 dicta sunt, quæ opus non erit hoc loco repetere. Ipse verò iudex, ad quem reclamatur, est bonus ac prudens vir, ad cuius arbitrium reduci ad æqualitatem debet arbitramentum reclamatum, si illud iniustum reperiat, iuxta. *l. continuus. §. cùm*
C *ita. ff. de verb. oblig.* cuius verba sunt: *Cùm ita stipulatus sim, Ephesi dari, inest tempus*, (congruum scilicet, in quo id impleri commodè possit) *Quod autem accipi debeat, quæritur. Et magis est, vt totam eam rem ad iudicem, id est ad bonum virum, remittamus, qui æstimet, quanto tempore diligens poterit facere. Et reg. 31. titu. vlt. part. 7.* sic habet: *E aun dixeron, que por esta palabra, ome bueno, se entiende el juez ordinario de la tierra. E por ende do quier que sea fallado escrito en ley, o en postura, que alguna cosa sea librada por albedrio de ome bueno, sea entendido que el juez ordinario de la tierra la a de librar.* Quando tamen iu-
D dex ipse indiget peritis in aliqua arte, qui de ea re arbitrentur, rationemque apud ipsum reddant iustitiæ, aut iniustitiæ eius arbitramenti, vt ipse statuat ac pronunciet quid ea in re tenendum sit, ipse eligere eos debet. Atque hoc est, quod *lex. 23. titu. 4. part. 3.* disponit illis verbis; *Cada si maliciosamente, o por engaño, fuesse dada la tal sentẽcia*, (arbitrorum videlicet) *deue se endereçar e enmendar segun el albedrio de algunos omes buenos, que sean escogidos para ello de los juezes ordinarios de aquel lugar do la tal cosa acaescieſſe.* Vnde non est, cur ibi Gregorius Lopez hæc verba subiecerit:
E *Non vidi hoc seruari in practica; sed tantùm cognoscit iudex, prout est de iure communi, sine electione horum virorum.* Quando enim iudex ordinarius non indiget ad ea de re iudicandum arbitrio peritorum in aliqua arte, sine illis iudicat: quando verò arbitrio & instructione illorum indiget, eos deputat & audit, supposito illorum arbitrio, rem definit ac determinat. Atque hi interdum aliquibusque in locis deputati sunt publica autoritate; vt vniuersim in cuentibus, quæ occurrerint arbitrentur in iis, quæ ad suam artem attinent, vt *veedores* in hoc regno nuncupantur, de quibus Disput. 8. ex parte est dictum: interdum verò à iudicibus ad par-

ticularia

ticularia aliqua occurrentia deputantur, quando deputati non sunt, aut quando, qui erant deputati, suspecti ab aliqua partium non immeritò habentur. Ordinationes Lusitanæ *lib. 3. titu. 82.* in prin. sic habent: *Os aluidradores conheceraam soomente das cousas que estam en feito. E quando per ante elles for aleguada alguã cousa em que caiba duuida de dereito, remetelaam a os juizes da terra que à desembarguem è determinem como acharem por dereito, è di emdiante, auida sua determinaçam, procederaam em seu aluidramento segum lhe bem parecer, guardando sempre a vsança geral da terra, que no tempo de seu aluidramento for acostumada.* Et. §. 1 sic subiungitur: *E estes aluidradores seram aiuramentados a os sanctos euangelhos, que bem e dereitamente façam o aluidramento que lhes for encomendado, posposto toda afeiçam è odio, que ajam a cada hũa das partes a que pertenecer o aluidramento. E hua em estes regnos alguũs luguares onde seram estes aluidradores enlegidos por los officiaes dessas cidades e vilas pera geralmente facerem estes aluidramentos,* (hi sunt de quibus Disput. 8. habitus à nobis est sermo) *e estes seram aiuramentados logo no começo quando forem elegidos pera tal carreguo. E se as partes, a que o aluidramento pertencer, ouuerem suspeiçam alguũ dos ditos aluidradores, notificalaam a os juizes, que ho mandarem fazer,* (in quo concordat ea ordinatio cum relatis suprà ex. *l. 23. titu. 4. part. 3.*) *pera eles verem sua suspeiçam se he tal que proceda, e assi cometerem o dito aluidramento a outra pessoa sem sospeita, chomais aprazimento das partes que ser possa. E estes aluidradores que assi forem electos e deputados em as ditas cidades e vilas pera fazer os ditos aluidramentos como dito he, guardaram acerca delles as ordenanças, que per essas cidades ou vilas forem para ello feitas. E acotecendo alguum caso, que nom seja determinado per as ditas ordenanças dessas cidades ou vilas, en tam determinaram eses casos per nossas ordenacões.*

6 Ibidem. §. 2. subiungitur, si duo arbitratores sint electi ad aliquod arbitramentum ferendum, atque in arbitramento discordent, iudex tunc præcipit partes ipsas eligere tertium, vt id arbitramentum præualeat, in quo duo ex illis tribus conuenerint. Quòd si partes non consenserint in eligendo illo tertio, iudex tunc ex suo officio illum eligit, cuiare tamen debet, vt sit is, in quo partes minus dissentiant. Idem non dubito esse in quocunque alio euentu, in quo arbitratores discordauerint, & æquales fuerint pro vtraque parte.

7 Ibidem. §. 3. additur, quando duo arbitratores electi de consensu partium, præstitoque eis iuramento ipsos sincerè arbitraturos, concordauerint in eodem arbitramento, tunc si pars aliqua se senserit eo iniustè grauata, recursum habere ad iudices ordinarios, proponendo tamen rationem coram illis, cur se iniustè grauatam eo arbitramento sentiat: atque iudices tunc, nihil impediente præcedente arbitramento, rem examinant; causasque iniustitiæ arbitramenti ipsis propositas & vel confirmant, vel reuocant, vel mutant arbitramentum, vt ipsis æquum videtur. Idem non dubito esse, quando reclamatur

A ab arbitramento vnius tantùm arbitratoris ad illud ferèdum à partibus electi, vel ab arbitramento in quo duo ex tribus conueniunt, vel tres aut plures concordant. Quòd si iudices ordinarii, qui de eo arbitramento, num iustum sit, ita iudicant, inter se discordent, tunc partes eligere debent vnum tertium, cui adhibitum sit iuramentum de sinceritate iudicando, atque tunc id arbitramentum iudicis præualet, cum quo tertius ille concordauerit, neque ab eo arbitramento vlla in hoc regno admittitur vlterior reclamatio aut appellatio. Idem cum Bart. affirmat *Panor. c. Quintanalis de iure iurando. num. 40.*

B esse dicendum stando in iure communi. Si autem partes non consentiant in illo tertio eligendo, iudices ipsi ex suo officio illum eligunt, curareque debent, vt sit is, in quo partes plus consentiant minúsve dissentiant. Hæc habentur ibidem. §. 4. Longè autem maiori cum ratione quando iudices ordinarii cõcordarent in arbitramento suo, siue illi essent duo, siue vnus, quia ad vnum tantùm fuit reclamatum, siue duo ex tribus, non conceditur in eo regno reclamatio vlterior ad iudices ordinarios. Obserua tamen in eo regno fas esse parti, quæ se iniustè grauatam sentit ab arbitramento arbitratorum, non vti remedio

C proximè explicato, sed appellare ab eo arbitramento intra decem dies ab illo lato, & credo appellationem tunc interponendam esse *a os desembarguadores do ciuel.* Ita habetur. *l. 3. ord. titu. 62. §. 2.* In hoc tamen Castellæ regno conceditur iuxta *l. 4. titu. 21. lib. 4. noua collect.* Disput. 35 relatam, quæ etiam de arbitramentis & arbitratoribus loquitur. Atque quo vsque reclamatio vlterior concedatur, quando non confirmatur arbitramentum, & quando confirmatur, eadem lege disponitur, & Disp. 35 citata explicatum est.

In Lusitania est sancitum, vt reclamari arbi- 8
tramentum arbitratorum non posit, nisi pars,

D quæ petit illud ad limites iustitiæ reduci, alleget, se esse in eo grauatamin tertia parte cùm minimum iusti valoris: neque iudices quicquã de eo arbitramento mutare possunt, nisi totum id grauamen in arbitramento reperiant. Ita habetur. *titu. 82* citato. §. penult. Atque illa fuit. Bart. opinio. *l. si societatem. §. arbitrorum. ff. pro socio*, quam ordinatio illa in legem statuit ad obuiandum litibus. In aliis autem locis, quamuis nefas sit arbitramentum mutare, nisi perspicuè comperiatur limites iusti egredi, & quoad id solùm, quod eos limites egredi fuerit manifestè compertum, vt Disput. 30 dictum comprobatumque est, quando tamen li-

E mites illos totius latitudinis iusti egredi comperietur, quo ad eum egressum potest ac debet moderamen illi adhibere: si quidem is egressus iniustus est, nec contrarium reperitur in iure dispositum.

Quando in arbitratorem est compromis- 9
sum, pœna ei apposita, qui arbitramento non steterit, tunc id non impedit, quominus ab arbitramento possit reclamari, ac peti vt ad limites iustitiæ reducatur. Atque si comperiatur, culpa caruisse eam reclamationem, quia arbitramentum iudicatur fecisse iniustum, ac reducendum ad limites iustitiæ. & per con-

sequens approbatur reclamatio, meritoque iudicatur fuisse interpositam, tunc locum non habet pœna: quoniam vbi non interuenit culpa, locum non habeat conuentionalis pœna, quæ ob culpam imponitur. Si verò arbitramentum antea latum approbetur, & per consequens reclamatio ab illo reprobetur, indebiteque interposita eo ipso iudicetur, tunc pœna incurritur, vt vtrumque circa compromissum in arbitrum pœna apposita illi non stanti Disput. 34 & 35 est dictum, atque quoad arbitramentum vtrumque disponit ordinatio Lusitana *titu. 82 citato. §. vlt.* Quòd si compromissum, in quo ea pœna fuit apposita, fuit vallatum stipulatione, aut factum simul fuit cum alio contractu, ex quo actio de iure ciuili datur, vel in continenti fuit ei adiunctum, nec fuit apposita clausula, rato nihilominus manente compromisso, nec compromissum fuit confirmatum iuramento; tunc, quoniam actio de iure, etiam ciuili, competit, vt arbitramentum exequutioni mandetur, neque agi, ex dispositione iuris, potest ad vtrumque simul, sed tantùm vel ad exequutionem arbitramenti, seu ad interesse, vel ad pœnam, & insuper ad incrementum, si quod vltra valorem pœnæ in eo erat, quòd reclamatum ab arbitramento non fuisset, sed fuisset adimpletum, agere vtique poterit pars altera, quæ ab arbitramento non reclamauit, ad quod illorum duorum maluerit, & non ad vtrumque simul, vt hæc omnia ex dictis Disput. 35 & tractatu 2, Disput. 556 constant. Si verò apposita in eis euentibus fuisset clausula, rato nihilominus manente compromisso vel arbitramento, aut compromissum iuramento fuisse confirmatum, tunc pars, quæ ab arbitramento non reclamasset, agere aduersus alteram posset ad vtrumque simul, vt ex dictis eisdem disputationibus liquet. Si verò compromissum in arbitratorem pacto nudo ex interuallo fuisset celebratum, pœna appositа illi non stanti, neque stipulatione adhibita quoad pœnæ solutionem, tunc, si actio competeret de iure ciuili ad arbitramenti exequutionem, vt regulariter, iuxta ea quæ suprà dicta sunt, competet, saltem tanquam ad complementum anterioris contractus, ex quo actio de iure ciuili competit, tunc credo agere poterit similiter pars, quæ ab arbitramento non reclamauit, ad quod prædictorum maluerit. Atque si appositа fuisset clausula, rato nihilominus manente compromisso aut arbitramento, agere posset ad vtrumque simul. Et cùm de iure canonico, & in hoc regno actio ex pacto nudo detur, dubium non est de eodem iure canonico, & de iure huius regni, agere posse ad quod illorum maluerit, & ad vtrumque, si appositа fuit illa clausula.

Vtrùm autem sicut de iure ciuili est prohibitum, arbitrum iurare se iniustè iudicaturum, & partes compromissum in arbitrum iuramento confirmare, vt Disput. 30 visum est: sic etiam prohibitum de eodem iure ciuili sit arbitratorem iurare se iustum arbitramentum laturum, & partes iuramento confirmare compromissum in arbitratorem. Quod ad arbitratorem ipsum attinet, si minister publicus sit ad ea arbitramenta, quæ occurrerint, iuxta peritiam suæ artis efficienda, de iure Lusitano iuramentum præstat se iustè arbitramenta effecturum, & idem est in hoc regno, quando similes *veedores* seu arbitratores eliguntur, iuxta ea quæ Disput. 8 explanata sunt. Et idem est, quando iudices in arbitratorem ad rem aliquam in particulari aliquem aut aliquos eligunt, siue ex solo suo officio, siue ad petitionem partis aut partium, eos eligant. Quod verò attinet ad partes ipsas, quæ sua sponte in arbitratorem aliquem compromittunt. Multi censent de iure ciuili communi non esse illis prohibitum confirmare sua compromissa in talem arbitratorem iuramento. Ducuntur, quoniam authentica Disput. 36 relata, quæ id prohibent, non de compromissis in arbitratores, sed in arbitros loquuntur. Et nomine arbitrorum loqui videntur, sumptis arbitris pressissimè: & nomine arbitrorũ, sumptis arbitratoribus latè, iuxta Bartoli & communem opinionem Disput. 30 relatam ac impugnatam. Ego verò contrariũ existimo, authentica scilicet illa sumere arbitros latè, vt arbitratores etiam comprehendunt, atque adeò ibi etiam esse prohibitum, partes iuramento confirmare compromissa in arbitratores. Ducor, quoniam iura nomine arbitrorum vtuntur, vt etiam arbitratores comprehendunt, vt Disput. 30 perspicuè ostensum est. Item, quoniam ea, propter quæ authenticis illis id fuit prohibitum, non minùs cernuntur in compromissis in arbitros, quàm in compromissis in arbitratores. Imò verò, sumptis arbitris pressè, vt à Bart. & à communi doctorum sententia vsurpatur, illa in compromissis in eos locum non habent. Etenim iuxta opinionem Bart. & communem, de iure ciuili communi non conceditur vlla reclamatio & petitio reductionis arbitri ad limites iustitiæ in arbitriis arbitrorum pressè, sumptorum, estò iniquũ arbitrium eorum sit: sed solùm ea reclamatio & petitio locum habet in arbitramentis quocumque arbitratorum sumpto latè arbitratorum vocabulo. Et quoniam tunc, estò compromissum iuramento esset confirmatum, petebatur nihilominus passim coram iudicibus ordinariis reductio arbitramenti ad limites iustitiæ, nolendo stare ei arbitramento, periuriaque in eo committebantur, idcirco id sancitum fuit in eis authenticis, vt Disput. 36 relatum fuit. De iure autem canonico non est prohibitum confirmare iuramento compromissum in arbitratorem, iuxta ex quæ disputatione præcedente dicta sunt.

Quod verò attinet ad renunciationem reclamationi arbitramenti, ac petitioni vt ad limites iustitiæ reducatur, siue facta sine iuramento sit, siue confirmata sit iuramento, eadem sunt dicenda, quæ Disput. 35 & 36 de simili renunciatione quoad reclamationem à sententia arbitri, ac petitioni vt ad limites iustitiæ reducatur, dicta sunt.

Qui

Qui arbitri & arbitratores esse non possint aut possint. Disp. 39.

SVMMARIVM.

1. *Minor viginti annis non potest esse arbiter, nec mutus, nec surdus, aut seruus: nec seruus fieri potest arbitrator.*
2. *Libertus, etiam infamis, ac filius in re patris, esse possunt arbitri & arbitratores.*
3. *Quando compromittitur in duos, quorum alter nō potest esse arbiter nec arbitrator, arbitriū aut arbitramentum latum ab altero, qui esse poterat arbiter aut arbitrator, est nullum.*
4. *Mulier non potest esse arbitrix: nisi ratione alicuius dominii.*
5. *Religiosus non potest esse arbiter, sed arbitrator.*
6. *Excommunicatus non potest itidem esse arbiter nec arbitrator.*
7. *De iure ciuili communi non soluūm iudex ordinarius non potest cogere partes, quæ coram ipso circa id litigant, vt in ipsum circa eandem causam cōpromittant, qui vt iudex arbiter illam definiat, sed etiam quamuis partes sua sponte compromittere eo modo in illum vellent, inualidum esset compromissum.*
8. *In iudices delegatos compromitti potest causa, quæ coram illis agitur, vt eam definiant tanquā arbitri, & longè maiori cum ratione, vt tanquam arbitratores aliquid definiant.*
9. *In causa propria nullus potest esse arbiter aut iudex, sed bene arbitrator.*
10. *In laicos causæ spirituales compromitti non possunt, nisi de licentia summi Pontificis: at bene in laicum & clericum simul.*
11. *Ecclesiastici compromittere possunt in laicum, etiam sine facultate superioris, in eis quæ sunt temporalia.*

1 MInor viginti annis esse non potest arbiter *l. cùm lege. ff. de recep. arb.* Atque si maior viginti annis & minor viginti quinque, acceptet esse arbitrum, seque læsum reperiat, quia sibi id non expedit, subuenitur restitutioni in integrū, vt ibidem. §. vlt. habetur, & *l. maior viginti quinque annis. ff. de minorib.*

Item neque mutus, aut surdus, vel furiosus, aut seruus, esse potest arbiter. *l. Pædius. §. in seruum, & l. sed etsi in seruum. ff. de recep. arb.* Et quoad seruū habetur. *l. illa verba. ff. de verb. sig.* Quidam autem voluerunt, quamuis seruus esse non possit arbiter, esse tamen posse arbitratorem: quoniam arbitramentum in facto consistit, & non in iure. Vlpianus autem lege illa verba citata sic ait: *Illa verba, arbitratu Lucii Tertii fieri, ius significant, & in seruum non cadunt*, ea autem, quæ in facto cōsistunt, seruo non denegantur. §. *sed. cùm factum inst. de stip. seruor.* Contrarium tamen procul dubio est affirmandum.

Fieri enim aliquid arbitratu alicuius, de qua re lex citata loquitur, sanè nō significat esse iudicē arbitrum inter aliquos, sed esse arbitratorē: vimque habere arbitramentum alicuius, vt illi stetur, & vt mandari debeat exequutioni autoritate iudicum ordinariorum, nisi ab illo reclametur, & per iudices ordinarios perspicuè iniustum reperiatur, atque adeò reducendum ad iustitiæ limites iudicetur, priusque per eosdem iudices ordinarios reducatur, certè ius significat in sensu, in quo Vlpianus ius ibi vsurpat: neque ius maius cernitur in sententia arbitratoris, quā in arbitramento arbitratoris. Nec verò quicquam refragatur. §. *sed cum factum*, qui in cōtrarium citatur, vt illum intuenti est manifestum.

Libertus verò, & infamis, ac filius familias, 2
etiam in re patris, esse possunt arbitri, & longè maiori cum ratione arbitratores. Ita habetur. *l. Pædius in prin.* iunctis duabus antecedentibus, quæ de filio familias loquuntur. *ff. de recep. arb.*

Ait autem Vlpianus. *l. sed etsi in seruum* citata, si compromittatur in aliquem tempore, quo e-
B rat seruus, inualidam esse illius sententiam prolatam postea tempore quo libertatem cōsequetur: nisi de consensu partium, quæ in illum compromiserunt, tunc ea sententia feratur: nā tūc eo ipso censebuntur, in eum compromittere iterum vt in liberum iam: secluso verò eo nouo consensu in illum vt in liberum iam, esset inualida sententia: quoniam ad initium compromissi attenditur, num validè sit compromissum in aliquem, an non, ac proinde num valida sit postea sententia ab illo vi talis cōpromissi lata, vel nō. Hoc idem intellige de surdo & furioso, de maiori viginti annis, & de quocunque alio, qui esse non potest arbiter. Si enim tempore compro-
C missi qualitatem habebat, quæ impedimento erat ne posset esse arbiter, estò postea illa cesset, inualida erit sententia lata postquam ea qualitas in eo cessauerit, nisi de partium consensu, cognito ab eis, quod iam illa qualitas in eo cessauerit, ea sententia pronuncietur: idque propter illam rationem cum Vlpiano paulo antea redditam, quia scilicet ad initium compromissi attenditur.

Quando compromittitur in duos, quorum 3
alter esse non potest arbiter aut arbitrator, arbitrium aut arbitramentum latum ab altero, qui esse poterat arbiter aut arbitrator, est nullū: nisi ita compromissum in eos esset, vt vniuscuiusque
D illorum tantùm sententia valeret. In quo euentu, qui se esse arbitrum acceptasset cum altero, qui esse non poterat arbiter, cogi posset sententiam ferre: non verò in illo alio priori euentu. Hæc habentur. *l. Pædius* citata. §. *vlt.* iuncta. *l. sequenti. ff. de recep. arb.*

Mulier esse non potest arbitrix, eaque de cau- 4
sa compromissum in illam vt in arbitratricem est nullum, & quicquid fecerit aut pronunciauerit vi illius, est nullum. Ita habetur. *l. vlt. C. de recep. arb. & c. dilecti de arb.* Excipitur nisi ratione alicuius dominii, vt regni, ducatus, marchionatus, comitatus, aut alterius dominii iurisdictionem annexam habentis, iurisdictionem exerceat,
E iuxta ea quæ cum communi doctorum sententia tractatu 2. Disput. 620 conclusione 2 comprobata sunt: vel nisi consuetudine loci mulier aliqua iurisdictionem exerceat: in his quippe euentibus, sicut talis mulier veram iurisdictionem alioquin exercere potest, sic in eam validè vt in arbitratricem compromitti potest. Ita habetur. *c. dilecti* citato. Quamuis autem mulier, his euentibus exceptis, arbitrix esse non possit; eo quòd arbitrium fiat ordine iudiciario, integre aut ex parte seruato; & feminæ à iudicando, exceptis euentibus explicatis, multis iuribus omnino excludantur; esse tamen

possunt arbitratrices: eo quòd ad id ordo iudiciarius non sit necessarius. Ita colligitur ex. *c. Quintanalis de iure iur.* & affirmant *Panor.* ibi. *n. 2. & dilecti. num. etiam. 2.* & doctores communiter.

De religioso affirmant glossa. *l. Pædius. §. vlt. verb. nullum sit. ff. de recep. arb. Speculator. titu. de Arbitro. §. vlt. num. 29. & Ioan. And.* ibi. *Panor. c. Quintanalis de iure iur. n. 23.* & alii, esse non posse arbitrum, nisi id monasterio expediat ac vtile sit, accedatque simul mandatum sui superioris, iuxta. *c. de præsentium, & c. monachi. 2. 16. q. 1.* eo quòd arbitrium iudicii formam requirat, quæ religiosis capitibus citatis prohibetur, nisi aliud monasterii vtilitas requirat. Arbitrator tamen esse potest religiosus: eo quòd iudicii formam id non requirat, vt doctores citati affirmant. Si tamen is religiosus subditus sit, consensu ad id indiget sui superioris. Quia neque exequutor esse potest testamenti, nisi de licentia sui superioris, vt patet. c. religiosus de testam. lib. 6. & clement. vnica eod. titu. Lege quę tractatu. 2. Disp. 247 quoad hoc vltimum copiosè à nobis dicta sunt.

6 Excommunicatus sicut esse non potest iudex ordinarius aut delegatus, ita nec esse potest iudex arbiter. *Ita speculator titu. de arbitro. § differ. num. 10. Bart. l. Pædius. ff. de recep. arb. Panor. c. Quintanalis. num. 27.* & doctores communiter. Vtrùm autem esse possit arbitrator. Bart. affirmat. Ioan. verò And. negat, & in hanc sententiam cum Panor. num. 27 citato inclino.

7 De iure ciuili communi non solùm iudex ordinarius, qui de aliqua causa cognoscit, non potest cogere partes, quæ coram ipso circa id litigant, vt in ipsum circa eandem causam cõpromittant, qui vt iudex arbiter illam definiat, sed etiam quamuis partes sua sponte compromittere eo modo in illum vellent, inualidum esset compromissum, inualidumque esset quicquid vi illius ab eo iudice esset pronunciatum. Ita habetur. *l. sed etsi in seruum. §. si quis iudex. ff. de recep. arb.* idque ibi affirmat Bart. & iuxta eam legem idem disponit. *l. 24.* in fine *titu. 4. part. 3.* Consentaneè quoque ad eandem legem disponit. *l. 13. titu. 5. lib. 2. nouæ collect.* vt præses & senatores prætoriorum non compellant partes compromittere in ipsos lites, vt Disputat. 31 dictum etiam est. Et lex. 17. eiusdem tituli sic statuit: *Ordenamos, que los nuestros oydores y alcaldes no sean abogados en las dichas nuestras audiecias, ni en otra audiencia seglar alguna, ni en arbitramentos de causas que puedan venir a las nuestras audiencias, ni tomen ni acceptẽ arbitramento despues de començado pleyto ante ellos: saluo si el negocio se compromeriere en todos los oydores de vn auditorio, y con nuestra licencia: so pena, que qualquier destas cosas que quebranten, sean echados de la audiencia por trienta dias, y pierdan el salario de dos meses.* Alii verò voluerunt, quamuis de iure ciuili communi prohibitum sit iudicibus ordinariis præcipere litigantibus coram ipsis, vt eam causam in ipsos vt in arbitros compromittant; non tamen esse prohibitum acceptare compromissum in ipsos à partibus sua propria sponte factum, & de horum numero est *Panor. c. cum tempore de arbi-*

A *num. 5.* Verumtamen lex sed etsi in seruum. *§. si quis iudex. ff. de recep. arb.* vtrumque apertè prohibet, vt ibi glossa affirmat, reiecta illa alia violenta quorundam expositione ad eum textum.

De iure tamen Lusitano *lib. 3. ord. titu. 82. §. 3.* permittitur partibus validè compromittere in suum iudicem ordinarium, vt causam tanquam iudex arbiter definiat. Et idem est licitum ac validum de iure canonico, vt colligitur ex. c. cum tempore, iuncto Panor. ibi. n. 5. ex. *c. ex parte,* iuncto eodem *Panor. 16. n. 2.* & ex. *c. penult. de arb.*

Tanquam in arbitratorem autem licitè ac B validè partes de iure ciuili communi compromittunt in suum iudicem ordinarium, vt tanquam arbitrator rem definiat. Ita Bart. vbi suprà & doctores communiter, definitumque est. *l. 24. titu. 4. part. 3.* Aliqui id confirmant ex *authentica si verò. C. de iudiciis.* Nos verò in calce Disput. 30 ea verba retulimus ac exposuimus, ostendimusque ibi neque de arbitris neq; de arbitratoribus esse sermonem, sed de compositoribus amicabiliter partium dependenter ex eo, quòd illæ libere cõsentire velint in amicabili compositione, quæ ipsis proponitur, & in quam vt conueniant inuitantur.

C In iudices delegatos compromitti potest causa, quæ coram illis agitur, vt eam definiant tanquam arbitri, & longè maiori cum ratione vt tanquam arbitratores aliquid definiant, vt colligitur ex. *c. cum olim de arb. & ex. c. nisi de præb.* Atque. idem est de iure ciuili, quicquid in contrarium voluerint Albericus & alii, quos Greg. Lopez. l. 24. citata verb. *iudgador ordinario* refert. Etenim de iure ciuili non reperitur prohibitum compromittere in iudices delegatos: & cùm prohibitum non reperiatur, est dicendum licitè ac validè in eos compromitti. Consentit. l. 24 citata, quæ expresè prohibet solùm, partes compro- D mittere in iudicem suum ordinarium, atque ita in hanc sententiam propendet ibi Greg. Lopez aduersus Albericum & aliqs. Ex eo verò, quòd partes in delegatum causam compromittant, non extinguitur in eo iurisdictio delegata quoad eandem causam: neque ex eo, quòd, iuxta ius canonicum & Lusitanum, compromittatur causa in iudicem ordinarium, expirat iurisdictio ordinarii iudicis quo ad eandem causam: quin potiùs, discedentibus partibus ab eo compromisso, potest actor, velit nolit reus, prosequi eandem causam coram eodem iudice delegato aut ordinario. Ita Panor. *c. innotuit de* E *arb. num. 5 & 6.* Et idem longè maiori cum ratione est dicendum, quando causa mota coram iudice delegato, aut ordinario, compromissa erat in quendam alium, vt ex se liquet. Obserua tamen, quando causa aliqua delegata esset alicui, non in fauorem partium aut partis, sed in fauorem publicum & in vtilitatem publicam, tunc partes compromittere illam non possent in illum, vt tanquam arbiter eam definiret, neque in aliquem alium: quoniam renunciare non possunt validè vtilitati ac fauori publico. Ita colligitur ex. *c. innotuit* citato, & affirmat Panor. ibi. Hac de causa, quan-

do

do ecclesia aliqua est exempta,& summo Pontifici immediatè subiecta , sicut sine facultate summi Pontificis cedere non potest huic iuri ac priuilegio,ita neq; circa id compromittere potest in aliquem,vt habetur.*c.cum tempore de arb.* & affirmat Panor.ibi.

9 In sua causa propria nullus potest esse arbiter, sicut nec iudex. Ita habetur. *l.pennlt.ff.de recep. arb.* Arbitrator tamen esse potest in causa ac re propria,vt constat.*l.veluti.ff.pro socio.l.si libertus iurauit. ff. de oper. lib. l. 24. titu. 4. part.3.* & colligitur ex *c. Quintaualis de iure iur.* Si tamen excessiuè fuerit arbitratus, reducitur id arbitramentum ad limites iustitiæ & æquitatis , vt constat ex iuribus ciuilibus citatis , & disputationibus præcedentibus sæpe est dictum.

10 Circa spirituales causas,vt circa ius in beneficio,aut ad beneficium,& circa alia spiritualia , vt laici iudicare non possunt , sic neque in eos causæ illæ compromitti possunt, nisi de licencia solius Pontificis summi.Ita habetur *c. contingit de arb.* iuncto.*c.2.de iudiciis*,& iuncto. *c. expesita de arbit.Et.c.contingit* citato glossa affirmat, nec incidenter posse laicos de causis spiritualibus iudicare,aut in laicos posse compromitti, vt incidenter de eis iudicando, principaliter de rebus minimè spiritualibus iudicium ferant. Vnde videmus,iudices seculares , quando cognoscunt de causis ad suum tribunal attinentibus, si incidenter occurrat causa spiritu*alis* , cuius definitio ad id definiendum,de quo ipsi cognoscunt,necessaria sit,continuò ad tribunal ecclesiasticum eam incidenter causam spiritualem remittere,vt de ea in eo tribunali cognoscatur , ibique priùs definiatur, & postea , illa sententia ac definitione supposita,ipsi definiant principalem causam.Et Panor.eodem.*c.contingit* , consentaneè ad *c. 2. de iudiciis* , ait , laicos neque arbitratores posse esse circa causas spirituales.

Obserua tamen,quamuis res spirituales compromitti non possint in solos laicos ; in laicum tamen & clericum compromitti possunt de licentia ordinarii, quin & sufficit licentia iudicis delegati eiusdem causæ. Atque estò plures sint laici , quàm ecclesiastici, potest in eos compromitti causa spiritualis de licentia ordinarii, aut iudicis delegati eius causæ.Hę colliguntur apertè ex.c.per tuas de arb.eaque affirmat *Panor.*ibi. *num.3. & 6.* & consentit glossa. c. con*tingit* citato.

Bene tamen Panor.*c.contingit* citato. *num. 4. & c.per tuas.num. 3.* cum Ioan. And. obseruat , quamuis de licentia ordinarii aut delegati circa eam causam possit causa spiritualis compromitti in ecclesiasticum & laicum simul; non tamen posse ordinarium constituere laicum simul cum ecclesiastico delegatos in aliqua spirituali causa: quoniam cognitio & sententia arbitri non sunt actus iurisdictionis,ac proinde quamuis laicus iudex arbiter circa causam spiritualem constituatur , non propterea censetur ei concessa iurisdictio circa spiritualia, nisi ex eius facultate,qui possit ei illam concedere: iudicare verò circa spiritualia potestate delegata, verè est exercere iurisdictionem circa spiritualia, quod laicis est omnino denegatum, etiam si cum illis simul ecclesiastici concurrant.

A Circa temporalia verò, quorum cognitio ad 4 iudicem pertineat ecclesiasticum, vt circa prædia ecclesiarum, & multo magis circa prædia , quæ non sunt ecclesiarum,sed propria personarum ecclesiasticarum,&circa alia negotia ecclesiasticorũ,cõpromittere ecclesiastici possunt in laicum, etiam sine facultate superioris , vt Panor. *c.dilecti de arb. num. 8.* rectè affirmat, & colligitur ex eodem capite,& ex.c.cõtingit.eod. titu.argumento à contrario sensu, glossaque ibi affirmat. Admonet tamen Panor. num. 8. citato,quamuis clerici circa eiusmodi res compromittere possint in laicum,non tamen posse eos circa eas res adire tribunal laicorum tanquam B reos,& ibi per iudices ordinarios aut delegatos laicorum iudicari , etiam de sui Episcopi consensu: quoniam ad illud primum non requiritur iurisdictio in tali laico iudice arbitro: in secundo verò ecclesiasticus se subjiceret laicorum iurisdictioni,quod neque de consensu episcopi licet.

Circa quæ compromitti non possint. Et quis compromittere possit.

Disp. 40.

SVMMARIVM.

C

1. *IN causis criminalibus compromitti non potest.*
2. *De causa pertinenti ad libertatem aut ingenuitatem alicuius compromitti non potest.*
3. *Res ad aliquam communitatem spectantes,vt ad regnum , ciuitatem , &c.compromitti non possunt.*
4. *Causa etiam matrimonii,ad vinculum ipsum matrimonii spectans,compromitti non potest.*
5. *Quando sententia aliqua in rem iudicatam transiuit , si compromittatur circa dubia quoad illam orta,id compromissum intelligitur non de dubiis ea sententia iam decisis , sed de aliis , quæ post illam sunt orta.*
6. *Omnis qui potest transigere,potest etiam compromittere,excipitur circa res spirituales, circa quas inualida est transactio.*
7. *Quãdo causa spiritualis,vt beneficii ecclesiastici , de quo duo contendunt , compromittitur in aliquos, possunt arbitri pronuntiare, quando causam dubiam reperiunt,vt vnus obtineat id beneficium,& ex reditibus certam alteri partem tribuat,quando id non fit in compensationem iuris illius spiritualis, sed pro bono pacis.*
8. *Quando minores compromittunt, requiritur auctoritas testatoris aut curatoris,prout res fuerint,de quibus compromittunt, vt compromissum sit validum ad effectum obligandi minorem.*
9. *Infans aut impubes neque compromissum neque alium tractatum valide celebrare potest.*

REgula generalis est,compromitti posse in omni causa & re, circa quam non reperitur prohibitum. In primis autem in causis criminalibus compromitti non potest. Quod intelligendum est de causis, in quibus non est integrum parti offensæ agere solùm ciuiliter ad pœnam sibi applicandam. Si enim alia pœna sit reo imponenda,

nenda, vel corporalis, etiam exilii, vel pecuniaria fisco applicanda, inualidum est compromissum in aliquem tanquam in arbitrum vel tanquam in arbitratorem, tum ad effectum, vt iudex ex officio non possit procedere ad id delictum criminaliter puniendum, etiam pæna pecuniaria fisco aut alicui alteri, quàm parti offensæ, applicanda: tum etiam ad effectum, vt quando aliis etiam est integrum de eo crimine accusare, non accusante parte offensa, non possint coram iudice ordinario de eo crimine accusare, vt *Ant. Gom. 3. tom. var. res. c. 3. num. 56.* rectè affirmat: tum denique ad effectum, vt is, qui non est potestas publica, iurisdictionem in reum quo ad eam causam habens, possit pænam corporalem tanquam arbiter aut arbitrator imponere, aut illam commutare in pecuniariam, vel vt possit commutari pænam pecuniariam fisco aut alteri rei applicandam, vt parti offensæ, vel alteri cui lege non sit permissum, applicetur. Quando autem agere quis possit pro aliquo delicto iniuriarum merè ciuiliter ad pænam pecuniariam sibi applicandam, iuxta ea quæ tractatu 3. præsertim à Disput. 40 explanata sunt, tunc licitum ac validum esset compromissum, etiam in personam ipsam offensam, tanquam in arbitratorem, quid æquitas postularet, vt in recompensam iniuriæ, computando simul si quod damnum sit ei illatum, parti offensæ soluatur, & vt ab intentanda actione illa iniuriarum cessaret: neque tam in eiusmodi rebus habet locum compromittere in aliquem tanquam in arbitrum, quàm tanquam in arbitratorem. Non tamen negarem, posse etiam compromitti, non in partem ipsam offensam, sed in aliquem alium, tanquam in verum iudicem arbitrum, qui examinata iudicialiter causa, sententiam proferret, quam iudex ordinarius exequutionem mandaret in euentibus Disput. 34 & 35 circa merè ciuilia explicatis. Quòd autem in sensu explicato locum in criminalibus non habeat compromissum in aliquem, nec tanquam in arbitrum, nec tanquam in arbitratorem, habetur. l. non distinguamus. §. *Iulianus. ff. de recep. arb. l. 14. titu. 4. part. 3. & c. penult. de in integrum rest.* Habet autem id verum, non solùm quando in compromissum fieret ignoranter, nesciendo quòd non liceret, sed etiam multo magis quando scienter fieret, vt notat glossa. §. *Iulianus* citato, & affirmant *Greg. Lopez. l. 14.* citata glossa. 1. aduersus Guido de Suza. Cùm verò in hoc & in Lusitaniæ regnis locum habeat transactio in criminalibus, saltem occulta in aliquibus, illa, seu remissio delicti ex illa, etiam si facta esset præuio compromisso quoad eam in aliquem, impediret partes, quæ illam fecissent, in his regnis, ni accusare postea circa id delictum possent. Atque hoc est, quod *Ant. Gom. num. 56* citato intendit ac affirmat. Quòd verò, quando circa aliquod crimen integrum esset parti agere solùm ciuiliter ad pænam ipsi applicandam, locum habeat compromissum in aliquem tanquam in arbitrum, aut tanquam in arbitratorem, qui ea de re iudicet, quin & in ipsammet partem tanquam in arbitratorē, colligitur ex. c. *Quintaualis de iure iur.* ibique id affirmat *Panor. n. 1.* & affirmant *glossa. §. Iulianus* citato, idem *Panor. c. Penult. de in integ. rest. c. literas de præsump. Greg. Lopez glossa. 1.* citata, & doctores communiter.

De causa etiam liberali, hoc est, pertinenti ad libertatem, aut ad ingenuitatem, vel libertinitatem alicuius, compromitti non potest. Ita habetur. §. *Iulianus* citato. *vers. de liberali. l. 14.* citata, & *c. penult. de in integr. rest.* Quando tamen incidenter agitur de ea causa ad aliam definiendam, quæ ex statu alicuius pendet, tunc. l. cum proponas. C. de reb. cred. admittitur compromissum in aliquem tanquam in arbitrum, iuxta planum intellectum illius legis, iuncta glossa ibi, & affirmat *Greg. Lopez. l. 24.* citata glossa. 2. Habemus autem accommodatum exemplum in hoc regno, quoad eam nobilitatem, quæ *hidalguia* appellatur; licèt enim causa *de hidalguia* agi principaliter non possit, nisi in prætoriis coram *los alcaldes de hijos dalgo*, incidenter tamen ac summariè terminatur à iudicibus locorum ordinariis, vt videatur num aliquis ob debita conjici non debeat in vincula, eo quòd ea nobilitate gaudeat.

Res ad aliquam communitatem spectantes, vt ad oppidum, ciuitatem, regnum, aut ad aliam communitatem, licèt quamuis de ea communitate, quando ad id non accurrit communitas ipsa, aut persona ab ea communitate deputata, possit illas petere, ac defendere in iudicio, iuxta. *l. 2. §. hoc interdictum perpetuum est. ff. nequid in loc. pub. Leum qui. §. in popularibus. ff. de iure iur. l. 2. ff. de popularib. act.* & habetur. *l. 24. titu. 4. part. 3.* non tamen priuatus potest causam compromittere valide in alium: quoniam id quod in præiudicium aliorum cedere potest, compromitti sine illorum consensu non potest, vt tractatu. 2. Disput. 557 est ostensum. Tota autem communitas quo ad eos, qui sufficiunt, vt de eis rebus disponere possint, eas ex rationabili causa, & seruata ad id solemnitate necessaria, alienando, compromittere circa illas eadem solemnitate seruata possunt, etiam si res illæ ad ecclesiam pertineant. Constituere quoque ad id procuratorem possunt: non tamen est sufficiens, constitutum aliquem procuratorem esse ad eam causam cum libera facultate, vt circa illam agere ac disponere possint: vt compromittere illam possit, nisi ad id habeat particulare mandatum. Hæc habentur. *l. 24* citata, & satis hæc eadem constant ex dictis Disput. 557 citata, in cuius calce explicauimus, quando procurator ad aliquam causam constitutus particulare censeatur habere mandatum ad compromittendum & transigendum, quando non item. Consentiunt quo ad hæc, quę eodem tractatu. 2. in calce Disput. 682. §. penul. dicta sunt. Neque refragantur, quæ ibidem. §. *antecedente* de communitate ecclesiæ sunt dicta, quo ad administratores bonorum ecclesiasticorum: quoniam ibi erat sermo de delicto eorum, quod nocere potest ecclesię: hoc verò loco nobis est sermo de compromisso circa res ecclesiæ ex rationabili causa & seruata debita ad id solemnitate facto. *Greg. Lopez. l. 24.* citata verb. *essonge bien lo podrian*, disputat,

1 A
2 B
3 C
D
E

num ad compromittendum circa res ciuitatis, aut alterius oppidi, necessaria sit principis facultas, itemque ad illas alienandum. Et placet, quòd ille tandem ait, nempe si propriæ sint ciuitatis aut oppidi, neque id cederet in præiudicium Regis, quia amitteret dominium vniuersale eorum quo ad iurisdictionem, necessariam non esse principis facultatem. Si verò id concederet in præiudicium illius, vt si essent in confinio regni, & lis esset circa illas cum oppido alterius regni, tunc necessariam esse principis ad id facultatem, & consentiunt, quæ Disp. 682 citata. §. penult. dicta sunt. Eadem verò ratione, si iurisdictio oppidi ad aliquem priuatum dominum pertineret, & lis circa confinium eius oppidi esset cum alio populo, cuius iurisdictio ad alium pertineret, compromittere circa id aut transigere non possent illi populi sine consensu dominorum, de quorum præiudicio simul ageretur. Quando item ageretur de alienanda re omnibus vniuersim communi quo ad vsum, & cuius dominium attineret ad principem, non posset id fieri sine principis supremi consensu, vt si concedenda alicui esset pars plateæ aut viæ publicæ. Neque quoad id posset transigi aut compromitti cum priuato sine principis facultate.

4 Causa item matrimonii, ad vinculum ipsum matrimonii spectans, compromitti non potest. Ita habetur. *c. penult. in fine de in integrum rest. & l. 24. titu. 4. part. 3.* Et *concilium trid. sess. 24. can. vlt.* sub anathemate definit, eas ad iudices ecclesiasticos pertinere.

5 Quando sententia aliqua in rem iudicatam transiuit, si compromittatur circa dubia quoad illam orta, id compromissum intelligitur, non de dubiis ea sententia iam decisis, sed de aliis, quæ post illã sint orta, ad quæ ea sententia non se extendebat. Ita habetur. *c. exposita de arb.* Quin glossa & Panor. ibi rectè affirmant, circa iam ita iudicata inualidum esse compromissum, & consentiunt, quæ tractatu præcedente Disp. 556 dicta sunt.

Eo autem in loco Disp. 557 multa alia subiecimus, circa quæ compromittere non licet; inualidumque est compromissum, si circa illa fiat: quæ necesse non erit hoc loco repetere, sed ibi legantur.

Compromissum de multis rebus factum, circa aliqua eorum partes validè poterant compromittere, & circa alia non, validum est quoad ea, quoad quæ validè compromittere poterant. Ita colligitur apertè ex. *c. cum tempore de arb. ibi. Panor. notab. 3.* id obseruat. Hæc de primo eorum, quæ in titulo huius disputationis proposita sunt.

6 Quod verò ad secundum attinet, quis scilicet compromittere possit, & quis non, tractatu. 2. Disput. 557 citata id fuit explicatum, dum ibi explanatum fuit, quis transigere possit, & quis non. Qui enim transigere potest, potest etiam compromittere. Imò valet argumentum ab vno horum ad alterum, vt ibi Disput. 556 fuit explicatum. Excipitur circa res spirituales, circa quas licèt validum ac licitum sit compromissum, prohibita tamen atque inualida est transactio, vt Disput. 556 citata ostensum est. Ratio autem vtriusque est, quoniam compromissum fit solùm, vt pronuncietur ac declaretur, quantum iuris vnusquisque dissidentium habeat, circa rem spiritualem, de qua contenditur, ad quémve eorum illa pertineat: in quo nihil mali cernitur, etiam si ea res spiritualis sit, vt beneficium ecclesiasticum. Transactio verò circa illam est pactum, quo aliquid alicui datur, vt cedat iuri, quod circa eam prætendere potest, quod est simoniacum, quando ea res spiritualis est, aut certè mali speciem habet, si is, qui id dat, ad redimendam suam vexationem id det, quia sibi constat alterum nihil iuris circa eam rem habere: isque alter vel iniustitiam committit, cùm, simoniæ specie id accipiendo, sibi constat ipsum nullum circa eam rem ius habere: vel committit simoniam formaliter, si ius, quod se habere putat; pro eo emolumento vendat: atque hac de causa meritò est prohibita talis transactio, vt Disput. 556 citata est dictum.

Dubium non leue est, vtrùm quando causa aliqua spiritualis, vt beneficii ecclesiastici, 7
de quo duo contendunt, ad quem ipsorum pertineat, compromittitur in aliquos, possint arbitri, quando causam dubiam reperiunt, pronunciare, vt vnus obtineat id beneficium, & ex reditibus tribuat alteri certam partem, vel in singulos annos, vel semel, aut aliunde aliquid illi soluat. Atque dubitandi ratio non leuis est, quoniam pro iure spirituali in id beneficium, quod id prætendebat, cui id dari pronunciatur, id non potest accipi absque simoniæ vitio, qua de causa transactio circa id fieri nequit; & per consequens præcipi eo arbitro illi ea de causa dari non potest sine vitio simoniæ talium arbitrorum. Dicendum tamen est, quamuis in compensationem pro eo iure, nec dari, nec præcipi dari, nec accipi possit absque simoniæ vitio, vt quæ dicta sunt, probant: qua de causa, quod id fiat, etiam arbitrorum iudicio ac sententia, valde suspectum censeatur. *c. nisi de præb.* nihilominus, quando id fieret, non in compensationem iuris illius spiritualis, sed pro bono pacis, ne in lite dubia illi progrediantur, dispendiaque patiantur, & ne, qui ius prætendit, & fortè obtinebit, inanis dicedat, non est censenda illiscita amicabilis illa compositio, siue fiat sententia arbitrorum, siue aliquibus eas partes inter se discordes modo illo componentibus, dummodo omnino absit animus id accipiendi, & dandi, aut præcipiendi dari in pretium & compensationem pro eo iure spirituali dubio. Et quia res ista lubrica valde est & suspecta, vt ex se & ex. *c. nisi præb.* constat, rarò admodum est facienda & admittenda, nec nisi inter personas minimè suspectas & probas, vt ex. *c. nisi* citato constat, propositaque ea amicabili compositione summo Pontifici, ab eoque approbata, vt. *c. nisi* citato factum fuit. Atque in sensu explicato posse tale arbitrium ferri, fierique posse tales amicabiles compositiones, quæ transactionis nullo modo rationem habeant, colligitur ex. *c. nisi* citato & ex. *c. 2. de arb. in fine*, quo in loco lege *Panor. num. 10.* Hæc adiunge iis, quæ tractatu 2. Disput. 556 circa amicabilem compositionem dicta sunt.

Quod

8 Quod verò ad minores attinet, prout fuerint res, de quibus compromittunt, requiritur autoritas tutoris aut curatoris, vel etiam decretum iudicis, vt compromissum sit validum, ad effectum obligandi minorem, & denique requiritur autoritas tractatu. 2. Disp. 224 iuncta Disput. 220 explicata, quando imminet periculum, ne ex compromisso sequatur alienatio rei, quæ maiorem aut minorem solemnitatem requirar. Huic si minor, etiam pubes, sine curatoris autoritate compromittat, cùm non obligat compromissum, si curatorem habeat, licèt possit partem alteram cogere stare ei contractu, si ipse velit, iuxta ea quæ disp. 224 citata dicta sunt. Vnde si is minor compromisit sub pæna non stanti compromisso, non tenetur eam soluere, estò compromisso stare non velit. Excipitur nisi dedisset fideijussores: nam tũc, non ipse minor, sed fideijussores cogerẽtur soluere eam pænam: eo quòd minor, quamuis ciuiliter non obligetur ex eo compromisso, obligatur tamen naturaliter, vt Disp. 224 dictum est: atque, si in securitatem eius obligationis accedãt fideijussores, cogi fideijussores possunt eam implere, aut id, quod in eius securitatem promiserunt, vt eadem disputatione quoad minores dictum est, & consentiunt dicta in præcedentibus. Quando autem minor pubes, curatorem non habens, compromisit sub pæna, cogitur stare compromisso, aut soluere pænam, non secùs ac si esset minor. Si tamen probet se læsum, subuenitur ei beneficio restitutionis in integrum. Hæc habentur *l. 25. titu. 4. part. 3.* & ex parte consentiunt. *l. 3. in prin.* iuncta glossa ibi, & *l. si pupillus. ff. de recep. arb.* Vbi vides, rem hanc de compromisso minoris in arbitrũ, & in arbitratorem, non admetiri iis, quæ quo ad iudicia disposita in iure sunt circa minores: neque enim minor pubes, etiam si curatorem non habeat, admittitur ad iudicium sine curatore ad id creato, exceptis in causis spiritualibus, iudiciumque aliter peractum est inualidum, vt Disp. 224 iuncta Disp. 220 comprobatum est: sed admetiri iis, quæ quoad contractus minorum in iure sunt disposita, & disp. 224 explanata à nobis sunt. Rem verò hanc non ita expressè definitam recordor in iure communi, sicut definita est. l. 25 citata. Tametsi consonent *glossa. l. 3.* citata in prin. & alii, iuxta quorum sententiam *Greg. Lopez l. 25.* citata ait eam legem latam fuisse.

9 Quod verò ad minorem impuberem attinet, ex dictis Disp. 224 citata constat, si infans sit, aut infantiæ proximus, neque compromissum neq; alium contractum validè celebrare posse: sed ad tutorem pertinere celebrare contractus loco illius, eumq; defendere in iudicio, locoque illius agere. Si verò sit pubertati proximus, inualidum esse compromissum, & quamuis alium contractum ad ipsum obligandum, nisi sui tutoris interueniat autoritas. Vt tamen Disp. 224 est dictũ, licèt sine tutoris autoritate possit ciuiliter aliũ suo contractu sibi obligare, nec ipse, si nolit, maneat illi alteri ciuiliter obligatus; manet tamen illi obligatus naturaliter: atque si fideijussores sint adhibiti, tales fideijussores manẽt obligati ciuiliter loco eius impuberis propter illam impuberis naturalem obligationem. Lex verò 25 citata innuere videtur, si impubes pubertati proximus sine tutore compromisit adhibita pæna non stanti compromisso, adhibitique sint fideijussores, neque fideijussores teneri soluere pænam, estò is impubes stare non velit compromisso. Sic enim ea lex habet: *Empero los fiadores, que dio, son tenudos de pechar la pena a que se obligaron, si el huerfano no quisiere estar por el juizio, siendo mayor de catorze años.* Vnde argumẽto a contrario sensu innuitur, si quatuor-decimum annum nõ excedebat, estò pubertati esset proximus, fideijussores non teneri soluere pænam. Contrarium tamẽ habetur expressè. *l. si pupillus. ff. de recep. arb.* quæ de pupillo loquitur, & statuit, fideijussores teneri soluere pænam: atq; ita, stando in iure communi, id ita omnino est asserendum, iuxta eum textum, & ea quæ Disp. 224 citata copiosè dicta sunt. *Gregorius Lopez l. illa, 25.* ait videri eam legem latam iuxta quorundã antiquorum sententiam, quos refert glossa. l. si pupillus citata, & tamen addit: *Cogita tamen super hoc.* Cùm verò in illa lege 25 nulla mentio fiat de impubere in particulari, credo, etiam in hoc regno standum esse dispositioni illi alteri iuris cõmunis. Argumentum autem à contrario sensu inualidum est ex omnium sententia, quando cõtrarium reperitur expressè in iure dispositum. Illa autem verba scripta videntur illo modo in ea lege, quoniam raro aut nunquam eueniet, impuberem pubertati proximum compromittere sub pæna sine tutoris sui autoritate, fideijussoresque adhibere, quòd compromisso sub ea pæna stabit. Lex si pupillus citata ait, si pupillus sine tutoris autoritate compromittat sub pæna, nec fideijussores adhibeat, non posse cogi arbitrũ, qui id munus acceptauit, arbitrium ferre: eo quòd eum pupillum non obliget: si verò is pupillus fideijussores adhibuit, cogendum esse tũc arbitrum ferre arbitrium: quoniam licèt id arbitrium non obliget ad pænam eum pupillum, obligat tamen fideijussorem. Hæc eadem similiter intellige de minore iam pubere curatorem habente, qui sine curatoris autoritate compromisit sub pæna. Si enim fideijussores non adhibuit, cogi arbiter non potest ferre arbitrium: eo quòd eum minorem non obliget, iuxta ea quæ suprà dicta sunt: si verò fideijussores adhibuit, cogendus est arbiter ferre arbitrium: quoniam fideijussores obligauit.

Ex quibus causis arbiter, qui munus acceptauit, nec tenetur, nec cogi possit, ferre arbitrium, seu sententiam, neque in causa progredi. Disput. 41.

SVMMARIVM.

1. *Arbiter non potest cogi in causa progredi, si post id munus ab eo acceptatum partes ea de re contenderint coram iudice ordinario, vel si alium arbitrum circa eandem causam sibi elegerint.*
2. *Quando partes arbitrum graniter infamarunt.*
3. *Quando graues inimicitiæ oriuntur inter arbitrum, & vtrumque aut alterum litigantium, aut antecedentes post munus susceptum detectæ sunt.*
4. *Si rationabile impedimẽtum arbitro superueniat, vt causam ad finem perducere non possit.*
5. *Si comperiatur post munus acceptatum arbiter mutuo dicta alia re corruptus esse.*

DIsp. 34 & sequentibus, iuncta disp. 32, explicatum est, quando, si arbiter aut arbitrator munus acceptarunt, cogi de iure ciuili communi possint in causa progredi, atque ferre sententiam, & quando non. Itemque quando de canonico iure, & huius regni, cogi ad id possent, estò de iure ciuili communi cogi tunc non possint. Atque quando cogi ad id possunt, sanè quando in compromisso expressum nō fuit intra quantum tempus ferre deberent sententiam, præscribi illis ad partium aut ad partis petitionem ab ordinario iudice potest tempus accommodatum, intra quod illam ferant, præsertim si in mora esse incipiant. Neque est hoc, de quo hoc loco disputare intendimus. Quod verò hoc loco explicare intendimus, est, posito quòd, iuxta dicta locis citatis, tenerentur progredi in causa ac ferre sententiam, & quòd ad id alioquin cogi possent, ex quibus nihilominus causis ab eo onere deobligentur, & per cōsequens cogi iam tunc non possint in causa progredi, nec ferre sententiam.

1 Prima est. Si post id munus ab arbitro acceptatum, partes ea de re contenderunt coram iudice ordinario, (idem intellige, si contenderunt coram iudice delegato) vel si alium arbitrum circa eandem causam sibi elegerunt. Ita habetur *l. sed etsi in seruum. §. vlt.* & duab. legib. sequentib. *ff. de recep. arb.* & *l. 30. titu. 4. part. 5.* Si tamen vna tantùm pars vocaret alteram inuitā coram iudice ordinario circa eandem causam, atque in compromisso pæna fuisset apposita nō stanti compromisso, tunc ea pars, quæ alteram inuitam vocaret eo modo coram iudice ordinario aut delegato, incideret in pænam illam; eo quòd compromisso non steterit; & nihilominus causa integra manet, vt coram eo iudice ordinario peragatur. Ita habetur *l. si quis rem. ff. de recep. arb. & l. 30.* citata. Dubitant doctores, num hæc non solùm habeant locum in arbitro, sed etiam in arbitratore. Baldus, quem *Greg. Lopez. l. 30.* citata glossa. 2 refert, & alii censuerunt, id in arbitratore non habere locū: eo quòd compromissum in arbitratorem sit transactio. Nos verò disp. 30 ostendimus, ante sententiam sequutam & emologatam non esse transactionem perfectam: neque minùs, sed plus, compromissum in arbitrum, sequuta illius sententia seu arbitrio, habere rationem transactionis; quare friuola sunt, quæ Baldus & alii hac de re docent. Vnde cū Orione & Greg. Lopez glossa citata est dicendum, ea locum habere etiam in arbitro: eo quòd vtrobique sit eadem ratio: & quoniam iura indistinctè loquuntur de arbitro latè sumpto, vt arbitratorem etiam comprehendit. Hæc eadem quo ad sequentes causas similiter intellige.

2 Secunda est. Quando partes arbitrum infamarunt, non leuiter scilicet. Vnde si arbiter, accepta infamia, non velit in causa progredi ac ferre sententiam; & partes à iudice ordinario petant, vt illum cogat in causam progredi & sententiam ferre; non priùs ordinarius excusare illum debet, quàm causa cognita, videat, num iniuria tanta ac talis sit, spectatis circunstantiis concurrentibus, quæ illum excuset. Ita habetur *l. sed etsi in seruum. §. vlt.* iuncta glossa ibi &. *l. licet. ff. de recep. arb.* & *l. 30. titu. 4. part. 3.* Glossa. §. vlt. citato exponit de infamia facto illata, & lex 30 citata vtitur verbo *denostar*, quod in lingua Castellana antiqua, & hodie in Lusitania, contumelia verbo efficere significat. Dicerem quamcunque iniuriam non leuem sufficere, siue verbo aut alio signo in absenti aut in præsentia illatam, siue facto: lex autem illa infamiam expressit, quæ etiam iniuriā verbo in absentia factam comprehendit, vt intelligeremus, idem longè maiori cum ratione esse de grauiori modo iniuriæ. Vtrùm autem sufficiat esse factam ab altera tantùm parte. Paragraphus vltimus citatus à litigatoribus in plurali illatam ait. Lex verò 30 citata exprimit, satis esse si illata fuerit ab altera tantùm parte. Atque Greg. Lopez ibi excipit, nisi malitiosè sit illata animo impediendi ne sententiam ferat, eoque modo putat limitandum esse eam legem. Certè cùm eo ipso suspecta sit sententia arbitri, quòd iniuriam ab altera parte non leuem acceperit; quoniam meritò erit timendum, ne iniustè sua sententia illam grauet, & faueat alteri; punienda quidem erit pars, de qua constauerit eo animo eam iniuriam intulisse, non solùm ob iniuriam illatam, sed etiam in commodum alterius partis, quasi compromisso virtute in damnum illius contrauenerit; non tamen arbiter procedet ad ferendam sententiam, sed alius eligi poterit, si ita velit pars cōtraria, qui sine ea suspicione eandem causam vt arbiter finiat, atque vt pars, quæ illo modo iniuriam intulit, in eo consentiat, cogi debebit à iudice ordinario. Et fortè hoc voluit lex illa 30 citata. Nisi dicas, in eo etiam esse puniendam partem, quæ ita malitiosè iniuriam intulit, vt patiatur ab eo arbitro sententiam pronūciari. Illi tamen recursus manebit, vt si perspicuè iniusta deprehendatur, per iudicem ordinariū ad limites solùm iustitiæ reducatur. Quādo autem iudex ipse arbiter in causa fuit, vt ea iniuria ab altera parte efficeretur; quia non leuem ad id causam dedit; iudex ordinarius ex circumstantiis concurrentibus videbit, num consentiente vtraque parte, vt sententiam nihilominus is arbiter ferat, & simul saltem altera perte id petente, cogi ferre sententiam debeat.

3 Cum præcedenti causa cōiungere possumus tertiam, quando scilicet graues inimicitiæ oriuntur inter arbitrum & vtrumque aut alterum litigantium, aut antecedentes post munus susceptum detectæ sunt: tunc enim vno litigantium id petente, præcipere iudex ordinarius causa priùs cognita debet arbitrum, ne in ea causa vlteriùs progrediatur, satisque esset protestatio partis tali arbitro facta, ne in causa progrederetur, quoniam sibi ob eas inimicitias est suspectus, vt si arbiter sententiam nihilominus proferret, se ab illa tueri posset doli exceptione, & vt excusaretur à pœna compromisso ei statuta, qui sententiæ non pareret, eadem exceptione doli. Ita habetur *l. licèt. l. non distinguamus. §. cum quidam. ff. de recep. arb. l. 31. titu. 4.* & *l. 17. in fine titu. 23. part. 3.* atque præcedentibus disputationibus est etiam dictum.

4 Quarta est. Si rationabile ac iustum impedimentum arbitro superueniat, vt progredi in causa non possit, eamque ad finem perducere, vt morbi, ingressus religionis, proprium ali-

quod negotium, quod id impediat, munus ei A iniunctum, necessaria aut valde vtilis profectio, & similia alia, quæ id rationabiliter ac meritò impediant. Tunc enim excusatur à iudice ordinario causa cognita & sufficiẽter ab eo iudicata. Atque interdum dilatio temporis ei conceditur, intra quod causam expediat, si circunstantiæ id efflagitent, & litigantes velint. Ita habetur *l. licèt*, iuncta *l. ibi sequenti. ff. de recep. arb. & l. 30. titu. 4. part. 5.*

5 Quinta est. Quando post munus acceptatum comperiretur, arbitrum munere aut alia re corruptum esse, vel ante munus acceptatum, vel post illud acceptatum, vt alteri parti faueret: tunc enim iudex ordinarius præcipere illi de- B bet, ne in causa progrederetur: quin estò nihil illi fuisset præceptum, & sententiam tulisset, cõpeteret aduersus exequutionem illius, & aduersus pœnæ exequutionem statutæ in compromisso sententiæ non parenti, doli exceptio. Ita habetur *l. sed etsi in seruum. §. vlt. ff. de recep. arb. l. 3. C. eod. titu. & l. 31. titu. 4. part. 3.* dictumque est præcedentibus disputationibus. Obserua tamen, prohibitum non esse arbitris & arbitratoribus pretium ab vtraque parte litigante accipere pro munere, quod exercent, & labore ac industria, quæ in examinanda ac definienda causa apponunt, vt ex se liquet, & habetur *l. 3. §. ait prætor*, iuncta glossa ibi. *ff. de recep. arb.* atque af- C firmant doctores, quos *Greg. Lopez. l. 31.* citata glossa penult. refert ac sequitur.

Quando in multos est compromissum, siue tanquam in arbitros, siue tanquam in arbitratores, num necesse sit omnes concurrant. Et si discordent, quorum sententia sit standum. Disp. 42.

SVMMARIVM.

1. *QVando in multos compromittitur tanquam in arbitros, vel tanquam in arbi- D tratores, neque aliud exprimitur, standum est plurimorum sententiæ: multo magis si id in compromisso exprimitur.*
2. *Iure ciuili quando expresse & non expresse in multos fuit compromissum, vt sententia a maiori illorum parte lata valida sit, necesse est vt omnes, in quos ità fuit compromissum, præsentes sint, quando sententia profertur.*
3. *Iure canonico si maior arbitrorum pars adsit, & reliqui vocati vt adsint absque iusto impedimento interesse noluerint, validum est arbitrium, quod maior pars eo modo in aliorum absentia tulerit.*
4. *Quando in tres fuit compromissum, si duo conueniant in aliqua earum summa, vt in decem, & aliud dissentiat, condemnans videlicet in minori vt in quinque, vel in maiori vt in quindecim, standum est sententiæ illorum duorum, qui in eadem summa conueniunt. Si verò omnes tres circa summam discordent, quia vnus condemnat in quindecim, alius in decem, aut alius in quinque, tunc quamuis duo virtute conuenire videantur saltem in decem, standum est in quinque, quoniam omnes in eo virtute consentiunt: his itaque modis compromisso celebrato, cogi possunt arbitri ferre sententiam.*
5. *Si compromissum fuit in duos, & additum in compromisso fuit, quod si illi discordent, eligant ipsi tertium, nullum particulariter designando, compromissum est nullum.*
6. *Quando in multos ita compromissum est, vt si non omnes possint, reliqui sine illis procederent, tunc valeret arbitrium eorum, qui procederent sine aliis. Si verò, vt omnes in eadem sententia conueniant, tunc nisi omnes intersint, & eiusdem sint sententiæ, inualidum est arbitrium.*
7. *Si compromittatur in aliquos cum clausula, vt omnes aut multi, vel vnus eorum causam expediat, tunc quilibet eorum solus potest eam causam expedire.*

QVando in multos compromittitur tanquam in arbitros, vel tanquam in arbitratores, neque aliud exprimitur, standum est plurimorum sententiæ, quia illa præualet. Ita habetur *l. si in tres, & l. sicut. ff. de recep. arb. l. 32. titu. 4. part. 3. & lib. 3. Lusit. ord. titu. 81. §. penult.* Idem longè maiori cum ratione erit dicẽdum, si in multos compromittatur, atque in compromisso exprimatur, ita in illos compromitti, vt sententiæ maioris partis illorum stetur, vt ex se liquet. 1

De iure autem ciuili, quando vtrouis eorum modorum fuit in multos compromissum, vt sententia à maiori illorum parte lata valida sit, necesse est, vt omnes, in quos ita fuerit compromissum, præsentes sint quando sententia profertur: alioquin vno solo vel pluribus illorum absentibus, sententia lata ab aliis, etiam si plures sint numero & potiores, est inualida, estò reliqui sua negligentia aut malitia interesse non velint. Ita habetur *l. si in tres. l. sicut. l. 32.* citatis, & *§. penult.* etiam citato. Atque iuxta glossam ibi, & doctores communiter, id verum habet, etiam si absentes suam mentem expresserint, aut scripto illam miserint, imò ait Albericus & *Greg. Lopez. l. 32.* citata glossa 2. relatus, estò qui abfuerint, iurent ideo non velle interesse, quoniam eis de causa non constat, quid circa eam proferre debeant. Ratio autem, quam lex si in tres, & lex 32 citatæ reddunt, hæc est: Quoniam, qui absunt, forsitan si præsentes essent, suis rationibus aut illorum rationes impugnando ac diluendo, trahere alios potuissent in contrariam sententiam. Et consentiunt, quæ de iudicibus delegatis Disp. 24 in prin. in eodẽ euentu dicta copiosiusque comprobata sunt. Vtrùm autem, si omnes arbitri præsentes sint, & maior pars ferat concorditer sententiam, cæteris tacentibus, vel reclamantibus, non tamen ferentibus sententiam, valida sit sententia illa maioris partis in omnium præsentia. Glossa citata affirmanter respondet, quam cum Orione E approbat Greg. Lopez glossa 2 citata, quando coram tacentibus, aut contradicentibus, nec sententiam ferentibus, vtilata sunt merita causæ, redditæve rationes sunt, cur ita iudicetur. Atque iuxta eam sententiam, iuribus aliis citatis satis consonam, præsertim. §. penult. citato, exponit legem 32 citatam, quæ plus exigere videbatur. Quia ergo in euentibus explicatis inualida est sententia, etiam à maiori arbitrorum parte lata, aliquo aut aliquibus ex arbitris absentibus, nullus arbitrorum cogi à prætore potest sententiam ferre aliquo vel aliquibus absentibus. Ita habetur *l. item si vnus §. item*

si

si plures. & *l. non distinguamus. §. cùm in plures. ff. de recep.*

3 De iure tamen canonico si maior arbitrorũ pars adsit, & reliqui vocati ac requisiti vt intersint, absque iusto impedimento negligentia, aut malitia, interesse non voluerint, validum est arbitrium, quod maior pars eo modo in aliorum absentia tulerit. Ita fuit dispositum *c. 2. de arb. lib. 6.* Id verò solùm habet locum in foro ecclesiastico, & in seculari in terris tantũ dominii tẽporalis ecclesiæ. In aliis verò locis in seculari foro tenetur dispositio iuris ciuilis. §. præcedente tradita, vt glossa in eodem capite & communis doctorum sententia affirmat. Dictum est, absque iusto impedimẽto negligentia, aut malitia, interesse non voluerint: quoniam si iustum ad id habeant impedimentum, ita vt quacunque ratione interesse non possint, tunc, etiam de iure canonico, erit inualidũ arbitriũ, quod maior arbitrorum pars in aliorum absentia tulerit, vt eodem capite habetur. Dictum quoque est, si maior pars illud tulerit: quoniã minor pars, aut æqualis, non sufficit, etiam in euentu eius capitis, ad validum arbitrium in aliorum absentia ferendum: eaque ratione in eo capite exemplum adhibetur, quando in tres est compromissum. Idem verò est quotiescunque in maiorem alium numerum arbitrorum est compromissum, & adest maior pars, cæteris vocatis ac requisitis vt adsint, & sine iusto impedimento non volentibus interesse. In eodem capite additur, per eam dispositionem nihil mutari circa alios iudices ordinarios ac delegatos: in eis enim, nisi omnes adsint, inualidum erit iudicium, quod maior pars tulerit, vt disp. 24 explanatum est.

4 Quando in tres fuit compromissum modis hactenus explicatis, si duo conueniant in aliqua eadem summa, vt in decem, & aliud dissentiat condemnans videlicet in minori, vt in quinque, vel in maiori, vt in quindecim, statur sententiæ illorum duorum, qui in eadem summa consentiunt. Si verò omnes tres discordent circa summam, quia vnus condemnat in quindecim, alius in decem, aut alius in quinq;, tunc quamuis duo virtute conuenire videantur saltem in decem, standum tamen est minori summæ, puta quinque: quoniam omnes in ea virtute conueniunt. Ita habetur *l. diem proferre. §. si plures. ff. de recep. arb. & c. 1. de arb. lib. 6.*

Si in duos modis explicatis compromittatur, validum est compromissum, ita vt cogi possint ferre sententiam, si munus acceptarunt. Atque, si in eadem cõsentiant sententiam, illi ab eis prolatæ erit standũ. Ita habetur *l. itẽ si vnus. §. principaliter.* vers. *sed visitatũ. ff. de recep. arb. c. penult. de arb. & lib. 3. Lusit. ord. titu. 81. §. vlt.* Cæterũ, si dissentiant, neutrius sententiæ erit standum: iudex tamen ordinarius cogere potest ac debet arbitros, vt eligant tunc tertium quendam, qui cum ipsis rem iterum examinet & sententiam ferat, & eius autoritate stetur ac pareatur. Ita habetur *l. item si vnus, §. principaliter.* vers. *vlt. ff. de recep. arb. Lex 26. in fine titu. 4. part. 3.* apertè docet, iudicem ordinarium ad id cogere nõ debere, nisi ad petitionem partium, quæ in illos duos compromiserant, aut ad petitionem vnius illorum: aitque ibi Greg. Lopez regulare esse, vt ad vtilitatem priuatam, qualis hæc est, iudex

A intromittere non possit officium suum, nisi ad petitionem partis, iuxta *l. 4. §. hoc autem iudicium. ff. de dam. inf.* Eadem lex 26. & lex 29. eod. titu. volunt, priùs iudicem ordinarium admonere debere, vt ipsæmet partes, de quarum interesse agitur, eligant eum tertium, si ipsæ ante iudicis admonitum in eo non consentiant: si enim partes ipsæ vel ante iudicis admonitum, vel iudicis admonitu, ad petitionem vnius ipsarum in illo consentiant, certè ipsarum electioni erit standum, cùm de ipsarum solùm interesse ea in re agatur, isque tertius esse debeat, in quo partes ipsæ magis conueniant: si autem partes ipsæ in eodem tertio non consentiant, iudex ordina-
B rius duos priores arbitros coget, vt illum eligãt. Atque, si omnes tres arbitri consentiant, rationibus fortè, quæ noua ea discussione causæ elucebunt, tunc sententiæ illorum trium erit standum si verò omnes tres non consentiant, standumerit sententiæ maioris partis eorum trium arbitrorum. Ita habetur l. 29. citata. Quæ etiam docet, idem etiam esse faciendum, quando maior numerus arbitrorum fuerat à principio electus, vt si quatuor, verbi gratia, erant electi: si enim eueniat pares esse in ferẽda ea de re diuersa sentẽtia, eligendus similiter erit vnus alius arbi-
C ter, qui cũ eis quatuor rẽ similiter definiat. *Greg. Lopez. l. 29.* citata, verb. *tambien à las partes*, cum Alberico & Guidone de Suza ait, si arbitri non conuenirent in illo tertio, iudicem ordinarium posse ex officio suo ac debere, saltẽ ad petitionem vnius ex partibus, illum eligere: quod mihi placet. Poterit verò iudex cogere eum tertiũ arbitrũ, siue à partibus autoritate eiusdẽ iudicis ordinarii, siue ab arbitris prioribus, siue ab ipsomet iudice ordinario electus, cogere vt causam examinet, & sententiam proferat, vt cum *glossa. §. principaliter. vers. vlt.* citato, & cum Bart. *Greg. Lopez. l. 29.* citata, verb. *è mandarles*, affirmat, & satis in eo consonat ea lex. 29. ibi. Quando autem tertius, ita electus, à duobus prioribus
D discordaret, ita vt duo non conuenirent in eãdem sententiam, sed omnes tres essent inter se diuisi ac singulares, num sententiæ illius tertii esset standum. Glossa penult. vers. vlt. citato rem examinat, & propendẽre videtur nullius illorũ trium sententiæ esse tum standum, & eam sententiã amplecti videtur l. 29 citata. Atque tunc esset recurrẽdum ad electionem similiter quarti arbitri, qui sententiam ferret, quousque maior pars arbitrorum in eadem sententia conueniret. Baldus & plerique alii, quos *Greg. Lopez. l. 29.* citata glossa vlt. asseruerunt, standũ tunc esse
E sententiæ illius tertii arbitri, etiam si ea sententia duorum priorum arbitrorũ discordat: quoniam ille versiculus vltimus citatus sic habet: *Et debet prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam certam eligere personam, cuius autoritati pareatur.* Glossa tamen id ibi exponit, modò cum altero priorum arbitrorum consentiat, ita vt duo saltem ex illis tribus sint in eadem sentẽtia. Vtraque autem opinio est probabilis standoin iure communi, vt glossa citata satis perspicuè innuit. De iure verò Lusitano *lib. 3. ord. titu. 81. §. vlt.* videtur sancitum, vt in euentu discordiæ duorum priorum arbitrorum reddatur nullum compromissum, & per consequens, vt iudex ordinarius nec partes nec arbitros compellat eligere tertium arbitrum, neque ipse illum eli-

gat. Vtrùm autem, quæ de iure communi & huius regni dicta sunt de electione tertii arbitri, quando duo priores inter se discordent, locum solùm habeant, quando in arbitros fuit compromissum: non verò quando compromissum fuit in arbitratores, *Greg. Lopez l. 29.* citata, verb. *vn hombre bueno*, rem disputat, & refert Bal. & Panor. censentes intelligendum id esse solùm, quando fuit compromissum in arbitros: ductos falso fundamento, quòd arbitratoribus, & non arbitris, concedatur sumere de iure vnius & tradere alteri. Gregorius verò Lopez propendet, maximè de iure huius regni, & de iure communi, rem lectori cogitãdam reliquit. Ego verò nõ dubito ea habere locum, etiam quando est compromissum in arbitratores: quia iura non distinguunt in arbitros & arbitratores, sed vtrosque communi arbitrorum nomine comprehendũt, vt sæpe est dictum: & quoniam nulla congrua ratio redditur, nec reddi potest, cur id potiùs habeat locum in arbitris, quàm in arbitratoribus.

5 *Vlpianus l. item si vnus. §. si in duos. ff. de recep. arb.* ait, si compromissum fuit in duos, & additũ in compromisso fuit, quòd si illi discordent, eligant ipsi tertium, nullum in singulari designando quem debeant accipere, sed illorum electioni relinquendo vt eligant, quem velint, cõpromissum est nullum: quoniam si discordent in illo eligendo, frustrabitur omnino compromissum, & perdentur opera & sumptus. Si verò à principio compromissum fuit in duos, aut in eodem compromissum fuit additũ, vt si discordauerint, assũmant secum talem certum in indiuiduo, putà Sempronĩũ, esse validum compromissum. Atque in hoc secundo omnes consentiunt, vt habetur *l. 26. titu. 4. part. 3. & lib. 3. Lusit. ord. titu. 81. §. vlt.* Circa primum verò dissentiunt doctores, num si illi duo arbitri consentiant, valida sit eorum sententia, & per consequens validum etiam sit compromissum. Aretinus, Iacob de Rauena, & Albericus relati à Greg. Lopez l. 26. citata, verb. *no lo señalassen las partes*, valere compromissum affirmant ad effectum, vt si duo illi arbitri in sententia consentiant, valida sit; itemque ad effectum, vt si dissentiant in sententia, & consentiant in eligendo tertio arbitro, qui in ferenda sua sententia consentiat cum aliquo duorum illorum priorum arbitrorum, valida quoque sit talis sententia. Decisionem verò Vlpiani, quoad illud primum suprà relatum, intelligunt in euentu solùm, in quo duo illi arbitri inter se discordant, & simul etiam discordant in eligendo illo tertio arbitro: non verò in illis aliis duobus euentibus. Baldus verò ex parte cum his doctoribus consentit, & ex parte ab eis dissentit. Ait enim, id compromissum solùm non valere ad effectum, vt si duo illi arbitri consentiant in sententia, non sit valida eorum sententia, itemque ad effectum vt, si dissentiant, non sint cogendi iudice ordinario tertium arbitrum assumere, qui non sit arbiter compromissarius, sed qui autoritate legis arbiter sit, cuiusque sententiæ stetur. A Baldi sententia parum distat Azo, ab eodem Gregorio Lopez in fine glossæ citatæ relatus, quòd scilicet non valeat id cõpromissum ad effectum solùm, vt si duo priores arbitri discordent, ipsi autoritate talis cõpromissi eligere possint tertiũ tanquã arbitrũ vi talis cõpromissi: valeat tamen ad effectũ, tũ vt si duo priores arbitri discordes sint, ipsorũ stetur sententiæ: tũ etiãvt, si discordes in sua sententia sint, cogantur autoritate iudicis ordinarii eligere tertium arbitrum eo modo, quo cogerentur, si in illos eosdem duos arbitros fuisset compromissum nulla mentione facta, quòd, si dissiderent, eligerent tertium arbitrum. Et fortasse (vt tandem Greg. Lopez glossa citata annuit) hæc fuit decisio (iuxta Azonis opinionem, quem cõditores legum partitarum frequenter sequuntur) legis 26 citatæ, comprehendendo ibi simul hunc euentum cum aliis, in quibus validum est compromissum in duos factum, quos ea lex definit. Alioquin dicendum erit, (vt Greg. Lopez in eadem glossa priùs dixerat) leges partitarum omisisse eam priorem Vlpiani decisionem §. si in duos, propter varietatem opinionum, quæ ea de re erant. Bart. verò & latissimè *Panor. c. innotuit de arb.* glossa ibi, & multi alii doctores, simpliciter affirmant, esse omnino nullum cõpromissum in duos arbitros, addito in eo, quòd in euentu discordiæ illorum ipsi eligant tertium, nullum singularem eis præscribendo, quem assumant, vt decisio Vlpiani in eo §. si in duos, perspicuè sonat. Quare tunc neque sententia vnanimis illorum duorum arbitrorum erit valida, vtpote lata ex compromisso iuris ciuilis dispositione nullo: neque electio tertii arbitri ab eis facta, neque sententia eius arbitri consentiens cum vno aut cum vtroque priorum arbitrorũ, erit valida: eo quòd compromissum, cui innitũtur, nullum fuerit. Id profectò irrefragabiliter confirmat. c. innotuit citatum, quod nullã pronunciat vnanimem sententiam duorum arbitrorum vi talis compromissi latam, dicens ita esse dispositum iure ciuili, (in eo videlicet. §. si in duos) cui est standum interim, dum ea lex nõ reuocatur. Neque Greg. Lopez in fine glossæ citatæ bene dixit, id intelligendum esse in foro ecclesiastico: quoniam c. innotuit expresè dixit, id iure ciuili esse ita statutum, eique definitioni esse standum, vique eius definitionis iuris ciuilis pronunciauit nullam fuisse sententiã ab illis arbitris vi talis compromissi latam. Ex parte etiam consentit ordinatio Lusitana *lib. 3. titu. 81. §. vlt.* quæ latiùs aliquantulum annullat compromissa in duos facta, nisi vterque in sententia cõueniat. Neq; refragatur c. penul. de arb. Ibi enim sententia lata fuit à duobus arbitris ex partium commissione à quodam legato à látere electis sine ea clausula addita, quæ vires à compromisso, iuxta. *§. si in duos*, aufert. His verò nihil impedientibus optarem, vt decisio illa Vlpiani, & aliæ similes, insertæ non fuissent in corpore iuris ciuilis. Quid enim impedit, quòd cõpromittentes id arbitris committant, ad quod iudex ordinarius ex præscripto iuris eos cogere deberet ad ipsarummet partium aut ad alterius earum petitionem? Aut cur cessare ex eo debuit iudicis ordinarii ad id coarctio, quòd partes in compromisso in arbitris iniungerent?

6 Quando ita in multos aliquos esset compromissum, vt si non omnes possent, reliqui sine illis procederent, tunc valeret arbitrium eorũ, qui procederent sine aliis, qui non possent, aut qui non vellent interesse ac ferre simul arbitriũ, eo modo quo idem disp. 24. §. secundo modo est explicatum, quoad multos iudices sub eadẽ verborum forma delegatos: eaque de causa nõ

plura

plura hac de re hoc loco dico. Illa legas. Arbitri tamen delegare nõ possunt eo modo, quo delegati subdelegare interdum possunt: quare quæ ibi de subdelegatione absentium dicta sunt, in re hac de arbitris locum non habent.

Quando inter multos ita esset compromissum, vt omnes in eadem sententia conuenirent, tunc nisi omnes interessent, & omnes in sententia essent vnanimes, inualidum esset arbitrium, etiam de iure canonico: quoniam, vt arbitrium valeat, id omne est implendum, quod in cõpromisso fuit expressum, vt ex se liquet, & affirmat glossa *penult. c. 2. de arb. lib. 6.*

7 Si compromittatur in aliquos cum clausula, vt omnes, aut multi, vel vnus eorum causam expediat, tunc quilibet eorum solus potest eam causam expedire. Cæterùm tunc vno eorum negotium sine aliis inchoante, cæteri non possunt se vlteriùs in eo negotio intromittere, nisi ille morbo aut alia iusta de causa non posset id negotium prosequi, vel non vellet, aut malitiosè in eo procedere recusaret: tunc enim quilibet eorum procedere in eo negotio posset. Hęc ita sunt disposita *c. cum plures de offic. deleg. lib. 6.* circa multos iudices delegatos cum illa eadē clausula, explicataque sunt disp. 24. §. tertio modo: neque est cur non eodem modo locum habeant in multis iudicibus arbitris cum eadem clausula constitutis. Lusitanæ ord. *lib. 3. titu. 81.* §. *6.* quo ad hos arbitros ita constitutos sic habent: *Pero se dous ou tres arbitros começarem cõhecer do feito, fazendo alguũ auto judicial, jamais non poderaa huum sem outro julgar o dito feito, posto que no compromisso digua, que cada huũ delles possa ser juiz in solido.*

Compromissum quando expiret. Et quando arbitri aut partes prorogare possint tempus in compromisso præscriptum.

Disp. 43.

SVMMARIVM.

1. *MOrte cuiusuis arbitrorum, si in multos fuerat compromissum, exspirat compromissum. si nondum per eos arbitros erat lata sententia definitiua: item superueniente impedimento, vt iam non possit in causa progredi.*
2. *Item morte cuiusuis compromittentium ante latam sententiam definitiuam.*
3. *Hæc duo priora non minùs habent locum in compromisso in arbitratorem, quam in compromisso in arbitrum.*
4. *Si partes, quæ compromiserunt, transactionem faciant circa compromissum, vel vna pars cedit alteri totum suum ius, perspicuum exspirare compromissum. Item si partes inter se conueniant, vt à compromisso discedatur.*
5. *Quando nullum tempus fuit arbitris ex compromisso præscriptum, intra quod sententiam ferrēt, tunc intra congruum tempus tenentur illam finire, id postulante saltem altera partium, & ad id à iudice ordinario possunt cogi.*

DIsputatio hæc propter affinitatem eorum, quæ in ea dicentur, cum iis quæ disputatione præcedente dicta sunt, proximè post illam subjicienda.

A Morte arbitri, aut cuiusuis arbitrorum, si in 1
multos fuerat cõpromissũ, exspirat cõpromissũ, si nõdũ per eũ arbitrũ aut per eos arbitratores lata erat sententia definitiua. Et eodē modo expirat superuenientę impedimẽto, ita vt iã nõ possit in causa progredi ad illã finire, saltē intra cõgruũ tẽpus iuxta partiũ præfinitionẽ, aut rationabilẽ voluntatem. Vt si ingrederetur religionem, neque prælatus consentiret vt in causa progrederetur, eamque finiret intra tempus ad id accommodatum, vt credendum est non consenserunt, neque expedit vt consentiat eum, qui ita de nouo religionem ingreditur, illam expedire: quare meritò absolutè affirmatur, per ingressum
B arbitri in religionem expirare compromissum. Similia exempla sunt, si arbiter in seruitutem redigatur: mancipium enim arbiter esse non potest, vt disp. 39 fuit comprobatum, si in exilium perpetuum mittatur, aut in tantum tempus, vt causa intra congruum tempus ab illo expediri non possit; si in amentiam incidat; si necesse illi sit proficisci in locum distantem ad tempus longum; aut si simile aliud ei legitimum impedimẽtum superueniat, quod, iuxta ea quæ disp. 41 dicta sunt, eum excusaret ab vlteriori progressu in ea causa, illiusque definitione. Ratio autem horum omnium est, quoniam, vt disputatione præcedente ostẽsum est, vt arbitrorũ
C sententia sit valida, necesse est vt omnes, in quos fuit compromissum, conueniant ad illam ferendam, atque de iure canonico requiritur, vt saltem non habeant impedimentum legitimum ad conueniendum cum aliis ad eam ferendam. Ea verò omnia colliguntur ex. *l. item si vnus. §. item si plures*, iuncta *l. in compromissis. ff. de recep. arb.* & habentur. *l. 28. titu. 4. part. 3.* & *lib. 3. Lusit. ord. titu. 81. §. 4, 5, & 6.* Excipitur, si compromissum fuit in multos cum clausula, vt vnusquisque solus posset procedere ad causam definire: nisi tamen omnes incepissent simul progredi iudicialiter in causa, iuxta ea quæ disputatione præcedente dicta sunt: aut si in compromissum
D fuisset expressum, quòd vno impedito, reliqui procederent, aut continuarent ac finirent causam. Ita habetur *l. 28.* citata, & *titu. 81.* citato, *§. 6.* resque ex se liquet.

Item expirat compromissum morte cuiusuis 2
compromittentium ante latam definitiuam sententiam, estò conclusum iam fuisset in causa, quin estò citatæ essent partes ad sententiam audiendam. Lata verò iam sententia definitiua ante mortem partium, transit compromissum ad hæredes compromittentium, quin & ad hæredes hæredum. Quando item in compromissum fuisset expressum, vt estò partes ante sententiam definitiuam ex hac vita discede-
E rent, compromissum ad hæredes transiret, aut (quod idem est) vt arbitri nihilominus in causa procederent, eamque definirent, tunc compromissum ad hæredes transiret. Hæc omnia constant ex *l. diem proferre. §. 1.* ex *l. non distinguamus. §. summa rei. ff. de recep. arb.* ex *c. ex parte*, & ex *c. vlt. de arb.* ex *l. 28* citata, & ex *titu. 81. §. 4.* etiam citato. Præterea *l. si interpellatus. §. vlt. ff. de recep. arb.* exprimitur, si in compromisso sit solùm expressum, vt morte vnius compromittentium transeat compromissum ad hæredes illius, nihilque dictum fuit, vt morte alterius transiret etiam ad hæredes illius, tunc morte

cuiusuis compromittentium expirare compromissum, ad nullosque hæredes eorum transire. Quòd si prælatus, non nomine proprio sed ecclesiæ compromitteret, tunc compromissum non expiraret morte talis prælati. Quoniam ecclesia est tunc, quæ interuentu eius prælati compromittit, & ecclesia non moritur, suo prælato defuncto. Ita *Panor. c. vlt. de arb.*

3 Hactenus dicta, vt & sequentia, non minùs habent locum in compromisso in arbitratorem, quàm in compromisso in arbitrum, vt cum Panor. affirmat *Greg. Lopez. l. 28.* citata, glossa 2. Quoniam est vtrobique eadem ratio. Et quoniam iura de arbitris & de arbitratoribus simul loquuntur comprehensis arbitratoribus nomine arbitrorum, vt disputatione præcedente, & disputatione 30, & aliàs sæpe dictum est.

4 Si partes, quæ compromiserunt, transactionem faciant circa id, circa quod compromiserunt, vel pars vna cedat alteri totum suum ius, quod circa id habebat, vel ita id pereat, de quo erat controuersia, vt nullum circa id supersit litigium, satis perspicuum est expirare tunc compromissum. Idem etiam est, si partes inter se conueniant, vt à compromisso discedatur: sicut enim compromissum mutuo compromittentium cõsensu celebratur; ita dissoluitur mutuò ab illo dissensu. Hæc habentur *l. non distinguamus. §. summa rei, & §. item non est cogendus. ff. de recep. arb. & l. 78. titu. 4. part. 3.*

Item si arbitris præfixum in compromisso erat certum tempus, intra quod sententiam ferrent, atque intra illud eam non ferant, expirat eo ipso cõpromissum. Excipitur, nisi in eodem compromisso fuisset illis concessum, quòd superueniente impedimento, possent id tempus prorogare: tunc enim, impedimento superueniente, prorogare illud possunt iuxta compromissi formam. Si tamen pars vtraque compromittentium contradiceret, tunc arbitri, nihil ea concessione impediente, prorogare illud non possent. Ita habetur. *l. non distinguamus. §. vlt. & l. sequenti. ff. de recep. arb. & l. 23. titu. 4. part. 3.* Arbitri verò, quando in compromisso fuit illis concessum prorogare posse tẽpus superueniẽte impedimẽto, prorogare illud possunt, etiã partibus absentibus, & etiam si constituti sint extra locum facti compromissi, aut extra locum in quo proferre debebant sententiam, *vt Greg. Lopez. l. 27.* citata *gloss. 1.* cum aliis, quos citat, rectè affirmat. Quando verò vna pars repugnaret, ne tempus ad proferendam sententiam prorogaretur, altera contrarium volente, & arbitris volentibus illud prorogare, est distinguendum. Quoniam si in compromisso non erat cõcessum arbitris, vt id tempus possent prorogare, tunc ea pars licitè, atque sine periculo incurrendi pœnam compromisso ei statutam, qui illi stare non vellet, repugnat ei prorogationi. Ita habetur *l. arbiter in compromisso. ff. de recep. arb.* Si verò arbitris in compromisso fuerat concessum posse illud tunc prorogare, vtique ea pars, quæ repugnat, incurrit pœnam compromisso statutam: quippe cùm in eo compromisso non pareat. Ita habetur *l. non distinguamus. §. dies compromissi. ff. de recep. arb. & l. 27.* citata. Atque tunc arbitri non possunt tempus A prorogare, altera parte petente vt non prorogetur, & ipsis id prorogare volentibus, vt habetur *§. dies compromissi* iuncta glossa ibi, & l. 27 citatis. Quod intelligerem de iure ciuili communi, quando compromissum celebratum esset pacto nudo, pœna in eo apposita non stanti cõpromisso. Secùs autem quando compromissum vallatum esset stipulatione, aut alia firmitate, vnde ciuilis actio oriretur ex tali compromisso, & secùs de iure canonico, & de iure huius regni, in quibus actio in foro exteriori ex pacto nudo detur. Tunc enim integrum esset parti, quæ vellet tempus prorogari, cogere vi contractus alteram nolentem coram iudice B ordinario, vt in ea prorogatione consentiret, vel agere ad pœnam compromissi, vt ea pars potiùs eligeret, vel etiam agere ad vtrumque, si pœna in compromisso fuit apposita cum clausula, rato nihilominus manente compromisso, iuxta ea quæ quo ad hæc omnia disputatione 35 dicta sunt. Quando in compromisso arbitris fuit concessum posse tempus prorogare superueniente impedimento, ex quo intra tempus compromisso datum sententia ferri non posset, tunc non tenentur arbitri, etiam parte vtraque id petente, illud prorogare, si nolunt: integrum tamen est illis illud prorogare. Ita habetur *l. non distinguamus. §. dies compromissi* iuncta glossa ibi *ff. de recep. arb.* & *l. 27* citata. Excipe nisi per ipsos arbitros stetisset, quominus intra id tempus sententiam proferrent: nam tunc de consensu vtriusque partis cogi possunt tempus prolongare, & sententiam intra illud proferre: imò in eo euentu, etiam post tempus finitum, si partes iterum circa idem in eosdem arbitros compromittant, coguntur à iudice ordinario nouum compromissum acceptare ac sententiam proferre. Ita habetur *l. si cùm dies in prin. ff. de recep. arb.* Et vtrumque similiter intelligendum est, si arbiter ex superueniente impedimento non potest intra diem compromisso præscriptum sententiam proferre, & sine suo D incommodo postea poterit, cogitur tempus prolongare, si ad id in compromisso facta illi fuerat potestas: atque si ea potestas ei non fuerat facta, & partes communi consensu velint illi protrahere tempus iuxta ea, quæ proximè dicenda sunt, cogitur id acceptare, & post elapsum id tempus, si in illos partes communi consensu iterum circa id compromittant, cogitur compromissum acceptare, si commodè possit. Ita habetur *l. arbiter iudicii.* (aliàs *l. & si qua. §. arb.*) & affirmat *glossa. l. si cum dies in prin.* verb. *per eum. ff. de recep. arb.* Quando autem partes tempus arbitris in ipso compromisso prolongassent, in euentu impedimenti, seu sub cõ- E ditione, si id impedimentum superueniret, tunc eo ipso, quòd superueniret id impedimẽtum, prorogatum esset tale tempus iuxta compromissi formam. Quando verò in compromisso tempus fuisset præscriptum, intra quod arbitri proferre deberent sententiam, neque facultas illis in eo compromisso fuisset concessa ad illud prorogandum superueniente impedimento aliquo, tunc partes ipsæ prorogare illis tempus ex communi vtriusque consensu possent, antequam tempus in compromisso illis præscriptum finiretur, arbitris ipsis consentientibus acceptantibus eam prorogationem:

fieri-

fieriq́ue ea prorogatio potest etiã per ipsarum A partium procuratores ad id specialiter deputatos: vt hæc omnia ex se sunt notissima: censenturq́ue tunc idem compromissum continuatum, vt affirmat glossa *l. l. si cum dies in prin. ff. de recep. arb.*

Quando nullum tempus fuit arbitris in compromisso præscriptum, intra quod causam finirent, ac sententiam proferrent, tunc intra congruum tempus tenentur illam finire, id postulante saltem altera partium, & ad id à iudice ordinario possunt cogi. Quòd si intra triennium à lite contestata, aut (vt innuit lex 27 citanda) à compromisso celebrato & acceptato per arbitros, illam non finiant, compromis- B sum expirat, iuxta communiorem doctorum sententiam, quam *Greg. Lopez l. 27.* verb. *desde el dia que lo recibieron, titu. 4. part. 3.* & quam ea lex definit. *Glossa vlt. l. sed si compromissum. ff. de recep. arb.* ait, quosdam affirmare, etiam post triennium posse eos arbitros compelli ferre sententiam stando in iure communi. Hæc eadem locum habere in compromisso facto in arbitratores, affirmat Greg. Lopez glossa citata.

Arbitri quo in loco cognoscere de causa debeant ac sententiam proferre. Et num diebus feriatis vel in loco sacro id efficere possint. Et ad quæ eorum sententia se extendere possit.

Disp. 44.

SVMMARIVM.

1. *Quando in compromisso locus designatus fuit, in quo arbitri de causa cognoscere deberent, eo in loco est terminanda; si verò in compromisso nihil expressum est, eo in loco est causa peragenda, in quo arbitri compromissum acceptarunt.*
2. *Arbiter seruare debet iudicii formam, quam iudices ordinarii seruant, nisi quatenus ei aliquid aut aliqua de illa remissa fuerint.*
3. *Arbitrator, quando nulla seruata iudicii forma proferre deberet arbitramentum, neque ea de re confici instrumentum publicum deberet, proferre arbitramentum posset in diebus feriatis etiam ad Dei honorem. Compromissum tamen etiam in arbitratorem fieri licitè non posset in diebus ad Dei honorem feriatis, nisi ex iusta causa.*
4. *In ecclesia fieri arbitrium non potest, nec in ea potest alius iudex iudicare.*
5. *Acta coram arbitro fidem coram iudice ordinario efficiunt.*
6. *Arbitrium non potest se ad alia extendere, quam E ad ea ad quæ compromisso arbitro est concessa facultas; at si ad aliud se extendat, inualidum est arbitrium.*
7. *Reconuentio coram arbitro compromissario locum non habet; at bene coram arbitro iuris.*
8. *Arbiter non potest punire mulcta ob contumaciam, condemnare tamen in expensis contumacem potest, in quas pars altera incurrit.*
9. *Quando circa multa fuit compromissum in aliquos arbitros, neque fuit expressum, vt simul & non diuisim circa illa pronuntiarent, valida sunt arbitria circa singula diuisim.*

Quod ad primum eorũ, quę proposita sunt, 1 attinet. Quando in compromisso locus fuit designatus, in quo arbitri de causa cognoscere eamque finire deberent, eo in loco est peragenda ac terminanda: neque partes aliò vocari ab arbitris possunt, neq; partes tenentur eò accedere, ac proinde si vocatæ non accedant, pœnam compromisso statutam non incurrunt. Quando verò in compromisso nihil de loco fuit expressum, eo in oppido causa est peragenda ac terminanda, in quo arbitri compromissum acceptarunt. Atque, attenta qualitate arbitrorum, ac compromittentium, & reliquarum circumstantiarum concurrentium, est videndum, num si arbiter aut arbitri in suburbanis eius oppidi sint, teneantur partes eò vocatæ accedere, attenta simul distantia ac qualitate loci. Quòd si locus indecens minusque honestus sit, non solũ cõparatione vtriusque cõpromittentium, sed etiã cõparatione alterius tantùm, vsque adeò non tenentur compromittentes vocati seu citati eò accedere, vt estò is accedat, comparatione cuius locus ineptus ac indecens iudicatur, & alter, cuius comparatione non iudicatur indecens, non accedat, pœnam compromissi non incurrat: quoniam quod ad iudicium attinet, quando vnus propter loci indecentiam accedere aliquò non tenetur, neque C alius similiter vocatus accedere eò tunc tenetur. Hæc omnia habentur *l. si cum dies. §. si arbiter. ff. de recep. arb.* & *l. 27. titu. 4. part. 3.* Partes autem citari debent, vt coram arbitro aut arbitris cõpareant in loco, in quo causa est peragenda, & vt sententiam audiant, præsentesque ad id esse debent, nisi in compromisso fuerit arbitris cõcessum, vt parte vtraque aut earum altera absente, procedere possint ac causam definire. Ita habetur *l. diem proferre. §. si quis. ff. de recep. arb.* & *l. 27.* citata in fine. Hæc de primo eorum quæ proposita sunt.

Quod verò ad secundum attinet. Quoniam 2 arbiter seruare debet iudicii formam, quam ordinarii iudices seruant, nisi quatenus ei aliquid D aut aliqua de illa remissa fuerint, vt ex dictis dis. 33 & aliis constat, & consentiunt *l. 1. ff. de recep. arb.* & *l. penult. C. eod. titu.* atque per litis contestationem coram illo non minùs interrumpitur præscriptio, quàm per litis contestationem coram iudice ordinario, vt habetur *l. 1. in fine. C. de recep. arb.* inde euenit, quòd non minùs arbitris formam iudicii, saltem ex parte seu non integre, seruantibus ac processum conficientibus, prohibeatur in diebus feriatis procedere, quàm iudicibus ordinariis ac delegatis, vt habetur *l. omnes dies. C. de feriis. l. idem Pomponius. §. vlt. l. si feriatis. ff. de recep. arb.* & *l. 32. titu. 4. part. 3.* Quo fit, vt si arbiter procedat in causa in diebus ad Dei honorem feriatis, nisi necessitas vrgeat, aut pietas suadeat, (iuxta ea quæ inferiùs dicemus, dum sermo nobis fuerit de variis diebus feriatis, in quibus iudicia cessant) & lethaliter ex suo genere peccet prohibita in die festo exercendo, & processus ita factus sit nullus, vt habetur *c. vlt. de feriis.* In feriis autem hominum contemplatione introductis, vt messium ac vindemiarum tempore, quamuis arbiter regulariter non debeat procedere in causa, neque regulariter cogi ad id possit, procedere tamen poterit

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

de consensu partium: atque cogi ex rationabili causa poterit à iudice ordinario vt procedat, vt si finiatur tempus compromissi, neque intra illud causa finiri ac terminari possit, nisi procedat in die aut in diebus illo modo feriatis, vel si alia vrgens occurrat causa.

3 Arbitrator verò, quando nulla seruata iudicii forma proferre deberet arbitramentum, neque ea de re confici instrumentum publicũ deberet, proferre arbitramentum posset in diebus feriatis etiam ad honorem Dei, vt doctores cõmuniter affirmant, & habetur *l. 32.* citata. Compromissum tamen, maximè instrumẽto publico, etiam in arbitratorem aut in arbitratores, fieri licitè non posset in diebus ad Dei honorem feriatis, nisi ex aliqua iusta causa, vt pacis tunc inter aliquos constituendæ, aut quia alio die confici commodè vel sine partium notabili dispendio non posset: nomine enim, placiti c. 1. de feriis, compromissum & quicunque alii contractus fieri in diebus ad Dei cultum feriatis prohibentur. Nudum verò arbitramentum non esse pactum, nec videtur prohibitum, quando ea die publicum instrumentum ea de re non esset conficiendum. Tametsi hæc etiam indecentiam habent vt fiant in die festo; & quãdo circunstantiæ non concurrunt, quæ efflagitent ea fieri in die festo, potiùs in diem aliũ sint differenda. Nobiscũ consentit *Panor. c. Quintanalis de iureiur. n. 22.* Eum etiam quo ad hæc omnia legito. c. cùm dilectus de arb. n. 4.

4 In ecclesia fieri arbitrium non potest, sicut neque aliquis alius iudex potest licitè in ea iudicare *c. docet de immu. eccles. lib. 6.* De arbitramento verò in eo loco idem est dicendum, quod proximè de arbitramento in die ad Dei honorem feriato est dictum. Lege *Panor. c. Quintanalis. n. 25.*

5 Acta coram arbitro fidem coram iudice ordinario efficiunt. Ita habetur *l. penult. in fine. C. de recep. arb.* Quo fit, vt testium examen factum coram arbitro fidem faciat coram iudice ordinario, consentiunt *Maranta de ord. iud. part. 6. actu. 5.* secundæ partis, qui inscribitur *n. 19. c. dilectus etiam sufficienti ea.* Meritò tamen *lib. 3. Lusit. ord. titu. 81. §. 1.* est sancitum de confessione. *Panor. c. Quintanalis de iureiur. de arb. n. 5. & c. vlt.* Non tamen acta coram arbitro, ad plenã probationẽ, infamiã irrogant, vt quando arbitro appellatur ad ordinariũ, omnia quidẽ corã arbitro acta fidẽ corã iudicẽ appellationis efficiant, & nihilominus, si partiũ aliqua rationem aliquam coram iudice appellationis proposuerit, vnde verisimiliter appareat, seruatam non fuisse formam debitam in examinare aliquorum testium, iudex appellationis teneatur eo examinare denuo ac interrogare in forma debita, neque aliter valeat illorum testimonium. Excipitur tamen, nisi testes illi sint iam defuncti: nam tunc validum est illorum testimonium prout in actis arbitri continetur, vt disp. 35.

6 Quod verò ad tertium eorum, quæ proposita sunt, attinet. Iam in calce disp. 32. & aliàs sæpe est dictum, arbitrium non posse se ad alia extendere, quàm ad ea, ad quæ compromisso arbitro est concessa facultas, atque, si ad aliud se extendat, inualidum esse arbitrium: idemque est de arbitramento arbitratoris. Est tamen obseruandum, non esse diuersa à concessis in cõpromisso clausula particulari aut vniuersali, quæ dependentia ab ita concessis sunt. Vt sunt fructus recepti ex rebus compromisso contentis. Vt item est, si arbiter præcipiat parti, cui id adiudicat, de quo erat contentio, reddere alteri partem pecuniam, aut aliquid aliud in recompensam iuris dubii, quod ea altera pars prætendebat, quodque non est certum eum non habere: id quippe eo ipso censetur arbitro concessum præcipere ac statuere, quod arbitrium circa eam rem circa eámve controuersiam dirimendam fuit illi commissum. Ita glossa *l. non distinguamus. §. de officio. ff. de recep. arb.* & *glossa c. cum dilectus de arb.* & cum ea *Panor. ibi. n. 10.* & *Inno.* quem citat, & habetur *l. 32. titu. 4. part. 3.* Et quo ad id, quod arbiter interdum præcipit parti, cui rem adiudicat, refundere aliquid alteri parti, affirma cum *Bartol. Panor. cap. cum dilectus de arbit. numer. 8.*

Reconuentio locum non habet coram arbitro compromissario, vt habetur c. cùm dilectus de arb. & affirmant Panor. ibi *Maranta de ord. iud. part. 4. dist. 6. n. 12.* cum Bart. & cum cõmuni doctorum sententia. Coram arbitro verò iuris, si non sit ad aliquem tantùm certum articulum, vt, verbi gratia, ad cognoscendum de suspicione, sed sit ad totam aliquam causam, locum habet reconuentio. Ita *Panor. c. cùm dilectus* citato, *n. 7. Maranta n. 12.* citato, & doctores communiter. 7

Quamuis arbiter punire non possit mulcta ob contumaciam, vt habetur *l. quid tamen. §. vlt.* & *l. non ex omnibus. §. 1. ff. de recep. arb.* nisi speciliter esset ei in compromisso commissum *l. 2. §. vlt ff. de iud.* & affirmat *glossa vlt. c. cùm dilectus. ff. de arb.* condemnare tamen in expensis contumacem potest, quas ob suam contumaciam in causa fuit vt pars altera efficeret, quatenus id est interesse partis aduersæ. Ita cum *Innoc. Panor. c. cum dilectus* citato, *numer. 12.* 8

Quando circa multa fuit compromissum in aliquem, aut in aliquos arbitros, neque fuit expressum, vt simul & non diuisim circa illa pronunciarent, adde (vt ad concordiam reducantur doctores, quos Greg. Lopez citat) vel nisi ex circunstantiis concurrentibus intelligatur id fuisse mentem compromittẽtium, valida sunt arbitria circa singula diuisim. Ita habetur *l. quid tamen*, iuncta *l. dicere. ff. de recep. arb.* & *l. 32. in fine titu. 4. part. 3.* & affirmat Gregorius Lopez ibi. 9

Sententia arbitri intra quantum tempus impleri debeat. Et ad quem iudicem pertineat, exequutionem illius aduersus morosum cogere ac efficere. Disp. 45.

SVMMARIVM.

1. *Si arbiter in sua sententia non expressit, intra quantum tempus iudicatum solui deberet, tunc damnatus solum tenetur soluere iudicatum intra quatuor menses à lata sententia.*
2. *Si arbiter terminũ expressit, in quo suũ arbitrium solui deberet, implendum tunc intra id tẽpus est: alioquin pœna incurritur, si in compromisso fuit*

fuit ſtatuta. Neque tunc, quando pœna exigitur poſt illum terminum elapſum locum habet purgatio moræ, ſed cogi poteſt ſoluere nihilominus pœnam.

3. *Quando non eſt locus perpurgationi moræ, ſi poſt pœnam incurſam reus impleat ſententiam, & actor ſolutionem recipiat nihil proteſtando, quòd nihilominus ſolùm ipſi maneat ius ad exigendam pœnam, locum tunc non habet agere inſuper poſſe ad pœnam.*

4. *Qui ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda iuſſus eſt aliquid intra certum tempus ſoluere, aut aliud efficere, licèt a peccato & ab excommunicationis pœna excuſetur, ſi per impotentiam id non poſſit ſoluere, eandem pœnam excommunicationis incurrit, ſi poſtea pendente eodem præcepto id non impleat, cùm primùm implere illud potuit.*

5. *Sententiam arbitri & arbitramentum arbitratoris non ipſi, ſed iudex ordinarius mandare debet exſecutioni.*

1 QVod ad primum eorum, quæ propoſita ſunt, attinet, eſt diſtinguendum. Quoniam vel arbiter in ſuo arbitrio ac ſententia expreſſit intra quantum tempus iudicatũ ſolui aut impleri deberet: vel nullum præfixit ad id terminum. In priori quidem euentu damnatus ſolùm tenetur ſoluere, impleréve iudicatum, intra quatuor menſes à lata ſentẽtia, quod hodie appellatur modicum tempus ad ſoluendum iudicatum, quando non fuit præfixum certum tempus, intra quod ſolueretur. Ita habetur *l. ſi cùm dies. §. vlt. ff. de recep. arb.* iuncta *l. ſi debitori in fine, & gloſſa ibi. ff. de iud.* & iuncta *l. 2. C. de uſur. rei iud.* quæ hodie id tempus determinat, & iuxta ea iura habetur *l. 33. titu. 4. part. 3.* Quando ab arbitro nõ fuit expreſſum tempus, intra quod ſuum arbitrium impleretur, pœnaque fuit appoſita in compromiſſo illi, ſententiæve arbitri non ſtanti, tunc ſi ita ab arbitro damnatus non ſoluat iudicatum intra eos quatuor menſes, pœnam compromiſſi incurrit, ita tamen, vt ſi quando, elapſis eis quatuor menſibus, conuenitur circa pœnam, ante litem circa actionem ad illam conteſtatam ſe paratum ad ſoluendum ſtatim iudicatum oſtendat, opereq; illud ſoluat, purget moram ad effectum, vt ſoluere non teneatur pœnam incurſam. Ita habetur *l. ſi cùm dies. §. vlt. ff. de recep. arb.* & *l. 33.* citata. Si tamen intereſſe aliquod ex eo actori ceſſauit, aut damnum emerſit, quòd reus intra id quadrimeſtre non ſoluerit, tunc reus id intereſſe tenetur etiam illi ſoluere, alioquin non purgat moram, ſed pœnam incurrit. Ita habetur *l. vtique* proximè ibi ſubiunctа (aliàs eſt pars paragraphi vltimi citati) *ff. de recep. arb.* & affirmant gloſſa ibi, & *Greg. Lopez l. 33.* citata, verb. *cumpliendolo.*

2 In poſteriori verò euentu, quando ſcilicet arbiter terminum expreſſit, in quo ſuum arbitrium ſolui ac impleri deberet, implendum tũc intra id tempus eſt: alioquin pœna incurritur, ſi in compromiſſo fuit ſtatuta. Neque tunc, quando pœna exigitur poſt illum terminum elapſum, locum habet purgare moram, volendo id opere implere ante litem quoad actionem circa eam pœnam conteſtatam, ſed cogi poteſt ſoluere nihilominus pœnam. Ita *l. Celſus. ff. de recep. arb.* & *l. 33.* citata. Quæ rationem reddit, cur tranſgrediendo terminum non à iudice arbitro conſtitutum, ſed à lege præſcriptum, vt arbitri ſententiam impleatur, locum habeat purgatio illa moræ: tranſgrediendo verò terminum à iudice arbitro præſcriptum, locum non habeat ea moræ purgatio, dicens: *Eſto tuuieron por bien los ſabios antiguos por eſta razon. Porque mas fuerte coſa es deſpreciar el mandamiento de los judgadores, que el de la ley por que iudgan. Porque mas ligeramente puede ome eſtorcer de la pena de la ley, quãdo cayere en ella, que de la que ponen los judgadores en ſu juizio.* Vtrùm autem quando arbiter expreſsè ſtatuiſſet in ſua ſententia quadrimeſtre ad illam implendam, locum haberet purgatio illa moræ, quando poſt id quadrimeſtre elapſum actio intentaretur ad pœnam incurſam. Communis ſententia, quam *Greg. Lopez. l. 33.* citata, verb. *del plazo*, refert ac ſequitur, neganter reſpondet: quoniam iam tunc quadrimeſtre illud eſſet terminus à iudice præſcriptus. Num verò, ſi iudex in ſua ſententia expreſſiſſet, vt impleretur intra tempus à lege præſcriptum, locum haberet illa purgatio moræ. Baldus à Greg. Lopez ibidem relatus affirmanter reſpondet: quoniam ad tempus à lege præſcriptum iudex tunc ſe remiſit. Gregorius tamen Lopez ibidem conſonantiùs communi opinioni ac legi illi arbitratur, non habere tunc locum moræ purgatio: quoniam iam tunc terminus ille non ſolùm à lege, ſed etiam à iudice ipſo arbitro fuit præſcriptus.

3 In euentibus, in quibus eſt dictum, non eſſe locum purgationi moræ, ſi poſt pœnam incurſam reus impleat ſententiam & actor ſolutionẽ recipiat, nihil proteſtando, quòd nihilominus ſolùm ipſi maneat ius ad exigendam pœnam, locum tunc non habet agere inſuper poſſe ad pœnam, vt habetur expreſsè *l. 2. Celſus. ff. de recep. arb.* Id quod indubitatum eſt, quando in compromiſſo, in quo pœna erat appoſita, nec formaliter, nec virtute, appoſita fuit clauſula, rato manente pacto: nam tunc, cùm actor ſolùm potuerit agere, vel ad exequutionem ſententiæ, vel ad pœnam, ipſius optione, ſi quidem iam vi ſententiæ emologatæ res iudicata erat ſibi omnino debita, nec agere poſſet ad vtrumque ſimul, vt diſp. 35. & tractatu 2. diſp. 556. dictum eſt, ſanè recipiendo, quod ſibi fuerat adiudicatum, nulla facta proteſtatione, quod ſaluum ſibi maneret ius ad pœnam, nihil pœnæ poteſt deinceps petere: facta verò ea proteſtatione, petere poterit incrementum pœnæ, ſi pœna maioris erat valoris, quàm res ſibi adiudicata. Quando autem compromiſſum clauſulam habebat, rato nihilominus manente pacto, ſi actor dum ſolutionem eius accepit, quod ſibi fuerat adiudicatum, fuit proteſtatus, ſaluum ſibi manere ius ad pœnam, dubium eſſe non poteſt, poſſe eum agere inſuper ad pœnam. Quando autem id non eſt proteſtatus *Greg. Lopez l. 33.* citata cum Bart. propendet, locum non habere agere eum inſuper poſſe ad pœnam ſibi ſoluendam. Ego verò cum aliis, quos idem Greg. Lopez ibidem citat, cõtrariũ arbitror eſſe verũ. Quoniã quãdo aliquis ius habet ad duo aliqua ſimul vt vtrũq; ſibi ſoluatur, ſanè ex eo quòd ſolutionẽ vnius recipiat, nõ cẽſetur remittere ius ad alterũ, neq; eſt cur ius aliquod illud intẽderit reo in eo euẽtu remittere.

Vlpia-

Vlpianus eadem *lege Celsus.* §. *vlt.* & *l. sequenti*, cum eodem Celso ait: Si arbiter iussit intra certum tempus iudicatum solui, & per eum nō stetit, qui id soluere debebat, sed per eum qui id accipere debebat, qui non potuit tunc accipere, vel qui noluit tunc accipere, si postea, qui id soluere tenebatur, sit in mora, quia illo alio id exigente ab eo, non soluit, incurrere pœnā compromissi: quoniam sententia illa arbitri, vt id soluatur intra certum tempus, duo includit, vnum, vt id solueretur: & alterum, vt solutio fieret intra id tempus: atque quamuis in eo euentu debitor non transgrediatur secundum, quod is præceptum includit; transgreditur tamen primum, rationeque eius transgressionis contra compromissi pactum, pœnam compromissi incurrit.

4 Ex hac verò doctrina probatur, eum, qui sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda iussus est aliquid intra certum tempus soluere, aut aliud efficere, esto à peccato & per consequens à pœna excommunicationis excusetur, si per impotētiam non possit id soluere, aut adimplere intra id tempus, eandem tamen pœnam excōmunicationis incurrere, si postea pēdente eodem præcepto id non impleat, cùm primùm implere illud poterit: quoniam similiter id præceptum duo sub illa pœna includebat: vnum, vt illud solueret: & alterum, vt solueret intra id tempus: & quamuis impotentia illum excuset ab impletione huius secundi sub illa pœna: non tamen illum excusat ab impletione primi sub eadem pœna.

5 Quod attinet ad secundum, quod in titulo fuit propositum, est dicendum: Sententiam arbitri, & arbitramentum arbitratoris, non ipsos, sed iudicem ordinarium mandare debere exequutioni, vt ex dictis disp. 34 & 35 satis constat. Atque, si quæ occurrant dubia circa arbitri sententiam, non ad ipsum (qui statim lata sententia est iam defunctus omnino suo munere) pertinet ea interpretari ac declarare, sed id spectat ad iudicem ordinariū, vt, iuxta textum ibi, affirmat *Panor. c. cum olim* citato *n.* 1. Et quamuis iudex delegatus à principe mādari possit exequutioni sententiam à se latam; atque etiam de iure canonico delegatus ab inferiori à principe possit exequutioni mandare sententiam à se latam; vt hæc omnia disp. 26 comprobata sunt; sententiam tamen ab arbitro latam circa causam sibi, etiam à principe, delegatam, non potest iudex delegatus exequutioni mandare, sed id spectat ad iudicem ordinarium. Excipitur nisi de partium in arbitrum compromittentiū consensu, is iudex delegatus sibi reseruauerit potestatem eam sententiam exequutioni mandandi. Ita *glossa l. c. innotuit de arb.* & *Panor. ibi. n.* 3 & 7. & *glossa vlt. c. per tuas eod. titu.* & *Panor.* ibi, iuxta eadem iura.

DE LEGIBVS ET CONSTITVTIONIBVS.

Quid & quotuplex lex sit. Et de lege Dei incommutabili ac æterna, itemq; de lege peccati. Disp. 46.

SVMMARIVM.

1. TRansactio à prioribus ad disputationes sequentes de legibus.
2. Nomen lex vnde deriuetur.
3. Condere legem qua resp. in commune ipsius bonū gubernetur ad eos pertinet, quibus à rep. in suæ reginiinis constitutione, aut postea temporis progressu, fuit concessum.
4. Deus optimus Maximus, vt supremus Dominus, leges præscribere potest. Item Christo vt homini conuenit. Item Pontifici eas leges condere conceditur, quas expedire iudicauerit ad finem supernaturalem.
5. Eis etiam conuenit leges condere, quos Deus constituit Reges aut rectores reip. alicuius temporalis, quia illi habent iurisdictionem illam non à republ. sed à Deo.
6. Leges quædam habent finem naturalem, aliæ finem supernaturalem.
7. Leges ferre ad naturalem cuiusque hominis felicitatem moralem partim ad Deum tanquam ad naturæ authorem, partim ad supremos reip. cuiusque moderatores spectat.
8. Humani legislatores rerumpublicarum secularium respicientes ius naturæ, gentium, & ciuile, nō eas solum condunt leges, quæ ad iustitiam virtutem cardinalem spectant, sed etiam eas, quæ ad alias virtutes spectant.
9. Prudentia non vno tantùm modo concurrit in supremis reip. ciuilis moderatoribus ad leges condendas, sed multis.
10. Imperium, quo leges ita intellectu per politicam prudentiam fabricatæ subditis imperantur, est vlterior actus intellectus ab eadem prudentia vlteriùs elicitus, in quo ratio legis consistat.
11. Lex humana ciuilis actus est prudentiæ politicæ, vel internus si adhuc mente contineatur; vel externus, si scripta sit aut voce prolata, concurrente ad id voluntate legislatoris liberā.
12. Lex Dei in scripturis sanctis appellatur voluntas Dei. Refelluntur in contrarium oppositiones nonnullæ.
13. Leges condere ad finē supernaturalem ad Deum solum spectat, per se ipsum immediatè vel per suos ministros, qui nomine ipsius eas ferunt. Quomodo Deus leges hominibus in statu innocentiæ & post perditam innocentiam & legem scriptam dederit.
14. Lex naturalis est propriè & verè lex diuina.
15. Lex gratiæ cœpit ab eo tempore, quo Deus filium suum hominem factum in mundum mittere dignatus est.
16. Quid sit lex Dei æterna & incommutabilis, in ipsomet Deo existens.
17. Discrimen inter artem diuinā & prouidentiam diuinam.
18. Rerum, quæ sub diuinam cadunt prouidentiam, quædam sunt mente præditæ, quædam mente carent: mente præditis statuuntur leges quo ad finem felicitatis naturalis ac supernaturalis, quas integrum illis sit seruare aut non seruare.
19. Creaturis mente carentibus peculiares Deus præscripsit leges liberæ suæ voluntate, quo ad exequtionem in tempore determinatas, quibus naturæ necessitate ad particulares suos fines diriguntur.
20. Vires, instinctus, totumq; hoc corporeum vniuersum Deus mirè sua prouidentia ordinat, leges quoque ad id à Deo illis statutæ dicuntur.
21. Distinctio legis naturalis, legis status innocētiæ, legis status naturæ post peccatum, legis gratiæ, & legis humanæ.
22. Lex humana duplex est; vna ciuilis supremorum Principum rerumq; publicarum: altera ius canonicum

nicum à ſummis Pontificibus Chriſti authorita- A *te reip.eccleſiæ ad finem ſpiritualem ac ſupernaturalem latum: quæ ambæ à lege Dei incommutabili & æterna deſcendunt.*

23. Vel lex ſumitur pro quacunque ſingulari lege lata ab eo, qui ad id poteſtatem habet, vel pro collectione multarum legum, quæ ad vnum finem ordinantur.

24. Si conſtitutio preſtè ſumatur, conſtitutio eſt idem quod lex.

25. Lex vna particularis non poteſt imperare, vetare, permittere, punire; at bene lex, quando multarum legum eſt collectio.

26. Leges interdum nonnulla permittunt ex rationabili aliqua cauſa, quæ, cùm mala in ſe contra B *ius naturæ ſint, ipſæ tamen nec ea prohibent, nec puniunt, nec punire ſinunt.*

27. Inter vires legis etiam connumerandum præmia aliquid efficientibus proponere, & pœnas malefactoribus.

28. Inter vires etiam legis computatur legem vnam interpretari aliam, aut eam limitare, vel abrogare, vel tollere omnino vel ex parte.

29. Conſilia diuerſa ſunt à legibus & à præceptis.

30. Quædam ſunt conſtitutiones inferioribus traditæ, quæ quatenus ex præſcripto eas ferentium ad nullam culpam ſubditos obligant, vt eos magis à peccatis præſeruent, rationem omnino legum non habent, ſed ſolum ex parte, quatenus verè ſunt C *ſuorum ſuperiorum, ea in re Dei locũ tenentium.*

31. Noua definitio legis humanæ, ſecũdum Caſtrum & D. Thomam. Et quomodo eam author noſter definiat.

1 EXplicatis hucuſque poteſtatibus publicis, occaſioneq; illarum dicto etiam de iudicibus arbitris, conſequenter eſt dicendum de actibus iuriſdictionis, qui à publicis emanant poteſtatibus. De illis præſertim, qui commodiùs explicati obiter non ſunt in præcedentibus de iuſtitia tractatibus, & qui commodiùs alibi nõ explicabunt. Atque quoſdam explicabimus antequam ad iudicia accedamus, alios verò permix- D tim dum iudiciorum ordinem iuſtitiæq; executionem exponemus, aut etiam poſt totum iudiciorum ordinem explanatum. Dicemus autem, antequam ad iudicia iudiciorúmve ordinem accedamus, de legibus, ſecundùm quas eſt iudicandum, iudiciorumq; ordo eſt proſequendus: quæ actus ſunt iuriſdictionis à ſuprema poteſtate emanantes, ad primumque ac ſupremum imperii gradum ſpectantes, vt Diſp. 2 & 6 explanatum fuit. Deinde verò de reſcriptis agemus, quibus inter alia iudices delegantur ac deputantur: id quod ad integram de iudicibus Diſputationem deſiderari videbatur. Dicemus item de priuilegiis, hoc eſt, de immunitatibus, gra- E tiis, ac exemptionibus à legibus & à poteſtatibus publicis conceſſis. Reſcripta verò ac priuilegia actus etiam ſunt iuriſdictionis ſuprematum poteſtatum. Tametſi ea concedere interdum, rarò tamen, aliquibus etiam in foribus poteſtatibus à ſupremis concedatur, vt legatis à látere, & aliis nunciis Apoſtolicis, ac pro-regibus. Reſcriptorum item ac priuilegiorum ratio eſt in iudiciis habenda. Qua de cauſa Diſputationem horum trium, quæ commemorata ſunt, meritò Diſputationi de iudiciis, deque illorum ordine, præmittimus.

Vt verò à nomine ipſo legis ordiamur. *Iſidorus. 5. lib. Etymolog. c. 3.* à legendo dictam legem arbitratur: quòd lex ſcripto proferri promulgarive ſoleat, vt ab omnibus legatur. Eandem Etymologiam ſequitur dictionarium plurium linguarum vulgò Calepinus inſcriptum, *& l. 4. titu. 1 part. 1.* Diuus autem *Tho. 1. 2. q. 90. art. 1.* & plerique alii à ligando dictam eam autumant: eo quòd ſubditos ad ſui obſeruationem liget, ſeu aſtringat ac obliget, quam etiam Etymologiam approbat *l. 4.* citata. *Tullius* verò *1. lib. de legibus* à legendo, hoc eſt ſeligendo, dictam illam affirmat. Ait enim, etſi Græci à tribuendo illam appellent; quoniam quod nos legem dicimus illi nomon appellant, (à nemein, quod tribuere ſignificat) idque propterea quòd ſuum cuique tribuat; ego tamen, inquit, à legendo, id eſt deligendo, eam nomino. Et addit: *Nam vt illi (* Græci ſcilicet *) æquitatis, ſic nos* (Latini videlicet *) delectus vim in lege ponimus: & proprium tamen vtrumque legis eſt.* Hactenus Tullius. Quamuis autem non multum de Etymologiis ſit curandum: neque id, vnde nomen fuit deſumptum ac impoſitum, neceſſe ſit vt conueniat omnibus, ad quæ ſignificanda fuit impoſitum, vt ſæpe admonemus: potiùs tamen próbanda videtur Tullii Etymologia, quàm duæ illæ aliæ. Tum ob Tullii antiquitatẽ ac peritiam linguæ latinæ. Tum etiam, quòd lex à legendo potiùs quàm à ligando videatur dicta; alioquin latini ipſi multum in ſuomet idiomate corrupiſſent ſuum vocabulum: neque ſit credendum legem ita fuiſſe nuncupatam, quòd omnibus proponeretur legenda. Quia verò ea deligitur, quid in bene inſtituta republica ſtatui ac ſeruari debeat, lex eſt nuncupata. *Alfonſius* verò *à Caſtro. 1. de leg. pœn. c. 1. Sotus. 1. de iuſt. quæſt. 1. art. 1. & Medina. 1. 2. q. 90. art. 1.* exiſtimant eo modo fuiſſe dictum, quòd ſit regula ſubditos docens, eiſque præſcribens, quid eligere debeant: citatque Caſtrus in eius ſententiæ confirmationem *Auguſtinum in lib. quæſt. veteris & noui Teſt. in. 2. part. additionum. quæſt. 15.* ſic dicentem: *Lex a lectione dicta eſt, vt de multis quid eligas, ſcias.* Cæterùm meritò de eo libro dubitat, an ſit Auguſtini. Neque ego in ea quæſtione ea verba reperio. Tametſi præ manibus non habeam editionem, quam Caſtrus citat. Illud obſerua, legi verè competere illud, vnde eam dictam fuiſſe diuus Thomas & alii affirmant, nempe ligare, ſeu aſtringere & obligare, vt ex ſe eſt notiſſimum, conſentiuntque illa ſcripturæ teſtimonia Hieremiæ 2: *à ſeculo fregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti non ſeruiam.* Eccleſiaſtici 6: *Injice pedem tuum in compedes illius,* (ſapientiæ ſcilicet) *& in torques illius collum tuum; ſubjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis eius.* Leges Dei & conſilia, quibus acquiritur & conſeruatur ſapientia, de qua eo loco eſt ſermo, compedes, torquem, & vincula appellauit. Quòd autem dicemus, quamuis legi illa competant, & inde potuiſſe ſumi Etymologiam ac imponi nomen, non tamen Latinos inde illud ei impoſuiſſe. Sicut nec Græci inde nomen illi impoſuerunt, ſed à tribuendo. Hebraicè verò lex Thora nuncupatur, à verbo, quod docere ac diſponere ſignificat, quaſi lex doctrinam ac diſpoſitiones circa agenda contineat.

Vt

3 Vt verò intelligatur quid & quotuplex sit lex, A
est obseruandum. Condere legem, qua respublica in commune ipsius bonum gubernetur, ad eum vel ad eos pertinere, quibus à republica ipsa in sui regiminis constitutione, aut postea temporis progressu, fuit concessum, iuxta varia rerumpublicarum regimina tractatu 2, disputatione 23, iuncta disp. 22 antecedente, copiosè explicata, & quatenus illis fuerit concessum, dependenter ab approbatione seu acceptatione populi, aut sine tanta dependentia, vt disp. 23. citata fuit etiam explanatum. Quo in loco additum fuit, quando respublica aliqua iure belli alteri principi ve alterius ob suam culpam fuit subiecta, tunc maiorem potestatem B esse in republica, aut in principe, qui illam iure belli subiecit, ad illi, etiam inuitæ, constituendum leges non iniquas, quas voluerit, quàm si is princeps, aut rectores reipublicæ, quæ ita bello iusto illam alteram sibi subiecit, potestatem suam ab ea republica accepissent. Disputatione etiam 23 citata dictum fuit, quibus nominibus leges à supremis potestatibus publicis earum diuersarum rerumpublicarum latæ nuncupentur.

4 Pertinet quoque ad Deum optimum maximum, rerum omnium supremum, absolutum, ac perfectissimum dominum, leges præscribere ac tradere toti orbi, quæ illum astringant C absque vlla dependentia ex eo, quòd illi, quibus eas tradit, approbare, acceptare, ac recipere illas velint: eo quòd absolutus ac perfectissimus sit rerum omnium dominus, nihil de suo dominio à rebus publicis accipiens, vt accipere suum totum iurisdictionis dominium alii supremi in suo gradu & ordine rectores aliarum rerumpublicarum ab ipsis rebuspublicis solent, vt disp. 23 citata, iuncta 22 antecedente, fuit explanatum; nihilque proinde in suo dominio ac regimine idē Deus ab iis pēdēs, quibus dominatur, & quos suo imperio regit.

Item quoque Christo vt homini conuenit: eo quòd dominus, qua homo, sit orbis, vt *tractatu. 2. disp. 28.* comprobatum est, nihil in suo dominio à creaturis pendens, sed illud habens à Patre & à se ipso vt Deo. A Patre enim & à se ipso vt Deo atque ab Spiritu sancto accepit plenissimam potestatem ac iurisdictionem, tam spiritualem ad finē supernaturalem, quàm etiam temporalem, dominiumque rerum omnium, etiam angelorum, vt disp. 28 citata copiosè fuit ostensum: tametsi iurisdictione temporali, & rerum externarum dominio, non fuit vsus, nisi quatenus ad finem spiritualem fuit expediens.

Summo autem Pontifici vicario suo in terris non orbis dominium requirit, sed plenam E iurisdictionem spiritualem ad finem spiritualem ac supernaturalem, & simul etiam iurisdictionem plenam temporalem, præcisè quatenus necessarium expedienſque omnino esset ad finem supernaturalem, vt eodem tractatu 2, disp. 29 examinatum fuit ac comprobatum. Vnde ad summum Pontificem spectat eas omnes leges condere, quas expedire iudicauerit ad finem supernaturalem, absque vlla dependentia ex eo, quòd subditi illas approbent, aut recipere velint, eademque ratione ad ipsum spectat abrogare eas leges secularium principum sibi

subditorum, illis etiam inuitis ac repugnantibus, quas fini supernaturali contrarias minimè vt expedientes iudicauerit: eo quòd iurisdictionem suam non à subditis aut ab ecclesia acceperit, sed immediatè à Christo. Tametsi quando ecclesia ac subditi grauem legem aliquam summi Pontificis sensserint, & quam iustis de causis non expediat seruari, possint summo ipsi Pontifici supplicare, vt illam non ferat, velitque ab illa desistere. In dubio tamen, num iusta sit, & num extra iurisdictionem sit à Christo sibi collatam, standum est definitioni ac iussui summi Pontificis, vt Disp. 29 citata dictum est.

Idem de constitutionibus episcoporum in suis diœcesibus, quin & conciliorum prouincialium, est dicendum: nisi quòd, si iuste vsæ non sint, nimiumque grauare subditos appareant, appellari ab eis ad summum Pontificem potest.

Quando autem à Deo esset aliquis constitutus Rex aut rector reipublicæ alicuius temporalis, vt fuit Israëlitico populo datus Moyses, per quem non solùm legem scriptam illi populo Deus dedit, sed etiam illum rexit quo ad temporalem illius rempublicam: & vt dati à Deo sunt in Reges Saul & Dauid, tunc illi dominium iurisdictionis temporalis non haberent à republica ipsa, sed à Deo, vt Disp. 23 citata dictum est. Obseruat verò rectè *Castrus. 1. de leg. Pœn. c. 1.* non priùs Deum Regem illi populo dedisse, quàm illum ab eo peteret. Addo ego, nec illum, quo ad ipsum & quo ad successores illius, cum tanta iurisdictione videri dedisse, quin pendēret à populo, vt alii Reges, quo ad leges, quas illi ferret, ita vt si æquæ non essent, nimisque populum grauarent, posset populus non solùm ab eis ipsummet Regem supplicare, sed etiam illas non velle admittere. Vnde, mortuo Salomone, populus filium eius Roboam in regno successorem supplicauit, vt leges tributorum à patre sublatas, quæ nimium populum grauabant, temperaret: & quòd id efficere noluerit, decem tribus ab illo discesserunt: quod D earum tribuum factum scriptura non damnat: sed potiùs damnat imperitiam, superbiam, ac auaritiam Roboam, qui, spreto consilio seniorum, sequutusque adolescentium consilium, qui secum fuerant nutriti, iustæ populi petitioni non annuit.

Qui hactenus explicati sunt, leges ferre possunt: alii verò eas ferre non possunt. Vnde iurisconsultorum placita ac responsa vim legum non habent, quatenus placita ac responsa illorum sunt: sed vel quatenus ius naturale continent ac explicant; vel quatenus ab eis, ad quos leges ferre spectat, vt leges ipsorum populis sibi subditis proponuntur ac feruntur.

Obseruandum deinde est, quemadmodum 6
duplex est finis, naturalis vnus, & supernaturalis alter sempiternæ felicitatis: sic quoque legum, quasdam esse, quæ ad finem naturalem feruntur; alias verò, quæ feruntur ad finem supernaturalem. Et quia finis vltimus naturalis ad vlteriorem finem vltimum supernaturalem sempiternæ felicitatis ordinatur; sanè leges, quæ ad finem vltimum naturalem traduntur ac ordinantur, fini quoque supernaturali adipiscendo inseruiunt, & ad illum ordinantur, ad illumque in suo ordine & gradu accommodatæ esse debent. Quemadmodum enim naturalis

vltimus

vltimus finis supernaturali fini subordinatur, sic A do, multaque alia præcipiendo ac statuendo, vt
media ad finem vltimum naturalem, media sunt ex iure ciuili communi, & ex iuribus diuersorũ
ad finem supernaturalem, & præcepta ac leges regnorum, diuersarumque rerumpublicarum
de mediis ad finem vltimum naturalem, præce- constat. Vnde Vlpianus *l.1.§.1. vers. priuatum. ff. de iust. & iur. Priuatum*, inquit, *ius tripartitum est: collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gen-*
pta quoque sunt & leges ad finem supernatura- *tium, aut ciuilibus.* Atque ad legislatores rerum-
lem conducentia, & quædam eorum omnino publicarum secularium, vt *tractatu.1. Disp.1.* est
necessaria: sed quæ sola ad finem supernatura- dictum, pertinet non eas solùm condere leges,
lem non sufficiunt sine aliis mediis supernatu- quæ ad iustitiam virtutem cardinalem spectant,
ralibus, & sine aliis præceptis ac legibus de me- sed etiam eas, quæ ad alias virtutes, vt ad fortitu-
diis supernaturalibus ei fini commensuratis & dinem, temperantiam, ad religionem, cultúmve
accommodatis. Dei, vt lumine naturali est cognitus, & ad alias

7 Porrò leges ferre ad finem vltimum natura- attinent, vt *Arist. 5. Ethic. c. 1.* etiam affirmauit.
lem, hoc est, ad naturalem cuiusque hominis B Munus quippe eorum est, tales suis legibus &
felicitatem moralem, quæ simul conducant ad administratione ciues facere, quales commune
naturalem contemplatiuam vlteriorem felici- bonum decusque suæ reipublicæ postulat. Ad
tatem, & vt homo, dissoluta humana natura per quod nõ satis est, si iustitiam non transgredian-
peccatum, quatenus est sociale animal, bonus sit tur, sed fortitudinem eos seruare necesse est,
ciuis, beneque sese habeat ad rempũblicam, cu- suum in bello locum non deserendo, suamque
ius est pars, totiusque eius reipublicæ commune rempublicam defendendo ac adiuuando, quan-
bonũ coalescat ac conseruetur, partim ad Deum do id recta ratio postulat. Temperantiam quoq;
optimum maximum tanquam ad naturæ auto- eos seruare oportet, Sodomiæ vitium & similia
rem, & partim ad supremos reipublicæ cuiusq; alia fugiendo, quæ rempublicam fædant, & mo-
moderatores spectat. Deus enim, vt naturæ au- res corrumpunt, itemque in vestitu, cultu, & ci-
tor, legem naturalem condidit, eamque homi- bo moderatè se habendo, ne suas facultates inu-
num mentibus indidit ac impressit, qua quid vi- tiliter expendant ac molles fiant. Multa etiam a-
tare quidque efficere tenerentur, quin & quid lia circa munditiam, circa pietatem, & circa alia
conduceret ac expediret magis ad naturalem C eos seruare oportet. Quo circa rectè *Vlpianus. l.*
felicitatem moralem, & subinde etiam ad con- *iustitia. ff. de iust. & iur.* dixit: *Iuris præcepta sunt*
templatiuam, comparandam ac conseruandam *hæc, honestè viuere, alterum non ledere, suum cuiq;*
facilè agnoscerent: maximè in statu naturę inte- *tribuere:* quibus verbis non sola iustitiæ præce-
græ, in quo hominem condere ac collocare sta- pta comprehenduntur: idemque habetur institi.
tuit. In quo sanè nullis aliis humanis legibus ho- de iust. & iur. §. iuris præcepta. Et *l.1. §. huius stu-*
mo indigebat ad vtramque naturalem felicita- *dii. ff. de iust. & iur.* Idem Vlpianus præmiserat:
tem obtinendam ac conseruandam: præsertim *Huius studii duæ sunt positiones*, id est, partes, *pu-*
suffultus tunc aliis donis ac mediis, quibus ad *blicarum & priuatum.* Et infrà: *Publicum ius*, in-
supernaturalem felicitatem adiuuabatur. Disso- quit, *in sacris, sacerdotibus, & magistratibus con-*
luta verò natura per peccatum, amissoque iusti- *sistit.*
tiæ originalis dono, manenteque adeò prona ad
malum, & obtenebrata quo ad intellectum, tot- Eodem nos *tractatu.1. Disp.1.* inter alias iusti-
que miseriis & curis subiecta, & tam multis re- tiæ vsurpationes, illam cum *Aristotele. 5. Ethic. c.*
bus ad transigendam mortalem hanc ac labo- *1 & 2.* & cum *diuo Th. 2.2. q.58. art.5 & 6*, tradidi-
riosam vitam indigens, necesse hominibus fuit D mus, qua iustitia est quædam communis virtus,
in varias respublicas diuidi ac cõgregari, in qui- non in essendo, sed in imperando ac dirigendo
bus se mutuò adiuuarent, & in quibus ab vno actus cæterarum virtutũ moralium, vt in com-
aut à multis, quos sibi ad id eligerent, ab inter- mune reipublicæ bonum fiant: respicit enim
nis eius reipublicæ & ab externis defenderen- commune reipublicæ bonum, illudque ex sua
tur, instruerentur, ius ipsis diceretur, & conti- propria natura ac munere intendit, atque ad il-
nerentur in officio, vt quàm melius fieri pos- lud actus omnes cæterarum virtutũ moralium
set, singulorum totiusque reipublicæ commu- dirigit, sicut caritas eos in Deum dirigit. Residet
ne bonum resultaret, promoueretur, ac conser- verò, aut residere debet, in vnoquoque, vt est
uaretur, latis ad id legibus, quæ pro reipublicæ reipublicæ pars, atque his per eam virtutem
qualitate ac circumstantiis concurrentibus ex- opera omnia aliarum virtutum, quæ excedet,
pedirent, vt hæc omnia *tractatu.2. Disp. 22 & 23* imperare ac exercere debet ad commune rei-
explanata ostensaque sunt. publicæ bonum, vt bene ad illum se habeat,

8 Hinc humani legislatores rerumpublicarum quatenus eius est reipublicæ pars. Atque quem-
secularium, partim legem ipsam naturæ suppo- E admodum, dum in hac 2.2. sermo nobis erat de
nentes, eáve quæ de iure sunt naturali, & partim prudentia, diximus, & Disp.1 citata repetiimus,
quo ad ea, quæ non omnibus sunt nota & con- *Aristotelem. 5. Ethic. c. 8.* tã in ciue, quàm in prin-
fessa, suis legibus illam exponentes ac tradentes; cipe, & in rectoribus aliis reipublicæ, duplicem
itemque ea, quæ de gentium iure sunt, partim prudentiam distinguere: vnã monasticam, quæ
supponentes, vt diuisionem rerum quo ad do- singulis, vt priuatæ personę sunt, præscribit, quid
minia post lapsam naturam, & partim ea tra- cuique earum sit faciendum: & alteram politi-
dentes, vt per mutationem, quæ post eandem natu- cam, quæ eis illa præscribit, quæ in commune
ram lapsam de iure est gentium; per multa sanè reipublicæ bonum fieri ac dirigi debent, vt op-
alia suis humanis ciuilibus legibus tradiderunt, timè se habeant ad reipublicæ totum corpus,
prout vnaquæque communi bono suo expedi- cuius sunt partes: hancque prudentiam politi-
re iudicauerit, pœnas in particulari variis crimi- cam subiecimus Aristotelem in duo diuidere
nibus decernendo, & alias iudicibus arbitran- membra, nempe in regitiuam, tanquã in vnum
das ac statuendas relinquẽdo, multa prohiben-

magis principalem membrum, quæ in principe A quatenus in reliquis, resident. Placuit hæc omnia
resident, & in aliis reipublicæ moderatoribus, vt ex illa Disputatione 1 citata hoc loco repetere,
subditis præscribant, quid cuique iuxta suum vt intelligatur, leges humanas ciuiles, actus esse
munus, statum, ac conditionem sit faciendum, iustitiæ, legalis prout in supremis reipublicæ
vt totum reipublicæ corpus bene sese habeat, moderatoribus architectonicè residet per pru-
bonumque illius resultet ac conseruetur, quam dentiam politicam, quæ architectonicè in eis
proinde architectonicam prudentiam nomi- etiam residet. Neque mihi probatur opinio *Ca-*
nauit, ab eaque leges emanare: & in politicam *stri. 1. de leg. pæn. c. 7.* negantis legem esse actum
presse sumptam tanquam in aliud minus prin- prudentiæ, & asserentis pertinere ad iustitiam
cipale membrum, quæ residet in subditis, eorū- distributiuam. Si enim leges ciuiles, à supremis
que cuique præscribit, quid sibi, vt pars est rei- rerumpublicarum moderatoribus emanantes,
publicæ, sit faciendum, vt ad suum totum cō- actus sunt alterius virtutis præter legalem iusti-
muneque illius bonum rectè sese habeat: sic ea- tiam ac prudentiam, quæ in eis architectonicè
dem disp. 1. citata diximus Aristotelem docere, ad id & ad alia residents, certè non sunt actus iu-
actum cuiusque virtutis moralis posse duobus B stitiæ distributiuæ; quippe cùm nihil sit vnde id
modis spectari. Vno, vt quiuis, quatenus partī- cum probabilitate affirmari possit, neque id Ca-
cularis persona est, per monasticam prudentiā strus probet, aut ex aliquo capite deducat, sed
eo operatur consentaneè ad rectam rationem: solùm id affirmet; imò verò simul erunt potiùs
eoque modo spectatum pertinere ad aliquā par- actus iustitiæ commutatiuæ: quatenus eiusmo-
ticularem virtutem, putà ad fortitudinem, tem- di supremi moderatores reipublicæ, quemad-
perantiam, liberalitatem iustitiam commutāti- modum ex suo munere & officio pro dominio
uam, aut ad aliam similem, iuxta materiam cir- iurisdictionis, & pro aliis emolumentis, quæ à
ca quam versatur. Altero verò modo posse spe- republica ad id acceptarunt, de iustitia commu-
ctari, vt, qui eum elicit, bene eo sese habet ad tatiua tenentur ipsam defendere, iusque partī-
suum totum, ad bonumque illius commune, at- bus illius per se aut per alios dicere, & similia
que vt per prudētiam politicam ab eo elicitur, alia illis præstare; sic etiam de iustitia commuta-
quatenus est pars reipublicæ: quo pacto spectā- tiua tenentur illis leges necessarias ac expedien-
tum Aristoteles docet, sortiri formalē rationē tes ad bonum commune ferre, easq;, quæ com-
iustitiæ latæ sumptæ, quæ omnibus moralibus C muni bono noxiæ ac contrariæ sunt, tollere aut
virtutibus est communis, non quidem per es- mitigare, ac proinde in totum aut ex parte ab-
sentiam, quasi sit de intrinseca ratione cuiusque rogare.
earum; sed quia committatur actus omnium a-
liarum virtutum, atque in eis inuenitur; modo Cæterùm obserua, prudentiam non vno tan- 9
tamen, dum fiunt, in commune reipublicæ bo- tùm modo concurrere in supremis reipublicæ
num, vt explicatum est, ordinentur. In quo sen- ciuilis moderatoribus ad leges condendas, sed
su *Arist. 5. Eth. c. 1. & 2.* iustitiam hoc modo multis. Cùm enim ex cōmunicatiua iustitia, &
sumptam, totam virtutem appellauit. Eadem simul etiam ex legali iustitia, prospicere tenean-
Disp. 1 subiecimus, *diuum Tho. art. 6.* citato, con- tur bono communi reipublicæ ob munus ab
sentaneè ad Aristotelem, docere, virtutem hanc ipsamet republica eis concessum, vtique quem-
esse in principe & in aliis reipublicæ rectoribus admodum prudentia monastica prærequiritur
architectonicè, quatenus & ab ea leges emanant ad actus cæterarum virtutum, vt dictet quid ex-
per prudentiam politicam regitiuam, quæ in pediat, faciendumque sit iuxta earum vnāquam-
eis etiam residet, & quatenus per leges & per D que; sic quoque in eisdem rectoribus necesse est
alia præcepta ea statuunt ac præcipiunt, quæ ad præcedat eiusdem prudentiæ actus, qui præ-
commune reipublicæ bonum optimamque il- scribat, num, vt de iustitia commutatiua ac le-
lius administrationem pertinent, vt vnusquis- gali tenentur, necessarium expediensve sit ali-
que ita se gerat, vt commune reipublicæ bo- quas excogitari ac præscribi leges, quibus com-
num, decus, ac perfectio illius efflagitat. Addit muni bono subueniatur, aut illud promouea-
verò diuus Thomas, eandem virtutem inesse tur ac adiuuetur: & tunc voluntas, quemadmo-
subditis tanquam mandantibus exequutioni in dum quando prudentia dictat speculandum es-
idem commune bonum, quæ per rectores con- se, per virtutum studiositatis intellectui imperat
stituta sunt, atque dum legibus in eandem fi- speculationem, sic in re de qua agimus, per vir-
nem sese accommodant: qua de causa hæc tutem legalis iustitiæ, aut simul etiam commu-
virtus iustitia legalis in rectoribus & in subdi- tatiuæ iustitiæ, imperat intellectui, vt per pru-
tis nuncupatur. Docet præterea *Aristoteles* dentiam politicam leges conuenientes ad id
5. Eth. c. 1 & 2, obiectum huius virtutis esse excogitet ac conficiat: quæ quidem ita intelle-
iustum, non vt est idem, quod æquum, opponi- E ctu confectæ ac fabricatæ actus sunt politicæ
turque iniquo, quod iniuriam inuoluit, (iustum prudentiæ à iustitia legali, aut simul etiam à
enim eo modo spectatum, obiectum est iusti- commutatiua iustitia imperali, iuxta ea quæ
tiæ particularis, quæ virtus est cardinalis) sed ex Aristotele & diuo Thoma explanata sunt.
vt est idem, quod legitimum, idve quod legi Cùm enim eiusmodi leges, ita intellectu fabri-
consonat, cui aduersatur iniustum in ea signi- catæ, rectæ rationes sint agibilium à reipublicæ
ficatione, qua is, qui à lege discedit, iniustus di- partibus, qua partes reipublicæ sunt, atque in
citur, vt ibidem Aristoteles ait. De eadem vir- bonum commune reipublicæ, vtique actus
tute idem Aristoteles subiungit, esse præcla- politicæ prudentiæ sunt in mente rectorum
rissimam, & neque hesperum neque lucife- reipublicæ, à iustitia legali imperati, quæ in eis
rum esse ita admirabilem: multoque adhuc architectonicè residet, aut simul etiam impe-
maiorem splendorem habere, quatenus architectonicè in reipublicæ moderatoribus, quàm rati à iustitia commutatiua: recta enim ratio
agibilium, prudentiam sine dubio est. Nondum
tamen rationem habeat legis latæ ac astringen-

tis,

tis, quousque præcipiantur ac promulgentur, ac proinde nondum habent simpliciter rationem legis, sed secundum quid & cum hoc addito diminuente, fabricatæ ac confectæ solùm. Quin, si ab approbatione & acceptatione populi vis illarum obligandi pro more reipublicæ pendeat, & pro iure quod ea in re sibi reseruauit, tunc sanè non priùs rationem legis obligantis earum vnaquæque habet, quàm à populo acceptentur. Sic quondam Romæ leges promulgatæ non priùs vim obligandi habebant, quàm post tres nundinas, in quibus rustici ad vrbem in maiori numero accedebant, à populo, interim circa illas deliberanti, acceptarentur, vt ex Tullio & aliis apertè constat, & apud dictionarium Calepini multarum linguarũ, verb. lex, relatum habes.

10 Dubium verò est, vtrùm imperium, quo eiusmodi leges, ita intellectu per politicam prudentiam fabricatæ ac confectæ, subditis imperantur, sit vlterior actus intellectus ab eadem politica prudentia vlteriùs elicitus, in quo ratio legis consistat; eaque ratione lex ad intellectum pertinere dicatur, præuio actu voluntatis libero, quo id intellectus imperium eliciatur: ita quòd lex postea vocalis aut scripta, quàm signum & expressio præuii illius alterius imperii intellectus, & in quo prima & præcipua ratio legis consistat, quippiamque suffectum loco præuii eiusdem imperii intellectus, quod non aliter potest subditis intimari, & ab eis cognosci, quàm ea vocali lege aut scripta, aliquóve alio signo externo. Non secùs atque si homines inter se conceptibus loquerentur, vt diuus Thomas & alii affirmant angelos inter se conceptibus loqui, idem internum intellectus imperium rationem legis, per se ipsam aliis notam ac intimatam, haberet. *Sotus. 1. de iustitia. q. 1. art. 1.* affirmanter respondet, multisque id verum esse contendit, nosque in concordia, & *1. part.* vtrobique *q. 23. art. 1 & 2. disp. 2.* idem affirmauimus: ab eadem enim prudentia politica per eandem legalem iustitiam, præuio iudicio, quòd expediat legem intellectu excogitatam ac fabricatam subditis imperari, emanat imperium subditis oratione seu loquutione imperatiua, quòd obseruetur: ea verò loquutio imperatiua, nempe, fiat hoc, aut non fiat hoc; hoc fieri aut non fieri, vobis præcipio; ad actum intellectus practici quo ad agibilia, præuia libera voluntatis motione vt eliciatur, spectat, qui proinde actus est prudentiæ, à virtute iustitiæ legalis in bonum commune reipublicæ imperatus, isque postea exprimitur lege vocali aut scripta, qua subditis fit notus ac imperatur, estque proinde ea lex vocalis aut scripta actus vlterior externus ab eadem prudentia politica & iustitia legali dimanans. Adderem, etiam legem scriptam, prudentia consiliariorum Regis fabricatam, Regisque imperium significantem, accedente voluntate Regis, vt tanquam suum imperium promulgetur, & subsequuta promulgatione illius, populique acceptatione, quando vis eius obligandi à populi acceptatione seu à non reclamatione illius pendet, vim legis integræ ac perfectæ habere: neque antea legem mente fabricatam, siue à principe, siue ab alio, aut ab aliis loco principis, rationem integram ac perfectam legis habere, etiam in scri-

A ptis redactam, quàm de consensu principis, verbo aut scripto, tanquam principis imperium promulgetur, & à populo acceptetur, aut ei non resistatur, ab eáve non supplicetur, quando inde vis obligandi illius pendet.

Ex dictis satis patet, legem humanam ciuilem actum esse prudentiæ politicæ, vel internum, si adhuc mente contineatur, vel externum, si scripta sit, aut voce prolata, concurrente ad illum voluntate legislatoris libera, per actum virtutis legalis, quæ in eo architectonicè residet. Atque præterea, ex quibus id hactenus satis perspicuè deductum comproba- B tumque est, confirmatur. Quoniam, vt Martianus iurisconsultus *l. 2. ff. de legib.* ex Chrysippo refert, & ex se liquet, lex dux est & regula subditis proposita, quid facere quidque vitare ac fugere debeant: regulam autem præscribere, quam in agendis subditi seruare ac sequi debeant, ad rationem prudentiamque politicam rectoris procul dubio spectat. Vnde Tullius 1 de legibus: *Arbitrantur*, inquit, *prudentiam esse legem, cuius ea vis sit, vt rectè facere iubeat, vetet delinquere.* Et Arist. 10. Eth. c. vlt.: *Lex*, inquit, *vim habet cogentem, quæ quidem est sermo ab aliqua prudentia atque mente profectus.*

C Perperam autem quidam ex illis verbis legis *1. ff. de constitutionib. & inst. de iur. natur. gent. & ciuil. §. sedet quod*; *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*; colligunt, legem esse actum voluntatis, & non intellectus ac politicæ prudentiæ. Eo enim in loco docetur, cùm antea leges Romæ à senatu & à populo ferrentur, ab eorumque voluntate penderent; post legem tamen, qua iurisdictio tota reipublicæ Romanæ in Imperatorem translata fuit, à solo Imperatore ferri, ab illiusque proinde voluntate pendêre; vt ibi perspicuè constat: id verò non impedit, quòd ab ipsius, suorumque consiliariorum, prudentia emanent per iustitiam D legalem modo explicato, quæ duæ virtutes in eo architectonicè residents. Cùm verò, vt Disp. 3 dictum est, in hoc regno & in Lusitania, iurisdictio tota reipublicæ in Regem fuerit translata, vtique quemadmodum ad solum Imperatorem translata in eo tota reipublicæ Romanæ iurisdictione pertinebat leges condere, vt habetur *l. vlt. C. de leg. & l. 12. titu. 1. part. 1.* ita ad solum Regem in his regnis pertinet leges condere, vt l. 12 citata habetur, ac proinde locum similiter in his regnis habeant verba illa; *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Lex autem 1 & *l. non ambigitur. ff. de legib.* loquuntur de legibus Romæ latis ante iurisdictionem E reipublicæ in Imperatorem translatam, & de eisdem loquitur *Isidorus. c. 1. dist. 2.* Et institutæ de iure natur. gent. & ciuil. per multos paragraphos explicantur, diuersa ciuilia iura partim à plebe, partim à senatu, variis temporibus lata, itemque alia à iurisconsultis Imperatoris autoritate ac dispositione lata: quæ vim legis non ex eo præcisè habebant, quòd responsa eorum iurisconsultorum essent, sed quòd Imperatores vellent, & vt leges seruari, illisque in iudicando stari, vt habetur *§. responsa prudentum. inst. de iur. nat. gent. & ciuil.* In his verò regnis legum vim habent, quæ à Regibus

latæ sunt, aut ipsorum autoritate collectæ ac latæ sunt. Quando autem dispositio propria horum regnorum non reperitur, neque consuetudo in eis recepta, præcipitur stari dispositionibus iuris communis, quæ legum vim in his regnis habent eo præcepto & autoritate principum horum regnorum.

22 Quòd si quis aduersus hactenus dicta nobis obiiciat, Dei legem in scripturis sanctis appellari voluntatem Dei Matth. 7: *Qui facit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Matth. 12: *Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*; atque aliàs sæpe: ergo lex ad voluntatem & non ad intellectum pertinet. Ad hoc argumentum dicendum est, eo ipso, quòd Deus aliquid rebus libero arbitrio præditis imperat, voluntatem eius esse vt id impleant, non absolutam, sed conditionatam, si ita eædem res libero arbitrio præditæ velint, vt illi placeant, & culpam euitent, atque ex ea voluntate conditionata emanare id præceptum; quin id præceptum exprimere intimare subditis, eam esse Dei voluntatem, non quocunque modo, sed ipsos ad eam faciendam astringendo. In quo præceptum à consilio diuino differt: consilium enim diuinum exprimit ac intimat, quid voluntate similiter conditionata Deus velit, vt à sibi subditis fiat, ad id eos consilio non astringendo. Quia ergo præcepta & consilia exprimunt ac intimant subditis eam conditionatam Dei voluntatem, ab illaque emanant, inde euenit, quòd adimplendo præcepta & consilia, verè dicantur adimplere ac facere Dei voluntatem. Quo fit, vt lex Dei formaliter nec sit nec dicatur Dei voluntas, sed sit quidpiam exprimens ac continens atq; imperãs quid Deus velit vt faciamus aut vitemus, ad id sub culpæ reatu nos astringendo, in quo, vt dictum est, à consilio differt: cùm tamen alioquin consilium & præceptum conueniant in exprimendo ac intimando eis, quibus dantur, Dei voluntatem: constat autem consilium ad intellectum pertinere, & non ad voluntatem: id quod confirmat, præceptum etiam ad intellectum similiter pertinere. Quòd autem præceptum exprimat ac intimet prædictam Dei voluntatem conditionatam, verè in Deo formaliter existentem, copiosè *1. part. q. 19. art. 6. Disp. 1.* comprobatum à nobis est. Quo in loco explanauimus etiam, quamnam eandem Dei voluntatem expresserit ac intimauerit Abrahamo illud à Deo impositum illi præceptum de immolando proprio filio suo Isaac. Ibidem Disput. 2 etiam ostendimus, quamuis Dei voluntas absoluta semper impleatur; hanc tamen aliam Dei voluntatem conditionatam non semper impleri. Ad argumentum ergo in forma negandum est antecedens. Illa enim testimonia, & similia alia, solùm probant, dum legem Dei, quin & consilia, implemus, nos facere Dei voluntatem: non verò probant, Dei legem esse formaliter Dei voluntatem, & non potiùs actum intellectus elicitum præuio actu diuinæ voluntatis.

Si quis rursus aduersus eandem nobis obiiciat, legem mouere subditos ad aliquid faciendum vel non faciendum: proprium verò officium voluntatis esse mouere vniuersas potentias ad operandum, ac proinde legem esse actum intellectus & non voluntatis. Ad eam obiectionem dicendum est: Aliud esse mouere potentias alias eiusdem suppositi libero arbitrio subiectas, quod est proprium voluntatis præuia notitia intellectus: aliud verò esse mouere subditos externos ad aliquid faciendum, vel non faciendum, illis id intimando per legem ac præcipiendo, quod fit actu intellectus præcipientis, præuio actu voluntatis, transmissoque eo præcepto in notitiam intellectus subditorum: quo fit vt legis imperium non ad voluntatem præcipientis, sed ad ipsius intellectum præuio voluntatis actu pertineat.

Si item quis obiiciat, per legem eos, quibus imponitur, ordinari à legislatore in finem: ergo lex eius potentiæ erit actus, quæ ordinat ad finem, quæque pro obiecto habet finem: talis autem est voluntas: ergo lex actus est voluntatis & non intellectus. Ad hoc argumentum, concesso primo antecedente, neganda est consequentia. Inde enim non sequitur, legem esse actum potentiæ, quæ ordinat ad finem, quæque pro obiecto habet finem, sed solùm sequitur, præsupponi ad legem actum voluntatis, quæ quasi imperat, vt actus legis eliciatur ac intimetur subditis ad debitum finem: neque enim semper voluntas per actum solùm à se elicitum ordinat aliud ad finem, sed etiam interdum per actum intellectus, quem imperat: maximè quando id, per quod ordinat ad finem, est loquutio ad præceptum latum subditis, vt in re, de qua disputamus, est lex. In quo autem sensu obiectum voluntatis sit finis, & quod id diuinæ voluntati quo ad suum actum non competat *1. part. q. 5. Disp. vnic. & q. 19. art. 1 & 2, & 1. 2. q. 1. art. 1*, copiosè est explanatum.

Insuper vt aliquid sit lex, & non præceptum sumptum presse, à legeque distinctum, (cùm tamen præceptum latè & leges & præcepta alia comprehendat) necesse in primis est, vt permanenter sit latum: quod *diuus Thom. 1. 2. q. 90. art. 1 & 2*, & cum eo *Soto. 1. de iust. q. 1. art. 1. conclus. 2.* de actu rationis loquentes dicunt, vt sit per modum habitus. Cùm autem actus ille mentis eo ipso transeat, quod cogitatio ad alia diuertat, difficilè explicatur quomodo insit ac maneat habitualiter, seu per modum habitus. Ego permanentiam legis intelligo, quo ad intentionem ac significationem obligandi, vt scilicet non in vno euentu singulari ac tempore, putà hora, die, aut hebdomada obliget, sed permanenter in futurum ex sua significatione & intentione obligandi: siue autem ea lex mentis voce aut scripto promulgetur, siue de lege vocali aut scripta loquamur, ea in memoria illam ferentis, & eorum quibus lata est, permanet, atque in scripto etiam permanet, quo ad eam significationem & vim obligandi permanenter in futurum. Deinde vt aliquid lex sit, & non præceptum presse, necesse est, vt non vni aut alteri imponatur, sed omnibus, aut simpliciter, aut qui munus aliquod exercent: alioquin solùm habebit rationem præcepti sumpti presse. Hinc *l. 3. ff. de legib.* Pomponius dixit: *Iura constitui oportet (vt dixit Theophrastus)*

ſtus) in iis, quæ plerumque accidunt, no in iis, quæ raro. Et Celſus l. 4 addidit: *Ex iis, quæ forte vno aliquo caſu accidere poſſunt, iura non conſtituuntur.* Atque l. 5 ſubiungit: *Num ad ea potiùs debet aptari iuris, quæ & frequenter & facilè, quam ad ea, quæ perraro eueniunt: quia quæ ſemel aut bis, (vt ait Theofraſtus) accidunt, contemnunt legiſlatores.* Et l. 7 Vlpianus ait: *Iura non in ſingulis perſonis, ſed generaliter conſtituuntur.*

13 Hactenus eſt dictum de legibus circa media ad finem naturalem: explanatumque eſt, partim ad Deum naturæ autorem, & partim ad ſupremas poteſtates rerumpublicarum ciuilium, diſſoluta natura humana per peccatum, ſpectare eas tradere. Addere autem leges ad finem ſupernaturalem, ad ſolum Deum ſpectat per ſe ipſum immediatè, vel per ſuos miniſtros, qui loco & nomine ipſius illas ferant, vt ſuprà dictum eſt. Et quidem in ſtatu innocentiæ non alias leges ſcimus primis parentibus à Deo ad finem ſupernaturalem ſupra naturæ legem fuiſſe additas, quàm de fide, quàm ei ſupernaturaliter tunc reuelabat, & de caritate erga ipſum habenda, ac de ſpe, addito præcepto illo ſub comminatione mortis corporalis & ſpiritualis, ſi illud tranſgrederentur, ne de ligno ſcientiæ boni & mali comederent. Perſcientiarum autem plenitudinem, quam Deus in eo ſtatu primis parentibus infudit, pleniſſimè tam legem totam naturalem quàm ſupernaturalem agnouerunt, eiſque promulgatæ fuerunt.

Diſſoluta verò natura per peccatum, promiſſoque primis parentibus ipſis, & ipſorum poſteris, redemptore, in eo ſtatu legis naturæ, qui tunc incepit, eadem lex naturæ iam antea ipſis promulgata permanſit, manſerunt item præcepta ſupernaturalia de fide, ſpe, & caritate, addita, quo ad fidei ſupernaturalis reuelationem ac præceptum, notitia ſupernaturali peccati originalis, remedii pro eo ſtatu contra illud, itemque remedii pœnitentiæ contra reliqua peccata, & mediatoris, per quem peccata erant delenda, ſubueniendumque erat generi humano perdito, & per conſequens addito ſimul præcepto de remedio contra peccatum originis adhibendo, & de contritione congruo tempore habenda, ſi in quæ peccata lethalia incideret, ne in Dei inimicitia perſeuerarent, interitumque incurrerent ſempiternum. Porrò ſupernaturales hæ leges in eo ſtatu ſuperadditæ, ſtatim promiſſo illis Geneſeos 3 redemptore, manifeſtatæ ac promulgatæ fuerunt primis parentibus poſt ipſorum lapſum in peccatum amiſſo feliciſſimo innocentiæ ſtatu, & in eis poſteris ipſorum fuerant promulgatæ, qui ab illis de naturali & ſupernaturali lege erant docendi.

Diſcedentibus verò temporis progreſſu hominibus à Deo per idolatriam, (quæ poſt diluuium eſſe cæpit iuxta communem Patrum ſententiam, & poſt ædificatam turrim Babylonis, & quod non parum adiuuiſſe videtur diuiſio linguarum, vt ab antiquioribus poſteriores fidem Noë & Adam docerentur, & minor ætas hominum poſt id tempus, quàm ante diluuium) creſcentibuſque peccatis, ac ignorantia circa naturalem ac diuinam legem, cæpit Deus

A deligere ſibi populum in Abrahamo, cui iterum Meſſiam mundi redemptorem de ſemine illius promiſit, atque in Iſaac & Iacob, cuius ſoboli Moyſis tempore legem ſcriptam tradidit, relicto adhuc reliquo orbis in priori illo ſtatu legis naturę, in quo ſaluari poterat, adimplēdo ſupernaturalia præcepta, quę, vt diximus ſuprà, ſtatus ille comprehendabat. Lex autem ſcripta continebat in primis legem naturalem præceptis decalogi in duabus illis tabulis lapideis digito Dei ſcriptis: tametſi tertium præceptum de Sabbathi obſeruatione ad cæremonialia præcepta attineret, tanquam determinatio iure diuino poſitiuo cultus iure naturali

B Deo debiti ad obſeruationem eius diei in particulari in memoriam beneficii creationis. Cùm enim multum ignorantia creuiſſet, valdeque homines circa ius naturale iam tunc conſentirent ac errarent, opus fuit legem etiam naturalem, ad ea capita ad eamque ſummam redactam, illis etiam tradere. Deinde verò, cùm Deus in illo populo adumbrare ea intenderet, quæ tempore legis gratiæ erant futura, mundumque ad Meſſiæ aduentum, qui ex eodem populo erat futurus, præparare, continebat etiam ea lex multa, quæ ad finem ſpiritualem ac ſupernaturalem eius populi, atque ad continendum illum ne in idolatriam diffluet,illumque in ipſius obedientia exercendum,

C attinebant, & Chriſtum, eaque, quæ tempore legis gratiæ erant futura, adumbrabant ac figurabant: atque ita, præter præcepta ſupernaturalia fidei tunc reuelatæ, caritatis, & ſpei, multa cæremonialia ac iudicialia præcepta continebat, ad prædicta omnia inſeruientia. Et quoniam eam rempublicam, ſpiritualem ſimul eccleſiæ, ac politicam & ciuilem, ſub vno illius rectore Moyſe, per quem illam de terra Ægypti eduxit, Deus ipſe inſtituit ac gubernare dignatus eſt, illi etiam eadem lege ſcripta iudicialia præcepta tradidit, quæ ad politicum ac ciuile regimen etiam attinerent, vt

D ex ſcripturis ſacris veteris Teſtamenti hæc omnia liquidò conſtant. Cùm autem in Abrahamo eum peculiarem populum Deus ſibi deligere cæperit, ei Gen. 17 tradidit ac promulgauit præceptum circumciſionis, quod erat ſignaculum iuſtitiæ fidei, pactique inter ipſum & Abrahamum ac ſemen illius poſt ipſum, atque in remedium contra originis peccatum ratione fidei, quam eo proteſtabantur. Et licèt quædam alia præcepta ac leges eidem populo tradiderit ac per Moyſem illi promulgauerit antequam ad Montem Sinai deueniret, vt de celebratione Paſchæ, & de obſeruatione ſabbathi, vt conſtat Exod. 12 & 16; præci-

E puè tamen legem illi tradidit ac promulgauit à Monte Sinai, vt conſtat à c. 19 Exodi & ex libro Leuitici. Quaſdam tamen alias leges poſtea ei populo adiecit, de quarum numero eſt illa, quæ Numerorum 26, 27, & 38 habetur, & de qua tractatu 2 Diſput. 625 habitus à nobis eſt ſermo, circa ſucceſſionem filiarum in parte terræ promiſſionis patri ipſarum, quando ille filios maſculos non relinquebat, & vt tunc tales filiæ non nuberent homini de aliena tribu. Atque quamuis leges omnes veteris teſtamenti lex ſcripta nuncupentur, ad legemque ſcriptam pertinere dicantur, ad differen-

tiam legis naturæ & legis gratiæ; à lege tamen decalogi digito Dei scripta in illis duabus tabulis lapideis, traditaque à Deo ita scripta illi populo, lex scripta dicta est, ad differentiam præsertim eiusdem legis naturalis, & cæterarum ad finem supernaturalem attinentium, quas scriptas in cordibus per gratiam traditurus erat Deus tempore Christi, legisque gratiæ, vt sujiciemus. De eadem verò lege decalogi veteris testamenti quatenus ius naturale continet, ad quam proinde Gentiles in lege naturæ atque etiam Iudæi pariter tenebantur, loquitur Paulus ad Rom. 2, dum ait: *Quicunque sine lege* (eis scilicet tradita scripta à tabulis lapideis, vt à Deo tradita fuit Iudæis) *peccauerunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege* (eo modo à Deo accepta) *peccauerunt, per legem iudicabuntur* (iudicio scilicet grauioris condemnationis,) *Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Cum enim Gentes, quæ legem non habent,* (eo scilicet modo scriptam ipsis à Deo traditam) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes* (illo modo eis traditam) *ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et infrà: *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege,* (quasi satis tibi sit traditam tibi eam esse à Deo) *& gloriaris in Deo,* (qui eam tibi peculiariter ita scriptam dedit) *& nosti* (per eam) *voluntatem eius, & probas* (id est, discernis & approbas) *vtiliora instructus per legem, confidis te esse ducem cæcorum,* (qui ea notitia carent) *lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam* (id est regulam) *scientiæ ac virtutis in lege. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris,* (quòd tibi sit à Deo tradita, eamque habeas) *per præuaricationem legis Deum inhonoras.* Et paucis interiectis: *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est* (id est, perinde apud Deum reputaberis, vt illi placeas, ac vt iustus coram illo sis, ac si circumcisus non esses.) *Si igitur præputium* (id est is qui de gente & de populo est incircumcisorum) *iustitias legis custodiat, nónve præputium illius in circumcisionem reputabitur?* (vt Deo placeat ac iustus coram eo sit) *& iudicabit, qui ex natura est præputium* (id est, qui de gente & populo est incircumcisorum) *legem consummans,* (id est implens) *te, qui per literam* (legis scilicet nudam, Dei gratia destitutus) *& circumcisionem præuaricator legis es? Non enim, qui in manifesto Iudæus est,* (legem scilicet scriptam professus) *neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est,* (legem scilicet coram Deo obseruans, factisque proinde eum confitens, quod vox, Iudæus, significat) *& circumcisio cordis, non in litera,* (cordis, inquam, legis obseruatione superflua nociuaque desideria amputans, subaudi, verè Iudæus vereque circumcisus est) *cuius laus non est hominibus,* (quorum iudicium fallax est) *sed ex Deo est.* In his verò omnibus Paulus Iudæos confert cum Gentibus, interim dum lex vetus perfeue-

A rabat, Gentesq; in ouili & ecclesia legis naturæ salutem consequi poterant. Hæc de lege veteri ac scripta, sic nuncupata ad differentiam nouæ ac gratiæ.

Obiter hoc loco dicam, falsam esse sententiam illam *Gersonis de vita spirituali lect. 2. corol. 5.* qua affirmat, legem naturalem non posse verè & propriè dici legem diuinam. Quoniam, inquit, lex diuina est illa, quæ per solam Dei reuelationem habetur, & quæ ad præmium æternum illius obseruatores atque ad pœnam æternam illius trangressores ordinat: neutrum autem horum ait legi naturali competere. Quoniam lex naturalis non per reuelationem, B sed natura docente habetur, atque neque ad præmium æternum neque ad pœnam æternam ordinat. Non tamen negat, quatenus à Deo fiat, iussa in veteri lege, & à Christo in noua, legem esse Dei, & ad culpam obligare lethalem: sed solùm negat esse legem Dei, & ad culpam obligare lethalem, quatenus est lex naturalis. Hæc, inquam, Gersonis sententia falsa omnino est, vt ex dictis & dicendis hac & tribus Disputationibus sequentibus facilè constat. Atque cùm lex naturalis lex sit, vt ipsemet Gerson confitetur, certè alicuius erit lex, qui illam tulerit, dederit, ac imposuerit angelis & hominibus: hic autem non est alius, quàm Deus, C qui autor & conditor est naturæ: ergo lex naturalis Dei est lex, atque adeò ius est naturale diuinum latum angelis & hominibus, atque vtrisque à Deo edoctum lumine naturali intellectus illis indito atque signato, iuxta illud Psal. 4: *Multi dicunt, quis ostendet nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, vt in sequentibus copiosiùs exponemus. Deinde ad rationem legis Dei, quid quæso plus refert, esse traditam à Deo per peculiarem Dei reuelationem, an verò ab eodem Deo esse traditam & edoctam per lumen Dei naturale intellectus, quo assurgere naturaliter homines & angeli possunt in Dei notitiam, D atque in notitiam eiusmodi legis ab eo inditæ ac traditæ? Peculiaris quidem Dei reuelatio inseruire quidem, vt clarior ac maior de illa notitia habeatur, atque vt minùs ignorari possit eam Dei esse legem ac voluntatem, non verò efficit vt plus sit lex Dei ea solùm, quam ipse reuelauit, non tamen illa, quàm tradidit ac indidit lumine ipso intellectus, atque adeò reuelatio efficere poterit, vt in maiori culpa sint, qui legem naturalem simul acceperunt per Dei reuelationem, eamque transgressi sunt, quàm qui illam solùm inditam acceperunt, eamque transgressi sunt, & vt illi minùs obtendere possint ignorantiam circa ea, quæ iure naturali E præcipiuntur, quàm hi: neutri tamen obtendere possint, legem naturalem vtrisque inditam non esse legem Dei, neque obligare ad culpam, etiam lethalem. Adde, vt in hac Disputatione explanamus, Dei legem naturalem manifestasse scientia infusa primis parentibus, quam docerent posteros: neque, vt omnes tanquam lex Dei obliget, necesse esset singulis in particulari reuelari, neque id asserere Gerson poterit. Item, vt in hac etiam Disputatione explanamus, lex naturalis non solùm à lege Dei æterna deriuatur, sed etiam præceptum, ratione cuius illa obligat, est

14

præce-

præceptum legis Dei æternæ, quod nobis per legem naturalem, tanquam per actum externum legi Dei æternæ, & tanquam per legem in cordibus nostris à Deo scriptam, iuxta testimonium Pauli ad Rom. 2 nobis intimatur ac innotescit: quare lex naturalis lex est Dei. Illud quidem darem Gersoni, si per impossibile non esset Deus, solumque à nobis ipsis haberemus lumen naturale intellectus, quo intelligimus, quæ bona sint facienda, & quæ mala fugienda, vt in officio nos contineremus, virtutesque conseruaremus, & in vitia & mala non incideremus, dictamina illa intellectus non haberent tunc rationem legis propriè, quoniam non essent alicuius superioris, nec proinde essent culpæ & peccata aduersus Deum: at verò eo ipso, quòd Dei facturæ sumus, & quòd agnoscimus, aut agnoscere debemus, contraria legi naturali esse contra Dei voluntatem, vt omnes homines agnoscere debent lumine ipso naturæ id illos docente, quis dubitet, naturalem legem esse Dei legem nobis inditam, transgressionesque illius contra Dei esse voluntatem, dignosque transgressores illius esse, qui à Deo omnium rerum moderatore ac domino puniantur, idque siue homines ignorent, quas pœnas Deus transgressoribus paratas habeat, siue non? Atque vt exempla aliqua conferamus: quis dubitet, odium Dei, & blasphemias in Deum, quæ contra legem sunt naturalem, esse contra legem Dei, dignasque esse quæ à Dei maiestate acerrimè puniantur, estò lex naturalis non aliter à Deo reueletur tanquam lex ipsius? Quis item dubitet cædes grassatorum, vt diripiant, direptiones proximorum, adulteria, & alia similia flagitia, in proximos aut in Deum commissa, quæ cum lege naturali pugnant, contra Dei esse voluntatem, dignissimaque esse, quæ à Deo puniantur tanquam flagitia, quæ ad ipsum, tanquam ad vniuersalem Dominum omniumque rerum moderatorem, punire spectat, estò eadem naturalis lex non aliter ab ipso hominibus reueletur ac seruanda præcipiatur? Certè hæc nullus, qui ea expendat, negare potest, nisi ratione careat. Certè Paulus Apostolus ad Rom. 1 & 2 de peccatis idolatriæ in Deum cognitum lumine naturali commissis, & de cæteris agentibus commissis, quatenus sunt contra legem naturalem solo naturali lumine cognitam agens, & esse contra legem Dei affirmat, & eos qui illa committunt, dignos esse interitu ac pœna æterna, eoque supplicio à Deo esse puniendos apertissimè docet. Ait enim ad Rom. 1: *Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei* (quam Deus scilicet illos naturæ lumine docuit) *in iniustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: ita vt sint inexcusabiles. Quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam,* &c. Et commemoratis multis aliis peccatis contra legem naturæ, concludit caput primum dicens: *Qui cùm iustitiam Dei cognouissent,* id est, quid efficere deberent, vt iusti essent, & vitarent peccata, vtique per legem naturalem ipsis inditam, post lumenque naturale intellectus, *non intellexerunt, quoniam, qui talia agunt, digni sunt morte,* (æterna scilicet) Et cap. 2: *Quicunque sine lege* (scripta scilicet à Deo ipsis reuelata, atque adeò contra solam legem naturalem) *peccauerunt, sine lege peribunt* (vtique æterno interitu, vt ex antecedentibus & sequentibus ibi & 3 capite liquet.) Et infrà: *Cùm Gentes, quæ legem non habent* (ipsis reuelatam) *naturaliter, quæ legis sunt facunt, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Lege hac de re Castrum 1 de leg. pæn. c. 5. & Nauar. in Comment. c. fraternitas in fine Consiliorum n. 15. Hoc autem obiter hoc loco adnotato, reuertamur ad nostrum prosequendum intentum.

Adueniente autem tempore, quo Deus filium suum hominem factum, mundi redemptorem, mittere dignatus est, cæpit lex gratiæ. Quæ quidem solùm continet præcepta legis naturæ, & pauca alia supernaturalia, de mediis supernaturalibus ad finem supernaturalem accommodatis, putà de fide, qualis tempore legis gratiæ reuelata est, de spe & caritate, de baptismo & de aliis sacramentis, quæ de necessitate sunt præcepti, dato præsertim peccato lethali actuali post baptismum commisso, quod dico propter pœnitentiæ sacramentum. Quia verò adueniente lege gratiæ, cessare debebant ecclesiæ synagogæ ac legis naturæ, transireque debebant in vnam vniuersalem ecclesiam in vnicúmve ouile legis gratiæ sub vnico vniuersali pastore; eaque vniuersalis ecclesia longè lateque per orbem diffusa, plurimas ciuiles respublicas, tam liberas quàm plurimorum principum Christianorum, quæ suis ciuilibus legibus vnicuique earum pro loco & tempore accommodatis gubernantur, erat complexura, sub vno Christi vicario, qui ea omnia temporis progressu statueret, quæ ad spiritualem finem accommodata iudicaret; necesse non fuit legem gratiæ plura præcepta iure diuino continere, quàm quæ commemorata sunt. Lex autem gratiæ nuncupata fuit propter abundantem gratiam, quæ ad illam implendam Christi morte ac meritis tempore illius erat fidelibus conferenda, qua non iam in tabulis lapideis, sed in mentibus & cordibus eorum erant scribenda ac imprimenda, iuxta illud ex Ieremia 31 à Paulo ad Hebræos 8 citatum ac relatum: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & consummabo super domum Israël & super domum Iuda Testamentum nouum, non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas* (per Spiritus sancti præsertim aduentum in die Pentecostes) *in mentem eorum,* (illos lumine abundantissimo illuminando ac instruendo de omnibus) *& in corda*

eorum superscribam eas, (ardentissimo caritatis affectu) *& ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Eadem quoque lex nuncupata est gratiæ, quoniam gratia iam per Christum promerita, atque in tempus, quo per illum est iam promerita, lata fuit, atque ad quam implendam longè maior gratia longeque maiora auxilia meritis eiusdem Christi data fuit, quàm vnquã antea ad alias leges implendas fuerint data, vt in *Concordia. q. 23. art. 5. disp. 1. membr. 4.* dictum est. Quamuis enim gratia tota, quæ post lapsum primorum parentum tempore legis naturæ & scriptum hominibus fuit data, Christi meritis futuris collata fuerit, qua ratione Christus Apoc. 13 agnus ab origine mundi occisus dicitur, quia scilicet mors & merita ipsius ab illo mundi exordio gratiam operata sunt, ac si iam tunc essent, & quamuis nulla lex nec naturæ, nec scripta, nec noua quo ad præcepta, præceptorúmve obseruationem, iustificet, sine fide Christi implicita aut explicita, ac gratia per ipsum collata, vt Paulus in Epist. ad Rom. à c. 3 multis contendit ac probat, hisque verbis in Concilio Trid. sess. 6. canone 1. definitum est; *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vel per legis doctrinam fiant, absque diuina per Iesum Christum gratia, posse iustificari coram Deo, anathema sit*; quamuis, inquam, hæc ita sint, meritò tamen lex gratiæ ea sola nuncupata fuit, quæ tempore gratiæ iam promeritæ, atque in totum gratiæ iam promeritæ tempus, ab ipsomet gratiæ promeritore ac autore Christo Iesu cum tanta plenitudine gratiæ ad illam implendam, atque ad actibus illius gratiæ ac gloriæ augmentum post primam iustificationem obtentam promerendam, lata fuit. Ea autem lex à Christo promulgari cæpit, atque in die Pentecostes solemniter iterum Ierosolymis promulgata est, & postea per Apostolos & discipulos Christi, per alioſque euangelii ministros per orbem est promulgata. Quando autem plenè iam ita fuerit promulgata, vt non solùm lex veteris Testamenti mortua fuerit, sed & mortifera deinceps eius obseruationis manserit, infrà suo loco dicetur.

Ex dictis iam faciliùs intelligetur plurimas distingui leges, quæ ita inter se sunt diuersæ, vt nihilominus omnes aliæ ab vna prima & summa deriuentur, & quędam cæterarum vnam ipsarum tanquam partem includant, atque in aliquo inter se communicent.

16 Primo autem loco distinguitur lex Dei æterna & incommutabilis in ipsomet Deo existens, qua in primis iudicat, quid ex ipsamet rei natura rectum sit, quidque turpe & à recta ratione dissonum, si fiat tum à creaturis mente præditis sua omnipotentia possibilibus, tum etiam si ab ipsomet Deo fieret, vt in *Concordia q. 14. art. 13. disp. 31. in prin. §. ratio hæc*, & in editione Antuerpiensi Disp. 32, quo ad hoc vltimum his verbis à nobis est dictum, & ex parte explanatum: *Licèt enim compertissimum sit, Deum, qui summa est bonitas, nullo modo in suis operationibus posse deficere, neque alicui alteri, neq; proprie sibimet ipsi, esse subiectum; in eo est lex æterna, quæ est ipsemet Deus, quæq; ipsi dictat quid rectum sit vt ab eo fiat, & quid turpe si ab eo fieret, ac proinde quid ex eo capite contra ditionem implicet ab eo fieri, quod cum summa ipsius bonitate pugnet. Atque hac ratione colligimus, Deum nulla ratione per se vel per alium posse mentiri, nec vlla ratione posse præcipere peccata, nec ad actiones, quæ peccati rationem retineant, posse mouere ac inclinare, aut illas suadere, vel ad eas quemquam præstinare: eo quòd hæc & his similia rectæ rationi, tam humanæ quàm diuinæ, & infinitæ bonitati repugnent. Atq; id sonant testimonia scripturæ, definitiones ecclesiæ, ac dicta sanctorum Patrum, quæ disputatione præcedente retulimus.* Hæc ibi. Lege etiam, quæ *1. part. q. 17. disputatione vnica*, hac de re dicta à nobis sunt, quæ non parum conducunt ad exactiùs intelligenda, quæ de hac lege Dei æterna subiiciemus.

Deinde eadem lege æterna Deus cunctis rebus prouidet & cuncta gubernat, ratioque dirigendi res omnes in suos fines, eisq; ad eosdem fines prouidendi in Deo existens, ad legem Dei æternam pertinet: quæ determinata per suam voluntatem ad res, quas creare ac gubernare statuit illas ad suos fines dirigendo, rationem integram prouidentiæ circa easdem res sortitur, cuius actus Dei externus est creatio ac gubernatio ipsa rerum exequutioni mandata, vt hæc omnia *1. p. q. 22. art. 1. disp. 1.* explanata sunt. Eadem verò ratio dirigendi res in suos fines, eisque ad illos prouidendi, in eodem Deo existens non determinata per voluntatem vt mandetur exequutioni comparatione rerum, quas creare nõ statuit, est quoq; lex æterna ac prouidentia qua illis prouidere potuit, nec prouidit actu, quia illas creare actu ac gubernare noluit. Consentit *diuus Th. 1. 2. q. 91. art. 1.* vbi sic ait: *Nihil est aliud lex, quàm dictamen practicæ rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam: manifestum est autem, suppositò quòd mundus diuina prouidentia gubernetur, vt in primo habitum est, quòd tota communitas vniuersi gubernatur ratione diuina: & ideo ipsa ratio gubernationis, in Deo sicut in principe vniuersitatis existens, legis habet rationem. Et quia diuina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum, vt dicitur Prouerb. 8, inde est, quòd eiusmodi legem oportet dicere æternã.*

Vt verò hæc meliùs intelligas, obserua. Hoc 17 inter artem diuinam & prouidentiam diuinam esse discrimẽ. Quod ars est cognitio in Deo modi faciendi res sua omnipotentia possibiles, ac proinde est in Deo recta ratio factibilium, hoc est, modi eas condendi ac fabricandi. Prouidentia verò est recta ratio in Deo illas gubernandi ac dirigendi ad solos fines, prouidendo illis de mediis ad id accommodatis ac necessariis, atque accommodatè ad naturas diuersas ipsarum leges illis præscribendo, quas seruare debeant, vt vniuersim & singulæ quàm accommodatè se habeant in se & ad fines, ad quos eadem prouidentia ordinantur: quod ad diuinam prudentiam adiectamque agibilium à Deo rationem spectat: cùm Deum deceat sic omnia gubernare sua diuina prouidentia: vnde diuina prouidentia pars est prudentiæ, & subinde recta agibilium ratio, vt *1. p. q. 22. art. 1. disp. 1.* dictum est.

Obserua deinde, cùm inter res, quæ sub diui- 18 nam cadunt prouidentiã, atq; ab eo in suos fines sua lege æterna gubernantur, quædã sint mente liberoq; arbitrio præditæ, quas tunc ad finem naturalẽ moralis ac speculatiuæ felicitatis, tum etiam

etiam ad finem ſupernaturalem ſempiternæ felicitatis promerendum ac obtinendum ordinat per opera virtutum, quæ facere aut non facere, ſed potiùs ad contraria opera ac peccata deflectere, ab ipſorum arbitrio pendeat, vt ſumus homines & angeli: aliæ verò ſint mente liberoque arbitrio minimè præditæ, quæ in ſuis operationibus ab ipſomet Deo inſtinctibus variiſque aliis viribus ad id illis impreſſis ac condonatis naturæ neceſſitate aguntur, vt ſunt reliquæ omnes creaturæ; & ſumus etiam nos ipſi, quo ad ea, quæ in nobis & à nobis fiunt, nec tamen arbitrio noſtro ſubduntur: cùm, inquam, hæc ita ſint, variè leges accommodatè ad ipſarum naturas, & ad modum, quo ad fines ipſis B deſtinatos deuenire debent, libere videlicet per opera virtutum ac propria merita gratia & auxiliis Dei ſuffulta aut non libere, ſed naturaliter diuerſis his ſuis creaturis à Deo lege ſua æterna ſtatuuntur.

Creaturis quidem mente liberoque arbitrio prædiris, quo ad finem felicitatis naturalis ac ſupernaturalis, ſtatuuntur leges, quas integrum illis ſit ſeruare, aut non ſeruare ac tranſgredi, vt ita obſeruationes liberæ earum legum, moderatorúmve Dei, in laudem illis cedant, opera ſint virtutum, ac merita vitæ æternæ, ſi gratia Dei ſuffulta ſint. Eiuſmodi autem leges cùm ex æternitate in mente Dei in legéve ſua in- C commutabili ac æterna ſint, ſua voluntate beneplaciti antecedente ſtatuente ac præcipiente, vt in tempore à ſuis creaturis mente liberoque arbitrio prædiris ſeruentur, eas in tempore partim mentibus illarum indidit, quo ad ea, quæ iuris ſunt naturalis, vt ab eis ſeruentur, quorumque obiecta id ita habent ex natura ipſa rei; dum eas mente præditas ad ſui imaginem ac ſimilitudinem condidit, lumenque proinde ſui vultus ea ipſa mente & ratione eis impreſſit, qua id agnoſcere per ſe ipſas poſſent. Neque ſola ea impreſsione ac promulgatione earum legum fuit Deus contentus: ſed dum in ſtatu innocentiæ pri- D mos parentes notitia ac ſcientiis omnium naturalium rerum cumulatiſsimè repleuit, eaſdem leges manifeſtiùs multo eos docuit, eíque promulgauit, deriuandaſque doctrina ipſorum in ipſorum poſteros ordine quodam reliquit. Atque tempore legis ſcriptæ, eas iterum decalogi præceptis ad ſummam quandam redactas, hominibus legis ſcriptæ promulgauit, ſuoque digito in tabulis lapideis ſcriptas perpetuis temporibus illis reliquit, quas Moyſes etiam in libro Exodi vt Dei leges ac præcepta ſcripſit. Chriſtus item in lege gratiæ ſeruandas eas docuit ac præcipit. Aliam verò partem earundem legum, quæ E ſupra ius naturale erant, ad iuſque diuinum poſitiuum attinebant, in quarum cognitionem homines ſolo lumine naturali deuenire non poterant, Deus homines in tempore docuit, eiſque illas promulgauit; tum primis parentibus, qui eas per ſe & per maiores alios eccleſiæ legis naturæ, viroſque iuſtos eius tempeſtatis à Deo peculiariter dilectos ac eruditos, ordine quodam ſuos poſteros Dei eſſe præcepta ad euadendum interitum æternum, ſempiternamque felicitatem conſequendam, neceſſariò ſeruanda: tum etiam filiis Iſraël tempore legis ſcriptæ angelorum Moyſíſque miniſterio, vt eas deinceps ſynagoga ſcriptas conſeruaret, & per maiores, doctores, ac prophetas eius eccleſiæ populum ſimiliter ordine quodam temporis progreſſu illas docerent: tum denique tempore legis gratiæ per Chriſtum & Apoſtolos vniuerſali eccleſiæ legis gratiæ ab eo conditæ, ſcripturiſque ſacris noui Teſtamenti ac traditione continentur, per paſtoreſque, doctores, alioſque eccleſiarum rectores de eis Chriſti fides docentur, vt experientia ipſa teſtatur. Vtrùm autem ſuprà eſt dictum ac explanatum, eiuſmodi leges de rebus ſupernaturalibus, ad iuſque diuinum poſitiuum attinentes, non eædem fuerunt in eccleſia legis naturæ ante peccatum, & poſt peccatum, in ſynagoga, & in Chriſtiana eccleſia, ſed diuerſæ, longeque plures fuerunt in ſynagoga, quàm in eccleſia legis naturæ, & quàm in Chriſtiana eccleſia.

Creaturis verò mente liberoque arbitrio 19 minimè prædiris, quin & nobis quo ad opera, quæ noſtro arbitrio ſubdita non ſunt, ſed naturæ neceſſitate à nobis emanant, totoque huic vniuerſo corporeo, ſua etiam æterna ac incommutabili lege peculiares præſcripſit leges libera ſua voluntate, quo ad exequutionem in tempore determinatas, quibus naturæ neceſsitate ad ſuos particulares fines & ad finem totius vniuerſali ordinantur, diriguntur, ac gubernantur: quę proinde leges in Deo, ita libera ſua voluntate quo ad exequutionem determinatæ, rationem habent prouidentiæ circa eaſdem res, ac circa totum hoc corporeum vniuerſum. Eiuſmodi autem leges quàſi partes quædam ſunt totius atque integræ legis Dei incommutabilis ac æternæ, qua cuncta gubernat, quaque ea, quæ creare non ſtatuit, gubernare poteſt.

Vires item, inſtinctus, & alia, quibus ea, quæ 20 naturæ neceſsitate aguntur, totumque hoc corporeum vniuerſum, Deus mirè ſua prouidentia ordinat, dirigit, ac producit ad fines particulares ſingulorum, totiuſque vniuerſali, leges quoque ad id à Deo illis ſtatutæ dicuntur. Tum quia à particularibus æternis Dei circa eas creaturas legibus quo ad id emanant, mediaque ſunt eiſdem æternis legibus illis adhibita, vt ſuas actiones eo modo efficiant, quo illas exercent, fineſque earundem creaturarum ac totius vniuerſi ſequantur. Tum etiam quoniam ſicut res libero arbitrio prædiras, legibus particularibus ipſis inditis, aut eis propoſitis, à legibuſque æternis deriuatis, dirigit ad ſuos earum felicitatis naturalis ac ſupernaturalis fines, ipſiſmet rebus libero arbitrio prædiris liberum relinquens, vt eas leges ſeruent aut non ſeruent, & vt eas ſeruando ad eos fines deueniant, vel illas non ſeruando ab eiſdem finibus deflectunt: ita eiuſmodi viribus, inſtinctibus, & aliis circa hoc corporeum vniuerſum diſpoſitis, quaſi leges quaſdam particulares, à ſempiterna ſua, lege deriuatas, rebus libero arbitrio minimè prædiris ſtatuit, quas, naturæ neceſsitate agendo ſequerentur, quibuſque ad fines ipſis proprios ordinatiſsimè deuenirent, finiſque totius corporei vniuerſi ſequeretur.

Hac ratione Paulus ad Rom. 7 vires appetétes ſentientes, communis nobiſcum animalibus ratione non prædiris, legem appellauit in noſtris membris exiſtentem, quæ à Deo eſt, ad bonumque

bonumq; ac finem partis sentientis proprium inclinat. Atque eatenus non lex mala, sed bona est, perinde atque reliquæ naturales vires ac leges, quæ ad peculiares actiones ac fines, ad quos à natura ordinantur, inclinant, malæ non sunt, sed bonæ. Quia tamen, quod bonum est in se, & ad bonum finem particularem alicuius ordinatum, redundare potest in malum & detrimentum alterius; vt vires & appetitus leonis aut lupi, ipsis à Deo ad ipsorum bonum ac conseruationem inditi ac concessi, in malum redundant aliorum animalium, quibus leo ac lupus vescuntur ac sustentantur, quique à leonibus & lupis vita priuantur, doloribusque afficiuntur, vt eorum carnibus ac sanguine pascantur ac nutriantur; inde effectum est, vt cùm homo duplici parte constet, mente scilicet ac libero arbitrio, sibi cum angelis communi, quo ad imaginem ac similitudinem Dei est conditus, capaxque est virtutis, meriti, ac naturalis & supernaturalis felicitatis, quas gratia à Deo adiutus assequatur; & constet etiam parte sententiæ, sibi cum bestiis communi, quæ dum ad suum bonum ac finem proprium naturaliter vehementissimè inclinat, suppositum humanum, in quo residet, mentemque seu arbitrium liberum solicitat, & quàm sæpissime vincit ac pertrahit ad malum rationis & ad peccata; inde, inquam, effectum est, vt eadem lex partis sentientis in nostris membris habitans, quæ in se, quatenus lex partis sentientis est, mala non est, malum rationis ac lex peccati à Paulo ibidem meritò nuncupetur. Tum quòd ad lethalia peccata mentem ac arbitrium liberum in permultis quàm sæpissime pertrahat ac perducat, atque in omnibus, infra Dominam nostram, etiam sanctissimis quibusque, qui totis viribus Deo seruire ac placere studeant, ad venialia saltem pertrahat ac perducat: qua de causa Paulus ibidem dixit: *Non, quod volo bonum, hoc ago: sed odi malum, illud facio*, victus scilicet ac superatus ab ea lege peccati. Et infrà: *Velle adiacet mihi: perficere autem non inuenio*. Atque infrà: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis.* Tum etiam quoniam, cùm Deus in innocentiæ statu eandem legem dono iustitiæ originalis alligasset ac coercuisset, vt nullum motum aduersus rationem legémve mentis ac Dei habere posset, vtique, quòd ad peccata tam vehementer solicitet ac pertrahat, effectus est originalis peccati, quo Adamus sibi & posteris iustitiam originalem amisit, eaque de causa lex peccati, tanquam effectus eius peccati, appellata etiam est, quasi quæ ab originis peccato tanquam eius effectus emanauerit, pertrahatque ac perducat ad quàm plurima alia peccata, tum venialia, tum etiam lethalia.

Illa eadem ratione vires, quas in ipsa mundi constitutione Deus in astris constituit ad pluuiam statutis temporibus ac locis generandam, ordinemque totum, quem in hoc vniuerso ad id Deus constituit, lex pluuiæ Iob 28 his verbis nuncupatur: *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus.* Et Prouerb. 8 vallum, quod Deus mari posuit, dum eleuans A super aquas quibusdam ex partibus terram, aquasque confluere faciens in ciuitates inter partes terræ eleuatas remanentes, legem eis aquis positam, ne eos fines transirent, sapientia Dei genita, quæ ibi loquitur, appellat, sic dicens: *Quando præparabat cælos, aderam. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos.* Idem significant verba illa Dei Iob. 38: *Quis concludit ostiis mare? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Portò eiusmodi vires ac media, à particularibus legibus Dei æternis deriuata, quibus creaturas mente minimè præditas Deus in earum fines dirigeret, & per quas easdem suas leges quo ad id æternas exequutioni mandat, non per proprietatem, sed per metaphoram ac similitudinem leges dicuntur, rationibus suprà explicatis, id quod *diuus Th. 1. 2. q. 90. art. 1. ad. 1.* etiam docet: cùm tamen leges creaturis libero præditis arbitrio à Deo inditæ aut aliter illis traditæ ac promulgatæ, quas in suis operibus liberis sequi teneantur, propriissimè legum, à sempiterna Dei lege deriuatarum, rationem habeant.

Illud verò est obseruandum, quamuis Deus particularibus suis legibus æternis circa creaturas libero arbitrio minimè præditas, viribusque instinctas, ac aliis mediis ex eisdē exteriùs legibus ad id deriuatis, necessitate naturæ illas agat ac dirigat ad ipsarum fines proprios, non tamen omnes ad illos semper peruenire, sed interdum ex concursu aliarum causarum quasdam earum illis frustrari, & sequi monstra ac defectus aliquos illarum, id ita postulante ordine ac constitutione totius vniuersi, qui vniuersali lege Dei æterna constitutus est, quam legem vniuersalem Deus ipse in fabricando toto vniuerso, atque in illis monstris & defectibus ex concursu aliarum causarum permittendis, sequutus est. Eiusmodi autem monstra & defectus particularium causarum naturalium, quo ad suos actus & effectus, peccata quidem sunt naturalia earundem causarum contra particulares leges Dei æternas illis in operando à Deo præscriptas: sunt verò eiusmodi peccata in ipsismet causis quo ad actiones & effectibus earum, non verò in legibus Dei æternis, à quibus eis peccatis deuiant: sicut & moralia peccata, quibus creaturæ mente præditæ pro sua libertate contra particulares leges Dei æternas, ipsis in operando à Deo præscriptas, peccant, peccata sunt in ipsismet creaturis quo ad ipsorum actus liberos, aut amissiones eorum, quibus à legibus Dei æternis deuiāt, non verò sunt in ipsis legibus. Quamuis autem naturalia & moralia peccata sint contra leges particulares Dei æternas creaturis liberis ac etiam non liberis in operando præscriptas: non tamen sunt contra legem Dei æternam, quam in eisdem particularibus legibus suis creaturis præscribendis, in constituendo toto vniuersi ordine, atque in permittendis, tam naturalibus quàm moralibus peccatis ad fines alios altiores, ipsum seruare decet. Quo fit, vt ea, quæ peccata sunt naturalia aut moralia creaturarum, non sint peccata Dei, quoniam non sunt deuiationes à lege æterna, quam ipsum seruare decet, sed sunt deuiationes

tionibus à particularibus legibus Dei æternis, quas in operando suis creaturis seruandas præscripsit, vt hæc omnia 1. part. q. 17. Disp. vnica dilucidè à nobis explanata atque ex suis principiis deducta sunt. Ex hactenus dictis facilè intelliges, sicut omnia vniuersim diuinæ prouidentiæ subduntur, quia dum vnum diuinæ prouidentiæ ordinem egrediuntur, in aliud eiusdem diuinæ prouidentiæ relabuntur, vt *1. p. q. 22. art. 2.* & sequentibus ostensum est: ita omnia subjici æternæ & incommutabili legi Dei: quia dum à quibusdam partibus eius legis æternæ Deo id ad congruos fines permittente deueniant, aliis partibus eiusdem legibus, quibus ad eos alios fines permittuntur ac ordinantur, subjiciuntur.

De lege æterna & incommutabili hactenus explicata sermo est Augustino *1. de liber. arb. c. 5. 6. 14. 15. & 16.* De eadem lege sermo illi etiam est in *lib. de vera religione. c. 31.* Tametsi latiùs ibi sumere illum videatur, vt scilicet etiam artem sapientiamque totam diuinam continet ac comprehendit. De eadem lege Dei æterna loquutus videtur esse *Tullius 2 de leg.* dum dixit: *Hanc video sapientissimorum esse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum: sed æternum quiddã, quod vniuersum mundum regeret, imperandi prohibendi, sapientia. Ita principem legem illam, & vltimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogitantis aut vetantis Dei, ex qua illa lex,* (inde scilicet deriuata, hominumque mentibus impressa, ex qua vlteriùs humanas leges excogitarunt) *quam Dei humano generi dederunt, rectè est laudata.*

Inter varias leges, quas suprà ex illucusque dictis facilè distingui posse diximus, primo loco hucusque distinximus legem Dei æternam ac incommutabilem, ex qua cæteræ deriuantur.

21 Secundo autem loco distinguitur lex naturalis, ad finem naturalem humanæ felicitatis moralis ac speculatiuæ ordinata. Quid autem ea sit, à legeque Dei æterna deriuari, atque de iure diuino naturali eam esse, satis ex suprà dictis patet.

Tertio verò loco distinguitur lex status innocentiæ, quæ naturalem legem comprehendebat, quatenus finis naturalis felicitatis moralis subordinatus est fini supernaturali sempiternæ felicitatis, ad quem homines fuerunt conditi, mediaque ad eum naturalem finem necessaria quoque in adultis sunt ad finem supernaturalem. Comprehendebat item supernaturalem legem præceptorum fidei, spei, & caritatis, atque præceptum illud, ne homines illius status de ligno scientiæ boni & mali comederent. Ea autem tota lex ab æterna & incommutabili lege Dei deriuata est: vt hæc omnia ex hactenus dictis constat. Est verò hoc discrimen inter tria illa præcepta fidei, spei, & caritatis, & illud aliud de non edendo de ligno scientiæ boni & mali. Quòd tria illa præcepta quamuis supernaturalia sint, eo tamen ipso, quòd mysteria fidei à Deo reuelantur, hominique reuelatur, ipsum ad finem esse conditum supernaturalem, eumque finem in præmium esse illi propositum per media & actus supernaturalia, ad quos supernaturales actus Deus paratus sit ea ex sua parte præstare, quæ ad illos eliciendos necessaria sunt, sanè lumen ipsum naturæ præscribit ac docet, hominem teneri Deo mysteria fidei reuelanti credere, ipsum supernaturaliter diligere, in eumque sperare: neque leges illæ alia promulgatione egent. Illud verò, aliud præceptum de non edendo de ligno scientiæ boni & mali, Dei erat præceptum merè positiuum.

Quarto loco distinguitur lex status naturæ post peccatum: quæ ob eandem rationem legem etiam naturalem comprehendebat, & addebat eadem præcepta fidei, spei, & caritatis supernaturalia: tametsi fidei præceptum quo ad aliqua credenda, de nouo tunc reuelata circa mediatorem, & notitiam peccati originis, remediique contra illud, aliquantulum variatum. In his enim tribus præceptis, variato ex parte quo ad credenda præcepto fidei, communicant lex status innocentiæ, lex status naturæ humanæ post peccatum, lex scripta, & lex gratiæ. Addebat item ea lex præcepta adhibendi remedium contra peccatum originis, & præceptum contritionis, quo ad eos, qui peccata lethalia actualia incurrerent. Quæ præcepta, habita notitia peccati originis & remedii contra illud, atque habita notitia per reuelationem, quòd id erat remedium necessarium ad resurgendum à peccatis lethalibus actualibus, atque ad redintegrandam amicitiam cum Deo, ad euadendumque sempiternum interitum, æternamque felicitatem obtinendam, ex natura ipsa rei consurgebant, lumenque ipsum naturæ illa docebat, vt de præceptis fidei, spei, & caritatis dictum explanatumque est. Hanc verò legem totam status naturæ humanæ post peccatum, quæ tota diuina est, à Dei æterna & incommutabili lege esse deriuatam, ex suprà dictis etiam liquet.

Quinto loco distinguitur & sexto loco lex gratiæ, continentes vltra legem naturæ præcepta eius supernaturalis ac diuini positiui, quæ suprà eas continere fuit explicatum, atque ab æterna & incommutabili Dei lege deriuatæ, vt ex suprà dictis est satis manifestum.

Septimo autem loco distinguitur lex humana, quæ in genere duplex est. Ciuilis vna, suprem orum principum rerumpublicarum, rerúmve ipsarum publicarum quo ad eos, quibus potestas condendi leges iuxta varia regimina earundem rerumpublicarũ ab ipsismet rebus publicis concessa est. Atque ciusmodi lex iure cæsareo & particularibus diuersarum rerumpublicarum secularium continetur. In vnaquaque verò earum est intelligendum, quod & quale ius illius sit, & quousque ius cæsareum in ea amittat, vel non amittat. Eiusmodi autem ciuilis lex magna ex parte continere solet ius naturæ, præsertim quo ad præcepta illius prohibitiua seu negatiua externos actus contra eadem præcepta prohibendo ac puniendo, vt furta, adulteria, homicidia, iniurias alias corporis, honorisque ac famæ, & similia alia, quæ rempublicam secularem perturbant aut fædant, interdumque attentationes etiam horum delictorum prohibendo ac puniendo. Multa etiam alia iura & leges addit integra ciuilis lex cuiusque reipubli-

22

cæ

cæ circa pœnas delictorum in particulari, & circa plurima alia, quæ ad ius merum positiuum ac humanum cuiusque reipublicæ spectant, vt experientia in earum vnaquaque testatur. Dixi, eiusmodi integram ciuilem legem cuiusque reipublicæ magna ex parte solere continere ius naturæ: quoniam aliqua, quæ contra ius sunt naturæ, nec prohibet, nec punit, sed permittit ac impunita reliquit, Deo iudicium ac pœnam illorum relinquens: quoniam neque multum fædât ac perturbant rempublicam secularem, neque facilè cohiberi ac puniri possent in tanta & tam fragili hominum multitudine, atque ad vitanda maiora mala, aut aliqua alia iusta de causâ. Sic fornicationem simplicem leges ciuiles maxima ex parte non puniunt, quin ad maiora mala vitanda, publica lupanaria permittunt. Sic etiam cæsareum ius, & regulariter ciuilia alia iura particularium regnorum, non puniunt, sed permittunt mariti homicidium, quo propriam vxorẽ, & adulterantem cum illa, interficit in adulterio deprehensos. Et quædam alia contra ius naturale non puniunt iustis de causis adductæ. Addidi, præsertim quo ad præcepta iuris naturalis prohibitiua seu negatiua, externos actus contra eadem præcepta prohibendo ac puniendo: quoniam punire internos actus non ad rempublicam secularem, sed ad Deum, qui illorum est agnitor, pertinet: neque actus interni ita reipublicæ seculari nocent, vt eos punire debeat, hominum præsertim multitudine ac fragilitate attenta. Sed neque attentationes solas externas, quæ ad actus eorum delictorum exteriùs consummatos non perueniunt, solet punire, nisi in aliquibus grauioribus delictis, neque in illis eas punire solet pœna ordinaria eorum delictorum, sed extraordinaria, exceptis aliquibus euentibus, vt hæc omnia, quæ de actibus internis & attentationibus externis dicta sunt tractatu 3 disp. 24, à nobis sunt copiosè explicata ac comprobata. Actus verò externi contra præcepta iuris naturalis negatiua seu prohibitiua esse solent, qui plus fædare ac perturbare secularem rempublicam solent. Cum eis autem computa, qui contrarii sunt præceptis affirmatiuis, & non solùm priuatiuè, tanquam omissiones actuum eorum præceptorum, illis opponuntur, vt sunt actus fidei catholicæ, diuinoque cultui contrarii, vt hæresum, veneficorum, lamiarum, & his similes, & qui contra pietatem sunt parentum, illos inhonorando, aut manus violentas in eos injiciendo.

Altera verò pars legis humanæ est ius canonicum, à summis Pontificibus Christi autoritate reipublicæ ecclesiæ ad finem spiritualem ac supernaturalem latum. Licèt autem multa conciliorum prouincialium & sanctorum Patrum contineat; non tamen illa rationem legum simpliciter comparatione totius corporis ecclesiæ habent, nisi quatenus autoritate summorum Pontificum corpori ecclesiæ vt leges seruandæ sunt propositæ.

Eiusmodi quoque leges omnes humanæ, tam ecclesiasticæ quàm ciuiles, si non iniquæ, (tunc enim rationem legis nec mererentur nec haberẽt) sed rationabiles sint, quin & præcepta omnia, non iniqua & irrationabilia, à legitimis superioribus quibuscunque suis inferioribus lata, à lege Dei incommutabili & æterna descendunt ac deriuantur. Tum quòd ratio & lumen, quo statuuntur ac præcipiuntur, à Deo per legem æternam ad regimen mortaliũ, quos per eas medias potestates regit & ad suos fines dirigit, emanauit, deriuatumque est, ad idq; inter alios fines est à Deo hominibus collatum. Tum etiam, fuit quoniam eæ omnes legitimæ potestates, per quas Deus ad spiritualem & supernaturalem finem, atque ad naturales fines œconomicos ac politicos supernaturali subordinatos, mortales dirigit, (tametsi quædã earum ab hominibus ad ita gubernandum eligantur ac constituantur) omnes à Deo sunt, loco que Dei, in suo ordine & gradu earum vnaquæque subditis suis præcepta, aut etiam leges imponit, atque dum à subditis illa implentur, illisque quo ad ea ab eis obeditur, Deo ipsi obeditur, vt ex Paulo ad Rom. 13 & ex multis aliis scripturæ testimoniis tractatu 2 Disp. 27 copiosè ac dilucidè ostẽdimus, qua de causa hoc loco id fusiùs non explicamus. Atque in eo sensu Prouerb. 8. Sapientia Dei æterna ait: *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant & potentes decernunt iustitiam.* Tum denique quoniam quamuis præcepta & leges omnium eiusmodi potestatum de iure sint humano, quòd tamen eis pareatur, dum lata sunt ac vim habent, sanè de iure est diuino, eoque naturali, vt Disp. 27 citata dilucidè ex suis principiis deductum ac comprobatum à nobis fuit. Quare æterna lege Dei, atque etiam naturali mortalibus indita, eiusmodi omnia præcepta ac leges seruari à Deo præcipiuntur, tanquam quæ ab æterna ipsius lege modis explicatis deriuentur, per potestatemque ab ipso deriuatam nomineque ac loco ipsius præcipiantur.

Sunt verò nonnulla hoc loco obseruanda. 23
Primum est: Sicut sciencia duobus modis sumitur: vno, pro assensu & habitu cuiusque conclusionis: altero verò, pro collectione assensuum ac habituum multarum conclusionum ad vnum totale obiectum attinentium, quod eundẽ gradum abstractionis à materia sensibili habet, aut quod ab ea non abstrahit: vel in scientiis moralibus pro collectione assensuum ac habituum multarum conclusionum ad eandem finem boni moralis attinentium, putà felicitatis cuiusq; moralis ac virtutũ, quæ ad eam spectãt, boni ac finis œconomici, aut boni ac finis politici, quo pacto Ethica, œconomica, & politica scientia inter se distinguuntur: sic lex duobus modis sumitur. Vno, pro quacunque singulari lege lata ab eo, qui ad id potestatem habet, iuxta ea quæ suprà explicata sunt. Altero verò modo, pro collectione multarum legum, quæ ad vnum finem ordinantur; vel naturalem felicitatis naturalis cuiusque; quo pacto lex naturalis ab aliis distinguitur, vel supernaturalem sempiternæ felicitatis cuiusque; quo pacto pro diuersis statibus naturæ humanæ, diuersisque mediis supernaturalibus, quibus diuina prouidentia diuersis temporibus ad eum finem supernaturalem perducitur, diuersæ leges distinguuntur; nempe lex lata naturæ humanæ in statu innocentiæ; lex lata eidem naturæ humanæ corruptæ iam per peccatum ante legem scriptam; lex scripta qua simul prænunciata, figurata, ac præparata sunt, quæ futura erant tempore legis gratiæ; & lex

gratiæ.

gratiæ. Atque cùm finis supernaturalis finem naturalem supponat, tanquam ipsi subordinatum, & ad ipsum necessarium, singulæ harum legum naturalem quoque legem includunt, vt suprà explanatum est. Distinguitur quoque lex humana, quæ, vt dictum est, duplex est. Vna ad finem bonũq; politicum humani conuictus ordinata, ciuilisque nuncupatur. Altera verò ad finem spiritualem, ad meliusque ecclesiæ regimen ac bonum ordinata, quæ canonica dicitur. Super has verò omnes est lex Dei æterna, à qua cæteræ deriuantur, & quæ non ad finem ordinatur, cùm sit ipsemet Deus rerum omnium supremus ac vltimus finis, sed quæ cætera omnia ad suos fines ordinat ac dirigit. Quare non est de ratione legis, quòd ad finem ordinetur, sed id solùm competit legibus à sempiterna lege deriuatis, quæ ad fines, ad quos feruntur, ordinantur. Sumpta ergo lege non priori modo, pro singulari ac indiuidua lege, sed posteriori, vt vna lex dicitur collectio multarum, quæ ad eundem finem pro aliquo statu ordinantur, vel quæ cuncta ad suos fines ordinat ac dirigit, vt incommutabilis lex Dei æterna distincta à nobis fuit in septem aut octo leges paulo antea explanatas. Porrò lex Dei æterna, à qua cæteræ deriuantur, & quæ ad longè plura se extendit, quàm cæteræ omnes simul sumptæ, vna est: tum quia, ob diuinam simplicitatem ac illitatam perfectionem, est vnius simplicissimus actus: tum etiam quoniam est vnius legislatoris ac supremi & vniuersalis domini, comparatione omnium vniuersim creaturarum: tum denique quoniam per ea ordinat omnia ad fines particulares cuiusque ipsorum, tam naturales quàm supernaturales, & simul ad se tanquam ad vnicum vltimum finem, ad ostensionemque suę infinitæ bonitatis, sapientiæ, ac cæterorum suorum attributorum.

Secundum est. Si constitutio presbę sumatur,
24 constitutionem esse idem, quod lex. Vnde *Isidorus. 5. lib. Etym. c. 13.* & habetur. *c. constitutio dist. 2. Constitutio*, inquit, *vel edictum est, quod Rex vel Imperator constituit vel edicit.* Intellige vniuersim, & non cum præfinitione temporis alicuius, iuxta ea quæ suprà de lege, vt à mandato presbę sumpto distinguitur, dicta sunt. Intellige item, vel ab alio supremo principe. Atque Isidorus ibidẽ constitutione sola humana videtur loquutus, eaque ciuili supremorum principum, vt distinguitur ab aliis iuribus, vt constat ex aliis capitibus antecedentibus & sequentibus in eadem. 2. distinctione, quæ ex eodem Isidoro sunt etiam desumpta. Latiùs autem sumi constitutionem pro quacunque lege, innuit apertè idem *Isidorus* eodem. *5. lib. c. 10.* & habetur. *c. 1. dist. 2.* dum ait: *Lex est constitutio populi, quamaiores simul cum plebeis aliquid sanxerunt.* Atque sermo ibi est de lege, qualis à Romano populo ante Imperatores condi consueuerat. Quicquid autem sit de mente Isidori eis in locis, constitutio, iuxta *Panor. in Rub. de constitutionib. num. 1.* duobus modis sumitur. Vno presbę, vt est idem, quod lex, maximè humana à nobis hactenus explicata, siue ciuilis ea sit siue ecclesiastica, quæ à solo supremo principe, aut à republica quoad eos, quibus id ipsa commisit, lata est, iuxta ea quæ suprà in principio huius disputationis explicata sunt. Altero verò modo latè, prout statuta prælatorum, summo pontifice inferiorum, legatorum summi Pontificis consiliorum prouincialium, regiminum particularium populorum, prout eis à republica, cuius sunt partes, aut à supremo eis reipublicæ principe, fuerit permissum, constitutiones etiam dicuntur suos obligantes subditos. Atque de vtrisque constitutionibus ecclesiasticis rectè Panormitanus. n. 1. citato ait, sermonem esse in eo titulo de constitutionibus in decretalibus, siue plus contineat nigrum, quàm rubrum eius tituli, hoc est, siue plus contineat textus, quàm scriptio eius tituli, quasi titulus solùm sit de constitutionibus summi Pontificis: siue non plus contineat vnum, quàm alterum, sed titulus sit de constitutionibus latè, tam videlicet summi Põtificis, quàm inferiorum sub eo potestatum. Dicta autem est constitutio, à con, id est simul, & statuo, quasi statutum de consilio aut consensu multorum lata. Interdum verò constitutiones, seu statuta lata ab inferioribus à principe, leges etiam particulares populorum, communitatum, aut potestatum principe supremo inferiorum dicuntur, tamersi rarò, sumptoque legis vocabulo latiùs, quàm à nobis sit sumptum, & quàm communiter sumatur.

Tertium est. *Modestinum l. legis virtus. ff. de leg. 16.* sic dicere: *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire.* Hæc verò quatuor non competunt legi in priori acceptione paragrapho præcedenti explicatæ; quia nulli singulari ac indiuiduæ legi illa quatuor competunt; sed competunt legi in posteriori acceptione ibi explicatæ, prout lex dicitur collectio multarum legum ad eundem finem ordinatarum: legi enim ita sumptæ, quoad diuersas singulares ac indiuiduas leges, quas continet, competunt illa quatuor, vimve habet præcipiendi, vetandi, permittendi, ac puniendi, diuersis singularibus legibus. Tametsi vna lex, præcipiendo aut vetando aliquid sub certa pæna, habere simul possit vim præcipiendi ac puniendi, vel vetandi: sed tunc ea lex duas quasi partes habet, quarum vna præcipit aut vetat: altera verò pænam transgressoribus statuit, eamque ita statuendo punit. Præcipere autem interdum sumitur latè, pro eo, quod est præceptum ferre siue affirmatiuum, siue negatiuum, quo pacto sub se comprehendit vetare, hoc est, præcipere ne aliud fiat: interdum verò sumitur presbę, vt à vetare distinguitur, nempe vt est aliquid fieri præcipere, quo pacto solùm se extendit ad præcepta affirmatiua. Atque hoc posteriori modo sumpsit Modestinus præcipere in ea lege. Porrò lex non solùm vetat, quæ mala in se sunt, quod naturali legi conuenit; sed etiam vetando, efficit interdum id malum, si fiat, quod secluso ea prohibitione malum in se non erat: id quod positiua humana lex habet. Sicut è contrario non solùm lex præcipit, quod in se bonum est necessarium vt fiat ad vitandam culpam, quod similiter naturali legi competit; sed etiam præcipit, quod, secluso eo præcepto, non erat bonum necessarium vt fieret: id quod similiter positiuæ humanæ legi conuenit, vt hęc omnia tractatu 1. Disput. 4. explanata sunt.

Permittunt verò interdum leges nonnulla 26

ex rationabili aliqua causa, quæ, cùm mala in se contra ius naturæ sint, ipsæ tamen nec ea prohibent nec puniunt, nec punire aut etiam impedire publicis potestatibus seu reipublicæ sinunt. Sicut lupanaria publica, & fornicationes in eis, iura ciuilia & canonica permittunt, ad maiora mala vitanda, & quia impossibile est homines, attenta eorum multitudine & fragilitate, ab omni omnino fornicatione cohibere. Vnde nefas est potestatibus publicis lupanaria aut fornicationes in illis punire, aut impedire existentibus eis legibus earum permissiuis: quin & iura ciuilia actionem meretricibus publicis concedunt ad pretium ipsis debitum pro actu fornicario cum ipsis iam habito.

Similiter Cæsareæ leges, & huius regni, ac Lusitani, marito permittunt interficere impunè vxorem suam & adulterantem cum illa in adulterio ab ipsomet deprehensos, vt tractatu 3, Disput. 7 & 89 dictum est, idque propter rationes Disput. 7 citata traditas. Lex quoque vetus Deuter. 24 permittebat mariti vxores dimittere dato illis libello repudii, ne ex illarum retentione maiora mala in carnali illo populo sequerentur: quod ob duritiam cordis eorum ait Christus Matth. 19. & Marci 10 Moysem illis permisisse: & multi intelligunt, alibique est disputandum, non quasi licitum id tunc effectum lege illa esset, sed permissum ad vitanda maiora mala. Id verò Christus locis citatis & Lucæ 16 prohibet, dicens à principio non fuisse sic. Quando autem iura similes res ita permittunt, quamuis ea ex parte, qua id impunè permittunt, nec præceptorum nec subinde legum propriè rationem habeant comparatione eorum, quibus id ita permittunt, quoniam nihil illis facere aut non facere præcipiant; cùm tamen de ratione præcepti ac legis sit aliquid præcipere facere aut prohibere; comparatione tamen publicarum potestatum rationem habent præceptorum ac legum, quatenus eis præcipiunt ea nec punire nec impedire.

Quo ad illam verò aliam quartam vim legis, hoc est punire, pœnas pro delictis statuendo, easque infligi præcipiendo, est obseruandum, leges ciuiles pœnales, quatenus pœnas statuunt, easque delinquentibus infligi præcipiunt, non habere rationem præceptorum ac legum propriè loquendo comparatione malefactorum, quibus infligi præcipiuntur, sed comparatione potestatum, quibus eas malefactoribus infligere præcipiunt.

27 Vtrùm autem inter vires legis connumerandum etiam sit præmia aliquid efficientibus proponere; quod interdum leges efficiunt, tametsi longè rariùs, quàm pœnas malefactoribus statuere ac decernere. Credo affirmanter esse respondendum. Modestinus verò licèt illa quatuor asseruerit esse virtutes legis; non tamen negauit ad alia legum vires se etiam extendere. Dici quoque potest, ex vi ad puniendum reliquisse intelligendam vim simul ad præmiandum: cùm ad quem pertinet pœnas pro delictis statuere ac præcipere, pertineat quoque statuere ac præcipere præmia tribui in aliquibus euentibus, quando id expedit vt ita præcipiatur. Ad hanc Modestini legem, quæ de pœna & non de præmio meminit, attendens Rex Alfonsus. *l. 3. titu. 1. part. 1.* statuens bonos præmiis esse afficiendos subiunxit: *Enos el Rey don Alonso viendo que en los otros libros; que llaman de derecho, dan escarmiento por los males que fazen, è no merecimiento por los bienes, por esto tuuimos que era razon de mandar poner en este libro tambien gualardon, como escarmiento.* Ibidem tamen Greg. Lopez glossa vltima multa iura communia citat, in quibus præmia sunt statuta, iuxta ea, quæ proximè dicta à nobis sunt. Leges autem quæ præmiis afficere pro aliquibus rebus bene gestis præcipiunt, rationem præceptorum ac legum propriè non habent comparatione eorum, quibus ea præmia proponuntur, sed eorum comparatione, qui eis præcipiuntur præmiis alios in eis euentibus afficere, vt de penalibus legibus dictum similiter est. *Lex. 5. titu. 1. part. 1.* plures virtutes legis commemorat. Eam legito.

Isidorus. 4. Ethim. c. 19. contrarius non est Modestino, dum sic dixit: *Omnis lex aut permittit aliquid, vt vir fortis præmium petat; aut vetat, vt sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat; aut punit, vt qui eadem fecit, capite plectatur.* Nomine enim permissionis, vt *Sotus. 1. de iust. q. 2. art. 2.* probè adnotauit, iurisconsultorum more, præcepta etiam affirmatiua comprehendit, & quicquid prohibitum non est efficere, vt ex illo exemplo ab Isidoro adhibito, *vt vir fortis præmium petat*, satis apertè constat. Eodem modo sumptum fuit permissionis verbum. *l. leges sacratissimæ. C. de legib.* dum sic ibi scriptum legimus: *Leges sanctissimæ, intelligi ab omnibus debent, vt vniuersi, præscripto earum manifestius cognito, vel in habita declinent, vel permissa sectentur.*

Inter vires legis possumus etiam computare, 28
legem vnam interpretari aliam, aut eam limitare ac mitigare, vel illam abrogare ac tollere omnino vel ex parte. Atque leges superuenientes, quibus hæc circa alias fiunt, vim præceptorum atque legum habent, saltem quo ad potestates publicas, vt illis aliis legibus in iudicando, atque in aliis exequutioni mandando, vel omnino non vtantur, vel non nisi iuxta interpretationem, moderationem, ac dispositionem posteriorum legum.

Quod ad consilia attinet, dicendum est, ea 29
neque legum neque præceptorum rationem habere, sed esse ab illis distincta omnino. Leges enim ac præcepta vim eos obligandi, quibus traduntur, habent: consilia verò non item, quin potiùs in hoc à legibus & præceptis distinguuntur, quòd consilia minimè ad id, quod eis consulitur, obligent, sed integrum iis, quibus traduntur, relinquent adimplere vel non complere, vt ipsi maluerint. Cæterùm alienum non est à lege in posteriori acceptione suprà explicata, vt scilicet collectio multarum legum, ad aliquem finem pro aliquo statu attinentium, lex dicitur, consilia in ea permiscerì ad eundem finem meliùs obtinendum, atque ad exactiorem ac meliorem obseruationem legum ad eundem finem in ea laturum, non parum conducentia. Atque lex ita sumpta,

in

in qua consilia prædictis rationibus præmis- A centur, lex dicitur, non à consiliis, quæ simul continet & in ea permiscentur, sed à præceptis ac legibus quas continet. Sic in lege euangelica consilia etiam tradi, verè dicitur ac affirmatur. Qua ratione *diuus Th.1.2.q. 108.* quæ postrema est de legibus, inter contenta in lege noua, consilia commemorat, de eisque eo loco *art. vlt.* disserit, *&.q.99.art.5.* quædam etiam alia consilia in veteri lege tradita commemorat, quale est illud Exodi 22: *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.*

30 Illud est obseruandum. Sumpta lege seu constitutione latè, vt etiam constitutiones inferiorũ B summo Pontifice suo ambitu comprehendit, quasdam esse leges, seu constitutiones, ac regulas inferioribus traditas, quæ quatenus ex præscripto eas ferentium ad nullam culpam subditos obligant, vt eos magis à peccatis præseruent, atque ad perfectionem immunes magis à culpa suauiùs ex caritate illos promoueant, rationem omnino ac plenè legũ ac præceptorum non habent, sed solùm ex parte, quatenus verè sunt suorum superiorum ea in re Dei locum tenentium, quique arctiùs possent eadem ipsis præcipere, sed ex prædictis causis nolunt. Cùm tamen integrum sibi relinquant, ad meliorem earundem constitutionem ac re- C gularum obseruationem, & vt illos efficaciùs, ad perfectionem eis promoueant, regularisque disciplina meliùs custodiatur ac conseruetur, pœnitentiis certis ac pœnis illos afficere, qui eas non seruauerint, transgressiue fuerint, idque pro potestate quam in ipsos ad id habent. Sic in nostra societate nullæ constitutiones ac regulæ, à fundatore autoritate summi Pontificis, approbanteque ipsa Societate, aut postea à Societate ipsa eadem autoritate latæ, nullumq; præceptum à superioribus subditis impositum, ad vllam culpam etiam venialem ex præscripto eiusdem Societatis subditos obligat, nisi ad id ex natura ipsa rei, secluſa ea constitutione, regu- D la, ac præcepto, sub culpa teneantur; vel nisi de re sit ad substantiam votorum, prout in constitutionibus substantialia eorum votorum explicata sunt, attinente; vel nisi superior in virtute sanctæ obedientiæ significet se id præcipere, aut sub excommunicationis pœna, quod quàm rarissimè in nostra Societate fit. Qui tamen religiosus, ductus quòd societas & superiores non intendant eis ad culpam obligare, illas transgrederetur, sanè indignus esset religiosi nomine, & non solùm ab ingenti merito progressuque in perfectione se ipsum sua culpa priuaret, sed etiam obstaculum maximum Dei donis, supernaturalibus Dei auxiliis, diuinò E lumini ac consolationibus ea ratione apponeret, expositusque grauissimo periculo longè maioris ruinæ spiritualis, in siccitate ac cæcitate ambularet. *Ad quem*, inquit Dominus Isaiæ 66, *respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Atq; precum & orationis spiritus coniunctus esse solet cum perfecta obedientia & mortificatione: ab spiritu verò orationis multum pendet progressus in perfectione, soliditasque in virtutibus, vt homo non facilè ruinæ graui spirituali sit expositus.

His tam multis tota hac disputatione explanatis, facilius explicabimus ac definiemus quid sit lex. *Castrus.1.de leg.pœnali,c.1.* reliquas aliorum definitiones, vt defectuosas minusq; aptas, rejiciens, sic legem non omnem, sed solam humanã, definit: *Est recta voluntas eius, qui vicem populi gerit, voce aut scripto promulgata, cum intentione obligandi subditos ad parendum illi. Nauarrus in Commentario.c. fraternitas.a.num.4.* qui in fine suorum consiliorum habetur, inter alia hanc definitionem redarguit. Primò, quòd legem dicat esse actum voluntatis: cùm diuus Tho. & doctores communiter asseuerent esse actum intellectus præuio actu voluntatis, nosque suprà id satis perspicuè aduersus Castrum ostendimus. Secundò, quòd non comprehendat legem à populo latam, de qua *Isidorus.5.Etym .c.10.* & habetur. *c.1.Dist.2.* nosq; suprà de ea loquuti sumus. Tertiò, quòd non comprehendat legem consuetudinariam, hoc est, consuetudinẽ, quæ legis vim habet, de qua *Isid. 5. Etym. c.3.* & habetur. *c. consuetudo. dist. 1.* cùm tamen lex humana sit, & non diuina. Ea tamen vim legis habet ex dispositione potentis condere legem in ea republica, qui vt legem vult eam seruari in ea republica eo ipso, quòd ita sit introducta. De ea verò in progressu huius materiæ erit nobis sermo. Quartò, quòd ea definitio consilia non comprehendat. Immeritò tamen in eo Castrum reprehendit. Cõsilia enim leges non sunt, vt suprà fuit explanatum, estò vniuersim hominibus, & non vni aut alteri, ac permanẽter sint lata, vt euangelica consilia tradita sunt. Neque lex euangelica quo ad illa, illorúmve ratione, lex dicitur, sed quia continet alia, quæ verè sunt leges, vt suprà etiam explanatum fuit.

Diuus Th.1.2.q.90.art.4. in fine corporis eius articuli hanc tradit definitionem legis in genere: *Est rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Eam amplectuntur *Nauarrus vbi suprà.num.8. Sotus.1. de iust.q.1.art.1.* & plerique alii. Sotus verò magis eam definitionẽ explicando, particulæ, *rationis ordinatio*, addit, *& præceptio*: in quo à Nauarro dissidet, & à ratione legis consilia excludit, quæ Nauarrus in ea diui Thomæ definitione comprehendi autumat. Ordinatio autem & præceptio intellectus, præuium actum voluntatis ad intellectu ordinandum ac præcipiendũ supponit ac includit, vt doctores citati cum diuo Thoma affirmant. Loco autem eius partis definitionis diui Thomę; *ab eo, qui curam communitatis habet*; apponit Sotus, ab eo, qui curam reipublicæ gerit: quasi nomine communitatis intelligat diuus Thomas non quamcunque communitatem, sed rempublicam integrã. Ea statuta enim & constitutiones lata à curam gerentibus earum communitatum, quæ respublicæ integræ non sunt, sed partes duntaxat integræ reipublicæ, non dicuntur leges, nisi admodum latè ac inusitatè sumpto vocabulo, sed constitutiones ac statuta vocantur, vt suprà explanatum fuit. Nomine autem eius, qui curam communitatis seu reipublicæ habet, etiam rempublicam ipsam, qui sui curam habet, intelligit diuus Thomas, vt constat. q.90. citata art.3. Intelligit etiam Deum & Christum vt hominem, qui cunctarum rerumpublicarum dominium ac curam habẽt.

Vt autem accommodatè ad diui Thomæ definitionem paulo accuratiùs, iuxta hactenus tota hac disputatione explanata, legem definiam, præmitto. Legem propriè solùm dici comparatione subditorum mente liberoque arbitrio præditorum, quibus ea proponitur ac statuitur ab habente iurisdictionem illorum comparatione ad ea illos astringendum ac obligandum. Hinc quamuis lex Dei incommutabilis ac æterna, sumpta latissimè, iudicium Dei æternum, minimeque in eo liberum, sed naturale comprehendat, quo nostro intelligendi modo cum fundamento in re ante vllum actũ liberum suæ voluntatis ipsamet rei natura nouit ac iudicauit, quid esse rectum, quidque turpe & à recta ratione dissonũ, vt ab ipsomet fieret, aut esset volitũ, quod proinde ea ratione contradictionem impleat ab ipso fieri, aut esse volitum, vt suprà dictum est; id tamen iudicium legis rationem non habet. Tum quia non est superioris comparatione inferioris, sibique subditi. Tum etiam quoniam præuenit omnem actum diuinæ voluntatis: lex autem est actus intellectus præuio actu voluntatis legislatoris, quo id intellectu & actu vlterioris externo imperat subditis. Quia etiam ratione cognitio ac iudicium Dei naturale actum liberum suæ voluntatis præueniens, quo nouit, ex iis quæ de iure sunt naturali, quædam ex natura ipsa rei esse necessaria vt à creaturis libero arbitrio præditis ad culpam vitandam fiant, & quædam vt ad culpam similiter vitandam ab eis non fiant, ex hypothesi quòd illas creet, itemque iudiciũ naturale actum suæ voluntatis etiam præueniens, quo iudicat eis de rebus debere illis leges imponi, ex hypothesi quòd eas creet, sanè rationem legis non habent: quoniam nondum sunt leges ac præcepta eis de rebus illis lata, sed sunt notitiæ præuiæ ad actu voluntatis & intellectus eis de rebus illis leges iuris naturalis ferendis.

Ex illo eodem fundamento leges, quas Deus eadem æterna sua lege per determinationem liberam suæ voluntatis quo ad illarum in tempore exequutionem, atque adeò sua prouidentia, rebus libero arbitrio minimè præditis, ac rebus liberis quoad ea, quæ arbitrio ipsarum libertatis non subiacẽt, statuit, leges non sunt, nisi per similitudinem & attributionem ad alias simpliciter ac verè leges, quibus res libero arbitrio præditæ ad aliqua à suis superioribus ritè astringuntur. Sicut enim obedientia, qua res libero arbitrio non præditę, Dei ordinationibus circa ipsas obediunt, illas non transgrediendo, sed illarum sequendo ductum, non est obedientia nisi per similitudinem & attributionem ad obedientiam, qua res libero arbitrio præditæ, legibus ac præceptis ipsis legitimè à suis superioribus impositis se accommodant ac parent: ita neque leges & præcepta illa Dei, rebus libero arbitrio nõ præditis imposita, sunt simpliciter leges & præcepta Dei, sed per similitudinem & attributionem ad præcepta, quæ rebus libero arbitrio præditis ritè à suis superioribus imponuntur.

Quemadmodum autem leges & præcepta, quæ Deus rebus libero arbitrio non præditis sua æterna lege ac prouidentia imposuit, eiusdem rationis non sunt cum legibus & præceptis ritè à suis superioribus rebus libero arbitrio præditis impositis: sic nec imperium, quo Deus rebus libero arbitrio non præditis eis legibus ac præceptis imperat, eiusdem rationis est cum imperio, quo superiores rerum libero arbitrio præditarum illis aliis legibus ac præceptis ipsis impositis imperant. Imperium quippe, quo Deus rebus libero arbitrio non præditis imperat, nõ est aliud, quã determinatio libera ac efficax voluntatis ipsius, qua, præuidens quibus viribus, instinctibus, ac mediis necessitate naturæ actæ hoc vel illo modo operabuntur, atque ad hos vel ad illos fines deuenient, ex æternitate statuit pro tali vel tali tempore eas illis dare, vt illo operarentur modo, & vt ad eos fines eis mediis deuenirent. Et quoniam aduenìente tempore, pro quo ea determinatione suæ volũtatis statuit per se ipsum immediatè, aut interuẽtu aliarum causarum secundarum, illa eis dare, continuò ex ea determinatione suæ voluntatis efficacis pro eodem tempore emanarunt, inde, sine alio sermone, aut imperio intellectus, per metaphorã ac similitudinem ad verum imperium per sermonem ac verum iussum, cui cõtinuò obeditur, efficax illa determinatio voluntatis diuinæ, per quam cognitio illa alia prę uia diuini intellectus completur in ratione prouidentiæ ac gubernationis diuinæ circa easdem res, vt. 1. part. q. 22 fuit explanatum, Dei imperium circa ea ipsa dicitur: sicque metaphoricus est ille sermo Gen. 1: *Fiat lux, & facta est lux*, &c. Psal. 32: *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* Et ad Rom. 4: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, vt in Concordia. q. 23. art. 1. Disput. 2. hæc explanata comprobataque sunt. Imperium verò, quo siue Deus, siue superiores alii infra ipsum, per veras leges ac præcepta rebus libero arbitrio præditis imperant, non est metaphoricum, sed est verum imperium, & vera iussio, qua sermone imperatiuo, qui actus est intellectus præuia libera voluntate ita imperantis ac accipientis elicitus, atque vlteriùs sermone externo vocabuli, aut scripto, quo eadem iussio subditis intimatur ac nota fit, illis verè imperatur ac præcipitur.

Hinc legem, non sumptam in posteriori acceptione suprà explicata pro collectione multarum legum ad eundem finem attinentium, sed sumptam in priori pro singulis indiuiduis legibus ac præceptionibus, sic possumus definire: *Est imperium seu præceptio* à suprema ad id potestate in republica *permanenter lata ac promulgata, non vni aut alteri, sed omnibus, aut simpliciter, aut ad quos id pro eorum conditione, loco, tempore, ac aliis circumstantiis seruare spectat, & acceptata, quando, vt vim habeat, acceptatione indiget.*

Per particulam, *imperium seu præceptio*, rejiciuntur à ratione legis consilia, & quicquid præceptum latè sumptum non est. Nomine verò ordinationis intellectus, idem, quod imperium seu præceptionem, diuus Thomas in sua definitione intellexit, vt Sotus rectè exposuit. Definitio autem legis à nobis tradita, si verba in ea propriè intelligantur, solùm conuenit legi omni propriè sumptæ, vt comprehendit omnem talem legem, siue

diuinam

diuinam siue humanam : non verò conuenit legi minùs propriè sumptæ & per similitudinem ad veram ac propriam legem. Quòd si ad illam extendenda sit defensio, nempe ad legem Dei æternam comparatione creaturarum libero arbitrio non præditarum, tunc imperium in ea definitione sumendum est latè, vt ad imperium per similitudinem ac metaphoram, quo Deus eiusmodi rebus imperare dicitur, se se extendit. Nomine item reipublicæ in ea definitione intelligi etiam debet hoc totum vniuersum quoad creaturas omnes, quibus constat. Et nomine promulgationis intelligi etiam debet productio creaturarum & collatio actualis virium illis ad suos fines à Deo datarum, & reliqua eius definitionis admodum impropriè ad eam legem ac creaturas libero arbitrio non præditas etiam extendenda.

Per particulam, *à suprema ad id potestate in republica lata*, excluduntur à ratione legis presse & propriè sumptæ, constitutiones ab inferioribus potestatibus in republica latæ, vt constitutiones legatorum summi Pontificis, Episcoporum, conciliorum prouincialium, constitutiones capituli in ecclesiis cathedralibus ad collegiatis, statuta oppidorum, & similes aliæ constitutiones. Qui autem sint, qui in rebus publicis potestatem ad leges condendas habeant, suprà explicatum fuit.

Per partem verò illam definitionis, *permanenter lata ac promulgata, non vni aut alteri, sed omnibus*, &c. rejiciuntur à ratione legis præcepta omnia, quæ leges & constitutiones non sunt. Nisi enim permanenter ferantur, & non alicui aut aliquibus duntaxat, sed modo suprà explicato, leges & constitutiones non sunt, sed sunt præcepta à legibus & constitutionibus distincta.

Dicitur, *lata ac promulgata*: quoniam nisi lex subditis promulgetur, vim obligandi non habet illorum comparatione, ac proinde nec rationem pœnam legis habet. Vnde lex Dei æterna, etiam quoad præcepta iuris naturalis, rationem legis simpliciter comparatione creaturarum mente præditarum non habuit, vt illas astringeret ac obligaret quo vsque illæ extiterunt, illisque, saltem notitia naturali, fuit nota ac promulgata. Est verò notitia præceptorum legis iuris naturalis nobis indita, veluti actus externus legis internæ Dei naturalis, quæ nos obligat, quo à Deo ea sua naturalis lex quasi scripta est cordibus ac mentibus nostris, nobisque manifestata ac promulgata.

Denique in ea definitione addimus partem illam, *& acceptata, quando, vt vim habeat, acceptatione indiget* : quoniam vt suprà explanatum fuit, reliquæ sunt leges, quæ non priùs vim obligandi habent, ac proinde neque integram rationem legis, quàm acceptentur.

Legem diuinam sic possumus definire: *Est imperium seu præceptio à Deo, etiam vt homine, permanenter lata ac promulgata, non vni aut alteri, sed omnibus, aut simpliciter, aut ad quos id spectat.* Legem verò humanam sic possumus definire: *Est imperium à suprema ad id potestate in republica, quæ purus homo sit* (aut qui puri homines sunt, si à multis sit lata) *permanenter lata ac promulgata, non vni aut alteri, sed omnibus, aut simpliciter aut ad quos id pro eorum conditione, loco, tempore, ac aliis circunstantiis seruare spectat, & acceptata, quando, vt vim habeat, acceptatione indiget.* Constitutionem verò latè sumptam sic definire possumus: *Est imperium seu præceptio à potestate ad id permanenter lata ac promulgata, non vni aut alteri, sed omnibus, aut simpliciter, aut ad quos id pro eorum conditione, loco, tempore, ac aliis circumstantiis seruare spectat, & acceptata, quando, vt vim habeat, acceptatione indiget.*

Lex naturalis num indita nobis sit. Et quid sit in nobis. Et de synderesi & conscientia.

Disp. 47.

SVMMARIVM.

1. *Transitio ad disputationem de lege naturali.*
2. *Tribus modis lex naturalis ita appellatur.*
3. *Lex naturalis indita est mentibus nostris naturaliter, quæ triplici statu in nobis spectatur: primo est facultas ipsa naturalis intellectus nobis indita, secundum quam ad imaginem Dei conditi sumus, quæ appellatur synderesis vel conscientia.*
4. *Secundus status est, quando iam actu in nobis est quoad iudicia principiorum ac conclusionum moralium.*
5. *Tertius status est, quando manet quoad habitum ex iudiciis actualibus legis naturalis in nobis relictum.*
6. *Quamuis lex naturalis sit nobis indita quoad vim intellectus, ostendens nobis bona moralia sequenda & mala vitanda; nihilominus possumus facile multa ex illis ignorare, multa alia non certò cognoscere, quin & in varios errores circa multa incidere.*
7. *Leges naturalis & diuina de suscipiendo baptismo & similes vniuersim omnes astringunt, etiam amentes & pueros, sed ignorantes eas inuincibiliter, quod rationis vsum non habeant, excusantur à culpa illas non implendo.*

EXplicato quid & quotuplex sit lex, nunc de singulis in particulari est deinceps dicendum. Et quoniam de lege Dei æterna satis sunt, quæ disputatione præcedente sunt dicta; & circa legem statûs innocentiæ, itemque post peccatum ante legem scriptam, satis sunt etiam, quæ disputatione præcedente dicta sunt; maximè quoniam lex naturalis, quam includunt, communis etiam est legi scriptæ & gratiæ, de eaque primo loco sermonem facere aggredimur: & quoniam præcepta alia, quæ ad finem supernaturalem continebant, communia ferè sunt legi scriptæ & gratiæ, atque si quod aliud continebant, vel ali-

quod est discrimen in illis, vt continentur etiam in lege scripta & gratiæ, ex dictis disputatione præcedente atque ex dicendis circa leges scriptam & gratiæ intelligetur, solùm deinceps dicemus de reliquis legibus in particulari. Dicemus verò priùs de iis, quæ de iure sunt diuino: postea autem de iis, quæ de iure sunt humano. Et primo loco dicemus de ea, quæ de iure est diuino naturali. Tum quòd, vt disputatione præcedente explicatum est, in reliquis includatur. Tum etiam quòd ad finem naturalem felicitatis humanæ ordinetur: qui finis supernaturali fini, ad quem leges aliæ supernaturales ordinantur, subordinatur, ad illumque est prærequisitus ac necessarius.

2 Lex naturalis triplici ex capite naturalis dicitur. Primò, vt distinguitur à supernaturali lege, quales quoad multa præcepta erant lex status innocentiæ, lex status naturæ humanæ post peccatum ante legem scriptam, lex scripta, & est lex gratiæ, vt disputatione præcedente explanatum fuit. Secundò, vt distinguitur à lege positiua: quia videlicet lex naturalis est de obiecto, quod ex ipsamet natura rei habet, quod, vt virtus salua consistat ac vitetur culpa, ita præcipi aut prohiberi debeat, vt per legem præcipitur aut prohibetur, atque adeò, quòd præcipiatur aut prohibeatur, ex natura obiecti prouenit, & non ex voluntate ac libito legislatoris. Vnde de eo obiecto dici meritò consueuit, esse prohibitum quia malum, & non esse ex eo malum quia prohibitum; aut esse iussum quia bonum, necessariumque vt ita fiat, si virtus salua debeat consistere, vitarique debeat culpa, & non esse bonum, necessariumque vt fiat ad vitandam culpam, quia iussum, eaque de causa id obiectum ad naturale ius obiectiuè sumptum attinere dicitur, quia videlicet ex natura ipsa rei id habet, atque est tale, vt hæc omnia *tractatu 1. Disp. 4.* iuncta Disput. 3. antecedente, copiosè explanata sunt. Lex verò positiua ab arbitrio ac dispositione legislatoris eam ferre volentis pendet, ideoque positiua lex nuncupatur.

Estque de obiecto, quod non est malum antequam prohibeatur, neque bonum necessariũ, vt fiat ad vitandam culpam, & vt virtus non violetur, antequam præcipiatur: sed ideo est malum quia prohibitum, aut bonum necessarium vt fiat, quia iussum: quare prohibitio aut iussio illius non ab obiecto præuenit, (tametsi in illo, spectatis circunstantiis concurrentibus, esse soleat congruentia, vt præcipiatur, aut vt prohibeatur) sed à lege in ipsum deriuati, à voluntateque legislatoris pendet, quemadmodum id præcipere, aut prohibere, sic etiam tollere ab eo prohibitionem ac vim præcepti: vnde id obiectum non ius naturale, sed positiuum (sumpto etiam positiuo iure obiectiuè) dicitur ac est, quia non ex ipsamet rei natura est tale, sed ex dispositione legislatoris, vt hæc etiam omnia Disput. 4. citata explanata similiter sunt. Tertiò, eadem lex naturalis dicitur, quoniam naturalirer est indita mentibus nostris & angelorum, iuxta illud Psal. 4. vbi cùm Regius propheta illam multorum interrogationem retulisset: *Quis ostendit nobis bona?* ipse respondet: *Signatum (hoc est, inditum ac impressum) est super nos lumen vultus tui Domine*, quo scilicet naturaliter illud agnoscimus. Et illud Pauli ad Rom. 2. relatum ac explanatum disputatione præcedente, *& tractatu 1. Disput. 3. Cùm gentes, quæ legem non habent (* scriptam scilicet) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt eiusmodi legem (*scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum*, dum scilicet naturaliter eos docet, ipsisque præscribit, quid sibi faciendum sit, & quid eis sit vitandum. Atque iuxta illud Iob 38: *Quis posuit in visceribus hominis sapientiam?* illi nempe inditam, tam quoad speculabilia, quàm quo ad moralia.

De eiusmodi autem lege, quatenus hoc tertio modo nauralis dicitur, hoc est, nobis indita, est dubium, quid in nobis sit. Num scilicet sit potentia, an habitus, vel actus. Atque paucis est dicendum. In triplici statu posse illam in nobis spectari. Primò antequam vllum illius actum seu cognitionem ac iudicium habeamus, prout tamen vim habemus naturalem ad actus illius ex nobismet ipsis absque alterius instructione ac doctrina habendos ac elicendos, atque adeò prout iam est in nobis quoad actum & habitum, non formaliter, sed virtute ac velut in semine, vnde sine alio doctore ac instructore in nobis pullulabit ac orietur.

Lex autem naturalis in hoc statu spectata non est aliud, quàm facultas ipsa naturalis intellectus nobis indita, secundùm quam ad imaginem ac similitudinem Dei conditi sumus, ac proinde per quam, sicut Deus vi sui intellectus infinita ac illimitata omnia omnino cognoscit, sic nos per nostrum intellectum, qui participatio quædam est diuini, ad imaginem ac similitudinem illius conditus, acceptis ministerio sensuum speciebus intelligibilibus à rebus, tam in speculatiuis, quàm in practicis, quoad obiecta intellectui nostro commensurata, naturaliter ac sine vllo errore cognoscimus quædam prima principia per se nota, atque inde per ratiocinationem deuenimus in notitiam conclusionum, quæ ex illis euidenter deducuntur, quæque ita ex natura ipsa rei esse habent. Eiusmodi autem principia & conclusiones in moralibus, quæ naturaliter ita cognoscimus, lex sunt naturalis, de qua nobis hoc loco est sermo: quæ proinde virtute & quasi in semine scripta est in cordibus nostris eo ipso, quòd ad imaginem & similitudinem Dei intellectu præditi sumus.

Formaliter verò ac actu depingitur ac scribitur naturaliter in cordibus seu mentibus nostris, dum comparatis speciebus à rebus, notitias seu iudicia horum principiorum euidentia naturaliter sine alio doctore ac instructore comparamus, & ex illis postea eodem lumine intellectus conclusiones deducimus: multæque sunt conclusiones in moralibus ex primis principiis deducibiles, quæ lumine intellectus in se sunt nobis euidenter cognitæ, estò ex

suis

suis principiis nesciamus illas deducere, aut A estò deducere illas simul ex eis sciamus, vt sunt venerandos esse parentes, homicidium non esse patrandum, adulterandum aut furandum non esse, & similes aliæ, quæ tamen ex aliis primis principiis moralibus deduci possunt. Hoc autem modo legem, de qua loquimur, esse naturaliter inditam ac scriptam in cordibus ac mentibus nostris, in ipsa scilicet met facultate intellectus virtute, quæ postea, acceptis duntaxat speciebus à rebus, naturaliter sine alio doctore in se ipsam eandem legem exprimit ac veluti scribit, aperte docuit Regius propheta Psal. 4, dum illi multorum interrogationi, *Quis ostendit nobis bona?* respondet: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, hoc est, inditus ac impressus nobis à te est intellectus, qui est lumen ad imaginem ac similitudinem luminis tui intellectus, per quod lumen, per quémve intellectum, sicut tu per tuum cuncta cognoscis, sic nobis ostendis ac doces bona, quæ agere debemus, & mala, quæ vitare debeamus.

Atque hac eadem ratione posuit Deus in visceribus nostris sapientiam, tum quoad speculabilia, tum etiam quoad moralia, iuxta testimonium ex Iob 38 citatum, scripsitque in cordibus nostris legem, iuxta relatum ex Paulo C ad Rom. 2. testimonium. Hæc eadem intellectus nostri potentia, luménve ad imaginem ac similitudinem luminis diuini intellectus nobis inditum, quatenus vi sua naturaliter actu cognoscit principia moralia & conclusiones, quæ ex illis deducuntur, ac proinde quatenus in moralibus iudicat ac discernit quid bonum & quid malum sit ac vitandum, eaque ratione ad bonum faciendum atque ad malum vitandum instigat, & quasi obmurmurat, pungit, ac interiùs reprehendit, dum, passione vincente, bonum voluntate deseritur, aut malum fit, synderesis nuncupatur, extendereque id possumus etiam, quando quid melius sit vi sua iudicat ac agnoscit. D

Appellatur item conscientia, quatenus illa eadem actu cognoscit, iudicat, ac discernit, siue vi sua naturali, siue vlteriùs aliunde edocta ac adiuta: quin & quatenus aliqua facienda aut vitanda erroneè iudicat, conscientia etiam nuncupatur; cæterum erronea ac deponenda quoad id erroneum iudicium. Sic Paulus in illo testimonio ad Rom. 2. citato, conscientiam appellauit intellectum habentem iam per cognitionem, actualem scriptam in se ipso naturalem legem, dicens; *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* 1. ad Cor. 10. *Propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam,* (qui scis illicitum tibi non esse comedere de immolatis idolis) *sed alterius* (qui existimat te transgredi tuam legem. Vnde subdit: *Vt quid* autem libertas mea qua id licite facio) *iudicatur ab aliena conscientia.* Alio etiam modo sumitur interdum conscientia, vt scilicet comprehendit etiam voluntatem, quatenus se conformat aut non conformat dictaminibus intellectus seu conscientiæ in priori acceptione sumptæ.

Sic eum qui se eiusmodi dictaminibus, conformat voluntate, atque iuxta ea operatur, consueuimus appellare hominem bonæ conscientiæ: contrà verò eum, qui ab eis voluntate ac operando discrepat, dicere consueuimus hominem malæ conscientiæ. Atque in conscientia hoc modo sumpta, quatenus à dictaminibus intellectus discrepat, culpa cernitur & peccatum. Hoc modo sumpsit conscientiam Paul. ad Rom. 13, dum dixit: *Ideoq; necessitate subditi estote* (potestatibus scilicet sublimioribus) *non solum propter iram,* (id est, pœnam iis, qui illis non paruerint, infligent) *sed etiam propter conscientiam*, id est ad culpam conscientiæ vitandam, quia scilicet ad id conscientia astricti estis. Eodem modo illam sumpsit 1. ad Timoth. 1. ibi: *Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona.* Et infrà: *Habens fidem, & conscientiam bonam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Et ad Timoth. 3. ibi: *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.* Et. 2. ad Timoth. 1. ibi: *Cui seruio a progenitoribus meis in conscientia pura.* Et ad Timoth. 1. ibi: *Coinquinata est eorum mens & conscientia.* Et ad Hebræ. 9: *Quæ* (scilicet munera & hostiæ veteris legis) *non possunt iuxta conscientiam* (id est, quoad conscientiam & interiorem hominem) *perfectum facere seruientem*, culpam videlicet ab eo auferendo. Et infrà de longè excellentiori emundatione facta per Christum sic ait: *Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ asperſus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritum sanctum semet ipsum obtulit immaculatum Deo, emundauit conscientiam nostram ab operibus mortuis* (id est, à peccatis) *ad seruiendum Deo viuenti?* Et. c. 10: *Ideo quod nullam haberent vltrà conscientiam peccati, cultores semel mundati.* Et infrà: *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, asperſi corde a conſcietia mala.* Act. 23: *Ego in omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum*: Et. c. 24: *In hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper*: Et. 1. Petri 3: *Conscientiam habentes bonam*, &c.

Sumitur etiam tertio modo conscientia pro notitia eius, quod intra nos est, siue bonum siue malum, hoc est, pro eo, quod conscii de nobis sumus, vel etiam de aliis. Gen. 43: *Non est in conscientia nostra, quis posuerit eam in marsupiis nostris.* Ecclesiastes 7: *Scit conscientia tua, quin & tu maledixisti aliis.* Ad Rom. 9. *Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, &c.* 2. Cor. 1: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conuersati sumus*, &c. c. 4: *Commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo.* & c. 5: *Deo autem manifesti sumus. Spero autem & in conscientiis vestris manifestos nos esse.* Iob 16: *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelso.* Et. 1. Cor. 4: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.*

Ex triplici itaque ſtatu, in quo dicebamus legem naturalem poſſe in nobis ſpectari, tempus hactenus explicatis (tametſi nequiuerimus illam explanare, niſi ſimul permiſcendo aliquid de ſecundo) eſt, quatenus ea lex in nobis eſt, non quidem iam formaliter ac actu, ſed virtute ac veluti in ſemine, vnde, ſumptis ſpeciebus intelligibilibus ab obiectis naturaliter abſque alio doctore pullulabit ac comparabitur. Lex naturalis hoc modo ſpectata, neque eſt actus, neque habitus, ſed eſt ipſamet potentia intellectus, vt explanatum eſt. Hoc autem modo eſt lex naturalis, etiam in pueris antequam ad vſum rationis deueniant, & in fatuis, qui nunquam rationis vſum habuerunt, cæterùm impedita ratione in diſpoſitiones organorum virium internarum ſentientium, ne inde in actu emanare poſſit. A

4 Secundus verò ſtatus, in quo lex naturalis ſpectari in nobis poteſt, eſt, quando iam actu ac formaliter in nobis eſt quoad iudicia ac dictamina principiorum ac concluſionum moralium, quæ modo explicato lumine intellectus ſine alio doctore naturaliter comparantur: quo pacto ſpectata propriiſſimè habet rationem legis naturalis ſcriptæ in cordibus noſtris. Et quo ad illam ait Paulus ad Rom. 2. *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*; quid ſcilicet illis faciendum ſit, & à quo abſtinere ac fugere debeant. Quòd autem eo modo ſpectata propriiſſime lex ſit, non verò ratione nuda potentiæ intellectus, qua, modo explicato, naturaliter comparatur, vel ex eo conſtat, quòd eo modo ſpectata iudicia rationis ſit ac dictamina, quid faciendum aut vitandum ſit præſcribentia, quod ad legem ſpectat. Sunt verò huiuſmodi iudicia ac dictamina intellectus, velut actus exteri legis Dei æternæ, qua id facere aut vitare præcipit, à qua dictamina illa rationem legis Dei ac præcepti Dei habent: ſicut lex vocalis ac ſcripta principis ab interna eiuſdem principis lege, quam ſubditis exprimunt ac intimant, rationem legis habent. Quando autem mens ab eiuſmodi iudiciis ceſſat, non manet quidem lex naturalis hoc modo ſpectata à nobis; manet tamen primo modo atque etiam tertio mox ſubjiciendo ſpectata. B

Tertius verò ſtatus, in quo lex naturalis 5 ſpectari à nobis poteſt, eſt, quando manet quo ad habitum ex iudiciis ac dictaminibus actualibus legis naturalis in nobis relictum. In primis enim in memoria noſtra ex notitiis etiam extremorum eiuſmodi iudiciorum, quàm eorundemmet iudiciorum, manent ſpecies ac veluti veſtigia quædam inde in ea in modum habitus relicta, quibus eorundem iudiciorum ac dictaminum recordamur, eaque in memoriam in actualémve illorum recordationem reuocamus, vt alibi non ſemel explanatum à nobis eſt, dum de memoria, ſpeciebuſque ad recordationem inſeruientibus. 3. de anima ac 1 parte habitus à nobis eſt ſermo: quibus in locis oſtendimus, eiuſmodi ſpecies, in memoria ad id reſeruatas, alterius rationis eſſe ab ſpeciebus impreſſis, quibus primò notitias rerum comparamus. Deinde verò ex eiuſmodi iudiciis ac dictaminibus, habitus in nobis generantur ac permanent tranſeunte actu & aſſenſu eorundem iudiciorum, quibus habiliores ac promptiores reddimus ad iterum illis aſſentiendum, non ſolùm quando iudicia ſunt concluſionum ex principiis deductarum, in quo omnes conſentiunt, (illi enim ſunt habitus ſcientiæ) ſed etiam quando ſunt ipſorummet primorum principiorum, ſiue illa ſpeculatiua ſint, ſiue practica ac moralia, vt ad Ariſtotelem oſtendimus. Lege quæ 1. part. q. 1. art. 3. Diſput. 3. & in Concordia in editione Antuerpienſi, q. 14. art. 13. Diſput. 38. dicta à nobis ſunt. C

Lex naturalis, hoc tertio modo ſpectata, neque eſt potentia, neque actus, ſed habitus, vt ex ſe ſatis liquet. Manet verò quoad hunc tertium ſtatum in iis, qui in ſecundo ſtatu illam habuerunt, & ceſſarunt ab actu, vt in dormientibus, in phreneticis, & in iis, qui de illa, cùm impediti ad id non ſint, actu de illa non cogitant. D

Circa hactenus dicta obſerua, quamuis lex 6 naturalis ſit nobis indita quoad vim intellectus; quæ eſt lumen quoddam ad imaginem & ſimilitudinem luminis diuini intellectus, modo hactenus explicato oſtendens nobis bona moralia ſequenda, & mala illis contraria vitanda ac fugienda, ita vt naturaliter abſque alio doctore eo lumine poſſimus illa agnoſcere; nihilominus facilè nos (maximè poſt innocentiæ ſtatum amiſſum) poſſe multa ex illis ignorare, multa alia non certò, ſed opinatiuè cognoſcere, quin & in varios errores circa multa eorum incidere. E

Id verò euenire poteſt, tum quoniam licèt quædam ex principiis moralibus præuia ac euidentia omnibus ſint, circa illaque errare non poſſimus, ſed nobis euidenter ſint cognita; alia tamen ſunt, quæ, quoniam naturam extremorum, ex quibus conſtant, non penetramus, nobis non ſunt per ſe nota, aut certè non tam facilè, vt omnes ſtatim ac ſine diſcurſu, vel ſine inueſtigatione ac ſtudio, eorum veritatem agnoſcant ac penetrent, vt diuus *Thomas. 1. 2. q. 94. art. 2.* docet. Tum etiam quoniam in deducendis concluſionibus ex ſuis principiis, præſertim quando concluſiones remotè & ſubobſcurè ex principiis deducantur, facilè non ſolùm contingit opinari, ſed etiam errare. Tum præterea ob multam ad alia applicationem ac diſtractionem, & perexiguam applicationem ac ſtudium ad veritates morales indagandas ac ſciendas.

Tum denique ob ruditatem multorum, & quoniam paſſione facilè obcæcantur, ne verum agnoſcant, facileque ſimilitudine veri, quod falſum eſt, vt verum amplectuntur. Lege, quæ 1 *part. q. 1. art. 5.* dicta ſunt. His de cauſis contentus non fuit Deus optimus maximus ſola publicatione legis naturalis eam nobis indendo, ſed diuerſis temporibus ea etiam variis aliis modis hominibus promulgauit, maximè ad ſummam quandam præceptis decalogi redactam, vt diſputatione præcedente explanatum eſt.

Medina.

Medina.1.2.q.94.art.1. quærit, num pueri & amentes lege naturali teneantur ac obligentur, sed excusentur pro tunc ignorantia inuincibili à non obseruatione illius. Ipse affirmat eos nõ teneri lege naturali: quoniam, inquit, eadem ratione esse dicendum, pueros teneri lege diuina (& intelligere videtur positiua, vt præcepto baptismi) & humana; quod asserere, ait, falsum est. Et quoniam, inquit, iudicium de rebus agendis sumendum est de iis, quæ per se rebus contingunt: pueri autem per se sunt inhabiles & inepti ad cognoscendam legem, vnde nulla ratione ad eam tenentur. Secùs autem ait esse de absentibus, qui ignorant legem, quoniam id est per accidens, & ideo lege tenentur. Ego verò licèt de lege humana credam, pueros ante vsum rationis, atque adeò ante septimum expletum, ea non teneri, vt præcepto de carnibus nõ edẽdis diebus ab ecclesia prohibitis, præcepto audiendi sacrum diebus festiuis & confitendi semel in anno: quoniam ea est mens ecclesiæ in ferendis eis præceptis, ad ambiguitates & laqueos tollendos, num ante septennium expletum aliquis iudicium rationis habuerit: lexque de ieiunio ante expletum vigesimum-primum annum neminem astringat, neque lex de sumenda singulis annis sacram eucharistiam astringat ante pubertatis annos; arbitratur tamen legem naturalem, quin & diuinam de suscipiendo baptismo, & similes alias diuinas positiuas, omnes vniuersim astringere, etiam amentes & pueros, sed ignorantes eas inuincibiliter, quod rationis vsum non habeant, vel alia de causa, excusarià culpa illas non implẽdo. Ratio autem est, quoniam leges illæ omnibus vniuersim hominibus latæ ac impositæ sunt: non minus autem est per accidens in pueris, quatenus homines sunt, quòd in ea ætate nimia humiditate organorum virium sensitiuarum internarum vsum rationis nõ habeant, quàm quòd dormientes, aut phrenetici, vel alii qui vsum rationis, semel comparatum, amiserunt, vsu rationis careant: nemo autem dicet, dormientes, & freneticos, vel alios, qui vsum rationis amiserunt, non teneri legibus naturalibus ac diuinis positiuis, esto pro tunc excusentur ab illarum implẽtione.

A 7

B

C

D

E

Vtrùm lex naturalis sit vna, ac sit de omnibus virtutum actibus.

Disp. 48.

SVMMARIVM.

1. *Lex naturalis vna lex dicitur vnitate finis ac ordinis ad eum finem.*
2. *Quamuis non omnes actus virtutum omnium naturalium sub præcepto & lege cadant, sed multi eorum sint opera consilii, eatenus tamen ad legem naturalem pertinent, quatenus numen ipsum naturæ vel intellectus non minùs ad eum finem eos eliciendos docet, quam doceat efficiendos eos esse ad culpam vitandam, qui sub præceptum ac legem cadunt.*
3. *Leges humanæ aut diuinæ positiuæ efficiunt aliquid ad virtutem aliquam attinere tanquam necessarium, & efficiunt contrarium attinere ad vitium contrarium, quæ tamen secluſis illis legibus non eo modo ad eam virtutem, aut ad id contrarium, vitia attinerent.*

LEx autem naturalis licèt multas singulares ac indiuiduas leges contineat, quia tamen omnes ad vnum naturalem finem humanæ naturalis felicitatis ordinantur, collectio earum omnium vna lex dicitur vnitate finis ac ordinis ad eum finem, vt disputatione præcedente explanatum fuit. 1

Illud verò est obseruandum, actus virtutum omnium naturalium, quamuis non omnes sub præcepto ac lege cadant, sed multi eorum opera sint supererogationis ac consilii, ad meliùs ac perfectiùs felicitatem naturalem & per consequens supernaturalem etiam comparandam; eatenus tamen ad legem naturalem pertinere, sub eademque ea de re, quatenus lumen ipsum naturæ seu intellectus synderesisve, non minùs ad eum finem eos eliciendos præscribit ac docet, quàm præscribat, efficiendos eos esse ad culpam ac peccatum vitandum, qui sub præceptum ac legem cadunt: & quatenus tradere consilia ad eundem finem, ad eam totalem legem, vnam finis vnitate, spectat, ad quam pertinet leges ad eundem finem præscribere ac tradere: tametsi non ab eis consiliis lex dicatur, sed à præceptis seu legibus, quas cõtinet, vt disputatione præcedente hæc omnia explanata sunt. Imò verò eo ipso, quòd humanæ leges ac præcepta traduntur vel leges supernaturales à Deo, quamuis tales leges de iure naturali non sint, sed de iure humano, aut diuino supernaturali, lex tamen naturalis præscribit, docet, ac habet eis obediendum esse: quoniam illis suppositis ac latis, de iure naturali est, vt maioribus ritè imperantibus obediatur, vt disputatione præcedente ostensum quoque est. 2

Illud etiam obserua, leges humanas, aus etiam diuinas positiuas, efficere aliquid ad virtutem aliquam attinere tanquam necessarium, vt virtus illa salua consistat, & efficere contrariũ attinere ad vitium contrarium, quæ tamen secluſis illis legibus, non eo modo ad eam virtutem, aut ad id contrarium, vitium attinerent. Verbi gratia, lata lege humana ieiunii quadragesimalis, abstinere à carnibus, & semel tantùm comedere illis diebus, ita ad virtutem temperantiæ pertinet, & contrarium ad intemperantiæ vitium, vt sine eo neque virtus temperantiæ possit salua consistere, neque item virtus obedientiæ maioribus debitæ: cùm tamen, secluſa ea lege, neque vt temperantia neque vt obedientia salua consisterent, esset necessarium, neque contrarium ad intemperantiã & ad inobedientiam attineret. Similiter lata illa lege primis parentibus, ne de ligno vetito ederent, sanè abstinere ab eo cibo ad virtutem temperantiæ ac obedientiæ Deo debitæ fuit illis necessarium, comestioque illa de ligno vetito ad intemperantiam & ad inobedientiam attinuit. Ita posito præcepto ecclesiæ de obseruatione festorum, & diuino illo præcepto Dei positiuo legis veteris de obseruatione sabbathi, vtique obseruatio illorum præceptorum necessaria est 3

aut

aut erat, vt virtus religionis Deo debitæ, & vt virtus obedientiæ, ecclesiæ aut Deo debitæ, saluæ consisterent, transgressioque eorum præceptorum ad vitia virtutibus religionis & obedientiæ contraria pertinet, vel attinebat: cùm tamen, secluſa ea lege humana, aut diuina positiua, id non ita habet. Ratio autem est, quoniam ad temperantiæ virtutem pertinet, ab iis abstinere, in quibus recta ratio pro loco & tempore ac reliquis circunstantiis concurrentibus necessariò abstinendum iudicat: positis autem illis legibus, humana aut diuina positiua, id recta ratio lumenque ipsum naturæ docet ac præscribit. Similiter ad virtutem naturalem religionis pertinet, eum cultum Deo exhibere, quem recta ratio pro circunstantiis concurrentibus necessariò illi exhibendum iudicat: posita autem lege ecclesiæ de obseruatione festorum, aut diuina positiua quondam de sabbathi obseruatione, recta quoque ratio præscribit abstinendum iis diebus ab operibus seruilibus in cultum Dei necessariò esse, vt virtus religionis salua consistat, culpaque vitetur. Sicut etiam, posito præcepto ecclesiæ de sacro audiendo diebus festis, ratio naturalis docet eum cultum exhibendum Deo eis diebus esse, vt religionis virtus salua tunc consistat, & vt culpa vitetur. Vnde actus illi earum virtutum non sunt simpliciter de iure naturali, sed sunt de iure humano, aut diuino positiuo, estò ad virtutes naturales pertineant: cum hoc tamen addito diminuente, suppositis eis legibus humanis, aut diuinis positiuis, de iure naturali tunc est, vt fiat, si virtutes illæ naturales, apposita ea circunstantia eorum præceptorum positiuorum, saluæ debent consistere.

Vtrùm lex naturalis sit eadem apud omnes. Et num mutationem suscipiat, aut aboleri ab hominum cordibus possit.

Disp. 49.

SVMMARIVM.

1. *IVs naturale, tam obiectiuè sumptum, quàm sumptum pro lege naturali, est simpliciter idem apud omnes.*
2. *Sæpe fit, vt multa, quæ in se sunt iuris naturalis, non solùm à multis ignorentur, verùm vt etiam circa aliqua docti & timorati errent, idq; variis ex causis.*
3. *Frequenter fit, vt id quod sine aliis circunstantiis in se spectatum est de iure naturali, accedente circunstantia aliqua non sit de iure naturali, imò contrarium sit de iure naturali.*
4. *Lex naturalem mutationem non recipit.*
5. *Tres gradus eorum quæ sunt de iure naturali.*
6. *Lex naturalis nulla ratione potest ab hominum cordibus aboleri, prout est potentia intellectus, potest tamen aliquando aboleri per obliuionem & contrarium errorem.*

1 QVod ad primum attinet, dicendum est, vt tractatu 1. Disp. 4. ex parte fuit etiam à nobis explicatum. Ius naturale, tam obiectiuè sumptum, quàm sumptum pro lege naturali, esse simpliciter & absolutè loquendo idem apud omnes: in quo differt à iure humano seu positiuo, tam obiectiuè quàm pro lege sumptum: cũ enim ius humanum pro hominum feratur arbitrio, tametsi id sæpe, exigentibus circumstantiis concurrentibus, diuersis in locis est diuersum. Hoc voluit ac docuit *Aristoteles 5 Ethic. c. 7.* dum ius naturale sic definiuit: *Est, quod vtique eandem vim habet, & non quia videtur aut non videtur.* Hoc est, cuius obligatio oritur ex natura ipsa rei, de qua est præceptum ac lex naturalis, & non ex arbitrio ac voluntate præcipientis. Et quia res eandem naturam retinet in se apud omnes, idcirco ius naturale idem est, eandemque vim apud omnes habet. Est enim hoc discrimen valde animaduertendum inter ius naturale, & ius positiuum, siue humanum sit siue diuinum. Quòd obligatio iuris naturalis oritur ex natura ipsa obiecti seu rei, de qua est præceptum seu lex, indeque se in legem diffundit. Atque ea de causa dici consueuit, ea, quæ iuris sunt naturalis, prohibita esse, quia mala, & non ideo mala esse quia prohibita: & similiter in bonis, iussa esse quia bona & necessaria vt fiant, & non ideo esse bona, necessariaque vt fiant, quia iussa. E contrario verò obligatio iuris positiui oritur à præcepto ac voluntate præcipientis, indeque in obiectum deriuatur. Et ideo de iis, quæ iuris sunt positiui, dici consueuit, esse mala, quia prohibita, & non idcirco esse prohibita, quia in se mala: & similiter in bonis, esse bona necessaria vt fiant, quia imperata, & non idcirco imperata, quia in se bona necessaria vt fiant. Qua de causa meritò Aristoteles. 5 Ethic. c. 7. ea esse iuris positiui definiuit, quæ à principio, antequam lex statuatur, nihil refert, si eadē aliter fiant; postquam verò lex est lata, refert; quia videlicet eorum obligatio non oritur à natura rei præceptæ, sed à præcepto voluntateque præcipientis.

Dixi, ius naturale, etiam sumptum pro lege ac dictamine iuris naturalis; esse simpliciter & absolutè loquendo idem apud omnes, non quidem quasi omnes forment, calleant, ac præcipiant dictamina omnia ac leges iuris naturalis, aut quasi multi circa earum aliquas non errent, atque interdum inuincibiliter, ita vt à culpa quoad illarum transgressionem excusentur, vt circa contractus aliquos ex natura ipsa rei illicitos, quos inuincibiliter iniustos ac illicitos nõ arbitrantur: sed quoniam, si dictamen aliquod, seu lex aliqua, iuris sit naturalis, cùm id habeat ex sui natura, ex naturaque sui obiecti, sanè in quocunque intellectu posita est iuris naturalis, & ex se obligat eodem modo omnes, siue penetrentur, talisque esse intelligatur, siue non, imò estò circa existimationem, quæ de illa habeatur, inuincibiliter aut etiam inuincibiliter erretur.

2 Euenit verò malta, quæ in se iuris sunt naturalis, non solùm à multis ignorari, & quædam eorum etiam à doctis & timoratis, opinatiuè solùm cognosci, quin & circa aliqua non nullos, etiam doctos & timoratos, errare, idque variis ex causis. Primò, vt Disput. 47 dictum est, à multis ignorantur multa, quæ iuris sunt naturalis, ob sui ruditatem, & ob distractionem ac occupationem nimiam circa alia, exiguamque aut nullam applicationem ad illa inuestigandum, & saltem ad illa ab aliis

liis addiscendum. Quæ etiam in causa esse poterunt, vt circa multa erretur. Secundò multa ignorantur, & circa aliqua etiam erratur, propterea quòd multi vitiis sint dediti, & circa illa nimium affecti, obcæcatiq; ac contenebrati sint passionibus, qui in illis dominantur. Tertiò ex ea multa Ignorantur, & circa aliqua erratur, quòd earum veritas abstrusa nobis sit, difficileque à nobis penetretur atque ex suis principiis deducantur. Non solùm autem imperiti ea facilè ignorabunt, aut etiá circa ea errabunt, eo faciliùs, quo magis inter barbaros minimeque doctos ac pios commorentur: sed etiam doctos ac pios facilè eueniet eorum aliqua ignorare, quin circa illa, etiam inuincibiliter, errare. Sic facilè circa multos contractus erratur, quosdam ex ipsamet rei natura vsurarios, aut aliter iniustos, iustos reputando, & vt tales eos approbando: alios verò ex ipsamet rei natura minimè iniustos nec illicitos, iniustos reputando ac damnando. Quin & cùm difficilè poligamia illicita ex natura ipsa rei esse comprobetur ac contra bonum prolis, facilè nationes multę errare inuincibiliter circa illa potuerunt, arbitrantes illicitam eam non esse, hodieq; errare similiter circa illam inuincibiliter facilè poterunt nationes, quibus euangelii lux nondù illuxit. Atque quamuis facilè cuique sit notum, illicitum esse adulterium, quod in grauissimam iniuriam alterius coniugis perspicuè redundat, & ex quo facilè multa alia grauia mala possunt oriri, vt quotidiana experientia testatur; quia tamen difficilè ex suis principiis deducitur ac intelligitur simplicem fornicationem illicitam esse & contra bonum prolis, satis est probabile multos inuincibiliter ignorare posse, simplicem fornicationem illicitam esse, ac proinde eos à culpa lethali, ea inuincibilis ignorantia excusabit, vt Sotus. 1. de iust. q. 4. art. 4. & Med. 1. 2. q. 94. art. 4. inter alios rectè censet.

Hoc quoque aliud caput adiuuare multum potest, vt multa, quæ de iure sunt naturali, ignorentur, vel vt etiam circa illa facilè homines, estò docti sint, errent.

3 Quòd licèt id, quod sub aliquibus circunstantiis est de iure naturali, semper sub eisdem circunstantiis, & apud omnes, sit de iure naturali, siue ab eis intelligatur ac penetretur esse de iure naturali, siue non; nihilominus frequentissimè in moralibus euenit, vt id, quod ex se, spectatum sine aliis circunstantiis, est de iure naturali, accedente circunstantia aliqua nõ sit de iure naturali, imò contrarium sit de iure naturali. Vt quamuis de iure naturali sit reddere suum depositum ei, qui illud petit, quando nulla alia adest circunstantia, quæ id impediat, si tamen illud velit ad se ipsum vel alterũ iniustè interficiẽdũ, vt si depositum sit ensis, vel ad perniciem reipublicæ, de iure naturali est tunc, ea superueniente circunstantia, illud ei non tradere. Si itẽ depositum sit pecunia, & superueniat iudicis mandatum, vt ei non tradatur, tunc, aduenientе ea circunstantia, non est de iure naturali reddere illud ei, qui illud deposuit ac petit. Euenit etiam sæpe in moralibus, vt id, quod sub certis circunstantiis est de iure naturali, deficiente aliqua earum, aut superueniente circunstantia alia, desinat esse de iure naturali, & interdum, vt id non efficere, vel vt efficere contrarium, sit de iure naturali. Atque propter hanc varietatem, quæ ob diuersas circũstantias frequentissimè in moralibus euenit, & quia iudicium verum de rebus moralibus quàm sæpissime pendet ex variis circunstantiis, quę ignorantur, vel facilè non attenduntur, sæpe euenit, vt multa, quæ de iure sunt naturali, vel ignorentur, vel etiam circa eorum iudicium sæpe homines errant. Hæc de primo eorum, quæ in titulo huius disputationis sunt proposita.

Quod verò attinet ad secundum, num scilicet lex naturalis mutationem suscipiat, facilè ex dictis circa primum, paucis additis, intelligetur quid dicendum sit. Est quippe dicendum, simpliciter ac absolutè loquendo, legem naturalẽ mutationem seu variationẽ non suscipere. Quoniam si aliqua est lex naturalis, semper & apud omnes in se ita habet & est talis, licèt à multis non penetretur ac ignoretur, imò multi circa illam errẽt ex causis paulo antea explicatis: quod non est illam variationem vllam aut mutationẽ in se suscipere: sed est homines multos eam nõ penetrare, eamq; ignorare, aut circa illam errare. In quo multum differt à lege humana & positiua, quæ vt pro arbitrio ac voluntate eam ferentium varia diuersis in locis & diuersis temporibus in vno & eodem loco fertur, sic pro eodem arbitrio abrogatur, tollitur, arctatur, ac mutatur.

Huic doctrinæ non repugnat, quod cum *Aristotele. 5. Ethic. c. 7. & diuo Th. 2. 2. q. 57. art. 2. ad. 1. tractatu. 1. Disput. 4*, diximus, & quod *D. Th. 1. 2. q. 94. art. 5*, docet. Nempe sicut inter res naturales quædam sunt necessariæ omnino, quæ variationem non patiuntur, vt ignis ita est calidus, vt nec frigidus nec non calidus esse possit, & homo ita suapte natura est præditus vi ad intelligendum, vt ea priuari nequeat; & quædam aliæ ita suapte natura sunt tales, vt possint aliquãdo aliter se habere, vt quamuis dextera manus fortior & habilior ad agendum naturaliter sit, quàm sinistra, interdum tamen sinistra fortior & habilior ad agendum euadit, quàm dextera: ita in rebus moralibus quædam de iure naturali eius sunt conditionis, vt nequeant non ita habere, eiusmodi sunt, malum morale est fugiendum, falsum testimonium non est proferẽdum, neque est mentiendum, Deus odio nõ est prosequendus, & similia alia: quædam verò aliæ ita sunt de iure naturali, vt possint aliquando deficere, & non esse de iure naturali. Vt quamuis de iure naturali sit depositum reddere, ex circunstantiis tamen superueniẽtibus desinere id potest esse de iure naturali, qui & ex eisdem superuenientibus circunstantiis effici contrariũ potest de iure naturali. Hæc, inquam, doctrina paulo antea dictis non repugnat. Quoniã lex naturalis nõ est, vt in omni euentu, superuenientibusq; quibuscunq; circunstantiis, depositũ domino id petenti reddatur: sic enim lex illa malũ præscriberet, ac proinde non esset lex naturalis, imò esset cõtra ius naturale: sed lex illa naturalis solùm habet, reddendum esse depositũ domino illud petenti, si nõ adsit circũstantia, quæ id impediat, aut quæ licitũ efficiat illud tũc ei nõ reddere: eoq; modo lex illa ex ipsamet rei natura est intelligẽda. Quare variatio illa, de qua Aristoteles & diuus Th. loquuntur, neq; est variatio in lege naturali, quasi aliquid mutetur, actetur, aut varie-

varietur in lege ipsa, neque est mutatio in obiecto eius legis, quatenus obiectum eius legis est, quasi vi sub eam legem cadebat, eratque de iure naturali obiectiuè, desinat cadere sub eandē legē, aut desinat esse de iure naturali obiectiuè: neutrum enim est verum: sed est mutatio per aduentum circunstantiæ, cum qua, sicut nunquam fuit de iure naturali obiectiuè, nunquamque cadens fuit sub eam legem, ita per aduentum eius circunstantiæ subtrahitur à ratione iuris naturalis obiectiuè, atq; ab obiecto eius legis. Id quod in multis aliis, quę de iure sunt naturali, sæpe euenit, vt exemplis tractatu. 1. Disput. 4. ostendimus. Quo in loco explicauimus, ius humanum apponere posse circunstantiam, quæ efficiat id non esse de iure naturali, quod, secluſa ea circunstantia, de iure esset naturali. Vt lege præscriptionis ibi ostendimus ius ciuile, transferendo dominium rei alienæ in eum, qui legitimo tempore ad illam præscribendum bona fide eam possedit, efficere, vt qui de iure naturali alioquin teneretur illam restituere priori domino, eam restituere iam non teneatur. Et ius gentium per rerum diuisionem, efficiendo proprias quo ad dominium res primò illas occupantibus, aut legitimo titulo illas deinceps acquirentibus, effeciſſe, vt contra ius naturale non sit, denegare aliis vsum earum extra necessitatem extremam aut grauem: quod tamen alioquin fuisset contra ius naturale, quo prima rerū creatione omnibus quo ad dominium erant communes, donatæ à Deo generi humano in communi, propter quod, & ad cuius vsum, eas omnes condidit. Item ius gentium, meritò introducendo, vt captis bello iusto mors commerita in perpetuam commutaretur seruitutem, effeciſſe, vt contra ius naturale non sit, ita captos libertate priuari, qua alioquin omnes iure naturali liberi nascuntur ac sunt. Lege quæ ibi copiosiùs quoad hæc explicata sunt. Sic etiam ius ecclesiasticum irritādo vrgentissimis ex causis in consilio Tridentino contractum matrimonii clandestini nullum eum efficit: cùm tamen, secluſa tali irritatione, iure naturali erat validus. Deus item, vt supremus rerum omnium dominus, atque ex rationabilissima causa, ob seruitutē, qua Ægyptii filios Israël iniquè subiecerant, & ob grauissimas alias iniurias illis illatas, condonando filiis Israel vasa & alia Ægyptiorum, quæ vt mutuò ab Ægyptiis peterent illis suasit, effecit, vt quod alioquin futurum fuisset furtum, atque adeò contra ius naturale, septimumque decalogi præceptum, nec furtum nec contra naturalē legem esset. Eodem quoque modo Deus, præcipiendo patri Abrahamo, tanquam vitæ Isaac dominus, vt sibi illum immolaret, fecit vt contra ius naturale non esset, attentare illum interficere: quod tamen, secluſo eo Dei præcepto, cāve circunstantia superueniente ex parte eius obiecti, contra ius naturale quintumque decalogi præceptum esset; eo quòd Isaac innocens esset, & neque ipse, neque pater ipsius, domini essent vitæ illius, sed solus Deus, vt tractatu. 3. Disput. 1. ostēsum est. Lege quę quoad id præceptū Abrahamo à Deo impositum. 1. part. q. 19. art. 6. Disp. 1, dicta à nobis sunt. Plura alia adduci poterant exempla, quorum aliqua ex dictis tractatibus præcedentibus constant, & ex dicendis in progressu huius tractatus patebunt: hæc tamen hoc loco sufficiant.

Ea autem, quæ suprà commemorauimus eius esse cōditionis, vt nulla possint aliter se habere, talia sunt, vt ex nulla circunstantia superueniente licita esse possint, extrahíve à ratione obiecti iure naturali prohibiti. Possunt quidem illa fieri absque culpa, si à carente vsu rationis fiant, excusante tunc à culpa carentia vsu rationis, priuatioque libertatis, sine qua culpa esse non potest; nulla tamen circunstantia efficere potest, vt illicitum & contra ius naturale esse desinat, falsum testimonium dicere, mētiri, odio prosequi Deū, aut malum morale ac culpæ non fugere: quare illa præcipere non potest Deus, aut illa suadere, vel inclinare: quoniam id cum infinita ac illimitata sua voluntate pugnat.

Accipe ergo tres gradus eorum, quæ de iure sunt naturali. Primus est eorum, quæ ita intrisecè sunt mala, vt nulla superueniente circunstantia cohonestari possint, extrahíve à ratione obiecti iure naturali, atque adeò ex se prohibiti, qualia sunt, quæ proximè sunt commemorata. 5

Secundus est eorum, quæ sunt quidem de iure naturali, quæque accepta sub certa ratione formali adeò sunt intrinsecè mala, vt remanente eadem ratione formali, nulla ratione possint licita reddi, attamen adueniente aliqua circunstantia, quemadmodum extrahi per illum possunt ab ea ratione formali intrinsecè mala, sic licita quoque reddi possunt ac extrahi ab obiecto iuris naturalis. Eiusmodi est cōtrectatio rei alienæ inuito domino, quæ iure naturali est prohibita, rationemque furti sortitur, atque, quo ad rationem furti, ita est intrinsecè mala, vt nulla ratione possit esse licita, aut non prohibita iure naturali: & quia septimum præceptum decalogi furtum, quo ad rationem furti, prohibet, sanè quod illo præcepto prohibetur, sub ea ratione, qua prohibetur, est intrinsecè malum, neque in eo cadere potest dispensatio, etiam diuina potētia, vt de eo præcepto & de aliis decalogi Disp. 57 dicemus: nihilominus si permissu Dei, qui dominus vniuersalis est omnium, quod alienum erat, contrectetur, eo, cuius erat, inuito, quemadmodum id iam ex ea circunstantia furti rationem non retinet, quia accipitur condonatum à Deo, sic nec eadem acceptio manet intra limites prohibitæ iure naturali, sed potiùs manet extra limites talis obiecti. Eiusmodi etiam est interfectio innocentis, quæ iure naturali est prohibita, & vt iniusta est ex se simpliciter & absolutè loquendo, rebusque omnibus relictis suæ naturæ, cursuique communi vniuersi, nihilq; Deo disponēte supra communem cursum suæ prouidentiæ, sic quoque quoad eam solam rationem iniustam ac illicitam prohibita censetur quinto præcepto decalogi, quo pacto intrinsecè est mala, nullaque ratione ea ratio formalis iniustitiæ cohonestari potest, ac non illicita reddi. Quamuis autem id ita sit, quemadmodum tamen aduenīente circunstantia, quòd Deus, qui dominus est vitæ cuiusque innocentis, supra communē cursum, & supra communem suæ prouidentiæ ordinem, innocentem aliquem interfici præcipiat, definit talis interfectio habere rationē iniustitiæ, sic quoque ex eadem circunstantia eximitur à numero prohibitorum quinto decalogi procepto, atque ab obiecto iure naturali

naturali malo ac illicito.

Tertius verò est eorum, quæ licèt per se, seclusáque alia circunstantia, sint de iure naturali, ex circunstantia tamen desinunt esse de iure naturali, imò reddi possunt contra ius naturale, ratioque ipsorum formalis ad vtrumque se extendit, nec perit adueniente, iuxta communem cursum naturæ, ea circunstantia. Eiusmodi est, reddere depositum domino illud petenti. Id enim de se, seclusa omni alia circunstantia, quæ id impediat, aut quæ licitum efficiat illud nō reddere, est de iure naturali: ex circunstantiis tamen, secundùm naturæ cursum superuenientibus, desinere potest esse de iure naturali, imò esse poterit contra ius naturale, vt supra explanatum est: cùm tamen tam quando est de iure naturali, quàm quando esse desinit de iure naturali, vel est contra ius naturale, sic reddere depositum domino illud poscenti. Eiusmodi etiam est, non abscindere proprium membrum vel alienum, quod de se, seclusáque omni alia circunstantia, est de iure naturali: ex circunstantia verò, quòd ita expediat, desinit esse de iure naturali, licitumque ac meritorum redditur illud abscindere: cùm tamen in vtroque euentu sit non abscindere proprium vel alienum membrum.

6 Quod verò ad vltimū, quod in titulo disputationis fuit propositum attinet, num scilicet lex naturalis aboleri à cordibus hominum possit, paucis est dicendum. Quoad primum illius statum ex tribus disp. 47 explicatis, nulla ratione posse à cordibus nostris aboleri. Quoniā, vt ibidem explanatum fuit, quoad eum statum, non est aliud, quàm potentia ipsa intellectus, luménve naturale intellectus ad imaginem ac similitudinem luminis intellectus diuini nobis impressum, super nósve signatum, quo naturaliter sine alio doctore agnoscere possumus quæ iuris sunt naturalis: potentia autem intellectus aboleri à nobis non potest. Quoad secundum verò statum, nempe quoad actus cognoscendi naturaliter, quæ iuris sunt naturalis, dicendum est, non posse quoad aliqua, quæ omnibus sunt præuia, euidentia, ac nota, aboleri à cordibus nostris, semel cōparata; neque consequenter quoad tertium statum, quo ad habitus inde vlteriùs comparatos postquam inde comparati sunt, aboleri à nobis posse: tametsi in iis, qui rationis vsum nunquam habuerunt, neque tales actus neque tales habitus vnquam fuerint, vt semel comparati aboleri ab eis propriè potuerint. Quoad alia verò, quæ non ita præuia, euidentia, ac nota omnibus sunt, est dicendum. Posse aboleri semel cōparata, per obliuionem, aut contrarium errorem, tum quo ad actum, tum etiam quoad habitum: cæterisque paribus, longè plura quo ad actum & habitum solere compari à perspicatioribus ingenio, timoratis ac morigeratis, magisque deditis studio moralium, quàm ab aliis: minusque ab eis solere aboleri. Quòd autem homines hebetiores sunt, minusque dediti studio moralium, magisque vitiis tradi ti, plusque in eis passiones dominantur, eo plura eorum ignorare solent, atque in errores contrarios faciliùs ac frequentiùs labuntur. Id verò propriè non est leges naturales contrarias, quas nunquam actu, & multo minùs habitu, compararunt, in eis aboleri, sed est eis semper cartuisse nunquamque illas habuisse, vel sua culpa ac negligentia, vel ignorantia inuincibili, quo ad earum aliquas. Quatenus autem lex naturalis scripta est in cordibus nostris modis hac & duabus disputationibus præcedentibus explicatis, de ea Augustinus 2. confessionum c. 4 cum Deo agens sic dixit: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec vlla quidem delet iniquitas.* Quia enim connaturalis nobis est, atque est, vel ipsummet lumen naturale intellectus, vel indè adhibita aliqua nostra industria, in nobis naturaliter emanat, eum non delent peccata seu iniquitas: sicut lethalia peccata demeritoriè lædunt, delent gratiam, quæ à gratuita Dei collatione pendet, quamque Deus ob culpam lethalem iustissimè à nobis aufert. Atque hæc est causa, quòd cùm gratia multo præclarior ac excellētior sit, quàm lex naturalis, culpa lethalis gratiam gratum facientem deleat, & non deleat legem naturalem, tametsi obtenebrare illam possit.

Vtrùm lex vetus bona atque à Deo fuerit. Disp. 50.

SVMMARIVM.

1. *VLtra legem naturalem tradita fuit homini lex supernaturalis, tum in statu innocentiæ, tum etiam post lapsum; deinde etiam tradita est lex naturalis redacta ad summam præceptorum decalogi.*
2. *Hæretici antiqui legem veterem improbabant, & in Deum & Christum blasphemi erant.*
3. *Mahometus multa ex prioribus hæreticis hausit, quæ suis erroribus immisceret.*
4. *Argumenta ex sacra scriptura, quibus Manichæi probabant legem veterem non esse bonam.*
5. *His non obstantibus lex vetus bona est, licèt fuerit imperfecta comparatione legis gratiæ ac finis vltimi, ad quem vtraque ordinabatur.*
6. *Imperfectio veteris legis comparatione nouæ in eo est posita, quòd nouam adumbrabat, & ad illam, tanquam ad longè perfectiorem, disponebat.*
7. *Hæreditas vitæ æternæ & iustificatio ad illam necessaria non sunt ex lege veteri, sed ex Christo est hæreditas vitæ æternæ & iustificatio ex meritis Christi.*
8. *Lex vetus per angelos Dei ministros tradita est: at lex gratiæ per filium Dei, hominem factum.*
9. *Refelluntur argumenta Manichæorum, quibus probare nitebantur legem veterem non esse bonam.*
10. *Explicatur quidam locus Ezechielis diuersimodè.*

EXplicata à disp. 47 lege diuina naturali, reseruando aliquid adhuc circa illam explanandum, dum de moralibus legis veteris præceptis nobis fuerit sermo, quæ moralia legis veteris præcepta ad eandem naturalem legē pertinent, quam non solùm legem veterem, sed etiam legem euangelicam, & leges status innocentiæ, & naturæ lapsæ ante traditam legem veterem, continere disputatione 46 copiosè

fuit explanatum, iuxta ordinem initio disputationis 47 propositum, de legibus Dei supernaturalibus est deinceps nobis disputandum.

1 Cùm enim homo ad supernaturalem finem sempiternæ felicitatis fuerit conditus, ad quem per supernaturalia media, cooperante ipsum per suum liberum arbitrium, peruenireteique supernaturali fini subordinata sint finis & media naturalis humanæ moralis felicitatis; sanè expediens necessariumque fuit vltra legem naturalem tradi illi legem supernaturalem, tum in statu innocentiæ, tum etiam post naturam lapsam, promissumque illi remedium aduersus peccatum per Christum, eamque ex parte variam, prout diuinæ sapientiæ ac prouidentiæ ordine, priùs Deus promittere voluit remediũ per Christum contra peccatum; postea verò deligere voluit sobolem ac populum peculiarem, vnde Christus nasceretur, atque cui eo semine Christum promitteret, & in quo adumbraret ac prædiceret, quæ tẽpore Christi erant futura, vt faciliùs susciperetur, credibilioraq; fierent mysteria ac fides, quæ irritus doceret; & voluit vt tandem Christus veniret, nouamque legem humano generi traderet, vt hæc omnia disput. 46 fusè tradita sunt. Expedientissimum quoq; fuit, præsertim postquam genus humanũ multis vitiis fuit infectum, ad idololatriam multum deflexit, valdeque etiam circa naturalia cæcutire cæpit, vt simul cum supernaturali lege traderet Deus ipse naturalem legem ad summã præceptorum decalogi redactam, vt homines perspicuè & certò scirent præcipua, tam quoad interiores actus, quàm quoad exteriores, quæ ad legem naturalem attinerent: id quod Deus re ipsa in lege veteri præstitit, Christusque in euangelio seruari præcepit, vt disp. 46 citata explanatum fuit.

Quia verò explicatis iis, quæ ad legem veterem ac gratiæ spectant, intelligentur facilè, quæ ad supernaturales leges innocentiæ status & status naturæ lapsæ ante legem scriptam attinebant, satis erit hoc loco de lege veteri & de lege gratiæ disserere. Incipimus verò à lege veteri. Tum quòd tempore fuit prior; tum etiã quòd adumbrauerit ac prædixerit futura tempore legis gratiæ, ad illamque fuerit præambula ac dispositio.

2 Quod ad id attinet, quod in titulo huius disputationis est propositum, quodque circa legem veterem primo loco est examinandum. Præter Simonem Magum, quem subnotare videtur Clemens Petri discipulus *lib. 6. Apostol. Cong. 19.* Cerdon hæreticus, quem *Irenæus lib. 1. aduersus hæreses* testatur venisse Romam tempore Higinii Papæ & martyris, & à quo Cerdoniani hæretici dicti sunt, autore *August. lib. de hæresib. hæresi 21.* inter alios errores, duo principia inter se aduersantia dogmatizauit: Deũq; legis veteris & prophetarũ nõ esse patrẽ Christi, nec esse bonum Deum: vetusque proinde Testamentũ aspernabatur. Patrem verò Christi esse bonum Deum affirmauit. Item Christum asseruit nec natum fuisse ex femina, neque habuisse carnem, nec proinde verè fuisse mortuum, nec verè fuisse passum, sed passionem simulasse. Marciõ quoque, qui, vt *Castrus aduersus hæreses verbo lex hæresi. 2.* ait, discipulus fuit Cerdonis, ex Irenæo lib. 1. aduersus hæreses refert, asseruisse legem veterem malam fuisse & à malo principio. Caiani etiam, sic dicti, quòd Cain honorent, ac ludam proditorem, & quosdam alios sceleratos, autore eodem Aug. ibidem *hæresi 18* legem veterem & Deum illius autorem blasphemãr, vtrumque vt malum improbantes. Castrus vbi suprà Caianos cum Marcioniſtis ex *Irenæo lib. 1. aduersus hæreses* commemorarat, tanquam Marcionis discipulos, vnumque cum Marcioniſtis. Errores illos omnes ex Cerdone commemoratos sequuti sunt postea Manichæus illiusque sectatores, vt ex *Aug. lib. de hæresib. hæresi 46.* & ex iis, quæ ex Fausto Manichæo de verbo ad verbum refert atque impugnat 23. libris, quos 6 Tomo aduersus eundem Faustum scripsit, atque ex Epiphanio 2 Tomo aduersus hæreses lib. 2. hæresi 66. constat. Vnde vetus testamentum rejiciebant, & legem in eo traditam improbabant, non quidem quo ad legem naturalem in eo traditam, sed quoad præcepta cæremonialia & iudicialia, quæ admiscet, vt ex iis, quæ ex Fausto in principio *lib. 22. aduersus eundem Faustum Augustinus* refert, Faustus ipse se exponit. Et quamuis duo principia prima rerum constituerent Manichæi, vnum bonum, & alterum malum, & vtrumque interdũ Deum nuncuparent, vt Epiphanius vbi suprà ait, & Faustus ipse in iis, quæ ex ipso Augustinus initio lib. 21. aduersus eundem refert, confitetur; ibidem tamen idem Faustus vult, nomine Dei solùm principium bonum significari, atque intelligendum esse, sicque simpliciter vnum tantùm Deum esse: principium verò rerum malum non Deum, sed dæmonem esse, hylenque seu dæmonem appellari. Quemadmodum autem cum Cerdone Manichæi negabant, Christum carnem veram habuisse, natumque fuisse ex Maria, sic ex nouo testamento ea rejiciebant, quæ de natiuitate Christi ex Maria, & quæ de genealogia Christi ex Abrahamo & Dauide narrantur, tanquam vel non scripta ab Euangeliſtis, & Paulo, qui Christum ex semine Dauid & ex muliere factum affirmat, vel tanquam falsò ab eis scripta, vt ex iis, quæ ex Fausto lib. 2, contra eundem & sequentibus Augustinus refert, constat, aitque Faustus, si Paulus id scripsit, mutasse postea sententiam scribendo ad Galatas. Euangelia autem Faustus suscipit à puncto, quo Euangeliſtæ prædicationem euangelii narrare incipiunt, facileque negat, quæ cum suis erroribus pugnare videt, tanquam ab Euangeliſtis non scripta, aut non verè ab ipsis scripta. Quæ de passione ac morte Christi & de cicatricibus in Christo post mortem ac resurrectionem remanentibus in Euangelio narrantur, ea omnia à Christo simulata affirmat; nec verè, sed simulatè tantùm passum mortuumque fuisse, ac resurrexisse: resurrectionemque futuram, tam ipse quàm hæretici omnes commemorati, negant, vt ex Augustino locis citatis & ex Epiphanio vbi suprà constat, quàm plurimasque alias ineptias, impugnatione indignas, quas Augustinus & Epiphanius locis citatis referunt, Manichæus affirmauit. Refert verò vbi suprà Epiphanius, Manichæum tempore Aureliani & Probi Imperatorum manifestati cæpisse, atque à Rege Persarum fuisse iussum interfici detracto cute

arun-

arundinibus, eo quòd pollicitus fuisset liberare à morbo Regis illius filium, eumque interfecerit.

3 Illud verò hoc loco obiter admonuerim, ex hac errorũ & ineptiarũ colluuie mutuo Mahumetũ sumpsisse multa, quæ suis erroribus misceret. Licèt enim Christum verum hominem, conceptum ex virgine sine viri semine, ex ea natum in carne passibili, atque à Deo missum confiteatur, veramque fuisse ecclesiam, quam fundauit, in eaque homines, dum illa perseuerauit incorrupta, saluos fuisse factos; sicut etiam confitetur veram fuisse synanogæ ecclesiam, in eaque ante Christi aduentum homines salutem fuisse consequutos; negauit tamen Christum fuisse Deum, sanctissimæque Trinitatis mysterium, negauit item nullum fuisse manente in egressu beata Maria virgine, negauit etiam Christum fuisse passum ac mortuum, ac proinde resurrexisse; sed asseruit, discipulum quendam ipsius, sibi similem, rogatum à Christo, mortem subiisse, atque ad ineptias Manichæorum recurrit, mutata scilicet ab ecclesiæ Christianæ sacerdotibus ea fuisse, quæ Christus instituit ac docuit, confictasque ab eis aut adulteratas fuisse scripturas noui testamenti, nec docendo quando & à quibus id fuerit effectum, nec item cur ac quorsum Christus rogauerit discipulum illum mortem loco ipsius subire, cùm tamen Euangelia ac reliquæ noui testamenti scripturæ sacræ verè mortuum, ac resurrexisse Christum affirment, suaque morte satisfeciisse pro peccatis generis humani, hominéque redimisse mundum apertissimis verbis dilucidissimeque affirment, fueritque id per Prophetas veteris testamenti longè antea prædictum: & cùm sacræ noui testamenti literæ ab initio Ecclesiæ à Christo fundatæ in ea fuerint vt tales receptæ, ad diuinamque prouidentiam attineret, non fundari Christi Ecclesiam, quam Mahumetus ipse longè præstantiorem eam fuisse, quàm synagogam, confitetur, non relinquendo illi canonicas scripturas, quæ fidem & præcepta à Christo tradita continerent, quibusque ea ecclesia gubernaretur ac regeretur: atque cùm continua successione à sanctis doctoribus Christianæ Ecclesiæ Augustino, Hieronymo, Iustino Martyre, Dionysio Areopagita, & ab innumeris alijs, sint ex omnibus eis scripturis tanquam ex sacris & canonicis vnanimi consensu testimonia citata: quo validissimo argumento vtitur, inter alia, Augustinus contra Faustum Manichæum, quo euidenter cõuincit nefas illi esse, quasdam partes scripturarum noui testamenti vt canonicas veritatisque infallibilis admittere, & reliquas vnanimi consensu perpetuaque successione, vt tales à Christiana Ecclesia semper habitas, rejicere. Baptistam quoque Christianæ Ecclesiæ rejicit Mahumetus, cùm tamen Ioannem etiam Baptismum vt sanctum veneretur, Mahumetanique eiusdem festum nobiscum colant, ex veteríque testamento circumcisionem admittat, seruandamque doceat ac præcipiat. Et cùm scripturas veteris testamenti vt canonicas atque à Deo traditas, irrefragabilisque perinde infallibilisque veritatis, Iudæi & Christiani perpetuò consensu vnanimi seruauerint, quas si vel Christiani corrumpere attentassent, Iudæi illico acriter reclamassent, sicut è contra si Iudæi id efficere tentassent, Christiani illis omnino restitissent; Mahumetus eas non recipit, neque reliqua, quæ in veteri lege præcipiebantur, obseruanda esse docuit. Atque quamuis Mahumetus futuram resurrectionem mortuorum contra omnes hæreticos commemoratos nobiscum confiteatur; non tamen visionem Dei neque aliud præmium bonis pollicetur, quàm terrestrem paradisum, in quo Adamus decidit: cum vxorum, equorum, cibi ac potus, aliarũq; corporis deliciarum vsu. Cùm tamen paradisus terrestris exiguæ admodum fuit quantitatis, vt in tractatu de opere sex dierum in noua Commentariorum primæ partis editione, quam paramus, Deo dante lucidè ostendemus: qui proinde nec tot homines ac mulieres, nec tantum equorum aliorumque animalium capere poterit, nec cibos ad tantam hominum aliorumque animalium sustentationem poterit vlla ratione suppeditare. Hanc partem errorum ac ineptiarum Mahumeti libuit hoc loco occasione errorum Manichæorum, alioruмque hæreticorum, qui commemorati sunt, paucis obiter referre, vt ex illis quid de reliquis illius deliramentis ac figmentis sit sentiendum facilè constare cuiuis possit. Nunc ad nostrum regrediamur institutum.

4 Manichæi, inter alia, legem veterem nec bonam, nec à bono Deo latam, quibusdam ex sequentibus argumentis contendebant. Primò, quoniam pugnantia cum Euangelio continebat. Præcipiebat enim Sabbathum seruari in memoriam, quòd Deus Sabbatho cessauit ab vniuerso opere: cùm tamen Christus Ioan. 5 doceat, Patrem suum nunquam ab opere cessare, dicens: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Et cùm Christus Sabbatho curasset, iusseritque Ioan. 5 curatum ab ipso tollere Sabbato lectum suum, & ambulare.

Secundò, Paulus ad Hæbreos 8 de veteri testamento ait: *Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur*: ergo lex in illo tradita, bona non fuit, ac proinde non fuit à bono Deo.

Tertiò, Ezechielis 20 Deus veteris testamenti dicit: *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent*: lex autem, num bona sit vel mala, ex præceptorum qualitate dignoscitur: ergo lex veteris testamenti bona non fuit, nec proinde à bono Deo.

Quartò, lex si bona sit, bonos efficit subditos, atque in eorum salutem spiritualem, & non in illorum spirituale detrimentum ordinatur ac cedit: sed de lege veteri ad Rom. 4 ait Paulus: *Lex iram operatur: vbi enim non est lex, neque præuaricatio.* Et ad Rom. 5. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Et ad Rom. 7: *Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum erat. Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit*: ergo lex vetus mala erat, ac proinde à malo primo illius autore ac principio.

Quintò, lex vt bona sit, esse non debet ob- A
seruatu admodum difficilis, sed fragilitati humanæ accommodata: lex autem vetus, autore Petro Actorum 15. iugum erat, *quod*, inquid, *neque patres nostri neque nos portare potuimus*: ergo lex vetus bona non erat.

Sextò, *Dei perfecta sunt opera*, vt Deut. 32. habetur, sed de lege veteri Paulus ad Heb. 7 ait: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*: ergo lex vetus neque à Deo neque bona fuit.

Septimò, sacrificia veteris legis Deo nõ erant grata, sed potiùs inuisa: ergo lex vetus nec bona erat, nec à Deo. Consequutio est perspi- B
cua, & antecedens probatur. Quoniam Isaiæ 1 ait Propheta: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cum veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atriis meis? Ne offeratis vltra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomeniam & sabbatum vestrum & festiuitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, facta sunt mihi molesta, laborani sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos* C
a vobis. Et Ieremiæ 7: *Non sum loquutus cum patribus vestris, & non præcipi eis in die, qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum.* Psal. 49: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis*, &c. Et Psal. 50: *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.* Et Psal. 39: *Sacrificium & oblationes noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti.* Quem locum explicans Paulus ad Hebræ. 10 ait: *Holocaustomata & pro peccato non tibi placuerunt.*

Octauò, in lege veteri continebatur lex illa, D
Oculum pro oculo, dentem pro dente: quam velut duram] ac inhumanam reprobat Christus Matth. 5, dicens: *Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*, &c. ergo lex vetus nec bona fuit, nec à Deo.

5 His argumentis nihil impedientibus, dicendum est; Legem veterem bonam fuisse ac sanctam, & à Deo populo Israëlitico latam. Fuisse tamen imperfectam comparatione legis gratiæ, ac finis vltimi, ad quem vtraque ordinabatur. Prior pars est de fide, contraria ineptiis hæreticorum, qui commemorati sunt. Fuit enim lex vetus (tametsi comparatione legis gratiæ im- E
perfecta) donum maximum filiis Israel à Deo collatum. Vnde Paulus ad Rom 3: *Quid ergo amplius Iudæo est,* (quàm scilicet Gentibus, ratione legis veteris Iudæis collatæ) *aut quæ vtilitas circumcisionis? Multum per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt eis eloquia Dei.* Et Regius propheta Psal. 143: *Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Et Psal. 102: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas, miserator & misericors Dominus.* Quæ sola testimonia suffi-

cere debebant, vt intelligeretur, legem veterem à Deo filiis Israel per Moysem fuisse latam, bonamque ac sanctam esse. De ea verò Paulus ad Rom. 7. ait: *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum* (hoc est, per legem, in cuius transactione ratio illius est posita, & cuius grauitas ex notitia legis accrescit, atque in quod habita notitia legis ex prauitate nostræ naturæ plus propendemus, dum in vetitum nititur) *operatum est mihi mortem. Vt fiat supra modum peccans peccatum* (id est, vt augeatur ratio & malitia peccati) *per mandatũ* (hoc est, occasione notitiæ mãdati, legisve sanctæ ac bonæ misericorditer à Deo nobis manifestatæ ac traditæ.) *Scimus enim, quòd lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato*, ob dissolutionem videlicet passionum, prauasque meas inclinationes, quæ ex peccato primi parentis, amissa iustitia originali ratione illius, in me redundarunt, quo proinde primi parentis peccato venundatus ab eodem primo parente pretio apparentis boni, quo in illud consensit, sum sub peccato, quàm maximè obnoxius illi i effectus. Id verò explicat, dicens: *Non enim, quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio*, victus videlicet passionibus, quæ ex peccato primi parentis in me surrexerunt. *Si autem, quod nolo* (cupiens videlicet conformari legi Dei ac rectæ rationi) *illud facio, consentio legi, quoniã bona est.* Et infrà: *Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem*, id est, quo ad rationem. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Omnes enim, infra Dominam nostram, quantumuis iusti ac sancti, in peccata, venialia saltem, vi ac pondere sensualitatis pertrahuntur, in lethalia q; pertraherentur, nisi strenuè pugnando, quotidiano gratiæ Dei auxilio adiuuarentur ac præseruarentur, vt esse de fide copiosè in nostra Concordia est à nobis ostensum: qui verò pugnare ac resistere sensualitati torpent aut nolunt, in grauissima lethalia peccata frequentissimè incidunt. Vnde subiungit Paulus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est, tam acriter ad spiritualem mortem inclinans atque ex se pertrahens. Respondet q;, *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*, qua adiutus, à peccatis me contineo ac præseruor, & qua mihi ea remittuntur, in quæ fragilitate & vi sensualitatis incido, & per quam vita immortalem resurgam, liber omnino ab his omnibus prauis sensualitatis affectibus. Tandem concludit Paulus: *Igitur ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati.* Est ergo lex, de qua in eo capite Paulus loquitur, in se bona ac sancta & à Deo lata: eam quippe Dei legem appellat. Item 1. ad Tim. 1. *Scimus quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur.* Et ad Gal. 3: *Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est*, vt scilicet vitaretur trãsgressio notitia apertiori comparata ex lege, quid esset transgressio & peccatum, & vt à transgressione peccatores cohiberentur explanato supplicio, quod eis ob legis transgressionem imminebat, & emolumento ac præmio, quod ex legis obseruatione reportabant: *ministrata per angelos in manu mediatoris*,

id

id est Moysi, quo velut instrumento Deus ministerio angelorum vtebatur ad referendam ac tradendam eam populo, qui proinde mediator erat inter Deum & Israeliticum populum, cui ea lex a Deo tanquam ab autore illius primo tradita fuit. Et infra: *Prius autem quàm veniret fides,* (Christo scilicet explicata) *sub lege custodiebamur conclusi,* ea cohibiti ac muniti, *in eam fidem, quæ revelanda erat,* quam illa adumbrabat, & in qua fuit prædicta, quæque implicitè tunc credebatur, atque a professentibus eam legem futura sperabatur. *Itaq;* concludit Paulus, *pædagogus noster fuit in Christo,* seu ad Christum; docens interim nos, bonisque moribus nos instruens ac præparans ad Christum, fidemque implicitam per eum tradendam. Quo fit, vt ex doctrina Pauli lex vetus bona ac sancta à Deoque Israelitico populo angelorum ac Moysis ministerio tradita fuerit. Vt enim idem Paulus ad Rom. 10. ait: *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti.* Et Christus Matth. 5: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnũ aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant.* In quem sensum Paulus ad Rom. 3 etiam dixit: *Legem ergo destruimus per fidem? Absit, sed legem statuimus*: quandoquidem per fidem, legemque nouam ac gratiæ, illa adimpleta fuit. Vnde Ioannes c. 1. *Lex per Moysem data est,* tanquam per ministrum Dei legis illius latoris præcipui: *gratia & veritas,* cuius illa erat vmbra, & quam illa prædixerat, *per Iesum Christum facta est.* Et Philippus Ioan. 1: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum.* Et Ioan. 2. templum Ierosolymitanum, in quo Deus à Iudæis colebatur, domum Patris sui appellauit, quando flagello ementes & vendentes eiecit de templo. Et Ioan. 3. Christus ad Nicodemum dixit: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis,* (in cruce scilicet) *vt omnis, qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam,* vbi id typum fuisse mysterii crucis, apertè Christus significauit. Et Ioan. 4. dixit ad Samaritanam, se esse Messiam in lege veteri & Prophetis Iudæis promissum. Et de adoratione num Ierosolymis, iuxta præscriptum legis veteris, an in monte Samariæ facienda esset, dixit Christus: *Vos adoratis, quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est,* tempore, quo lex vetus perseuerabat. Et infrà ad discipulos: *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis: alii laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Propheræ enim veteris testamenti suo labore ac doctrina inspirati, quasi semen iecerunt ad fructus metendos ac colligendos tempore legis gratiæ, dum de aduentu Messiæ prophetarunt, & de futuris tempore illius, eaque ratione mũdum disposuerunt, vt faciliùs apostolorum labore ac industria colligeretur, in Ecclesiaque congregaretur Christiana: fuit ergo ex illa doctrina Christi vetus testamentum, quo veluti semen ad legem gratiæ fuit emissum à Deo, sicut & testamentum nouum ac lex gratiæ. Et c. 5. *Scrutamini,* ait Christus ad Iudæos, *scripturas, illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Et infrà: *Est, qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si credideritis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Et Matt. 5. *Irritum,* ait Christus, *fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* Vbi Christus mandatum illud veteris legis, *Honora patrem tuum & matrem tuam,* Dei mandatum affirmauit. Amens sum, qui rem adeò perspicuam tot testimoniis confirmo. Maximè cùm Christus & apostoli in nouo testamento ex veteri, tanquam ex scripturis infallibilibus, diuinam autoritatem continentes, passim testimonia citent: & cùm stultum omnino sit, Christum confiteri, doctrinamque noui testamenti admittere, & simul asserere, vetus testamentum nec à bono ac vero Deo, sed à malo fuisse traditum. His accedit definitio Ecclesiæ in concilio Toletano primo à Leone Papa confirmato in assertione fidei his verbis: *Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum esse præsse legis, alterum euangeliorum, anathema sit.* Et in concilio Tridentino sess. 4. illis verbis, *Omnes libros, tam veteris quam noui testamenti, cùm vtriusque vnus Deus sit autor, &c.* Lege item Clementem lib. 6. Apost. Const. à c. 19. vsque 23. Vbi egregiè ostendit legem veterem ac nouum à Deo fuisse latam, Christumque legem veterem non soluisse, sed impleuisse.

Prior verò pars suprà proposita, legem scilicet veterem imperfectam nihilominus fuisse comparatione legis gratiæ, ac finis vltimi, ad quem vtraque ordinabatur, certa etiam est in fide. Ad Hebræ. enim 7. ait Paulus, *Reprobatio,* hoc est reiectio, fit præcedentis mandati, non quidem tanquam mali, sed tanquam infirmi & insufficientis ad iustificandum, emundandum à peccatis, & perducendum in vitam æternam: vnde continuò subiungit Paulus, *propter infirmitatem eius & inutilitatem,* (vt scilicet illa efficiat) *nihil enim ad perfectum adduxit lex,* quasi scilicet suis sacrificiis ac cæremoniis prædicta efficere posset. Eo enim in loco ex præclaro illo vaticinio Dauidis Psal. 109, quod perspicuè, vt ex ipso psalmo constat, est de Messia; *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*; iuncta historia, quæ de eodem Melchisedec Gen. 14 narratur, ostendit ac explanat Paulus, magnifica cognitione, quam per reuelationem de scripturis in literali & in spirituali sensu & de mysteriis fidei accepit, legem veterem vim nõ habuisse ad expianda peccata, & ad iustificandum perducendumque ad vitam æternam, sed id reseruatum fuisse Christo, & sacramentis, quæ in noua lege, vim ad id ex meritis & passione Christi continentia, erat instituturus. Cùm enim post Leuiticum veteris legis sacerdotium institutum, & post ea omnia constituta, quæ ministerio eius sacerdotii in lege veteri ad ministrabantur, promiserit Deus sacerdotium aliud Messiæ, non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedec, hoc est, iuxta ritum Melchisedec, qui non cruentam ostiã, sed incruentam, panem scilicet & vinum obtulit, vt Gen. 14 habetur, ac proinde, id ita offerendo, typus fuit sacerdotii Christi, qui in panis & vini speciebus corpus suum ac sanguinem incruentè erat oblaturus, sacerdotibusque nouæ legis potestatem idem consecrandi ac perpetuò

petuò in Ecclesia Patri in salutem animarum offerendi erat relicturus, simul ea oblatione significando cruentam hostiam, quam semel in ara crucis in redemptionem, expiationem, ac iustificationem generis humani Patri erat oblaturus, cruore ac morte cuius oblationis, non ab ipso, sed à peccatoribus effectis, ab ipso verò perfectis, Patrique ad prædicta ab eo oblatis: cùm item Christi sacerdotium secundùm ordinem Melchisedec non esset ad tempus dumtaxat futurum, cui aliud succederet, vt fuit sacerdotium Leuiticum, ad tempus dumtaxat institutum, nempe vt solùm perseueraret vsque ad Christi mortem, Eucharistiæque ac missæ sacrificium secundùm ordinem Melchisedec instituendum, sed Christi sacerdotium esset futurum in æternum, vt vtrumque manifestissimè significabant verba illa magnifici illius vaticinii Dauidis, reuelationisque ea de re ipsi à Deo factæ; *Iurauit Dominus*, hoc est, firmitate iuramenti statuit, *& non pœnitebit eum*, id est, ac proinde id nunquam reuocabit nec mutabit, vt de Leuitico sacerdotio efficiet: reuocatio enim ac mutatio eius, quod Deus statuerat, per metaphoram in scripturis sacris pœnitentia pœnitereve Dei dicitur: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Iuxta quod vaticinium Christus, dum sacram Eucharistiam missæque sacrificium instituit, etiam dixit: *Hic est calix sanguinis mei noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Cùm hæc, inquam, ita sint, Paulus ad Hebræ. 7. iuxta præclarissimum illud Dauidis vaticinium relatum, & iuxta historiam, quæ de Melchisedec & Abrahamo Gen. 14 narratur, primò explicauit. Melchisedec non solùm typum fuisse Christi Dei filii in eo, quòd sacerdos fuerit Dei altissimi, & in modo sacrificii illius incruenti panis & vini, vt vtrumque Gen. 14 habetur, sed etiam in eo, quòd Regis Melchisedec nomen interpretetur Rex iustitiæ, & quatenus Rex Salem Rex pacis significat: quæ duo Christo maximè conueniunt, qui morte sua diuinæ iustitiæ satisfecit, autorque fuit iustitiæ omnis, qua iusti apud Deum sumus, pacemque inter Deum & nos constituit, iuxta illud Isaiæ. 53: *Disciplina pacis nostræ super eum, cuius liuore sanati sumus.* Vnde Isaiæ 9 *princeps pacis* dictus etiam est. Item in eo etiam explicat fuisse typum Christi, quòd cùm Gen. 14 neque matris neque patris genealogiæ, neque initii neque finis vitæ illius vlla mentio fiat, neque alibi in scriptura, æternitatem sacerdotii Christi quadam ex parte eatenus repræsentat. Deinde verò Paulus ex eo excellentiam Melchisedec, quatenus typus sacerdotii Christi fuit, supra sacerdotium Leuiticum ostendit, quòd supremus populi Israëlitici Patriarca Abrahamus, Melchisedec dignitatem suscipiens ac reuerens, decimas illi spoliorum obtulit, tanquam inferior superiori, ab eoque vt inferior à superiori fuit benedictus, pariterque Melchisedec à sacerdotibus Leuitici generis, tanquam à sibi inferioribus, decimas tunc ministerio Abrahami accepit, quatenus illi tunc in lumbis Abrahami erant, ab eo per virilem semen procreandi; cùm tamen sacerdotes Leuitici generis decimas secundùm legem acciperent à fratribus suis, qui vnà cum ipsis in lumbis fuerunt Abrahami. Tandem ex eo, quòd Deus alium promiserit sacerdotem, secundùm alium ordinem ac sub aliis ritibus, & ex alia tribu, minimeque in posterum mutandum, sed qui in æternum apud Patrem pro nobis interpellaret, longeque sublimiorem sacerdotibus Leuiticis, docet, legem veterem, tanquam insufficientem ad iustificandum ac introducendum in cæleste regnum sine hoc alio sacerdote, mutandam vnà cum sacerdotio fore in longè perfectiorem ac excellentiorem legem gratiæ, quæ quo ad sacramenta in ea instituta à peccatis mundaret, iustificaret, ac perduceret in vitam æternam. Si enim antiqua lex & sacrificia ac cæremoniæ Leuitici sacerdotii satis fuissent ad emundanda peccata atque ad iustificandum ac perducendum in vitam æternam, sanè necesse non fuisset, aliud posterius sacerdotium, aliumque posteriorem pontificem longè excellentiorem promitti ac subsequi, qui ea præstaret. Idem prosequitur Paulus cap. 8. sequenti de eodem Pontifice Christo, dicens: *Melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti (*hoc est, pacti ac fœderis*) mediator est, quod in melioribus promissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa,* hoc est, defectu & insufficientia ad prædicta præstanda, *vacaret, non vtique secundi locus relinqueretur. Vituperans autem eos, (*Iudæos scilicet, cum quibus Ieremias loquitur, cuius testimonium continuò subjicit Paulus*) Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum (*hoc est, pactum & fœdus*) nouum, non secundum testamentum,* id est, pactum & fœdus) *quod feci cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt adducerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento,* id est, pacto *meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam domui Israel post dies illos, dicit dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas.* Et infrà: *Dicendo autem nouum, veterauit prius.*

In eo autem imperfectio veteris legis, comparatione nouæ, est posita, quòd nouam adumbrabat, ad illamque, tanquam ad longè perfectiorem disponebat. Et quòd quamuis contritis conferretur gratia, tam in ea lege, quàm in lege naturæ, & in circumcisione gratia, etiam paululis masculis, conferretur, & feminis adhibito remedio contra peccatum originale, quod pro masculis & feminis erat tempore legis naturæ; & quòd quamuis exercentes opera legis, & alia bona supererogationis, si iam essent iustificati, vitam promererentur æternam, eisque augmentum gratiæ conferretur, nihilominus gratia, quæ circumcisis conferebatur, aut iis, quibus illud aliud legis naturæ remedium contra peccatum originis applicabatur, non conferebatur vi circumcisionis, aut vi illius alterius remedii, sed

6

sed ad præsentiam illius conferebatur meritis Christi futuri, ratione fidei in illum implicitæ, cuius protestatio tunc fiebat, & quam contriti tunc habebant, omneque meritum gloriæ, & augmenti gratiæ, quod operibus legis & aliis operibus bonis supererogationis iusti tunc habebant, nitebatur meritis Christi adhuc futuris; qua de causa ad prædictos omnes effectos tunc efficiendos Apocalipsis 13 Christus dicitur *agnus occisus ab origine mundi*, quia perinde vi meritorum ac mortis illius efficiebantur tunc, ac si ab origine mundi, lapsúsve primorum parentum, occisus fuisset; neque præmium vitæ æternæ iustis tunc conferebatur statim, atque ex hac vita migrabant, igneque ex purgatorio erant expurgati, sed in limbo asseruabantur, donec Christus morte sua ianuas cæli aperiret, pretiumque pro mundi redemptione solueret. At verò in lege noua & gratiæ, sacramentis nouæ legis à Christo institutis, gratia confertur vi eorundem sacramentorum, tanquam quæ Christi institutione ex passione & meritis eiusdem Christi vim ad id habent; qua autem ratione instrumentaliter illam efficiant, in materia de sacramentis est explicandum. Vnde in concilio Tridentino sess. 7. can. 2. sic definitur: *Si quis dixerit nouæ legis sacramenta à sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi, anathema sit.* Et canon. 6 sic habet: *Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Et in concilio Florentino in institutione Armenorum si antea definitum fuerat: *Nouæ legis septem sunt sacramenta: quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam: sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Conferunt verò illam Christi meritis ac institutione longè abundantiorem, quàm conferretur ad præsentiam circumcisionis, aut remedii legis naturæ contra originis peccatum, ratione fidei implicitæ Christi futuri, quæ tunc eis protestabatur. Item sacramenta nouæ legis, quando antecedunt peccata lethalia actualia in eo, qui illa suscipit, ex attrito efficiunt contritum, gratiam iustificantem illi conferendo, ac si contritus esset: quod sacramenta veteris legis non efficiebant. Præterea in noua lege, persoluto iam pretio nostræ redemptionis, longè maiora auxilia gratiæ dantur meritis & passione Christi iam exhibitis, quàm quondam tempore legis naturæ & scriptæ conferrentur, abundantiorque gratia gratum faciens eis confertur, qui fide explicita Christi iustificantur, & post iustificationem operibus bonis gratiæ augmentum promerentur, quàm in lege naturæ & veteri eis conferretur, qui fide implicita Christi adhuc futuri iustificabantur, & post iustificationem operibus bonis gratiæ augmentum promerebantur: id quod apertè testatur illa parabola vineæ Matth. 20, qua longè maiorem laborem, longeque minus tempus laboris eorum, qui nouissima hora ad laborandum post Christi aduentum in vinea vniuersalis ecclesiæ venerunt, iussit Pater familias remunerari æquali præmio cum longè maiori eorum labore tempore longè maiori exhibito, qui anterioribus horis ad laborandum venerant. Lege quæ in *Concordia quæst. 23. artic. 5. disputatione 1. membr. 4.* hac de re dicta sunt. Item in lege noua, meritis & passione Christi iam exhibitis, ianua cæli aperta, (quam nullum prædestinatorum ingredi decens erat ante Christum omnium prædestinatorum caput) iusti eo ipso, quòd ex hac vita migrant, nihilque expurgandum iam habent, præmium vitæ æternæ consequuntur: id quod latroni in cruce cum Christo pendenti euenit, cui Christus dixit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, vt Lucæ 23 constat. His igitur & aliis de causis lex vetus imperfecta fuit, si cum lege noua ac gratiæ conferatur, meritoque ad Hebræ. 7 & 8 dixit Paulus, legem veterem suis præceptis, sacrificiis, ac cæremoniis nihil ad perfectum adduxisse: quoniam vim non habebant ad conferendum gratiam: & gratia quæ tunc conferebatur, ratione fidei implicitæ Christi venturi conferebatur, innitédoque passione ac meritis Christi adhuc venturis: neque iustificatis tunc præmium vitæ æternæ conferebatur, donec passione & meritis Christi iam exhibitis ianua cæli aperiretur: vnde insufficiens lex illa, vetusque illud testamentum erat sine nouo & sine sacrificio ac sacerdotio Christi in nouo testamento, in legeque gratiæ futuris, ad prædicta præstanda, omniaque tunc à Christo & à mysteriis legis gratiæ, quæ adumbrabant, & quibus veritas earum vmbrarum facta impletaque est, erant dependentia.

7 Consentaneè adhuc meritissimè docet Paulus ad Galatas 3, cùm in Christo benedicendæ essent omnes gentes terræ, iuxta promissionem à Deo Gen. 22. longè ante legem scriptam Abrahæ factam: *Et benedicentur*, inquit, *in semine tuo*, id est, in Christo, quem ex semine tuo venturum tibi promitto, *omnes gentes terræ*, hæreditatem vitæ æternæ, & iustificationem ad illam necessariam, non esse ex lege veteri, quasi illa iustificaret & perduceret in vitam æternam, & quasi obseruatio illius omnibus omnino gentibus necessaria esset ad salutem: sed hæreditatem vitæ æternæ esse ex Christo, iustificationemque ad illam necessariam esse ex Christo, meritis illius, & per fidem illius vel adhuc venturi, saltemque in illum implicitam ante illius aduentum, vel explicitam post illius aduentum & legem euangelii ac gratiæ sufficienter promulgatam. Vt enim Petrus Actorum. 4. dixit; *Non est in aliquo alio salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Quòd si ex lege veteri esset hæreditas, quasi illa iustificaret & perduceret ad vitam æternam, & quasi sine illa non esset salus, tunc nō omnes gētes benedictæ essent in Christo, iustificationem ac remissionem peccatorū

vitamque æternam per Christum obtinendo: quia neque Abrahamus ipse, neque Isaac, neque Iacob, qui ante legem scriptam fuerunt, neque omnes, qui ad legem naturæ ante datam legem scriptam & post illam attinuerunt, quia neque iusti, qui ad legem scriptam pertinuerunt, benedicti fuissent in Christo, quia eo dato, non meritis Christi & ratione fidei in illum essent iustificati, sed vi cæremoniarum ac obseruationis legis scriptæ: sicque lex scripta esset contra illam Dei promissionem Abrahæ factam, quod absit: atque si per eandem legem esset iustitia, Christus gratis esset mortuus, eo quòd ad iustitiam mors illius non fuisset tunc necessaria, vt Paulus ad Galat. 3 argumentatur. Quo fit, vt nõ vi legis scriptæ, sed vi meritorum Christi & fidei in illum, tanquam fundamenti, cui iustificatio ac remissio peccatorum innituntur, benedictæ sint omnes gentes terræ, hæreditatemque vitæ æternæ sint consequutæ, quæcunque benedictionem ac vitam æternam sunt consequutæ: & consequenter fit, vt quo ad illam promissionem, filii Abrahæ sint, & hæredes cum illo, qui sunt ex fide Iesu Christi. Vt autem intelligeretur, promissionem illam Abrahæ factam, quòd in semine illius benedicendæ essent omnes gentes terræ, futuram in Christo in salutem ac redemptionem generis humani occidendi, per mortemque suam in sacrificium Deo Patri offerendi, tunc Abrahamo facta fuit, quãdo iussus à Deo fuit vnicum filium suum, quem diligebat, Isaac offerre in holocaustum super vnum montium, & quando in exequutionem ardui illius mandati, ligna super humeros Isaac imposuit, ipseque ignem & gladium in manibus portans, ascendit cum illo in montem, figuramque Christi in ligno crucis immolandi, caritatisque eximiæ, qua Pater æternus illum in morte erat traditurus, ad viuũ figurauit, & quãto feruore spiritus zeloq; obedientiæ, in re adeò ardua Deo exhibendi, arripuit gladium, vt filium eo interficeret ac immolaret. Iussus autem non vlteriùs progredi, *leuauit*, inquit scriptura, *Abraham oculos, viditq; post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus: quem assumẽs, obtulit holocaustum pro filio*, id est, loco filii. *Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videt*. Et tunc protinus sub iureiurando accepit promissionem illam à Deo, quòd in semine ipsius benedicendæ essent omnes gentes terræ. Porrò in ariete illo, agnóve integræ ac perfectæ iam ætatis, cornibus inter vepres hærente, quem eleuans oculos, non ante se, vt verba illa *eleuãs oculos*, postulare videbantur, neque ad latus, sed à tergo, hoc est, post se venturam, non sine magno mysterio his omnibus verbis significato vidit, & quem loco filii sui offerre est iussus, iterum ad viuum acerbissima passio ac mors Christi, loco mortis æternæ Isaac & totius generis humani, figurata ac significata fuit, Abrahamoq; ibi in spiritu fuit reuelata ac ostensa, per quam gentes omnes terræ, quæ à lapsu primorum parentum benedictæ sunt, & vsque ad seculi consummationẽ benedicentur, essent benedicendæ. Hic enim est locus & tempus, de quo Christus Ioan. 8 dixit; *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum*, id est, accurrit cum lætitia magna ac gestiens ad videndum diem meum, meæ scilicet incarnationis, vitæ, passionis, ac mortis, in remedium ac redemptionem generis humani, meæque resurrectionis, dum illi per reuelationem ostendebatur, ac sub iureiurando illi ex ipso quo ad meam humanitatem procreandus fui promissus, & in me illius semine benedicendas omnes gentes terræ; *vidit*, cum scilicet meum diem, *& gauisus est*. Abrahamus autem videns eum exitum suæ obedientiæ præcepto illi adeò difficili, ac fidei & confidentiæ suæ in Deum, eamque diuinam erga se prouidentiam expertus, *appellauit nomen loci illius Dominus videt*, id est, super suos, qui in ipso confidunt, eique per omnia obediunt, vigilat sua prouidentia, tempore oportuno eis superaccurrens.

Hanc etiam aliam prærogatiuam ac excellentiam habet lex noua & gratiæ supra legem veterem seu scripturam. Quòd, vt 1. p. q. 51. art. 2. disputatione 2 dicebamus, lex vetus per angelos Dei personam sustinentes, nomineque illius eam tradentes, lata est. Quare autor illius fuit Deus. Ministri verò loco & nomine Dei eam tradentes, & cum Moyse in persona Dei loquentes fuerunt angeli. At verò Moyses fuit sequester seu mediator inter Deum & populum, ita à Deo ministerio angelorum illam accipiendo ac referendo populo tanquam Dei legem, vt verè Dei lex erat. Vnde Paulus ad Galat. 3: *Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris*. Et ad Hebræ. 2: *Si enim, qui per angelos dictus est sermo* (legis scilicet veteris) *factus est firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia* (legis videlicet illius) *accepit iustam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, (non breui morte multans*, ait Clemens lib. 6. Apost. Const. 22. vt in pœnam in lege veteri statuebat, *sed in altero seculo rationem reposcens) si tantam neglexerimus salutem, (*legis scilicet nouæ ac gratiæ*) quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum*, &c. Et Stephanus Actorum 7 de Moyse ait: *Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris. Qui accepit verba vitæ* (id est, legem veterem) *dare nobis*. Et infrà: *Qui accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis*. Quoties enim in veteri lege dicitur, Deum apparuisse, & loquutum fuisse, vt cum Moyse facie ad faciem fuisse loquutum, intelligitur de angelo, qui personam Dei sustinebat, & in persona Dei loquebatur in corpore ministerio eiusdem angeli assumpto, vt 1. part. loco citato, & q. 12. art. 11. disp. 2. dictum est, atque affirmãt Dionysius 4. c. cæleſt. Hierar. Hierony. in c. 3 Epist. ad Gal. Ang. 2. de trin. c. 13. & 3. de trin. c. 11. & 12. & alii, constatque, præter testimonia scripturæ citata, quoniam cùm Exod. 3 de Moyse dicatur, *Apparuitq; illi Dominus in flamma ignis de medio rubi*. Et infrà: *Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi*, &c. Et infrà: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*. Et infrà: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel, qui est, misit me ad vos*: cùm, inquam, hæc Exodi 3 dicantur, Stephanus Act. 7. explicat, ange-

angelum fuisse, qui ex persona Dei cum Moyse eo modo loquebatur, dicens; *Apparuit illi in deserto montis Sina angelus in igne flammæ rubi. Moyses autem videns admiratus est visum. Et accedente illo vt consideraret, facta est ad eum vox Domini, dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, &c.* Et Gen. 22. sic dicitur, *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit, Ad sum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, &c.* Cùm tamen infrà manifestè dicatur, angelum in persona locoque Dei loquentem, fuisse qui id præceptum illi imposuit, dum dicitur: *Et ecce angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Ad sum. Dixitq; ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam. Nunc cognoui, quòd timeas Dominum, & non pepercisti filio tuo propter me.* Ecce, angelus Dei exprimitur, qui in persona & loco Dei præceptum illud imposuerat, rursusque his ipsis verbis in persona & loco Dei loquitur, dum dicit, *Et non pepercisti filio tuo propter me*, Deum scilicet, & non angelum. Et Gen. 18. cùm apparuisset Dominus Abrahamo in figura trium virorum, hoc est, angelorum, qui in persona Dei cum eo loquebantur, & Abraham cum illis, vt ex toto eo capite constat, statim c. 17 dicitur, *venerúntq; duo angeli*, ex illis scilicet tribus, *Sodomam*, &c. Ex quibus omnibus constat, legem veterem per angelos loco & in persona Dei latam fuisse. Lex autem noua in eo illam longè excedit, quòd per filium ipsum Dei hominem factum fuerit lata atque enarrata. Vnde Paulus ad Hebræ. 1. *Multifariè multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus istis*, legis nouæ, post quam nulla erit alia, *loquutus est nobis in filio*, id est per filium, *quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula, &c.* Et c. 2: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, &c.* Et Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit.* Christus autem, vt homo, est ille propheta à Deo per Moysem Deuter. 18. promissus, qui hanc nouam legem ipsis daret sine terroribus illis de cælo, quibus lex vetus per angelum Dei personam sustinentè lata fuit. Sic enim eo in loco Deuteronomii 18 de Christo vaticinatus fuit illis Moyses: *Prophetam de gente tua & fratribus tuis sicut me*, id est qui homo sit, & qui sicut ego tibi ex parte Dei hanc legem trado, ita ille eam alteram tibi tradat, *suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti a Domino Deo tuo in Oreb*, (vt scilicet tibi loqueretur homo) *quando concio congregata est atque dixisti: Vltrà non audiam vocem Domini mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus, bene omnia sunt loquuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui*, (qui homo sit, & legem sicut tu illis ferat) *& ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluit, ego vltor existam.*

9 Superest respondeamus ad argumenta pro A Manichæorum errore. Ad primum autem negandum est antecedens, nempe vetus Testamentum cum euangelio pugnare. Licèt enim meritò lex vetus præceperit seruari Sabbathum in memoriam beneficii creationis, & quòd Deus à fabrica tota huius vniuersi & partium illius, quibus constat, die Sabbathi cessauerit, nullam de nouo postea creando: id tamen non pugnat cum doctrina Christi Ioannis 5, quòd Pater vsque modò operetur, cuncta conseruando, & cum causis secundis cooperando, operaque miraculosa interdum in fidei testimonium se solo efficiendo, atque subsidia omnia præstando, quæ ad finem naturalem & supernaturalem expediens est ipsum, vt rerum omnium moderatorem prouisoremque vniuersalem, præstare. Atque, quòd id præceptum impositum in lege veteri fuerit Iudæis in memoriam eius beneficii, non tollit, quominus Pater æternus, qui nulli legi est subiectus, semper licitè ac sanctè, etiam die Sabbathi, operetur, & per consequens, quòd filius eadem opera, toti Trinitati communia, cum eo operetur. Christum autem legi Sabbathi non esse subiectum, eo quòd Deus esset ipsemet, Matthæi 12 docuit, dum dixit; *Dominus est filius hominis, etiam Sabbathi.* C Fortasse autem Christo illis verbis Ioannis 5 solùm erat sermo de supernaturalibus operibus ac miraculosis, quæ in confirmationem suæ doctrinæ ac diuinitatis die Sabbathi & aliis diebus efficiebat: vt & de solis supernaturalibus operibus ibidem loquitur in sequentibus, dum de comprobanda ac confirmanda sua diuinitate sermonem proximè subiungit. Illa enim verba dicta sunt occasione hominis illius, qui triginta octo annos habebat in infirmitate, expectabatque aquæ motum in piscina, quem Iesus Sabbatho solo verbo curauit. Ait autem Ioannes, *Propterea*, id est, eo obtentu ac veluti suæ indui- D uiæ ac malitiæ velo, *persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in Sabbatho. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Quasi diceret, vsque modò hæc miraculosa aperteque supernaturalia opera à Patre meo & à me sunt facta, vt ex ipsiusmet constat: reliquit verò subintelligendum ac subsumendum: opera autem Dei nulla ratione habere possunt rationem culpæ ac transgressionis præcepti Sabbathi: vnde apertè confutata manebat illa inscitia ac calumnia Iudæorum per consequentiam euidentem. Solis autem verbis ita concisis respondit ac satisfecit Christus illi calumniæ ac inscitiæ Iu- E dæorum, quòd solo verbo curando, transgrederetur Sabbathum, vt in eo contextu patet. Statim enim transit Ioannes ad aliud ex eo responso Christi, vnde Iudæi magis volebant eum interficere, dicens: *Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat Sabbathum, (*iuxta priorem scilicet calumniam*) sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Continuoque sequitur Christi plenissima satisfactio, cur meritissimè se filium Dei assereret.

Ad

Ad id verò, quod in eo primo argumento subiungitur, Christum scilicet homini illi à se curato iussisse lectum suum tollere & ambulare, dicendum est: Christo vt domino Sabbathi, atque vt magis populo constaret de eo insigni miraculo in fidei confirmationem & in salutem animarum facto, licuisse id præcipere dispensando cum eo homine quoad id in eo præcepto, maximè interueniente tam vtili ac expediente causa ad Dei honorem atque ad salutem animarum: hominique illi ita miraculosè curato licuisse etiam ei præcepto Christi parêre, iustamque causam habuisse credendi id licere sibi efficere ad præceptum eius, qui tantum miraculum diuina operatione in ipso effecerat. Vndè Iudæis illi dicentibus; *Non licet tibi tollere grabatum tuum*; meritò respondit: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula.*

Ad secundum dicendum est, iam explanatum esse in ipsismet verbis, & ex aliis antecedentibus Pauli c. 7, ibi culpam, defectum, & insufficientiam significare ad iustificandum, expirandum à peccatis, atque ad perducendum in vitam æternam; non verò significare culpam, hoc est, peccatum ac transgressionem Dei & rectæ rationis.

Ad tertium dicendum est, præcepta illa cæremonialia veteris legis non appellari à Deo in eo loco mala, sed non bona, quatenus à peccatis non expirabant, gratiamque non conferebant: vnde protinus subiungit; *in quibus non viuent*; id est, vi quorum non viuent, vita gratiæ atque à suis peccatis expiati vi eorum præceptorum: quare non aliud verba illa significant, quàm præcepta illa cæremonialia fuisse imperfecta comparatione præceptorum circa sacramenta futura in noua lege: idemque prorsus significant, quod illa alia verba Pauli ad Hebræ. 7, *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*: quæ omnia Pauli verba suprà in eundem sensum perspicuè explanata sunt. Quo fit, vt præcepta illa non bona dicantur, comparatione longè meliorum, quæ in lege gratiæ erant futura. Vt enim *Greg. 28 Moralium, c. 17.* ait, quemadmodum mala, bona quodammodo dicuntur comparatione longè peiorũ, qua ratione Ezechielis 16 de Ierusalem ob longè grauiora ac fœdiora peccata, quàm fuerint Sodomæ & Samariæ, quæ ibi sorores Ierusalem nuncupantur, ait idem Dominus; *& iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es*; quia abominationes illarum, comparatione longè maiorum tuarum, quasi iustitiæ reputantur: sic minùs bona comparatione longè meliorum non bona reputantur ac nominantur in illo alio eiusdem Ezechielis loco.

10 Alii locum Ezechielis 20 exponunt de præceptis gentium, in quibus filii Israël in pœnam suorum peccatorum erant dispersi, quæ gentium præcepta erant mala, & quòd Deus dicatur ea illis dedisse, tradendo illos in captiuitatem eorum locorum, eaque ratione permittendo vt præceptis earum gentium vterentur. Vnde ibi continuò additur: *Et pollui eos* (id est, permisi vt polluerentur) *in muneribus suis, cùm offerrent* (idolis videlicet) *omne, quod aperit vuluam, propter delicta sua, & scient quia ego Dominus.*

Aliam expositionem egregiam tradit *Clemens lib. 6. Apost. Const. c. 20. & 21* ex Apostolorum doctrina, antequam populus ille post egressum ex Ægypto in idololatriam defluxeret, vitulum conflatilem conficiendo. illique iniquissimè summaque cum ingratitudine tribuendo, quòd ipsos eduxerit de terra Ægypti, non iussisse illis sacrificia, sed voluntati illorum reliquisse, vt illa offerrent, vt Abel, Noë, Abrahamus, & alii patres antiqui, non astricti præcepto, sed lumine naturali ducti, in Dei honorem illa offerebant. Vnde ante id peccatum Exodi 20, quasi liberum id eis relinquens: *Si feceris*, inquit, *mihi aram, ex terra facies.* Post illud verò idololatriæ peccatum, ne in illam defluerent, sacrificia varia illis instituit, eaque illis tanquàm seruis præcepit, vt in eis quidem adumbraret futura in noua lege, cæterùm simul in pœnam grauissimi illius idololatriæ peccatum, & vt eos contineret ac comprimeret, ne in illam defluerent: quibus etiam de causis illis etiam tradidit varia alia cæremonialia præcepta circa ciborum delectum, & circa alia: ejusmodique superaddita cæremonialia præcepta non bona per Ezechielem nuncupauit, non quidem quòd illa nos astringerent ac obligarent, aut quòd mala essent, sed quòd prædictis de causis in pœnam, & vt illos comprimerent ac continerent, ne in idololatriam sacrilegosque cultos defluerent, & quòd imperfecta valdè essent comparatione præceptorum legis gratiæ, tollendaque essent adueniente lege gratiæ.

Ad quartum concedenda est maior, nempe legem, si bona sit, bonos efficere subditos, ex parte sua atque ex intentione illam ferentis, in eorumque salutem spiritualem ordinari ac concedere, ex parte similiter sua atque ex intentione illam ferentis, & non in eorum spirituale detrimentum: & quoniam lex vetus id habebat, idcirco Paulus in testimoniis suprà relatis ac explanatis illam appellat sanctam, bonam, & ad vitam. Spectata tamen quatenus gratiam non conferebat ad ipsam implendam, & ad euitanda peccata, quæ in illius transgressione consistebant, & quatenus notitia illius, auferendo ignorantiam quòd illius transgressio esset peccatum, auget culpam transgressionis, & quatenus ex nostra fragilitate ac prauo affectu rebellionis sensualitatis ex peccato originali, in nobis prouenientes, nitimur in vitium, cupimusque negata, vt in nobis ipsis experimur, ac Poëta cecinit, occasio nobis est, non data à lege, sed à nobis nostra praua inclinatione sumpta, illam plus trãsgrediendi, ait Paulus in locis minoris in eo quarto argumento subsumptæ, ad Romanos quidem 4 eam legem *iram*, hoc est, pœnam, iustam Deique animaduersionem ob culpam transgressionis illius, *operari*: *quoniam vbi non est lex, neque præuaricatio*, illius scilicet seu trangressio, ac proinde nec est culpa eius transgressionis, pœna & animaduersione Dei digna. Et ad Rom. 5 ait: *Lex subintrauit, vt abundaret*

daret delictum, non quidem quasi id à lege proueniret, quę in se bona iustaq; est ac sancta, & ad vitam rectoque fine lata, vt idemmet Paulus in testimoniis suprà relatis ac explicatis docet, sed ex nostra fragilitate ac nequitia: vnde dictio illa, *vt*, non causalitatem ibi significat, sed consequutionem, non quidem prouenientem ex lege, sed ex nostra pronitate ad malum, ac imbecillitate ad nos continendum ne legem transgrediamur. Et ad Rom. 7. ait, *Occasione*, non quidem data à lege & mandato, sed *accepta* ex nostra infirmitate ac prauo affectu, rebellioneque sensualitatis, *peccatum*, quo ad fomitem eandemque sensualitatis rebellionę, quæ ex originis peccato in nobis est, peccatúque originis materialiter sumptum dicitur, *per mandatum*, id est, occasione sumpta ex mandato ac lege, *operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat*, dum in vetitum non tam potenter inclinabat ac nitebatur. *Ego autem viuebam sine lege aliquando*, (loquitur ex persona populi Israëlitici, dum lex illa scripta tradita non erat) *sed cùm venisset mandatum, peccatum*, quo ad fomitem ac rebellionem sensualitatis, *reuixit. Ego autē mortuus sum*, legem transgrediendo ac consentiendo prauæ meæ inclinationi: *& inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam*, ex se scilicet atque ex intentione illud ferentis, *hoc esse ad mortem. Nam peccatum*, quo ad fomitem ac rebellionem sensualitatis, *occasione*, non quidem data, *sed accepta per mandatum, seduxit me, & per illud occidit*. Ecce, ex his Pauli testimoniis non habetur legem veterem in se, vt ex intentione illam ferentis, malam esse. In eis enim & in similibus aliis testimoniis solùm intendit, legem solam, sine gratia per Christum, nihil omnino prodesse, sed potiùs esse occasionem maioris mali ac maioris ruinæ spiritualis hominibus ex ipsorum praua inclinatione, atque ex eo, quòd culpa in eis aggrauetur, dum illam transgrediuntur ex notitia eiusdem legis, necessariamque esse ad salutem, & ad eiusdem legis impletionem, gratiam Christi, quæ tempore etiam eius legis ad eam implendam conferebatur meritis Christi futuris, & ab origine mundi occisi, ad effectum vt à lapsu Adami gratia ad salutem & ad legem implendam conferretur. Vnde neganda est consequentia eius quarti argumenti.

Ad quintum dicendum est, doctrinam illam Isidori, quam maior illa propositio habet, prolatam ab illo esse de lege humana: eo quòd ciues non vsque adeò se intendunt subjicere principi, neque tantum iurisdictionis illi conferre, quando illi in ipsorum bonum reipublicæ dominium contulerunt, vt leges intolerabiles, obseruatuque admodum difficiles, ipsis ferat: intelligitur præterea ea doctrina, quando aliud non efflagitant recta ratio ac circunstantiæ concurrentes: si enim bonum commune reipublicæ id ita postulet, lex statui potest, qua subditi teneantur multum de suis facultatibus contribuere, vitamque periculo exponere pro bono publico: lex autem vetus diuina erat, statusque illius temporis postulabat, vt ad continendum eum populum, ne in idololatriam laberetur, & ad figurandum, quæ tempore legis gratiæ erant futura, & vt suauior lex euangelica faciliùs maiorique cum auiditate susciperetur, atque ad eos puniēdos ob grauissimum illud peccatum, quo vitulo conflato honorem eductionis ipsorum de Ægypto tribuerunt, id iugum grauius hominibus illius legis imponeretur. Petrus autem ea verba protulit ad significandum grauius fuisse onus veteris legis, quàm euangelii, neque expedire vt iis imponeretur, qui ad legem gratiæ accedebant. Vnde neganda est consequentia, qua inde infertur, legem veterem bonam non fuisse.

Ad sextum concedenda est maior de perfectione, quam pro tunc postulat, quod à Deo fit, attentis & circunstantiis concurrentibus, & fine, ad quem Deus id ita facit: vnde quia legem veterem dedit Deus ad disponendum ad nouam, ad illamque figurandam, atque ad præparandum mundum ad Christi aduentum, & simul ex parte ad puniendos & comprimendos filios Israël, fuit quidem illa lex opus Dei perfectum attentis illis circunstantiis ac fine, ad quem à Deo tunc ordinabatur: tametsi non esset perfecta perfectione legis nouæ ac gratiæ, & comparatione iustificationis ac expiationis à peccatis ac introductionis hominum in vitam æternam: quæ omnia pendentia erant à meritis Christi futuris, & quo ad apertionem ianuæ cæli ac introductionem in vitam æternam à solutione actu effecta pretii nostræ redemptionis, vt hæc omnia suprà explanata sunt. In minori verò sermo est de reprobatione ac reiectione legis veteris, tanquam insufficientis ad eos effectus iustificationis, expiationis à peccatis, ac introductionis in vitam æternam efficiendos, vt etiam explanatum est. Vnde neganda est consequentia eius argumenti.

Ad septimum negandum est antecedens de sacrificiis illis in se, quatenus à Deo lege illa veteri erant statuta, atque in Dei cultum ac religionem fiebant. Ad illa verò omnia ex Isaiæ 1. in confirmationem eius antecedentis dicendum est, intelligenda esse de illis, quatenus ab hominibus peccatis grauissimis inclinatis offerebantur, à quibus resipiscere & conuerti non volebant, arbitrantes satis esse ea sacrificia offerre atque cæremonias illas extremas seruare, quæ Deo placere non poterant sine resipiscentia & conuersione à peccatis ac emendatione vitæ, & quatenus non vt oportebat, sed admiscendo peccata, fiebant, vt perspicuè ex ipsomet contextu liquet. Id verò, quod in confirmationem eius antecedentis ex Ieremia additur, iunctis antecedentibus proximè in eodem Ieremia, corroborat responsionem datam ad verba Isaiæ. Post obiurgationes enim & comminationes grauissimas in eo capite ob grauissima illorum parentumque suorum peccata, addit ibi Ieremias: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Holocaustomata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes*, victimarum scilicet vestrarum: nam quæ in Holocaustū offerebantur, igne consumebantur omnino. Quasi dicat, & confidite in illis, vt facitis quasi ea sufficiant, nō resipiscentes neq; desistētes à grauissimis

mis vestris peccatis, neque pœnitentiam de illis agentes. *Quia non sum loquutus cum patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti*, ante idolum à vobis conflatum, *de verbo holocaustomatum & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens, audite vocem meam,* (seruando scilicet legem, quam vobis trado) *& ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandaui vobis, vt bene sit vobis. Et non audierunt, neque inclinauerunt aurem suam*, &c. quorum vestigia vos etiam sequimini, excedentes scelera & peccata illorum. Loquitur verò Deus ibi per Ieremiam de tempore, quo primò Exodi 19 & 20 dedit eis legem decalogi, quam postea scriptam in tabulis lapideis tradidit eis. Quamuis autem Exodi 20 addiderit: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oues vestras, & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei: veniã ad te, & benedicã tibi. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eum, polluetur*. Licèt, inquam, hæc ibi addat, solùm est id permissio, & non præceptum vt offerantur, & prohibitio, ne altare sit de lapidibus sectis. Et quamuis post latam legem instituerit postea à capite 29 ritum sacrificiorum, ad continendum populum, ne ad sacrificandum idolis & ne ad idololatriam difflueret, simulque ad illud puniendũ ob vitulum cõflatum, atque ad figurandum, quæ in noua lege erant futura, voluerit quoque eum cultum sibi exhiberi, obediẽtiam tamẽ præceptis suis semper sacrificiis præposuit, neque sine illa grata & accepta sibi fuerunt sacrificia. Atque hoc est, quod significãt is Ieremiæ locus & illa alia ex Isaia relata, & quod significãt illa Samuelis ad Saul. 1. Reg. 15. Cùm enim in excusationem suæ inobedientiæ dixisset Saul: *Tulit de præda populus oues & boues, primitias eorum, quæ cæsa sunt, vt immolet domino Deo suo in Galgalis, ait Samuel: Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quam victima, aut auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Idem significat illud Oseæ 6: *Misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plus, quam holocaustum*, quod citat Christus Matth. 9. & 12. Et scriba ille, de quo Marci 12 est sermo, dixit: *Bene magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.* Et vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquã seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus & sacrificiis. *Iesus autem videns, quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei.* Hoc ipsum significant ac confirmant cætera testimonia, quæ in confirmationem eiusdem antecedentis in eodem septimo argumento subiungũtur. Tametsi quædam eorum etiam significẽt insufficientiam illorum ad iustificandum & expiandum à peccatis, vt duo postrema. Circa hanc autem responsionem legis his valde consentaneè, quæ Clemens lib. 6. Apost. Conf. c. 22.

Ad octauum dicendum est, Christum eam legem non improbare, quæ iusta erat & non mala, & quo ad multa delicta in foro exteriori punienda pœna illa talionis in multis rebus publicis bene institutis est meritò statuta. Sed discipulis suis, & aliis, qui perfectionem euangelii amplecti vellent, id consilium eamque maiorẽ perfectionem tradidit. Id verò non tollit, quòd inter Christianos, potestates publicæ exequi teneantur talionis pœnam aduersus malefactores, quando legibus est statuta pro delictis ab eis commissis: & quòd priuatæ personæ, quibus incumbit, fasque est accusare malefactores circa ea delicta, licitè possint petere in iudicio, vt ea pœna illis imponatur.

Vtrùm lex vetus soli Israëlitico populo, quem solùm obligauerit, dari debuerit. Disp. 51.

SVMMARIVM.

1. *Lex vetus solis Iudæis data fuit, lex naturæ Gẽtibus sufficiebat: vnde maior & grauior Iudæorum lex, quam Gentium.*
2. *Maius beneficium Iudei acceperunt, & maiora auxilia eis fuerunt collata ad illam implendam meritis Christi, cuius fidem expressius profitebantur, quàm in lege naturæ fieret; & alia eorum priuilegia.*
3. *Iudei tenebantur legem totam scriptam seruare, quam circumcisione fuerant professi, neque synagogam deserere poterant, & ita transire ad legem naturæ. Gentibus verò integrum erat ad legem scriptam transire, eamq; profiteri seipsos circumcidendo.*
4. *Beneficia illa, quæ Deus Iudæis contulit, contulit illis non ob merita eorum, sed ex sola sua misericordia, atque vt promissa sua Abrahamo, Isaac, & Iacob impleret, & ex gratuita etiam misericordia elegit Abraham, vt ex eius semine Christus nasceretur.*

CVm Deus, qui infinitæ ac illimitatæ est 1 sapientiæ & bonitatis, declinantibus hominibus legis naturæ ad idololatriam, sibi peculiarem populum delegerit, ex quo Christus vnigenitus ipsius filius, generis humani redemptor, nasceretur, & quorum patribus id ita promitteret, atque cui legem scriptam traderet, in qua adumbrarentur ac prædicarentur, quæ Christi & legis gratiæ tempore erant futura, vt ea ratione mundus ad suauiùs ac meliùs Christum suscipiendum disponeretur, atque vt hæc omnia ex scripturis sanctis veteris ac noui Testamenti constant, satis profectò est perspicuũ id ita expediens ac decens fuisse iuxta suæ diuinæ prouidentiæ ordinem ac dispositionem: sunt enim Dei iudicia iustificata in semetipsis eo ipso, quòd ab illimitata ipsius sapientia ac bonitate emanent. Neque quòd Christo aduenĩente, lex euangelica in vniuerso mundo esset prædicanda ac promulganda, orbemque vniuersum obligare deberet iuxta illud Isaiæ 29: *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lumen Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ*; & illud Psal. 2: *Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: quibus concinunt illud Ioan. 10: *Et alias oues habeo, quæ*

quæ non sunt ex hoc ouili, (synagoga scilicet) & illas oportet me adducere, vt vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor: cùm scilicet vsque diuersa ouilia fuerint synagogæ, & gentium ad legem naturæ attinentium. Et illud Simeonis Lucæ 2: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël;* atque illud Marc. 16: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quòd, inquam, lex euangelica in vniuerso mundo esset prædicanda ac diuulganda, mundumq; vniuersum esset astrictura, nõ impedit, quòd lex scripta, quæ ad illam ordinabatur ac disponebat, quæque illam adumbrabat, & in qua prædicanda illa erant, quæ ad legem euangelicam attinebant, quemadmodum soli Israëlitico populo promulgata ac data fuit, sic eum solum populũ ad illius obseruationẽ obligaret, reliquos mortales cum sola obligatione legis naturæ, quæ in vniuerso orbe ante eam legem scriptam erat, relinquendo tanquam in distincto ouili, ac in parte distincta vniuersalis Ecclesiæ militantis, vt testimonia citata apertè sonant, & consentit illud Ephes. 2: *Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè,* quia scilicet promissionem de Christo non habebatis, atque in idolatriam declinastis, *facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ,* legis videlicet veteris, quæ Israëliticum populum à gentili diuidebat, indeque occasionem sumebant, vt inter se dissiderent, sibique inuicem aduersarentur, *soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum* veterem scilicet *decretis* legis nouæ *euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem,* lege gratiæ formatum ac creatum, *faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore,* Ecclesiæ scilicet Christianæ ac legis nouæ, *Deo per crucem, interficiens inimicitias in semet ipso. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem.* Consentit item illud ad Rom. 2: *Cùm gentes, quæ legem non habent,* scriptam scilicet in tabulis lapideis à Deo Iudæis datam, *naturaliter quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.* Et infrà: *Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nónne præputium illius in circumcisionẽ reputabitur? & iudicabit id, quod natura est præputium legem consummãs, te, qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es.* Sermo autem ibi est Paulo de Iudæis & gentibus ante legis ecclesiæ promulgationem, quando in vtroque ouili iustitia ac salus esse poterat.

2 Quamuis autem populus Israëliticus ad multo plura teneretur, quàm teneretur gentilicus populus, qui ad sola præcepta, quæ tempore erant legis naturæ, tenebatur, grauiusque proinde tunc iugum legis veteris esset Iudæis impositum, quàm gentibus; nihilominus longè maius beneficium accepit tunc Israëliticus populus, quàm gentilicus. Tum quoniam obseruatio illa plurium præceptorum in longè maius meritũ Iudæis cedebat, longeque maiora auxilia ad illam implẽdam, quàm hominibus legis naturæ, fuerint collata meritis Christi venturi, cuius fidem expressiùs profitebantur, quàm in lege naturæ fieret illius professio, illis conferebantur. Tum etiam quoniam Christus de ipsorum semine fuit illis promissus, quod ad ingentem illius populi gloriã attinebat, iuxta illud Simeonis Lucæ 2: *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël,* attinebat etiam ad fruẽdum Christi corporali præsentia ac miraculis & doctrina ex ore illius proprio, atque ad illum faciliùs, feliciùs, ac abundantiùs suscipiendum, vt ab ipsius immaculata ac sanctissima matre, ab Apostolis ac discipulis, aliisque illius populi, feliciùs & longè abundantiùs susceptus fuit, in quos Spiritus sanctus in die Pentecostes descendit, quiq; primitias spiritus, vt Paulus ad Rom. 8 ait, acceperunt. Tum denique quoniam eo ipso, quòd Deus eum populum in suum peculiarem sibi delegit, ex quo vnigenitus suus, mundi redemptor, nasceretur, & cui legem scriptam daret, in qua, quæ tempore aduentus filii sui & legis gratiæ erant futura, adumbraret ac prædiceret, ad eamque disponeret, consequenter illum etiam delegit, cum cuius parentibus ac patriarchis Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph ita familiariter conuersaretur, eos erudiret, protegeret, ac beneficiis innumeris cumularet, vt scriptura sacra narrat Deum cum eis fuisse conuersatũ, eos erudiisse, protexisse, innumerisq; beneficiis cumulasse, eundemque populum elegit, in cuius egressu ex Ægypto, in traditione legis scriptę, in itinere per desertum, in ingressu terræ promissionis, & postea tempore toto, quo status eius legis ac synagogæ perseuerauit, tot stupenda ac mirabilia operaretur, quibus illos in fide confirmauit, atque à visibilibus & inuisibilibus hostibus protexit, in illis oracula reddebat, prophetas variis temporibus ad illos mittebat, & denique illos mirum in modum protegebat ac adiuuabat. Ad hæc omnia & ad similia alia, attendens Paulus ad Rom. 9 dixit: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, amen.* Et ad Rom. 2: *Quid ergo amplius Iudæo est?* quàm scilicet populo ex Gentibus, legisve naturæ. *Multum per omnem modum. Primum quidem, quoniam credita sunt illis eloquia Dei.* Et Regius Propheta Psal. 147: *Qui annunciat verbum suum Iacob, & iustitias suas Israël, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Et Moyses Deuter. 32: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi. Quãdo diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis. Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos & super eos volitans, expandit alas suas. & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis, Dominus solus dux eius fuit,* &c. prosequiturque beneficia innumera, quibus eum ingratum populum Deus est prosequutus, ac super gentes cunctas sublimauit.

3 Qui Israelitici erant populi, tenebantur legem totam scriptam seruare, quam circumcisione fuerant professi, neque synagogam legemq; scriptam poterant deserere & transire ad ouile ac legem solam legis naturæ. Contra verò integrum Gentibus erat ad synagogam legemque scriptam transire, eamque profiteri se ipsos circumcidẽdo, si masculi essent, atq; eo ipso, quòd semel illã essent professi se ipsos circumcidẽdo, non poterant illã deserere. Exod. enim 12 de esu agni Paschalis, seruatis cæremoniis, quæ in illo edendo præcipiebãtur, dixit Dominus ad Moysem. Hæc est religio Phase: *Omnis alienigena non comedet ex eo. Quòd si quis peregrinorum* (id est, qui non fuerit de filiis Israël) *in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidatur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritq; sicut indigena terræ. Si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono, qui peregrinatur apud vos.* Portò eiusmodi ita ex Gentibus se ipsos circumcidentes, ac transeuntes ad Iudæismum, proselyti nuncupabantur, hoc est exteri, ad ipsorum tamen religionem ac legem transeuntes. Vnde Christus Matth. 23: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridum, vt faciatis vnum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis illã filium gehennæ duplo quàm vos.* Et Lucas act. 2: *Iudæi quoque & proselyti.* Sotus 2 de iust. q. 1. art. 3. ad vlt. rectè ait, circumcisionem nulli gentilium prodesse ad salutem, nisi ea totam legem veterem profiteretur, atque ad illam se astringere vellet: erat enim circumcisio professio eius legis, sicut baptismus in lege gratiæ professio est Christianæ legis. Vnde Paulus ad Gal. 5: *Testificor autem rursus*, inquit, *omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*, id est, quoniam eo ipse se profiteretur debitorem vniuersæ legis veteris faciendæ. Sotus ibidem ait, integrum fuisse Gentibus aliquam aut aliquas cæremonias ac ritus Iudæorum amplecti, non profitendo legem, neque ad illam se astringendo. Phase tamen cum Iudæis celebrare, nisi circumciderentur, totamque legem veterem profiterentur, prohibitum erat Iudæis illis permittere, vt ex testimonio Exodi 12 paulo antea à nobis relato perspicuè constat.

4 Ingens autem illud beneficium legis scriptæ, & quòd Deus Israëliticum populum eligeret in suum peculiarem, ex quo Christus nasceretur, cui terram promissionis donaret, & in quem tot alia beneficia conferret, non accepit is populus præ reliquis Gentilium ob sua merita, sed ex Dei misericordia, atque vt promissa sua facta Abrahamo, Isaac, & Iacob impleret. Vnde Deut. 9 ait Moyses: *Ne dicas in corde tuo, cùm deleuerit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hãc possiderem, cùm propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terras earum: sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te, deletæ sunt: & vt impleret verbum suum Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Scito ergo, quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ ceruicis sis populus. Memento, & ne obliuiscaris, quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominum Deum tuum in solitudine: & ex eo die, quo egressus es de Ægypto vsque ad locum istum, semper aduersus Dominum contendisti, &c.* Quòd si filii Israël non acceperunt terram promissionis ob sua merita præ aliis populis, multo minùs ob sua merita collata eis sunt illa alia longè maiora beneficia. Quin si ad crimina illorũ, maximè idololatriæ, quæ post tot prodigia ante ipsorum oculos in ipsorum gratiam effecta commiserunt, respexisset Deus, potiùs illos omnino abiecisset, quàm in populum adeò dilectum sibi illos delegisset ac retinuisset: referta quippe est scriptura sacra immanium criminum, quæ aduersus Deum commiserunt, vt patet Prophetas & alios veteris Testamenti libros euoluenti.

Quin neque Abraham, Isaac, & Iacob electi sunt, ex quorum semine Christus nasceretur, & quorum sobolem Deus in populum sibi peculiarem acciperet, ob sua merita, sed ex gratuita Dei misericordia. Vt enim Paulus ad Rom. 9 ait: *Cùm nondum* (Iacob scilicet & Esau) *nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, (vt secundum electionem propositam Dei maneret) non operibus, sed ex vocante dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est* (Matth. 1:) *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quo in loco non est solùm Paulo sermo de stipitibus illis Iacob & Esau, sed simul etiam de populo synagogæ ex Iacob deriuando, & de posteris Esau, vt in Concordia q. 23. art. 5. disp. 1. memb. 9. concl. 4. & in editione Antuerpiensi memb. 11 dilucidè ostẽdimus, vbi etiam copiosiùs ex eo capite toto Pauli comprobauimus, quod proximè de Abraham, Isaac, & Iacob asseruimus, non scilicet suis meritis ad id electos fuisse, sed gratuita Dei misericordia meritisque Christi. Tametsi non idcirco excludatur libera ipsorum cooperatio, quam in ipsorum potestate fuerit non adhibere, ad ipsorum merita ex gratia & electione Dei, inter quę ob heroicum illum actum leuandi gladium, vt iussu Dei immolaret filium suum Isaac, facta est Abrahamo felicissima eximiaque illa promissio, ipsius videlicet sobolem futurum Christi mundum redemptorem, in quo gentes omnes terræ essent benedicendæ. *Per me metipsum iuraui dicit Dominus*, Gen. 22: *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Itaque origo illius meriti, & electio Abrahami ad illud, propter quod repromissio illa ei fieret, fit quidem à Deo ex sola sua misericordia: nihilominus tamen idem meritum verè fuit meritum Abrahami coram Deo ob liberam eiusdem Abrahami ad eum actum cooperationem misericorditer à Deo adiutam: qua de causa simul fuit meritum Abrahami & donum Dei ex sua gratia, quo Abrahamus eam mereretur promissionem, non quidem de condigno, quasi debita esset actui illi heroico, sicut eidem actui de condigno debitum erat præmium vitæ æternę, sed ob quem voluit Deus eam illi in particulari efficere, vt apertè sonant verba illa, *quia fecisti hanc rem, & quia obedisti voci meæ*, in re videlicet adeò difficili, tantoque affectu caritatis ac obedientiæ, vt etiam indicant illa alia verba eiusdẽ capitis, *arripuit gladium, benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gẽtes terræ.* Sicut enim beata

beata virgo non suis meritis electa fuit vt esset mater Dei, sed ex Dei misericordia & ex meritis Christi filii sui futuri, & nihilominus, cooperãte ipsa libere ad sua merita, eisdẽ meritis & aliis donis cooperáte Spiritu sancto præparata fuit, vt dignum filii sui habitaculum effici mereretur, vt de illa canit ecclesia: sic non suis meritis electi sunt Abraham, Isaac, & Iacob, vt ex illis Christus nasceretur, essentque Patriarchæ synagogæ, cui Deus adeò præclara beneficia præ cæteris gentibus ante Christi aduẽtum & in ipso aduentu conferret, sed id ex misericordia Dei, & ex Christi futuris meritis obuenit, & nihilominus, ipsis ad suas virtutes & ad sua merita cooperantibus, effecti sunt apti, vt capita ac patriarchæ essent synagogæ, quibus Deus Christum ex ipsis nasciturum promitteret, & quos Deus tanto honore prosequeretur, vt Exodi 3 sequens nuncium per Moysem ad filios Israel mitteret: *Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.*

Vtrùm lex vetus conuenienter tempore Moysis à Deo lata sit. Et num vetus Testamentum tempore Abrahami inceperit, vetusq; ac nouum Testamentum veram Testamenti rationem habeant. Et à quo puncto computari debeant quadringenti triginta anni, post quos Paulus ad Galatas 3 ait legem veterem fuisse latam. Disp. 52.

SVMMARIVM.

1. *Conuenienter lex vetus tempore Moysis data fuit, iuxtã diuinæ ordinem prouidentiæ.*
2. *Vetus Testamentum in Abrahamo cæpit, & data lege tempore Moysis fuit innouatum, & inter Deum & populum Israëliticum stabilitum.*
3. *Pactum & fœdus quod inter Deum & populum Israëliticum pactum est, in nouo Testamento, vocatur* Testamentum, *& distinguuntur duo testamenta, nouum & vetus. De nomine Testamenti variè disputatur: asseritur epistola Pauli ad Hebræos contra Lutherum & Erasmum esse canonica.*
4. *Promisit Deus filiis Israël vltra terram promissionis, etiam æternam hæreditatem per Christum venturum obtinendam, interimq; omnes ad inferos descensuros, in locum iustis deputatum, à tormentisq; omnino liberum.*
5. *Quamuis promissio Iudæis facta de æterna Dei hæreditate ipsis conferenda post mortem promittentis, si legem seruarent, propriissimè Testamenti rationem habeat ex parte Dei, ea tamen Dei voluntas deambulatoria non fuit ac mutabilis vsq; ad mortem testatoris, sed firma & omnino immutabilis ex parte Dei.*
6. *Cur tempore veteris legis fœdus & pactum potiùs* fœdus *& pactum nominatum fuerit, aut promissio Abrahamo facta, quàm* Testamentum: *& tempore legis gratiæ,* Testamentum.
7. *Quadringenti illi triginta anni, de quibus Paulus ad Galat. 3, computari debent à puncto promissionis illius Abrahamo factæ, quòd in semine eius benedicendæ essent vniuersæ gentes.*
8. *Supputatio illorum quadringentorum triginta annorum.*

QVod ad primum attinet, num scilicet conuenienter lex vetus tempore Moysi data fuerit, dicendũ est, (vt & ad præcedentem disputationem) conuenienter tunc iuxta diuinæ prouidentiæ ordinem ac dispositionem fuisse latam, cuius indicia in semet ipsis iustificata eo ipso sunt, quòd ab infinita ac illimitata ipsius sapientia ac bonitate emanant, vt ad duo in præcedente disputatione proposita est etiam dictum. Cùm autem variis vitiis mundus quo ad naturæ lumen, legemque naturæ, cæcutire valde ac obtenebrari cæpisset, declinareq; circa tempora Abrahæ ad idololatriam incipere, deligere in Abrahamo sibi cæpit Deus peculiarem populum, qui sanctitate præ cæteris polleret, ex quo Christus, nasceretur, & in quo adumbraret ac prædiceret, quæ tempore aduẽtus Christi & legis gratiæ erant futura, vt sæpe est dictum. Quia verò lex non vni tantùm familiæ tradi consueuit, sed tantæ hominum multitudini, quæ integram rempublicam constituat, non Abrahamo tradidit Deus legem scriptã, sed illius posteris adeò iam tempore Moysis multiplicatis, vt integram rempublicam ac ecclesiam efficere possent. Interim verò Abrahamo tradere cæpit familiaria quædam præcepta, quale fuit illud circumcisionis, quod postea in illius posteris tempore legis scriptæ perseueraret, vt vtrumq; *D. Th. 1. 2. q. 98. art. 6. ad 2.* optimè docet. His accedit, quòd cùm Deus, ad illorum securitatẽ, quibus erat tradenda, quiq; illam erãt susceputi, tot miraculis erat illam cõfirmaturus quot in egressu filiorum Israel ex Ægypto, temporeq; quo fuit tradita, & postea in deserto, atque in egressu in terram promissionis, erat facturus, sanè expediens fuit, vt potiùs tempore Moysi, multiplicatis adeò filiis Israel, & de Ægyptiaca captiuitate tot miraculis liberatis, quàm tempore Abrahami, aut vllo antè alio tempore, lex scripta traderetur, vt ea ratione in posterorum maiorem securitatem plures essent oculati testes mirabilium, quibus Deus illã confirmauit. His quoque accedit, posteros illos, dispositos ac præparatos per consortium Dei cum patribus eorum Abrahamo, Isaac, & Iacob, & per promissiones illi factas, aptiores fuisse reditos ad legem scriptam susp iciendam, quàm si illa non antecessissent.

Quamuis lex scripta Moysis tempore fuerit lata, testamentum tamen vetus in Abrahamo cæpit, temporeq; Moysis, data lege, fuit innouatum, atque ad maiorem perfectionem adductum, inter Deumq; & Israeliticum populum fuit firmatum ac stabilitum. Primum constat ad Galat. 3. Vbi Paulus argumento sumpto à dispositione seu testamẽto, in humanis, probat, iustificationem, gratiam, ac hæreditatem æternam, non à lege veteri prouenire, sed à Christo longè antea Abrahamo promisso, in quo omnes gentes terræ benedicerentur, atque ex fide in illo. In hunc verò modum id Paulus egregiè ostendit: *Fratres, secundùm hominem dico,* id est, humano vtar exemplo, *tamen,* seu cæterùm, aut & tamen, *hominis confirmatum testamentum nemo spernit,* id est, parui facit, quasi vim non habeat, *aut superordinat,* id est, aut insuper circa eam dispositionem aliquid ordinat, quo illam eneruet ac inuertat. *Abrahæ dictæ sunt promissiones,* primò quidem Gen. 12, antequam exiret

de terra sua, & veniret in terram promissionis, secundò verò longè expressiùs ostendo illi medium & modum, quando gladium arripuit, vt immolaret filium suum Isaac, *& semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hoc autem* (id est, quod sequitur) *dico testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum fecit ad euacuandam promissionem*, id est, lex, quæ post quadringentos & triginta annos ab illa prima promissione facta seu data est, non irritum fecit id testamentum confirmatum à Deo iureiurando in secunda ad euacuandam, id est vt irritam faceret, eam promissionem, quasi scilicet, data ea lege, iustificatio ac hæreditas essent ex lege, & non ex ea promissione, ex Christóve promisso, in quo benedicendæ essent omnes gentes terræ, eaque ratione lege veteri euacuata redderetur ea Dei anterior promissio. Atque hoc est, quod subiungit. Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus.

Secundum verò constat ex illo ad Galat. 4: *Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem*, id est via naturali ac carnali, *natus est: qui autem de libera, per repromissionem*, viaque & modo supernaturali, quia de sterili ac sene, ex Dei supra naturæ cursum promissione: *quæ sunt per allegoriam dicta*, hoc est, per rerum harum significationem, quibus aliud, id scilicet, quod sequitur, significabatur. *Hæc enim* (rerum videlicet significatione) *sunt duo testamenta. Vnum quidem in Monte Sina*, quando scilicet data est lex, fœdusque illud inter Deum & populum Israëliticum firmatum est, de quo Exodi 24 in hunc modum sermo habetur: *Venit Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini atque iudicia, respondítq; omnis populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini, & manè consurgens ædificauit altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israël. Misítq; iuuenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaueruntq; victimas pacificas Domino, vitulos duodecim. Tulítq; Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare. Assúmensque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt, Omnia quæ loquutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem sparsit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus suis.*

3 Est verò in horum lucem, & eorum, quæ Disp. 50 dicta sunt, & quæ in progressu huius materiæ de lege veteri addentur, examinanda non leuis illa difficultas, cur id pactum & fœdus inter Deum & populum Israëliticum non semel, sed pluries à Paulo, quin & ab Euangelistis & Christo, Testamentum nuncupetur, duoque Testamenta distinguantur, nouum videlicet & vetus, illudque vetus Testamentum dicatur, & legis Euangelicæ nouum ad illius differentiam appelletur. Est quippe Exodi 24 in textu Hebræo verbum *Berith*, quod pactum ac fœdus significat, vt editio vulgata eo in loco transfert, & ex verbis paulo antea relatis constat. Et Ieremiæ 31 in Hebræo est similiter verbum *Berith* in illis verbis: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Vbi etiam vides in editione vulgata verbum *Berith*, pactum ac fœdus fuisse translatum. Paulus verò ad Hebræos 8 referens hunc locum, non *pacti* aut *fœderis* vocabulis est vsus, sed *Testamenti*. Sic enim illum refert: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël & super domum Iuda Testamentum nouum, non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est Testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Eodem etiam vocabulo vtitur capite 9 sequenti. Atque de Testamento, quod morte testatoris confirmatur, referendo testimonium illud aliud Exodi 24 suprà relatum, sic de Christo ait: *Ideo noui Testamento mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit, qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dicatum est. Lecto enim omni mandato legis a Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum sparsit, dicens: Hic sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit, & omnia penè in sanguine secundum legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Ex eo autem, quòd Paulus ad Hebræos 8 & 9 fœdus ac pactum inter Deum & Israëliticum populum Testamentum nuncupauerit, contendunt Erasmus, Caiet. & aliqui ex Lutheranis, epistolam ad Hebræos neque fuisse Pauli, neque esse canonicum. Quòd si nomine Testamenti, quo eis in locis vsus est Paulus, innitantur, est sanè id eorum argumentum ac fundamentum satis debile. Si verò in ipsa re nitantur, quòd scilicet id pactum ac fœdus Testamentum non fuerit, quale est, quod morte testatoris confirmatur, & quale Paulus ad Hebræ. 9 illud appellat, ostendemus planè nullas omnino vires ad eorum argumentum habere, meritoque à Paulo, ex parte Dei, Testamentum, quod morte testatoris confirmatur, fuisse nuncupatum.

Primùm, quòd scilicet, si nomine Testamenti, quo in eis locis Epistolæ ad Hebræos vsus est Paulus,

Paulus, ducantur vt affirment, eam epistolam nec Pauli nec canonicam esse, sit id eorum argumentum ac fundamentum satis debile, sanè ex sequentibus liquidò constat. Primò, quoniam Paulus non in ea sola Epistola id fœdus & pactum appellauit Testamentum, sed etiam in aliis suis Epistolis, quas & ipsius & canonicas esse, etiam ipsi, cum quibus disputamus, concedunt. Ad Rom. enim 9 de Israëliticis ait: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* Primæ ad Cor. 11 de Christo, in qua nocte tradebatur eum dixisse, ait: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine.* Certè Christus & Paulus dicendo, *nouum Testamentum est*, apertè significarunt fœdus illud & pactum Exodi 24 inter Deum & populum Israëliticum Testamentum vetus fuisse: Neque enim dicitur nouum Testamentum nisi comparatione veteris: neque fuit aliud vetus Testamentum, quàm fœdus illud ac pactum Exodi 24 iam antea in Abrahamum & cum Abrahamo cæptum. Secundæ ad Cor. 3: *Qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Et infrà: *Vsque in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur.* Et ad Galat. 4: *Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta. Vnum quidem in monte Sina.* Sine vllo dubio, quod Exodi 24 fœdus initum inter Deum & Israëliticum populum nuncupatur, quando lex vetus populo Israëlitico fuit tradita. Secundò, quoniam non solùm à Paulo, sed etiam antea à Christo Testamentum fuit apertè nuncupatum. Matth. namque 26 & Marci 14 de calice dicens Christus: *Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur.* Et vt referunt Lucas c. 22 Christum dixisse: *Hic est calix noui Testamenti in meo sanguine*, & Paulus 1 ad Cor. 11: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, procul dubio nouum Testamentum in suo sanguine dixit Christus comparatione veteris Testamenti: neque enim Testamentum nouum dicitur nisi veteris comparatione. Et Zacharias Lucæ 1: *Ad faciendam*, dixit, *misericordiam cum patribus nostris, & memorari Testamenti sui sancti, iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*, vtique Gen. 22 quando illi incarnationem filii sui ex sua posteritate promisit, mortemque illius sub typo arietis hærentis inter vepres, loco Isaac interitus totius generis humani illi ostendit, eaque ratione illi promisit in semine illius benedicendas omnes gentes terræ. Quare in ea promissione Abrahamo tunc iuramento confirmata, expressiusque manifestata, tametsi iam antea Gen. 12 non adeò manifestè facta, incepit Testamentum, de quo Zachariæ est eo loco sermo, hoc est incepit promissio æternæ hæreditatis facta à Deo, nequaquam conferendæ & obtinendæ ante mortem ipsiusmet promittentis, & non vt Dei, sed vt hominis, qui tunc est Abrahamo promissus redempror sanguine ac morte sua generis humani. Tertiò, quoniam septuaginta interpretes natione Hebræi ante Christi aduentum verbum Berith Græcè vertunt diathici; quod verbum est in testimoniis ex Epistolis Pauli Græcè ab illo scriptis, & ex euangeliis Lucæ ac Marci, Græcè similiter ab eis scriptis, supraq; relatis, ac latinè præcipua sua significatione sonat testamentum, sicq; in editione latina vulgata vbique vertitur: atque eo modo septuaginta verterũt verbum Berith Exodi 24, & Ieremiæ 31, & in Psalmis frequenter, quorum versione in latinum translata vtitur Ecclesia latina. Sic Psalmo 77 habetur: *Non custodierunt testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare.* Et infrà: *Cor eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius.* Psal. 88: *Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita*, & aliàs sæpe. Est tamen obseruandum, quamuis verbum diathici Græcè frequentiùs pro testamento vsurpetur, sicq; in editione latina vulgata vocabulo testamenti vertatur; interdum tamen sumi latiùs pro dispositione, siue testamento siue extra testamentum facta, sumiq; etiam pro fœdere ac pacto. Vnde in multis locis, in quibus in editione latina vulgata vertitur testamentum, verti quoque potuit pactum, pactumq; sæpe intelligitur, vt in illo Psal. 82 de Idololatris, Dei & populi Israëlitici inimicis; *Quoniã* (inquit Psalmista) *ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderũt te, extulerunt caput. Super populũ tuum malignauerunt consiliũ, & cogitauerũt aduersus Sãctos tuos. Dixerunt, venite, disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israël vltra. Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul aduersum te testamentum*, (id est pactum) *disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaëlitæ, Moab, & Agareni, Gabet, &c.* Primo Machab. 1: *In diebus illis exierunt ex Israël filii iniqui, & suaserunt multis, dicentes, Eamus, & disponamus Testamentum cum gentibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recessimus ab eis, inuenerunt nos multa mala.* Quo in loco Testamentum pro pacto seruandi eorum legem & ritus sumi videtur. Hæc quod attinet ad id Erasmi, Caietani, & quorundam ex Lutheranis argumentũ ac fundamentum, si nomine Testamenti, quo in Epistola ad Hebræos vsus est Paulus, ducantur.

Si verò nitentur ipsa re testamenti, in significatione, qua morte testatoris solet confirmari, in qua planè significatione nomine testamenti est perspicuè vsus Paulus ad Hebræos 9, sanè nec sic vllas vires ipsorum argumentum ac fundamentum habet: sed iure optimo Paulus, tum in ea Epistola, tum etiam in aliis, eo vocabulo in ea significatione est vsus, vsæq; sunt scripturæ aliæ sacræ, noui præsertim Testamenti. Quamuis enim id pactum & fœdus inter Deum & Israëliticum populum, de quo Exodi 24 est sermo, rationem Testamenti ex parte Israëlitici populi non habeat; ex parte tamen Dei propriissimè rationem Testamenti habet promissio æternæ hæreditatis Gen. 12 & 22, Abrahamo sibi & omnibus gentibus terræ, hoc est, credentibus omnibus, facta, morte & sanguine Christi, tunc Abrahamo promissi, obtinendæ, sub conditione tamen & pacto, si legem à Deo ipsis pro temporum varietate traditam seruarent, gratiamque, quam Christi meritis acciperent, ad finem vsq; vitæ conseruarent. Neque enim alienum est à vera Testamenti dispositione ac ratione, hæreditatem relinqui non aliter quàm morte testatoris obtinendam, & cum pacto, vt eam hæreditatem obtenturi hæc vel illa seruent ac impleãt, alioquin, etiam antecedente morte testatoris, il-

lam non obtineant, sed potiùs eam amittant. Et quoniam manifestissimè tunc Abrahæ facta fuit promissio benedictionis omnium gentium terræ æterna hæreditate sanguine & morte Christi obtinenda, sub conditione tamen subintellecta, si legem ac præcepta Dei seruarent, meritò à Paulo ad Galatas 3 & à Zacharia Lucæ 1 in testimoniis suprà relatis promissio illa Testamentum nuncupatur: quo etiam illudunt cætera testimonia suprà citata, vt paulo pòst magis explicabimus: promissio quippe æternæ hæreditatis, non alienæ, sed propriæ eius, qui illam promittit, ac obtinendæ morte & sanguine ita disponentis ac promittentis, rationem sanè testamenti habet sumpta metaphora ac similitudine ex rebus humanis. Et quia ea promissio æternæ hæreditatis, in Christo & per Christum morte crudelissima Deo Patri in ara Crucis pro redemptione generis humani in sacrificiũ offerendũ, tunc primo Abrahamo, & nunquam antea ita expresè cuiquam alteri, facta fuit sibi & omnibus gentibus terræ, præcedente ex parte Abrahami tã heroico ac præclaro opere offerendi proprium filium vnigenitum in holocaustum vsque ad gladii erectionem tanta animi promptitudine, tantóque feruore spiritus, in quo tantopere Abrahami fides, spes, obedientia, ac caritas in Deum enituit, atque in quo Abrahamus adeò placuit Deo, vt propter id opus felicissimam eam promissionem à Deo acceperit, vt Gen. 22 constat, disputationeq; præcedente fuit explanatum, inde sanè effectum est, vt Abrahamus pater credentium omnium fuerit ibi constitutus, vt Paulus ad Rom. & ad Galat. clamat, & vt qui sunt ex fide, & non qui sunt ex carnali Abrahami propagatione, reputentur illi in semine, vt idem apostolus eisdem in locis similiter clamat: atque inde consequenter est etiam effectum, vt locus ille, in quo velut in depositò recipiebantur credentes omnes, qui in gratia ex hac vita ab orbe condito vsque ad mortem ac resurrectionem Christi discedebãt, quousque Christus suo sanguine ac morte eos redimeret, cæliq; ianuam illis aperiret, sinus Abrahæ, tanquam patris omnium credentium, fuit appellatus, iuxta illud Lucæ 16: *Factum est, vt morereturmendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.* Quia ergo pactum in monte Sina inter Deum & filios Israel initum, quando legem scriptam illis tradidit, de quo Exodi 24 est sermo, non aliud ex parte Dei fuit, quàm prosequutio promissionis Abrahamo factæ, vetusque testamenti cum eo cæpti ac iniri, de æterna hæreditate soboli illi Abrahami quo ad carnalem propagationem ac fidem per Christum tradenda sub conditione & pacto inter Deum & eum populum, si, vltra legem naturalem & præceptum circumcisionis iam antea Abrahamo tradita, reliqua quoque præcepta seruarẽt, quæ ea lege scripta insuper Deus illis addebat; sanè illud idem pactum ac fœdus simul, cum ratione fœderis ac pacti, rationem ex parte Dei habuit testamenti, quo eos, tanquam filios adoptiuos per Christum, hæredes per eundem Christum venturum instituit sempiternæ felicitatis sub eodem pacto ac conditione, si legem seruarent, nec priùs tradendæ, quàm Christus sanguine ac morte sua pretium redemptionis mundi solueret, ianuaque cæli humano generi aperiret.

Est enim magnopere obseruandum, quamuis Deus Israëlitico populo carnali, commodisque temporalibus dedito, promissionis terram, abundantiam rerum æternarũ, incolumitatem, victoriam inimicorum, exaltationem ac honorem polliceretur, si legem seruaret, hisque omnino contraria illi comminaretur, si illam transgrederetur, vt homines illius populi ad illius obseruationem induceret, atque à peccatis arceret, præsertim cùm nondum ianuæ cæli per Christum essent apertæ, necdumque introitus in vitam æternam eis pateret; qua ratione Paulus ad Hebræ. 8, Christi ministerium in nouo Testamento cum ministerio Moysis in veteri conferens, dixit: *Nunc melius sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est*; nihilominus æternam quoque hæreditatem, tunc ipsorum parentibus Abraham, Isaac, & Iacob, tum etiam eis ipsis promissũ, per Christum tamen venturum obtinendam, interimque omnes ad infernum descensuros in locum iustis deputatum, à tormentisque omnino liberum; vnde originem traxisse videtur, quod Gentiles de campis Elysiis apud inferos affirmabant; semperque in synagoga & apud illos Patres (quin & in lege naturæ) fuit notitia ac fides de æterna beatitudine post hanc vitam futura, vt scripturæ sacræ testantur, tametsi hæresis Saduceorum fuerit, spiritum non esse, neque futuram mortuorum resurrectionem. Ea planè promissa fuit Abrahamo & cunctis terræ iustis in Christo Gen. 22, vt explanatum est, quæ antea, nondum Christi morte ei reuelata, promissa à Deo Gen. 15 his verbis eidem Abrahamo fuerat; *Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Et quamuis Gen. 37 apertè testetur Iacob, migrationem suam ex hac vita, vt & cæterorum iustorum ante Christi aduentum, non esse in cælum, sed ad inferos, dicens: *Descendam ad filium meum* (Ioseph scilicet, quem à fera interfectum arbitrabatur) *lugens in infernum*; idemque testetur Gen. 44, dicens: *Egressus est vnus, & dixistis, Bestia deuorauit eum, & hucusque non comparet. Si tulerutis & istum,* (Benjamin scilicet) *& aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos*; quamuis, inquam, id ita in eis locis testetur; capite tamen 49, filiis suis tempore mortis benedicens, satis apertè expressit, se sempiternam felicitatem per Christum generis humani redemptorem spectare, dicens; *Salutare tuum expectabo Domine.* Et Regius Propheta, licèt similiter testetur, migrationem iustorum ex hoc seculo, vsque ad Christi mortem ac resurrectionem, non esse in cælum, sed ad inferos; vnde 3 Reg. 2 de Ioab dixit ad Salomonem filium suum: *Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos*, id est, non sines eum mori, ex hac vc migrare vita, quin luat homicidia illa grauia, quæ commisit: idemque adhuc apertiùs constat ex testimonio eiusdem Prophetæ proximè citando: sempiternam tamen beatitudinem in Dei visione positam & per

Christum

Christum obtinendam agnouit ac docuit. Psalmo enim 15 sic ait: *Propter hoc* (quod scilicet sequitur) *lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescit in spe*, certa scilicet futuræ resurrectionis ipsius gloriæ in die iudicii ad sempiternam felicitatem. *Quoniam non derelinquis animam meam in inferno*, ad quem, vt & cæteri iusti, ex hac vita migrabo, & in quo, quo ad illam eandem meam animam, ero vsque ad mortem & descensum animæ Christi ad eum locum, eiusdemque sacratissimæ animæ regressum inde ad suum corpus iterum assumendum ac resurgendum. *Nec dabis sanctum tuum*, Christum scilicet redemptorem mundi sanctum sanctorum, quem per antonomasiam Dei sanctum eo loco appellat, à quo reliqui iusti sanctitatem accipiunt, *videre corruptionem*, sed statim post mortem ac redemptionem generis humani effectam tertia die resurgit, seruetque secum animam meam & cæterorum iustorum, qui vsque ad id punctum ibi erimus, ex eo inferni loco: *Notas mihi feci sti vias vitæ*, me docendo quibus itineribus ad vitam sempiternamque felicitatem deuenitur, itemque me docendo Christum, cuius meritis, morte, ac resurrectione eam vitam perueniemus. *Delectationes in dextera tua vsque in finem*, id est, quæ in æternum perseuerabunt. Eis enim verbis Propheta Deum meditatur in fine stadii ac cursus huius vitæ, tanquam qui in dextera sua brauium præmiúmve sempitérnæ felicitatis habeat, vt in huius vitæ stadio legitimè certantibus ac currentibus illud conferat. Atque ea est metaphora, qua in eis verbis proximè relatis vtitur. Circa hoc autem testimonium totum ex Psalmo 15 certum in fide mihi est, omnibusque esse debet, illa verba: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, de Christo ad literam intelligi, de eoque solo intelligi debere, & non etiam de Dauide, vt in legitimo ac proprio sensu sonant; & de Christo & non de Dauide intelligi, docet ac apertè probat Paulus Actorum 13, dicens: *Quod autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit, Quia dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & alias dicit, Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Dauid enim, in sua generatione cum administrasset voluntatem Dei* (id est, iuxta Dei voluntatem) *dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem autem Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.* Hæc ibi Paulus. Idem similiter probat ac docet apertè Petrus Actorum 2, dicens: *Viri Israëlitæ audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis, hunc definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes* (seu affigentes, cruci scilicet) *interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*, (id est pænalitatibus, quatenus anima illa sanctissima vniri iterum corpori & exire ex illo loco optabat) *iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. Dauid dicit in eum, prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quia à dexteris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi feci sti vias vitæ: replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, liceat audenter dicere* (hoc est libere loqui) *ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est, & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernũ diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius,* (hoc est Messiæ illi promissam) *prouidens loquutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus.* Hactenus Petrus ibi. Vtrùm autem ille Psalmus quo ad reliqua illa verba, imò & quo ad totum Psalmum, intelligi ad literam debeat de Christo, quasi ex persona illius loquatur Propheta in eo toto Psalmo, nõ cõsentiunt interpretes. Quidam de Christo totum Psalmum exponunt, propter Petri testimonium proximè relatũ. Alii de Dauide, & de aliis iustis, & simul quo ad aliqua præcipuè de Christo. Probabilius existimo quo ad reliqua de Dauide esse exponendum: quoniam plus in Dauidem quàm in Christum quadrant, neque sine violentia videtur posse exponi de Christo. Quãdo enim Petrus ait: *Dauid enim dicit in eum, prouidebam Dominum, &c.* non intelligit, quo ad omnia ea verba, sed quo ad illa: *Nec dabis sanctũ videre corruptionem*; ex quibus egregiè argumentatur, & quæ sola constituro ipsius inseruiebãt: sicut & Paulus ad idem instituturn illa sola retulit, ex illisq; solis est argumentatus, idéq; efficaciter, sicut & Petrus, comprobauit. Neq; refert, quòd Petrus in fine totius argumenti de Christo dicat; *neque relictus est in inferno, neq; caro eius vidit corruptionem*: quoniam cum, quòd post passionem & mortem descensurus erat in infernũ ad eruendam ex illo animam Dauidis & cæterorum iustorum, quæ in limbo erant, & quòd corpus ipsius sacratissimum corrumpendũ nõ erat, sed statim tertia die erat resuscitandũ, sanè coniunctum erat, quòd Christus quo ad animã relinquendus nõ esset in inferno. Accommodatè ad hanc nostram sententiam, quam cæteris probabiliorem existimamus, sine vlla prorsus violentia paulo antea expositimus ea omnia verba, quæ ex Psalmo 15 retulimus, in quibus Dauid perspicuè docet, vitã æternã in Dei visione positam ipsi & cæteris iustis esse propositã, Deumq; omnes in stadio huius vitæ legitimè certãtes ac currentes cum illa in dextera, vt illã in præmiũ illis cõferat, illos expectare: atq; simul perspicuè docet, ante Christi mortẽ ac resurrectionẽ nulli ad illã aditũ patuisse, sed iustos omnes in infernũ descendisse, ibiq; in limbo fuisse reseruatos vsq; ad Christi mortẽ ac resurrectionẽ. Cui plus placuerit, Psalmũ totũ ad literã de Christo atq; ex Christi persona fuisse pronunciatũ, is id complectatur. Eandem quoque sempiternam beatitudinem in Dei visionem positam docet atq; expectat id Regius Propheta aliis in locis. Psalmo 16: *Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.* Psal. 35 de iustis, qui in Deo spem suam collocatam habent: *Inebriabũtur*, inquit, *ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*, hoc est, te ipsum, qui immensum ac illimitatum es lumen. Psalm. 149: *Exultabunt Sancti in gloria, læta-*

lætabuntur in cubilibus suis (seu in mansionibus suis.) *In domo enim Patris mansiones multæ sunt*, ait Christus Ioann. 14.) *Exultationes* vel *exaltationes Dei in faucibus eorum*. Et Psal. 83: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*. Ecclesiastici 18: *Ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum*. Ieremiæ 31: *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis: quia est merces operi tuo*. Isaiæ 44: *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te*. 2 Machab. 7: *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis: sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus, æternæ vitæ resurrectione suscitabit*. Pluraque similia alia testimonia sunt in veteri Testamento. Sapientiæ 5. iuncto c. 4. antecedente, *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, &c.* & aliàs sæpe, ex quibus constat, sempiternam quoque beatitudinem promissam eis fuisse, qui legem veterem seruassent, eamque illos spectasse, qui sub illo veteri fuerunt Testamento. Iob quoque, qui ad legem naturæ spectauit, 19 ait: *Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt eum, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.*

5 Quamuis autem promissio Abrahamo & cæteris in veteri Testamento facta de æterna Dei hæreditate ipsis tanquam filiis adoptiuis conferenda per mortem & post mortem eiusdem promittentis in carne, quam quo ad secundam Trinitatis personam erat assumpturus, dependenter ex ea conditione, si legem seruarent, gratiamque adoptionis filiorum per eundem redemptorem obtentam ad finem vsque vitæ conseruarent, propriissimè rationem Testamenti habeat ex parte Dei, vt explanatum est; ea tamen Dei dispositio ac voluntas deambulatoria non fuit ac mutabilis vsque ad mortem testatoris, vt esse solent voluntates testatorum in humanis: neque id intendit aut docuit Paulus ad Hebræ. 9. Cùm enim ex parte Dei (qui immutabilis omnino est) non solùm promissio eius hæreditatis ac redemptionis, qui morte sua cæli introitum aperiret, absoluta fuerit, (quod solùm erat satis vt esset firma & immutabilis minimeque ambulatoria) sed etiam sub iureiurando fuerit à Deo effecta, sanè omnino firma minimeque immutabilis ex parte Dei fuit: testamentisque in humanis, salua ratione testamenti, potest quoque firmitas aduenire, ita vt ea dispositio mutari à testatore dum viuit iam non possit, si autoritate principis, aut etiam (nostra sententia) si iuramento eam non mutandi, confirmetur, vt tractatu 2 variis in locis ostendimus. Quod autem Paulus ad Hebræos 9 docet, est, eam Dei dispositionem, quatenus promissio æternæ suæ hæreditatis non aliter obtinendæ, quàm per mortem Christi, & post mortem Christi, qui, vt Deus, testator erat, habere testamenti rationem: atque sicut in humanis morte testatoris confirmatur testamentum ad effectum, vt delata iam sit hæreditas, obtinerique ab hæredibus possit, *alioquin nondum valet*, ad eum scilicet effectum, *dum viuit, qui testatus est*: ita ea promissio Dei Abrahamo & filiis Israël facta, illúdve Dei Testamentum, nondum fuit confirmatum ad effectum, vt hæreditas à Deo promissa esset delata, obtinerique deberet, quousque mors Christi testatoris adueniret, eamque dispositionem eadem Christi mors ad eum effectum confirmaret. Nouum verò Testamentum, quia in morte & sanguine Christi re ipsa exhibitis dicatum est, statim fuit confirmatum, ac morte & resurrectione illius stabilitum ac consummatum fuit, idque ad effectum, vt statim iusti hæreditatem obtinerent æternam, aditusque cæli, Christi sanguine iam apertus, eis pateret. Et quia vetus Testamentum à morte & sanguine Christi erat pendens vt confirmaretur, & vt vi eius promissionis ac dispositionis Dei hæreditas deferretur ac conferretur iustis, qui sub eo fuerunt Testamento, ait Paulus ad Hebræos 9, nec sine sanguine fuisse dicatum animalium interfectorum, sacrificioque oblatorum, quæ figura erant mortis & sanguinis Christi, quibus erat confirmandum, & à quibus munditia spiritus erat obtentura ac pendebat. Vnde addit Paulus: *Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens sanguinem vitulorum & hyrcorum cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum asperfit, dicens: Hic sanguis Testamenti, quod mandauit ad vos Deus. Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerii sanguine similiter asperfit, & omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cælestium*, id est illa, quæ typus & exemplaria erant eorum, quæ futura erant in nouo Testamento, quo introitus in regnum cæleste erat aperiendus, *his mundari*, tanquam vmbris eorum, quibus munditia erat futura: *ipsa autem cælestia melioribus hostiis, quam istis*, morte scilicet ac sanguine Christi in Crucis ara Patri oblati, mundari.

Ostendimus hactenus, fœdus & pactum Exodi 24 inter Deum Israëliticumque populum initum ac firmatum, habuisse veram rationem, tum fœderis & pacti, tum etiam testamenti ex parte Dei, atque vt rationem testamenti habuit, in Abrahamo incepisse. Nunc verò reddenda est legitima ratio, cur tempore veteris legis potiùs fœdus & pactum, idque mutuum inter Deum & Israëliticum, fuerit nominatum, aut promissio Abrahamo facta, quàm testamentum: & cur tempore legis gratiæ testamentum fuerit nuncupatum, expedienseque fuerit eo tempore duo Testamenta, nouum scilicet & vetus, potiùs inter se distingui nomine Testamentorum, quàm pactorum ac fœderum, potiusque duo Testamenta, quàm fœdera ac pacta ea appellari. Ratio autem hæc est: Cùm tempore veteris legis, quamuis mors Christi ac redemptio generis humani ac benedictio omnium gentium per eam futura reuelata fuerit Abrahamo, vt hac & Disputatione præcedente est explanatum, reuelataque fuerit Prophetis, & per eos fuerit apertissimè prædicta, vt ex Isaia, Daniële, Dauide, Ieremia, & ex aliis Prophetis constat, sæpeque in veteri lege variis figuris fuerit adumbrata, licèt tunc Messia expectaretur, & per eum salus ac bona, regulariter tamen

tamen ignorabatur morte Meſsiæ id euentu-
rum, vſque adeò vt etiam à diſcipulis Chriſti, an-
tequam redemptio generis humani per mortem
Chriſti eſſet effecta, ignoraretur, nec intellige-
retur, etiam ſi à Chriſto manifeſtiſſimè fuerit il-
lis prædicta, vt ex euangeliis cõſtat, inde ſanè ef-
fectum eſt, vt expediens tunc non fuerit, id pa-
ctum à Deo cum filiis Iſraël initum, promiſſio-
nemque antea Abrahamo factam, teſtamen-
tum Dei nuncupari, quo hæreditas Dei æterna,
ſanguine ac morte eiuſdem teſtatoris, vt homi-
nis, obtinenda promittebatur; cùm tamen eo
ipſo, quòd erat promiſsio ac diſpoſitio Dei con-
ferendæ hæreditatis per mortem ac poſt mor-
tem Chriſti, rationem proprii habuerit teſta-
menti: ſed expediens eo tempore fuerit appel-
lari fœdus & pactum mutuum inter Deum &
Iſraëliticum populum factum, appellariq; pro-
miſsionem ac iuſiurandum Abrahamo à Deo
effecta. Quia verò tempore legis gratiæ, condi-
tióque noui Teſtamenti, non mutuo pacto inter
Deum & Chriſtianum populum, ſed donatione
& promiſsione æternæ hæreditatis morte Chri-
ſti iam exhibita, ſub conditione, ſi euangelica
lex ſeruetur, gratiaque per Chriſtum accepta vſ-
que ad vitæ terminum conſeruetur, id nouum
Teſtamentum factum firmatumq; à Chriſto eſt;
tametſi Chriſtiani eo ipſo, quo baptiſmum ſuſ-
cipimus, fidem Chriſti legemq; euangelicã pro-
fiteamur, ad perſeuerandumque in ea fide ac le-
ge tacitè nos aſtringamus; inde effectum eſt, vt
in aduentu Chriſti, & in literis noui Teſtamen-
ti, à Chriſto, ab Euangeliſtis, & ab Apoſtolis, at-
que à Zacharia, qui, reuelationem noui Teſta-
menti, adimpletioniſq; veteris aduentu, ſangui-
ne, ac morte Chriſti manifeſtiſsimè accepit, v-
trumq; teſtamentum nomine potiùs teſtamen-
ti, quàm pacti ac fœderis nuncuparetur ac exp-
rimeretur, vt ex teſtimoniis noui Teſtamenti ſu-
prà relatis conſtat fuiſſe factum.

7 Dubium eſt hoc loco, à quo puncto cõputari
debeant quadringenti illi triginta anni, de qui-
bus Paulo ad Galat. 3 eſt ſermo, dum ait: *Quæ poſt
quadringentos triginta annos facta eſt lex.* Eſt au-
tem dicendum, computandos procul dubio eſſe
à puncto promiſsionis illius Abrahamo factæ,
quòd in ipſo in ſemineque illius benedicendæ
eſſent vniuerſæ cognationes ſeu gentes terræ, vt
perſpicuè ex eo ipſo loco Pauli conſtat, dum ait:
Quæ poſt quadringentos, ab ea ſcilicet promiſsio-
ne Abrahamo facta, de qua ibi eſt ſermo, *facta
eſt lex.* Cæterùm iuxta communem doctorum
ſententiam, computari debent, non à promiſ-
ſione expreſsiùs quo ad modum iuramentoque
confirmata, quæ illi Gen. 22 facta eſt, quando
iuſſu Dei immolare eſt aggreſſus Iſaac, ſed ab
eadem promiſsione priùs illi facta Gen. 12, ante-
quam egrederetur de terra ſua, quando iuſſus à
Deo fuit egredi de illa, venireq; in terram pro-
miſsionis. Conſentiunt verba Exodi 12, iuxta
quæ loquutus eſt Paulus illis verbis relatis ad
Galatas 3. Sic enim Exodi 12 habetur: *Habitatio
autem filiorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto,
fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus
expletis eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Do-
mini de terra Ægypti.* Eodem verò ipſo anno
poſt tres menſes peruenerunt ad Montem Si-
na, dataque illis fuit lex, vt conſtat ex capi-
tibus ſequentibus eiuſdem libri Exodi vſque

A ad 20. Quòd autem *illi* quadringenti trigin-
ta anni non ſint computandi à puncto ingreſ-
ſus filiorum Iſraël in Ægyptum, ſed à puncto
promiſsionis Abrahamo factæ, quando iuſſus
eſt egredi de terra ſua, vocatuſque eſt ac venit
in terram promiſsionis, atque adeò quòd non
illis integris quadringentis triginta annis man-
ſerint filii Iſrael in Ægypto, ſed finis manſio-
nis filiorum Iſraël eos annos compleuerit,
computando tempus totum quo peregrina-
ri in Abrahamo cæperunt ſine terra propria,
quouſque rempublicam ſub Moyſe duce effi-
cere cæperunt, quibus Dei iuſſu illos eduxit
de terra Ægypti, vt eos induceret in ter-
B ram promiſsionis, quam illis in Abrahamo
promiſerat Deus, & quam propriam illorum
effecit, quando eam egreſsi ſunt, expulſis
ac deletis gentibus, quæ illam habitabant;
eſt in primis id conſors ſententia doctorum,
etiam Hebræorum qui fuerunt ante & poſt
aduentum Chriſti, iuxta quam communem
ac receptam Hebræorum ſententiam ante
Chriſti aduentum Septuaginta in hunc mo-
dum locum illum Exodi 12 tranſtulerunt:
At habitatio filiorum Iſraël, quam habitaue-
runt ipſi & patres eorum *in terra Ægypti & in
terra Chanaan ipſi & patres eorum, quadringenti
triginta anni.* Eſt deinde id manifeſtiſsimum ex
C ipſamet Exodi ſcriptura c. 6 & 7, iuncto c. 46
Geneſeos. Etenim Caath auus Moyſis de-
ſcendit cum patre ſuo Leui & cum auo ſuo Ia-
cob in terram Ægypti, quando Iacob cum o-
mni familia ſua, omnibúſve ex ſe progenitis,
vocatus fuit à Ioſeph in Aegyptum, vt conſtat
Geneſeos 46, illudque fuit initium manſionis
filiorum Iſraël in Aegypto. Caath autem
vixit centum triginta annis, vt patet Exodi 6,
Amram verò filius eius, & pater Moyſis, vixit
centum triginta ſeptem annis, vt eodem 6 c.
Exodi habetur. Moyſes autem octogenarius
eduxit filios Iſraël de Aegypto, vt Exodi 7 con-
ſtat. Hi verò omnes anni vitæ Caath, & vitæ
D Amram, ac vitæ Moyſis quouſque eduxit filios
Iſraël de Aegypto, ſeptimi ſimul, conficiunt
ſolùm trecentos quinquaginta annos, à qui-
bus ſi ſubtrahas annos Caath, quos habebat
quando cum patre & auo deſcendit in Aegy-
ptum, & annos, quos vixit poſtquam genuit
Amram, atque annos, quos Amram vixit poſt-
quam genuit Moyſem, qui omnes detrahen-
di ſunt ab illis trecentis quinquaginta annis,
vt habeantur anni manſionis filiorum Iſraël
in Aegypto: quoniam ſoli anni remanen-
tes fuerunt tempus manſionis filiorum Iſraël
in Aegypto, inuenies profectò longè paucio-
res multo annos, quàm quadringentos tri-
E ginta, manſiſſe filios Iſraël in Aegypto. Man-
ſerunt quippe ſolùm ducentis & quindecim,
vt ſtatim oſtendemus. Vnde ſenſus illorum
verborum Exodi 12 hic eſt: *Habitatio autem fi-
liorum Iſraël, qua manſerunt in Ægypto*, comput-
tando à promiſsione Abrahamo facta, quòd
in ipſo benedicendæ eſſent vniuerſæ cogna-
tiones terræ, & quòd ſemini illius tradenda
eſſet terra promiſsionis, *fuit quadringentorum
triginta annorum. Quibus expletis eadem die
egreßus eſt omnis exercitus Domini de terra
Ægypti.* Ibi enim Scriptura comme-
morat totum tempus, incipiendo à vo-
catione

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

catione Abrahami ac promissione illi facta, quo populus ille, vnà cum patribus eorum, fuit peregrinus sine terra, quam illi Deus in Abrahamo promiserat, quousque cæpit nouus status eius populi, in quo facti iam republica à cæteris distincta, creato illis à Deo duce ac capite Moyse, educti ab eodem Deo ex Ægypto sunt ad eis implendam promissionem Abrahamo factam, illosque inducendos in terram promissionis, iuxta communem dispositionem eius loci, etiam Hebræorum ante Christi aduentum, in ipsamet scriptura fundatam, vt ostensum est. Vnde Stephanus actorum 7: *Viri fratres & patres audite; Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraha, cùm esset in Mesopotamia, priùs quam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: sed promisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cùm non haberet filium.* Promissio itaque terræ promissionis Abrahamo fuit facta, non quidem ipsi tradendæ ac possidendæ in se, sed semini suo filiis Israël, quando ex Ægypto reuerterentur.

8 Numerus autem ille quadringentorum triginta annorum à promissione illa Abrahamo Gen. 12 facta vsque ad egressum filiorum Israël de Ægypto, datamque legem, in hunc modum ex scriptura sacra colligitur ac comprobatur. Abraham quippe septuaginta quinque annorum erat, quando promissio illa facta illi à Deo fuit, vt Gen. 12 constat. Natus autem est illi Isaac, quando erat centenarius, vt Gen. 21 habetur. Quare ab ea promissione vsque ad natiuitatem Isaac fluxerunt viginti quinque anni. Isaac autem sexaginta erat annorum, quando genuit Esau & Iacob, vt patet Gen. 25. Vnde ab eadem promissione vsque ad ortum Iacob fluxerunt octoginta quinque anni. Nam viginti quinque anni cum sexaginta octoginta quinque conficiunt. Iacob autem centum triginta annorum erat, quando descendit ingressusque est in Ægyptum cum omnibus liberis suis, vt Gen. 47 liquet. Quo fit, vt ab eadem promissione vsque ad egressum Iacob & filiorum eius in Ægyptum fluxerint ducenti & quindecim anni, quem numerum conficiunt centum triginta anni vnà cum octoginta quinque. Quare desunt alii ducenti & quindecim anni inde vsque ad egressum filiorum Israel de Ægypto, & vsque ad datam legem, ad complementum quadringentos triginta annos ab eadem promissione vsque ad eundem egressum filiorum Israël de Ægypto, datamque legem. Cùm autem ex Exodi 7 constet, Moysem, quando filii Israel egressi sunt de Ægypto, datæque est lex, fuisse octoginta annorum; consequens est, vt ab ingressu filiorum Israel in Ægypto vsque ad Moysi natiuitatem fluerint centum triginta quinq; anni, quos vixerunt Caath & Amram, pater & auus Moysis, ab ingressu filiorum Israel in Ægyptum vsque ad Moysi natiuitatem. Atque cùm Caath vixerit centum triginta tres annos, & Amram centum triginta septem, vt Exodi 6 constat, qui conficiunt ducentos septuaginta annos, consequens est, vt anni, quos habebat Caath, quando cum patre & auo ingressus est in Ægyptum, & quos vixit postquam natus est Amram filius eius, & quos Amram vixit postquam natus est Moyses, simul omnes sumpti fuerint centum triginta quinque anni: sic enim ex scriptura sacra colligitur, à promissione illa Abrahamo facta vsque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto, datamque legem, fluxisse quadringentos triginta annos, vt Paulus ad Galatas 3 affirmat, & Exodi 12 habetur. Cuius autem ætatis fuerit Caath, quando cum patre & auo ingressus est in Ægyptum, & quantum vixerit postquam genuit Amram, quantum item Amram vixerit postquam genuit Moysem, scriptura sacra non commemorat.

Quando Iacob & filii eius ingressi sunt in Ægyptum, Ioseph triginta nouem erat annorum. Id quod in hunc modum ex scriptura comprobatur. Quoniam quando Ioseph immediatè ante septem annos vbertatis apparuit coràm Pharaone, erat triginta annorum, vt Gen. 41 habetur. Secundo autem anno sterilitatis, atq; adeò nono anno postquam apparuit coram Pharaone, vocauit patrem, descenditque Iacob in Ægyptum, vt Gen. 45 constat: quare tunc Ioseph erat triginta nouem annorum. Cùm itaq; quando Iacob & filii eius ingressi sunt in Ægyptum, Ioseph triginta nouem esset annorum: vixerit verò centum & decem annis, vt Gen. 50 habetur: cōsequens profectò est, vt ab ingressu filiorum Israel in Ægyptum vsque ad mortē Ioseph fluxerint anni septuaginta vnum: si enim à centum & decem annis subtrahas triginta nouem, remanent anni septuaginta vnum. Si verò ducentis quindecim annis, qui fluxerant à promissione Abrahamo facta vsque ad ingressum filiorum Israel in Ægyptum, addas septuaginta vnū annos, inuenies ab eadem promissione vsq; ad mortem Ioseph fluxisse ducentos octoginta sex annos. Quare inde solùm desunt centum quadraginta quatuor anni ad complementum quadringentos triginta annos, qui ab eadem promissione fluxerunt vsque ad egressum filiorum Israel de Ægypto, datamque legem. Quòd si ab illis subtrahas octoginta annos, qui fluxerunt à natiuitate Moysis vsq; ad egressum filiorum Israel de Ægypto, datamq; legē, inuenies à morte Ioseph vsq; ad natiuitatem Moysis fluxisse sexaginta quatuor annos. Integris autem octoginta annis vitæ Moysis vsq; ad egressum filiorum Israel de Ægypto perseuerauit persequutio filiorum Israel in Ægypto: nam post cæptam persequutionem natus est Moyses, vt Exodi 2 cōstat. Quanto autem antea post mortem Ioseph cæperit, ex scriptura non habetur. Solùm verò ex ea constat, longè post mortem Ioseph incepisse. Sic enim Exodi 1 habetur: *Quo mortuo,* (Ioseph nempe) *& vniuersis fratribus eius, omniq; cognatione sua, filii Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleuerunt q; terram. Surrexit in terra Rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum, Ecce populus filiorum Israël multus & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum, &c.* Quare non multum ante natiuitatem Moysis videtur cæpisse persequutio illa.

Cùm hactenus dictis nō pugnat, quin ea apertè confirmat, id quod Gen. 15 dictum à Deo Abra-

Abrahamo fuit, dū iussu Dei id sacrificium obtulit, de quo eo in capite est sermo. Sic enim ad illum eo in loco dictum est: *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo,* (illos scilicet puniens & affligens plagis ob id delictum) *& post hæc egredientur cum magna substantia. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Prædicit enim, peregrinos esse futuros in terra non sua quadringentis annis ab eo puncto. Quo in loco totum tempus commemorat, quo sine terra ipsis propria sunt futuri vsque ad tempus reuersionis, egressúsve de Ægypto. Dixit verò quadringentis annis: quoniam illa prædictio facta fuit aliquot elapsis annis à promissione antea illi Gen. 12 facta, à qua quadringenti triginta anni erant futuri, atque in eo ipso die expletionis eorum quadringentorum triginta annorum erant egressuri, vt & factum fuisse habetur Exodi 12. Et quonam habenda non erat ratio paucorum aliorum annorum, quibus erant peregrinaturi, idque non impediebat, quominus verè diceretur quadringentos annos illos peregrinaturos, ita loquutus est, isque loquendi modus satis frequens est in communi vsu loquentium. Quarta autem generatione eorum, qui ingressi sunt in Ægypto, computando vsque ad Moysem, qui caput ac dux erat illis à Deo dandus, qui illos educeret de Ægypto, ac reduceret in terram illam, regressi sunt. Nam prima fuit, qua Iacob, qui caput fuit totius populi reducendi, genuit Leui. Secunda, qua Leui genuit Chaath. Tertia, qua Chaath genuit Amram. Et quarta, qua Amram genuit Moysem.

A

B

C

Quotuplicia sint præcepta veteris legis. Disp. 53.

SVMMARIVM.

1. *Repetuntur nonnulla prius dicta.*
2. *Tria sunt genera præceptorum veteris legis, Moralia, Cæremonialia, Iudicialia: & quomodo inter se distinguantur.*
3. *Præcepta cæremonialia & iudicialia sunt de iure positiuo diuino, vt nullum eorum sit de lege naturali.*
4. *Refellitur obiectio, & ostenditur cæremonialia & iudicialia non esse moralia.*
5. *Cur Deus Israelitico populo præcepta iudicialia dederit.*
6. *Cæremonialia præcepta legis veteris quatuor partes sub se continent: sacrificia & oblationes, sacramenta, sacra, & obseruantias.*
7. *Præcepta in veteri lege spei, fidei, & caritatis supernaturalis reducuntur ad præcepta moralia.*
8. *In quacunque lege à Deo lata, finis omnium præceptorum in ea locutorum est caritas Dei, quæ non est sine proximi caritate.*
9. *Ad legem integram ad finem aliquem non solùm pertinet dare præcepta obligantia sub culpa, sed etiam ad eam attinet dare alia, quæ ad eorum obseruationem possunt inducere, & consilia aliqua quæ ad maiorem perfectionem comparatione finis integri eius legis spectant.*
10. *Obseruationes præceptorum & consiliorū etiam præcepta ipsa & consilia in scriptura appellantur iustitiæ & iustificationes, quatenus iustos nos efficiunt meritis Christi cooperantibus.*

D

E

Disserendum consequenter est de præceptis veteris legis. Et primò explanandū est, quotuplicia in genere sint. Deinde verò de singulis eorū generibus dicendū est in particulari. 1

Suprà disputatione 46 præsertim §. *sunt verò nonnulla*, &c. explanatum est, qua finis vnitate lex vetus (vt & cæteræ leges ibi in genere explicatæ) vna sit, continereq; in se legem naturalem, quo ad omnes leges ac præcepta iuris naturalis, quatenus fini supernaturali, ad quē lex vetus ordinabatur, subordinatus est finis naturalis, quem lex naturalis immediatè respicit, & ad quem immediatè ordinatur, & quatenus per consequens media ad eum finem naturalem necessaria quoque adultis sunt ad finem supernaturalem: adeò verò eandem legem veterem ibi explanauimus, plures alias leges particulares seu præcepta à Deo ad finem supernaturalem, ad quem ea tunc ordinabat, superaddita. Quare cum vnitate legis veteris, quæ vna dumtaxat est finis vnitate ad quē ordinabatur, nihil pugnat, eam plura genera præceptorum continere, singulaq; genera plura etiam præcepta particularia seu leges plures particulares continere.

Tria verò sunt genera legum seu præceptorū, quæ lex vetus continebat, iuxta illud Deut. 4: *Et ostendi vobis pactum suum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis, mihiq; mandauit in illo tempore vt docerem vos cæremonias & iudicia, quæ facere deberetis in terra, qua possessuri estis.* Et Deut. 6: *Hæc sunt præcepta & cæremoniæ atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos*; & disp. 46 citata ex parte fuit explanatum. Moralia scilicet, cæremonialia, ac iudicialia: quæ in hunc modū inter se distinguuntur. Quæ ex ipsamet rei natura obligant ad sui obseruationem, seclusa quacunque positiua lege qua præcipiantur, suntq; proinde de iure diuino naturali, qualia sunt præcepta omnia legis naturalis, quam legem veterem in se includere diximus, ea sunt quæ dicuntur præcepta moralia, quæque verè rationem præceptorum moralium habent, idque siue sub culpa lethali ex suo genere obligent, vt non necari, non occidere, & non furari, siue sub culpa veniali, vt non mentiri, non comedere plus quàm oportet, & similia alia, quæ ex eo principio per se noto in lumine naturali necessaria consequentia in hunc modum deducuntur. Quod cum recta ratione pugnat, faciendum nō est, alioquin culpa ac peccatū incurritur: mentiri autem, aut plus quàm oportet comedere, cum recta ratione apertè pugnat: ergo sub culpæ reatu neutrum est faciendum. 2

Quæ verò in lege veteri talia sunt, vt ex se, seclusa lege positiua, qua præcipiantur aut prohibeantur, non obligent, à Deo tamē præcepta aut prohibita sunt, tanquā conducentia ac vtilia ad finem eius legis quo ad eum statum, ea sunt quæ pertinent ad præcepta cæremonialia ac iudicialia eiusdem legis. Quo fit, vt tam cæremonialia quàm iudicialia præcepta veteris legis omnia sunt de iure positiuo diuino, & vt nullum eorum sit de iure naturali. Et quidem si eiusmodi præcepta ad cultum diuinum 3

modo

modo aliquo ſpectent, ſaltem quia ſubditos prę-
parabant ad Deum colendum, vt diuus *Th. 1. 2. q. 101. art. 1. ad. 1.* ait, ad eoſq; exercendum in Dei obedientia ac obſeruatione, pertinent ad præcepta cæremonialia. Eiuſmodi autem ſunt præcepta non ſolùm de ſacrificiis & obſeruationibus feſtorum, ſed etiam de abſtinentia à quibuſdam cibis, à quibuſdam veſtibus, de fimbriis geſtandis, & de aliis ad aliquid aliud pro ſtatu eius legis vlteriùs ſignificandum attinentibus, & ſimilia alia. Eiuſmodi autē ritus, quibus Deus colitur, cæremoniæ latinè dicti ſunt; & præcepta, quibus præcipiuntur, cæremonialia præcepta ſunt nuncupata, vel à Cere Dea frugum, vt Tullius 1 in Verrem innuit: vel, vt Valerius Maximus & alii affirmant, à oppido propè Romā, quod Cere nuncupabatur, quo in loco, capta à Gallis vrbe, ſacra Romanorum oblata ſunt. Si verò præcepta iuris poſitiui eius legis ad regimen eius populi pertineant, præcepta iudicialia dicuntur. Diſputatione enim 46. §. diſcedentibus verò, &c. diximus, Deum ſimul inſtituiſſe populum Iſraëliticum rempublicam ſpiritualem eccleſiæ ac politicam ſub vno rectore illius Moyſe, per quem illam de terra Ægypti eduxit, eamque gubernare fuiſſe dignatum, tradendo illi eadem lege ſcripta etiam præcepta quædam iudicialia, quæ ad regimen illius politicum ac ciuile attinerent.

4 Objicies. Colere Deum his vel illis ſacrificiis, & hæc vel illa feſta ſeruando maximè ex præſcripto & mandato Dei, eſt actus religionis, quæ præſtantiſſima virtus eſt inter morales: punire item hæc vel illa delicta his vel illis pœnis eſt actus iuſtitiæ vindicatiuæ, nec id impeditur, quòd ex præſcripto & mandato Dei fiat, ſed potiùs inde adiuuatur: hæc item vel illa alia ſeruare in iudicando, maximè ex Dei ordinatione, actus ſunt virtutum moralium: ergo præcepta cæremonialia ac iudicialia diſtincta nō ſunt à præceptis moralibus. Ad hoc argumentum, conceſſo integro antecedente, neganda eſt conſequentia. Quoniam præcepta cæremonialia & iudicialia non in eo diſtinguuntur à moralibus, quòd actus, quibus præcepta cæremonialia & iudicialia implentur, non ſint actus virtutum moralium: ſed in eo, quòd ea, quibus præcepta moralia implentur, ſunt debita ex natura ipſa rei, ſecluſo quocunque poſitiuo præcepto, quo præcipiantur aut prohibeantur: ea verò, quibus præcepta cæremonialia & iudicialia implentur, ſecluſo præcepto poſitiuo, quo præcipiantur aut prohibeantur, debita non ſunt: vnde ea, quæ cadunt ſub præceptis moralibus, debita ſunt ex natura ipſa rei, & quia debita ex natura ipſa rei, ideo præceptis iuris naturalis, ſeu moralibus de quibus loquimur, ſunt præcepta aut prohibita, & non è contrario, quia præcepta aut prohibita, ideo ſunt debita fieri aut non fieri. Ea verò, quæ ſub præceptis cæremonialibus ac iudicialibus veteris legis cadunt, non ſunt debita ex natura ipſa rei, neque quia debita præcepta aut prohibita ſunt eis præceptis: ſed è contrario, quia præcepta à Deo ſunt tanquam congrua ad finem eius legis pro eo ſtatu, idcirco debita ſunt fieri aut non fieri, vi eorum præceptorum diuinorum. Atque vniuerſim tractatu 1 diſp. 4 hoc idem diſcrimen eſſe oſtendimus inter ea, quæ ſunt iuris naturalis, & ea quæ ſunt iuris poſitiui, ſiue ea, quæ iuris ſunt poſitiui, de iure ſint diuino, vt ſunt præcepta cæremonialia ac iudicialia veteris legis, ſiue ſint de humano. Quo in loco addidimus ius poſitiuum, (intellige) ſiue illud diuinum ſit ſiue humanū, interdum addere ad ius naturale ſolam determinationem ad aliqua particularia, interdum verò addere noua ſtatuta. Vt, verbi gratia, de iure naturali eſt, Deum colere, etiam exteriùs cultū ei exhibendo: quòd verò id fiat hoc vel illo ſacrificio illi exhibito, aut obſeruatione huius vel illius feſti, talique vel tali modo obſeruationis eius feſti, aut aliquo alio ritu in ipſius cultum ac honorem exhibito, id non ad ius naturale, ſed ad poſitiuum tanquam determinatio iuris naturalis, ſpectat, ſiue diuinum, ſi à Deo id ſtatuatur, ſiue humanum, ſi à homine puro id ſanciatur ac præcipiatur. Vnde ſtatuere capram Diis, ſed non duas oues mactare (quod exemplum eſt *Ariſtotelis. 5. Ethi. c. 7.*) non ad ius naturale, ſed ad humanum ſpectat. Eodemque modo Deum in veteri lege ſtatuere ac præcipere quibus ſacrificiis ipſe eſſet colendus, quæ ſimul alia figurarent, & quæ feſta in ipſius honorē ac cultum eſſent ſeruanda, ad ius poſitiuum diuinum, tanquā determinationes illius præcepti iuris naturalis de Deo colendo, & non ad ius naturale, id totū attinebat. Addere inſuper alia præcepta cæremonialia, quæ non tam eſſe determinationes iuris naturalis, quàm noua præcepta, ad finem ad quem Deus eandem legem veterem ordinabat, vt quòd non comederent carnem ſuillem, quòd ab aliis multis cibis abſtinerent, quòd non coquerent hædum in lacte matris, quòd coire non facerent vnum animal cum alio alterius ſpeciei, & his ſimilia plura alia cæremonialia præcepta, id totum ſimiliter ad ius diuinum poſitiuum attinebat. Eodem quoque modo de iure naturali eſt, publicas poteſtates punire malefactores in reipublicæ bonum: quòd verò hoc vel illud delictum tali vel tali pœna puniatur, vt quòd dens pro dente extrahatur, quòd oculus pro oculo eruatur, quòd furtum pœna dupli aut quadrupli puniatur, id pertinet non ad naturale ius, ſed ad poſitiuum, tanquam ea ratione addat determinationem pœnæ in ſingulari iuri naturali. Vnde præcepta iudicialia legis veteris, quæ modum pœnæ ſtatuebant pro diuerſis delictis, non ad ius naturale, ſed ad ius diuinum poſitiuum ſpectabant. Alia verò præcepta iudicialia, quæ determinationem iuris naturalis non videntur habere, ſed potiùs diuerſa quædam noua alia iudicialia præcepta videntur, qualia ſunt, quæ circa ſeruos Exodi 21 ſeruanda traduntur, & quædam alia eius legis iudicialia præcepta ad ius ſimiliter diuinum poſitiuum ſpectant.

5 Illud verò eſt obſeruandum, Deum quidem in veteri lege cæremonialia ac iudicialia præcepta Iſraëlitico populo tribuiſſe. Tum ob illius ruditatem, atque vt ab idololatria illum ea ratione arceret. Tum etiam vt in eis præceptis adumbraret, quæ ad Chriſtum legemque gratiæ attinebant, ad quod neceſſe erat ipſum eſſe illorum autorem. Tum denique, quoniam non tam copioſa Spiritus ſancti gratia ac lumen & aſſiſtentia miniſtris futuris eius eccleſiæ data ad illius regimen fuit, quanta data ac promiſſa miniſtris eccleſiæ Chriſtianæ fuit, Apoſtolis præſertim,

sertim, & summis Pontificibus Christi vicariis. Vnde in noua lege, abrogatis præceptis cæremonialibus ac iudicialibus veteris legis, apostolis ac summis Pontificibus commisit ferè omnia instituere, quæ ad cæremonias ac iudicia attinebant, quoad spiritualia. Potestatibus verò secularibus, pro diuersitate prouinciarum ac locorum, ex quibus Ecclesia Christiana longè lateque per orbem diffusa constare debebat, reliquit leges iudiciales ciuiles statuere. Dixi, ferè omnia instituere: quoniam sacrificium missæ, quo ad formas consecrationis ac substantialia eius sacrificii, ipse instituit. Cætera item sacramenta nouæ legis, quoad formas & substantialia, ipse etiam instituit: sacramenta verò ad cæremonialia nouæ legis spectant.

6 Cæremonialia præcepta veteris legis, vt *diuus Th. 1.2. q. 101. art. 4.* ait, quatuor partes sub se continebant. Nempe sacrificia, cum eis oblationes etiam computando, sacramenta, sacra, & obseruationes. Sacrificia autem & oblationes ad ceremonialia pertinere, ex se satis liquet, & ex illo Num. 15, *Offerent vitulum de armento holocaustum in odorem suauissimum Domino, & sacrificiũ eius ac liba, vt cæremoniæ postulãt*, &c. Cùm autem ea præcepta cæremonialia dicantur, quæ ad cultum Dei spectant, vt dictum est: Deus autem in veteri lege præcipuè sacrificiis & oblationibus coleretur, satis cõstat, sacrificia & oblationes ad ceremonialia veteris legis attinuisse. Sacramenta erant cæremoniæ ad hominum sanctificationem peculiariter institutæ, vel omnium, vt circuncisio, vel ministrorũ diuini cultus, vt consecratio Pontificum, & ordinatio sacerdotum. Ea autem sacramenta inter cæremonialia esse computanda, ex se est perspicuum, & patet ex illo Leuit. 7: *Hæc est vnctio Aaron & filiorum eius in cæremoniis Domini in die, quo obtulit illos Moyses vt sacerdotio fungerẽtur.* Quamuis autem sacrificia & sacramenta sacra sint, peculiare tamen nomen sacrorum inter cæremonialia, ad differentiam duorum generum præcedentium, & tanquam illis minùs nobilia, sibi obtinuerũt instrumenta inanimata, quæ ad diuinum pertinent cultum, eíve dicata sunt, vt tabernaculum, templum, candelabrum, mensa propositionis, altare timiamatis & sacrificiorum, vestes sacerdotales, libri, vasa, & eiusmodi alia. Exodiq; 38, multis ex aliis commemoratis, dicitur: *Hæc sunt instrumẽta tabernaculi testimonii in cæremoniis Leuitarum.* Cum sacris autem cõputari possunt festa ac solemnitates veteris legis, vt *diuus Th. art. 4.* citato *in resp. ad vlt.* optimè ait: sunt enim tempora & dies ad cultum Dei deputata, sicut tabernaculum, templum, & altaria, loca erãt sacra eidem diuino cultui deputata. Quamuis similiter tria genera cæremonialium, quæ explanata sunt, obseruantiæ sint, diciq́ue iure possint; reliqua tamen cæremonialia in lege præcepta, quæ eum populum quoad conuersationem ab aliis populis distinguebant, vt quoad vsum ciborum, vestimentorum, & aliorum eiusmodi, peculiare nomen obseruantiarum sibi obtinuerunt.

7 Cùm in veteri lege etiam præcepta fidei, spei, & caritatis supernaturalis, atque contritionis, si quis in actualem culpam lethalẽ incideret, cõtinerentur, vt Disp. 46 fuit explanatum, dubium est hoc loco, ad quod illorum trium generũ præceptorũ veteris legis, quę hac disputatione explanata sunt, pertineant: an verò potiùs genus quartum præceptorum legis illius sit distinguẽdum. Dicendum autem est, reduci ac pertinere ad præcepta moralia. Quoniam, *vt Disput. 46. §. Tertio verò loco*, iuncto. §. ibi proxime sequenti, ostensum est, quamuis præcepta illa supernaturalia sint, sintque de actibus supernaturalibus eliciendis; eo tamen ipso, quòd fidei mysteria tẽpore cuiuscunque legis reuelata sunt, prout statui eius temporis congruebat, hominibusq; est reuelatum ipsos conditos esse in finem supernaturalem, eumque finem in præmium ipsis esse propositum per media & actus supernaturales, ad eosque supernaturales actus Deũ ex sua parte esse paratum præstare, quæ ex parte ipsius ad illos eliciendos necessaria sunt, hominesque in lege naturæ ac scripta, si in culpam actualem lethalem incideremus, necesse habere de illis conteri, vt ab illis resurgerent, gratiam cum Deo recuperarent, interitum euaderẽt sempiternũ, præmiumque consequerentur æternum, vtique ex natura ipsa rei consurgit obligatio eorũ præceptorum, sunt́que suo modo de iure naturali, lumine ipso naturæ docente obligationem illorum ex ipsamet rei natura, illis aliis datis ac præsuppositis vt re ipsa à Deo constituta sunt.

Circa hactenus dicta remanet hoc dubium, quod *diuus Th. 1. q. 99. art. 1.* argumento. 1. & 2. tangit. Ex nouo quippe testamẽto haberi videtur, non solùm naturalem legem, in veteri lege inclusam, non continere multa præcepta, quin potiùs omnia legis naturalis præcepta esse vnũ, sed etiam omnia vniuersim præcepta veteris legis esse hoc vnũ, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Vnde videtur consequens, malè distingui multa genera præceptorum veteris legis, maleq́; item singula genera rursus in multa alia singularia præcepta distingui. Quòd autem id haberi videatur ex nouo testamento, cõstat ex illo Pauli ad Rom. 13: *Si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, & ex illo Christi Matth. 7: *Omnia quæcũq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est omnis lex & prophetæ*: in lege autem & prophetis mandata omnia vniuersim veteris legis continentur.

8 Ad hoc est dicendum, in quacunq; lege à Deo lata, finem omnium præceptorum in ea loquutorum, esse caritatem Dei, quæ non est sine proximi caritate. Vnde Paulus. 1. ad Timot. 1: *Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Hinc Christus Dominus Matth. 22 legisperito illi interroganti, quod esset mãdatum magnum in lege, respõdit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ*, id est, hoc intendunt tanquam finem ad quẽ ordinantur, & quæ respiciant, atq; adeò inde tãquam media à fine, quẽ respiciunt, pendent omnia, quæ in lege & prophetis traduntur: quasi Christus diceret, hæc est summa, ad quam ea õnia ordinantur, qua habita, habetur intentum omnium, quæ in lege & propheris tradita sunt. Quemadmodum autem caritas Dei non est sine proximi caritate: quoniam vt Ioannes prima sua canonica. c. 1. ait: *Qui non diligit fratrem suum, quem*

quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum; qua ratione præceptum dilectionis proximi in præcepto dilectionis Dei includitur, vereque dicitur in eo solo præcepto vniuersam legem & prophetas in sensu explicato pendêre: ita caritas & dilectio proximi, qualis ad salutem est necessaria, in legeq; & prophetis requiritur, esse debet propter Deũ, descendereq; debet à caritate Dei, illamq; presupponere atq; includere. Vnde quêadmodũ de illis duobus præceptis dilectionis Dei & proximi verè dixit Christus; *In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & prophetæ*, vt est explanatum: ita de solo præcepto dilectionis Dei, quod proximi dilectionẽ inuoluit ac includit, dicere idẽ potuit Christus. Et de præcepto dilectionis proximi, quod Dei quoque dilectionem inuoluit, à qua emanare debet, quia Dei intuitu ex Deique dilectione & caritate proximus est diligendus, idẽ quoq; verissimè dicitur. Ea autẽ ratione Paulus ad Roma. 13 dixit: *Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Qui enim diligit proximũ, legem implenit. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, nõ concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur*, (id est includitur ac inuoluitur, ac velut in quadam summa continetur) *diliges proximũ tuũ sicut te ipsum*, (ex Dei scilicet dilectione) vnde continuò subiungit Paulus: *Dilectio proximi malum nõ operatur*. Quasi dicat, qui verè proximum diligit, ex Dei scilicet dilectione, malum non operatur, quod videlicet dilectioni ac caritati aduersetur. Vnde concludit: *Plenitudo ergo legis est dilectio*. Eadem ratione dixit Christus Matth. 7. tradens normam diligendi proximum: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, Dei videlicet intuitu atque ex eius caritate: *hæc est omnis lex & prophetæ*, id est, eò tendunt omnia tradita in lege & prophetis circa legis obseruationem. Est verò obseruandum, præceptum de diligendo Deum, in nullo videlicet contraueniendo eius dilectioni, esse præceptum quoddam generale in se complectẽs præcepta omnia vniuersim, quæ sub culpa obligant lethali, prout in quacunque lege sub culpa obligant lethali: vnde non ponit in numerum præceptorum cum aliis præceptis particularibus, sicut animal non ponit in numerum animalium cum homine & equo ac cæteris animalibus: neque proinde qui aliquod aliorum præceptorum transgreditur, duas committit culpas, vnã cõtra præceptum particulare, quod transgreditur, & aliam, contra illud præceptum generale de diligendo Deo in nullo contraueniendo eius dilectioni, sed vnam dumtaxat. Vnde quòd in illo præcepto generali de diligendo Deo, & in præcepto generali de diligendo proximo ex vera in Deum dilectione ac caritate, contineatur quodãmodo & instauretur lex vniuersa, inde nõ tollitur, quòd lex scripta diuidi in tria genera præceptorum explicata possit, & quòd singula ea genera diuidi rursus possint in nulla alia particularia præcepta sub eis contenta, quæ à proximis & peculiaribus suis obiectis distinctionem habeant. Obserua tamen, non sicut animal vniuersale quoddam est in prædicando comparatione hominis & equi, cæterorumque animaliũ, quæ tanquam partes sibi subiectas sub se cõtinet: sic

A duo illa præcepta generalia de diligendo Deo, aut de diligendo proximo ex Dei caritate, esse vniuersalia in prædicando comparatione particularium præceptorum, eáve sub se continere tanquam partes subiectas: sed esse vniuersalia, quoniam ad ipsorum impletionem, cæterorum impletionem, seu non transgressionem, requirunt, cæteraq; proinde in illis virtute præcepta sunt, iuxta illud Ioan. 14: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum*, & illud. 1. Ioan. 2: *Qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est*.

Illud est obseruandum, ad legem integrã ad finem aliquem, qualis est lex vetus, non solùm 9
B pertinere tradere præcepta obligantia sub culpa, qualia sunt tria præceptorũ genera, quæ explicata sunt, sed etiam ad eam attinere tradere etiam alia, quæ ad eorum obseruationem possunt inducere, & tradere etiã consilia aliqua, quę ad maiorem perfectionem comparatione finis integri eius legis spectant, vt *Disp. 46. n. § tertium est*, &c. fuit explanatum. Sic ad legem veterẽ pertinuit, vltra præcepta, tradere, quæ ad notitiam Dei & ad beneficia ab eo collata attinebant, vt creationis, electionis Israelitici populi inter omnes nationes in peculiarem Dei populũ, beneficium eductionis eius populi de Ægyptiaca seruitute tot mirabilibus patratis, perductionis
C illorum per desertum, inductionis illorũ in terram promissionis, quam illis donauit, nõ minoribus patratis mirabilibus, traditionis legis, & similia alia, quibus ad diligendum Deum, & ad seruandum eius mandata, atque ad agnoscendũ ipsorum erga Deum ingratitudinem, inducerẽtur. Pertinuit quoque varia præmia illis proponere, si legem seruarent, variaque supplicia illis comminari, si illam transgrederentur, aliqua illis permittere, vt libellum repudii, consilia illis dare, vt sunt illa Exodi 22: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei*,
D vt de hoc vltimo affirmat *diuus Th. 1. 2. q. 99. art. 5.* & consentit Hieronymus in præmio in Marcum quædam etiam consilia in veteri lege contineri, quam diuus Thomas ibi citat.

Illud quoque est obseruandum, tractatu. 1. 10
Disp. 1 fuisse explanatum, atque variis scripturæ testimoniis noui ac veteris testamẽti confirmatum, tum obseruationes præceptorum ac consiliorum, tũ etiam præcepta ipsa & consilia, iustitias & iustificationes in scripturis sanctis appellari, quatenus nos iustos efficiunt, at q; iustificãt meritis Christi cooperantibus: obseruationes quidem formaliter, quatenus dum eis nostrę regulæ ac voluntati Dei adæquamur, iusti sumus,
E sumpta iustitia latè in acceptione ibi explicata, pro adæquatione regulę in operando seruandę, nosque gratiæ Christi innitendo iustificant: leges verò & consilia tanquam normæ & regulæ, quæ iustitiam docent ac mensurant. Eadem præcepta ac consilia iudicia Dei nuncupantur in scripturis sanctis, quatenus ab infallibili Dei iudicio emanarũt, atque iuxta ea sumus iudicãdi: quamuis interdum pro solis iudicialibus præceptis iudicia in literis sacris veteris testamenti sumantur. Dicuntur etiam testimonia, (tametsi testimonium latiùs patet, reuelataque omnia cõprehendat) quatenus Deus variis miraculis ac

signis

signis est testificatus, ab ipso emanasse, reuelataq; ac tradita fuisse: qua ratione Regius propheta dixit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Num ad præceptorum veteris legis obseruationem inducere Deus, dum lex illa perseuerauit, filios Israel debuerit temporalibus præmiis ac suppliciis.

Disp. 54.

SVMMARIVM.

1. *EXpediens fuit in lege veteri bona temporalia promittere obseruantibus præcepta data.*
2. *Ostenditur ex sacris litteris quam ampla in bonis temporalibus promittatur remuneratio obseruantibus legem.*
3. *Desiit illa promissio, quando lex abolita est, quod per aduentum Christi accidit: & quando Christus mortuus sit: agitur pluribus de hebdomadis Danielis: de abominatione futura in loco sancto; de euersione Hierusalem.*
4. *In lege euangelica homines non erant inducendi prosperitate bonorum temporalium, sed præmio cælesti, & comminatione interitus sempiterni.*

IAm precedente disputatione fuit copiosè cõprobatum, non sola præmia & supplicia rerũ temporalium fuisse proposita filiis Israel in veteri lege seruantibus aut transgredientibus eam legem, sed etiam præmium æternum illam seruantibus, suppliciumque sempiternum illam transgredientibus fuisse proposita: tametsi frequentissimè proposuerit ac promiserit illis Deus bona externa & temporalia, si illam seruarent, & illis contraria, si illam transgrederentur: quod & opere impleuit, si euoluantur hostoriæ literarum sanctarum. Et num id expediens tunc fuerit, quærimus in hac disputatione.

1 Dicendum autem est cum *diuo Th. 1. 2. q. 99. art. 6.* expediens illud tunc fuisse. Cùm enim lex vetus tanquam minùs perfecta disponeret ad Christum & ad statum nouæ legis tanquam ad perfectum; nec dumque exhibitum hominibus fuisset exemplum vitę, passionis, ac mortis Christi, in quo cõtemptus rerum omnium humanarum, caritasque Dei immensa in genus humanũ, tantopere enituere, & quo homines adeò prouocantur ad illius imitationem, atque ad Dei & Christi vt hominis amorem, ad operęq; eum ostendendum, multa pro Deo & Christo vt homine ad illius imitationem perferendo; cumque tempore antiquæ legis, nondum pretio nostræ redemptionis persoluto, non tantum auxiliorum & gratiæ meritis Christi præstaretur ad legem implendam, & ad magna præstanda, multaque pro Deo perferenda, quantum in noua lege post Christi aduentum præstatum; expediens vtique fuit, eum populum quoad eum minùs perfectum statum, atque sub ea lege puero sub pedagogo constituto, à Paulo ad Galatas. 3. cõparatum, pollicitationibus bonorum temporaliũ, si eam legem seruaret, eum ad eius legis obseruationem adiuuare, rerumque contrariarum comminatione, si illam transgrederetur; idque Deum opere implere, vt experientia fidelium

Aeiusmodi promissionum ipsius in hac vita, illos magis in officio ac obseruatione eius legis cõtineret, faciliusque ad pœnitentiam atque ad se illos reuocaret, iuxta illud Psal. 77: *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad Deum, & rememorati sunt, quia Deus adiutor eorum est, & Deus excelsus redemptor eorum est*, magisque ea ratione eum populum firmaret, certumq; redderet, fidelem ipsum quoque esse in promissionibus præmiorum, & in comminatione suppliciorum post hanc vitam, seruantibus aut transgredientibus eam legem.

Quòd autem temporalium rerum promissio- 2
nibus induxerit sæpe Deus filios Israel ad veteris legis obseruationem, rerumque contrariarum comminationibus si illam transgrederentur, inter multa alia scripturæ sacræ loca, constat ex illo Deut. 4. *Si genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, testes inuoco hodie cælum & terram, citò perituros vos esse de terra, quam transito Iordane possessuri estis, nõ habitabitis in ea lõgo tempore, sed delebit vos Dominus, atq; dispergit in omnes gẽtes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ductus est Dominus. Cumq; quæsieris ibi Dominum Deum tuum, inuenies eum. Si tamẽ toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ, postquam te inuenerint omnia, quæ prædicta sunt.* Et infrà: *Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permanzas multo tempore super terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.* Deut. 28: *Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias atq; custodias õnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra, venientq; super te vniuersa benedictiones istæ, & apprehendent te, si tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum. greges armentorum tuorum, & caula ouium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ. Benedictus eris ingrediens & egrediens. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgent aduersum te, corruentes in conspectu tuo: Per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua. Emittet Dominus benedictione super collaria tua, & super omnia opera manuum tuarum, benedicetq; tibi in terra, quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut iurauit tibi, si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaueris in viis eius. Videbunt te omnes terrarum populi, quòd nomẽ Domini inuocatum sit super te, & timebunt te. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu ventris tui, & fructu iumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam iurauit Dominus patribus tuis vt daret tibi. Aperiet Dominus thesaurũ suum optimum cælum, vt tribuat pluuiam terræ in tẽpore suo, benedicetq; cunctis operibus manuum tuarum.* Et prosequitur benedictiones alias, continuoque contrarias acerrimas maledictiones subiũgit, si eadem præcepta ac mandata non seruauerint. Leuit. 26: *Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluuias temporibus suis, & terra germinabit semen suum, & pomis arbores replebuntur. Apprehendent messium tritura vindemiam, & vin-*

demia occupabit sementem, & comedetis panem ve-
strũ in saturitate, & absq; pauore habitabitis in ter-
ra vestra. Dabo pacem in finibus vestris, dormietis,
& non erit, qui exterreat. Auferam malas bestias,
& gladius non transibit terminos vestros. Persequi-
mini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Per-
sequentur quinquè de vestris centum alienos, &
centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri
gladio in conspectu vestro. Respiciam vos, & cresc-
cere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum
meum vobiscum. Comedetis vetustissima veterum,
& vetera, nouis superuenientibus, projicietis. Pona
tabernaculum meum in medio vestri, & non abji-
ciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deꝰ
vester, vosq; eritis populus meus. Ego Dominus
Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum,
ne seruiretis eis, & qui confregi cathenas ceruicum
vestrarum, vt incederetis erecti. Quòd si non au-
dieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed
strueritis leges meas, & iudicia mea contempseri-
tis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, &
adirritum perducatis pactum meum, ego quoque
hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter in egestate
& ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat
animas vestras. Fruſtra seretis sementem, quæ ab
hostibus deuorabitur. Ponam faciem meam contra
vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjicie-
mini his, qui oderunt vos: fugietis nemine perse-
quente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam
correptiones vestras septuplum propter peccata ve-
stra, & conteram superbiam duritiæ vestræ. Daboq;
vobis cælum desuper sicut ferrum, & terram æneã.
Consumetur incassum labor vester, non proferet
terra germẽ, nec arbores poma præbebunt. Si ambu-
laueritis ex aduerso, nec volueritis audire me, addã
plagas vestras vsque in septuplum propter peccata
vestra: emittamq; in vos bestias agri, quæ consumãt
vos & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redi-
gãt, desertæq; fient viæ vestræ. Quod si nec sic volue-
ritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex ad-
uerso mihi, ego quoq; contra vos aduersus incedam,
& percutiam vos septies propter peccata vestra, in-
ducamq; super vos gladium vltorem fœderis mei.
Cumq; confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam
in medio vestri, & trademini in manibus hostium,
postquam confregero baculum panis vestri: ita vt
decem mulieres in vno clibano coquãt panes, & red-
dant eos ad pondus, & comedetis, & non saturabi-
mini. Sin autem nec per hæc audieritis me, sed am-
bulaueritis contra me, & ego incedam aduersum
vos in furore contrario, & corripiã vos septem pla-
gis propter peccata vestra & simulacra confringam.
Cadetis inter ruinas idolorum vestrorum, & abo-
minabitur vos anima mea, in tantum, vt ciuitates
vestras redigam in solitudinem, & deserta faciam
sanctuaria vestra, nec recipiã vltra odorem suauis-
simum. Disperdamq; terram vestram, & stupebunt
super ea inimici vestri, cum habitatores illius fue-
rint. Vos autem disperdam in gentes, & euaginabo
super vos gladium, eritq; terra vestra deserta, & ci-
uitates vestræ dirutæ, &c. Placuit tã multis ex hoc
vno loco hæc referre, vt vel ex eo solo intelli-
gatur, quo modo tempore legis veteris, dumq;
illa perseuerauit, Deus pollicitatione abundã-
tiæ rerum temporalium, & comminatione
contrariorum, si legem non seruarent, illos in-
duxerit ad veteris legis obseruationem, pollicẽs
simul, se nunquam deserturum omnino eũ po-
pulum, nec deleturum eum propter pactum

A cum ipsis & cum patribus eorum factum, sed re-
ducturum reliquias illius in terram suam, si ad
ipsum conuerterentur; pœnitentiamq; ageret,
vt in Deuteronomio loco relato est pollicitus,
polliceturq́ue in reliquis capitis 26. Leuitici ci-
tati, magnaque ex parte proximè relati. Quod
& opere præstitit, dum pactum illud lexq́ue il-
la vetus perseueraut. Eam verò pollicitationẽ
Nehemias c. 1. eius sui libri, qui secundus Esdræ
inscribitur, commemorat corã Deo, viq; illius
ab eo contendit vt illis subueniat, eosq́ue omni-
no in Ierusalem reducat, ibiq; illos custodiat.
Atque vel hoc vnum esse deberet efficacissi-
mum argumentum ac sufficiens, quo Iudæi
B resipiscerent, sibiq́ue persuaderent, cessasse
iam illud prius pactum, aduenisseq; ac firmatum esse nouum, Ieremiæ 31 promis-
sum, verumq́ue Messiam fuisse Christum, qui
tot miraculis ab ipso & à suis in toto progressu
Christianæ Ecclesiæ factis doctrinam ac legem,
quam dedit, confirmauit. Ex quo enim Christũ
occiderunt, vt antea per propheras fuerat præ-
dictum, fore in redemptionem generis humani
occidendum, & inter alios, apertissimè per Isaiã
c. 63 & propter Danielem c. 9 qui simul expres-
sit & tempus aduentus Christi post eam reuela-
tionem, & populum, qui, dum occideretur, illũ
coram Pilato erat negaturus, desiturũ esse po-
C pulum eius, ita per Vespasianum & Titum, post
modicum tempus illis ad pœnitentiam cõcessum, interim dum sufficienter lex euãgelica diu-
ulgabatur, ac nobis confirmabatur miraculis,
fuerunt desolati & abiecti, ac vt nunquam am-
pliùs in illam terram reuocati sint, sed mille fe-
re sexcẽtis annis vsque ad hanc diem manserint
sine Rege ac duce, dispersi, in omnium oppro-
brio & contemptu, atque in seruitutem reda-
cti, manebuntq́; vsq; ad seculi consummationẽ,
iuxta idem Danielis apertissimum vaticinium.

Cùm enim Daniel eo capite nono, accedente tempore implctionis septuaginta annorum, 3
in quorum fine iuxta Ieremiæ vaticinium libe-
D randi filii Israel erant à Babilonica captiuitate,
pro ea liberatione Deum oraret, quæ primo an-
no imperii Cyri, vt 1. lib. Esdræ c. 1, 5, & 6 habe-
tur, eo septuaginta annorum numero comple-
to, facta est, illiq; apparuisset Gabriel Angelus,
eum instruxit de tempore aduentus Messiæ, &
de longè feliciori liberatione ac redemptione
generis humani à diabolica captiuitate, deque
abiectione & destructione Iudaici populi ob
grauissimum illius peccatum; quo Christum e-
rat negaturus, & quo impiissimè illum per gen-
tilicas manus erat interfecturus, idque hisce
verbis: *Animaduerte sermonem, & intellige visio-*
nem. Septuaginta hebdomades (non quidem die-
E rum, sed annorum: de his enim solis duobus
hebdomadum generibus est sermo in scripturis
sacris: & cùm hoc loco omnium consensu, etiam
Iudæorum, sermo non sit de hebdomadibus
dierum, consequens est, vt sermo sit de hebdo-
madibus annorum) *abbreuiatæ sunt* (quia non
annorum solarium, sed lunarium, qui vndecim
diebus breuiores sunt solaribus, fuerunt eiusmodi hebdomadæ, vt rei postea probauit euen-
tus) *super populum tuum, & super vrbem sanctam*
tuam, vt consummetur præuaricatio (id est, ad sum-
mũ perueniat, vt peruenit in Christi occisione,
quæ fuit grauissimum omnium omnino pecca-
torum:

torum: vel vt consummetur, id est, vt finem omnino accipiat morte Christi, à qua pendebat remissio peccatorum, quæ ante eam mortem fuit facta, & quæ post eam erat facienda, & à qua pendebat apertio ianuæ regni cælestis, quæ clausa fuerat per peccatum, introitusque hominum in vitam æternam, ante mortuorum quidē resurrectionem quoad animam, & post eam resurrectionem, etiam quoad corpora, atque à qua pendebat sanctificatio hominum tota, donaq; omnia toti generi humano collata ac conferenda: vnde id magis explanando continuò subiungitur; *& finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas,* (quoad omnes scilicet illius effectus) *& adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia,* (id est, in Christo cōpleantur vaticinia omnia prophetarum, quæ de ipso erant, & quem respiciebant) *& vngatur sanctus sanctorū* (in pūcto incarnationis aduentusque ipsius in hunc mundum, gratia vnionis, & gratia creata capitis, plenitudineque donorum. Dicitur autem Christus sanctus sanctorum. Tū quia de plenitudine sanctitatis illius sancti omnes suā sanctitatē acceperunt, in eosq; sanctitas redundauit. Tū etiā quoniā Christus longissimo interuallo excedit in sanctitate sanctos omnes. Atque si ad sanctitatem, quam ex gratia vnionis habet, attendas, infinito interuallo excedit sanctitatem omniū omnino sanctorū simul sumptorū) *Scito ergo & animaduerte. Ab exitu sermonis vt iterū ædificetur Ierusalem* (nō dixit ab egressu filiorum Israel de captiuitate Babilonica cū facultate reædificandi tēplum, pro quo orauerat Daniel, & quæ facta est anno primo Cyri: sed dixit, *ab exitu sermonis*, hoc est, facultatis, vt *iterum ædificetur Ierusalem* (quæ destructa fuerat, quando filii Israel captiui ducti fuerāt in Babilonia: quæ facultas cōcessa est multo tēpore postquā filiis Israel fuit cōcessa facultas ascendendi in Ierusalē ac reædificādi templū, nēpe anno vigesimo Artaxerxis, vt constat Nehemiæ 2, qui Artaxerxes Longimanus dictus est: is verò vigesimus annus Artaxerxis Longimani fuit quartus octogesimæ tertiæ olimpiadis) *vsque ad Christum ducē* (id est, vsq; ad tēpus, quo Christus baptizatus prædicare cæperit, duxq; esse sua doctrina, qui homines in viam pacis salutisq; æternæ dirigat, de eo enim dixerat Deus per Isaiā 55: *Ecce dedi eū testē gentibus, ducem & præceptorem populis.* Et Micheas 5, à Matthæo 2. relatus, de Bethlehē, in qua natus est Christus, dixerit: *Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ* (hoc est, sexagintanouē expletæ: septē enim & sexaginta duæ, sexaginta nouē conficiunt) *Et rursus ædificabitur platea & muri* (Ierusalē scilicet) *in angustia temporū* (quod impletū est per Nehemiā breui admodum valdeq; angusto tēpore, magnamq; angustiam atq; oppugnationē sustinentibus filiis Israel, qui illi operi intendebant, vt hęc omnia ex libro Nehemiæ constat. His autē verbis cōpleuit angelus, quod dixerat futurum de reædificatione murorum Ierusalem ex facultate Artaxerxis, eaq; de re Danielē instruxit, & continuò ad illud aliud de septuaginta hebdomadis prosequēdum regreditur, dicēs: *Et post hebdomades sexaginta duas* (cum septem scilicet antecedenter numeratis, id est & post sexaginta nouem hebdomades) *occidetur Christus* (in septuagesima hebdomada in fine il-

A lius. Occisus enim fuit decimo octauo anno imperii Tiberii Cęsariis, qui fuit annus quartus ducentesimæ secūdę olimpiadis. Licèt autē à quarto anno octogesimæ tertiæ olympiadis, qui fuit vigesimus Artaxerxis Longimani, vsq; ad quartum annum ducentesimæ secundæ olympiadis, non fluxerint solùm quadringenti septuaginta quinq; anni solares, qui æquipollent quadringentis nonaginta annis lunaribus, conficiuntq; septuaginta hebdomades annorum lunarium; sed fluxerint amplius duo alii anni solares, si anni incluſiuè computentur, nempe quadringenti septuaginta septem anni solares; anni tamē illi exclusiuè sunt computandi, detrahendiq; pro-

B inde ab ea summa sunt duo illi anni. Ratio autē est, quoniam Christus mortuus est tertia quidē die Aprilis eius anni, at tamē decima quinta lunæ primi mensis post æquinoctium vernum eius anni: eaque de causa is lunaris annus est excludendus. Quantum autem temporis anni, in quo Artaxerxes concessit Nehemiæ, vt ascenderet in Ierusalem ad muros illius reædificandos, quo vsq; facultas scriptura publica data ei à Rege ad id ipsū fuit, profectusq; est cum equitibus, id nō cōstat. Deniq; modici tēporis vltra septuaginta hebdomadas integras ratio nō habetur, dū sermo eo in loco est de septuaginta hebdomadibus abbreuiatis ad ea ōnia, de quibus eo in loco

C est sermo: sicut nec, quando Geneseos 15 Deus Abrahamo prædixit sēmē ipsius futurū peregrinū quadringentis annis, rationē habuit paucorum annorum, quibus vltra eos quadringentos annos erat futurum peregrinū, vt Disp. 52 fuit explanatū. Et fortasse ea de causa dixit Angelus, post sexaginta-nouem hebdomades occidendū esse Christum, nec addit, in fine septuagesimæ) *Et non erit eius populus, qui eū negaturus est.* Hæc non ita perspicuè habentur in Hebræo: ad sensum tamen trāslata sunt. *Et ciuitatem & sanctuariū dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, post finem belli desolatio.* Hæc omnia quadraginta ferè annis post Christi mortem in

D illius meritissimam vltionem impleta ad literā sunt, dū ciuitas & sanctuarium ab exercitu Romanorum duce Tito destructa sunt, vastataq; ac dissoluta omnino manserunt, neq; vnquā vltrà vsq; ad hanc diem reædificata sunt: cùm id aliquoties tentauerint Iudęi, nec vnquā id efficere potuerint, interueniētibus interdū apertissimis miraculis, quibus prohibiti sunt, vt tēpore Iuliani Imperatoris, quādo idē nequā imperator non solùm concessit eis ad id facultatem, sed etiam illos ad id instigauit, igne egrediente de terra, qui omnia euerrit ac cōsumpsit. *Cōfirmabit autem pactum multis hebdomada vna.* Vtique illa septuagesima in qua Christus occideretur. Cō-

E firmauit *verò pactū multis*, illud sine vllo dubio antea Ieremiæ 31 promissum: *Ecce dies venient, dicit dominus, & feriā domui Israel & domni Iuda fœdus nouū, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manus eorū vt educerem eos de terra Ægypti: sed hoc erit pactū, quod feriā cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo legem meā in visceribus eorum, & in corde eorum scribā eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Illud verò pactum multis cōfirmabit: quoniā non omnes illud recipient. *Et in dimidio hebdomadis*, id est, in posteriori medietate eius hebdomadis, quæ id pactum cōfir-

mauit, in qua scilicet medietate posteriori prædicabit Christus id nouum pactū, eamq; nouam legem, sanguineq; ac morte sua id pactum nouū confirmabit, *deficiet hostia & sacrificium*, veteris scilicet legis quoad vim & effectum: quoniam irrita ac sine vlla vi, quam ex Dei institutione antea habebant, manebunt omnia, quæ ad veterē legem attinebant, eo ipso qnòd lex noua pactūve nouū sanguine ac morte Christi cōfirmatum sit: *Et erit in templo abominatio desolationis*, id est, quā proximè sequetur desolatio vrbis & templi: *Et vsq; ad consummationem & finē* (mūdi scilicet) *perseuerabit desolatio*, quia scilicet nunquā ista templum & ciuitas reædificabuntur vt antea erant, sed desolata ac destructa manebunt, in pœnam iniquissimæ mortis eiusdem Christi. Hactenus Daniel ibi. De eadem quoque abominatione futura in loco sancto in templóve, tanquam de signo instantis desolationis ac destructionis templi ac ciuitatis, citans hunc eundem Danielis locum loquutus est Christus Matth. 24 & Marci 13. Eis autem in locis permixtim fuit Christus loquutus de iis, quæ die iudicii seculiq; cōsummationem erāt antecessura, & de iis, quæ antecessura erāt templi ac ciuitatis Ierusalem desolationem ac euersionem: quoniā de vtraq; re fuerat à discipulis ibi interrogatus, & ad vtrāq; respōdet. Qua de causa, quæ ibi permixtim de vtraque re Christus docuit, ad vtrāq; rem sunt accōmodāda, & de vtraq; re sunt intelligenda, quatenus res vtraq; patietur: & de vna earū, aut de altera tantùm, quatenus vni earum tantùm possūt accōmodari. Ab illis autem verbis Matth. 24: *Cum autem videritis abominationē*, vsq; ad illa: *Orate vt non fiat fuga vestra in hyeme vel sabbatho*, perspicuè loquitur Christus de excidio templi ac ciuitatis Ierusalem. Est autem dubium, quid nomine abominationis illius, quæ antecessura erat destructionem templi ac ciuitatis Ierusalem, intellexerint Daniel & Christus illis duobus in locis. Prætermissis verò aliis sentētiis, Caietanus & quidam alii, exercitū Romanorū intellexerūt, quando ad obsidendam Ierusalem accederent. Ducti, quoniā id in signum destructionis futuræ, & vt fideles id ingentissimum periculū euaderent, tradidit idem Christus Lucæ 21 sic dicēs: *Cum autem videritis circundari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in medio eius, discedant*, &c. Hęc sentētia nulla ratione mihi probari potest. Quoniam Daniel & Christus de abominatione existente in tēpo, seu in loco sancto, sunt perspicuè loquuti tanquā de re & signo, quod desolationem erat antecessurū: exercitus autem Romanorum non fuit in templo ante euersionem ciuitatis ac templi, tanquā quippiā præuiū, quo fideles, vt signo antecedente à Christo eis dato, effugere possent oppressionem & interitum, quæ ex ea obsidione & exercitu Ierosolymitanis & habitantibus in aliis oppidis imminebant, arrepta priùs fuga in mōtes ad loca ab exercitu separata, abditaq;, ac tuta. Alii, quos Cornelius Ianſenius in Concordia est sequutus, nomine illius abominationis intelligunt sacrilegia immania in templo Ierosolymitano ante eam desolationem commissa ab iis, qui Zelotæ nuncupati sunt, quiq; templū ipsum præside Floro occupauerunt. De his Iosephus de bello iudaico lib. 2. c. 28 ita scribit: *Omne genus iniustitiæ incredibiliter viguit in Zelotis: qui nomen suum satis verū esse probauerunt. Omne enim malitiæ facinus amulati sunt, nullo, quod antea memoriæ proditum esset, prætermisso: quāuis nomen sibi ex bonorum amutatione imposuissent: qui malorum, quæ maxima essent, bona ducebant.* Et lib. 5. c. 2. sic ait: *Vetus quidem sermo tūc ferebatur*, (vt videtur, iuxta commemoratū Danielis vaticiniū) *tunc demū ciuitatem captū iri, sanctā quoq; flāmis exurenda esse lege belli, cū seditio fuisset exorta, templūq; Dei propriæ Iudæorū manus antea violassent: Quibus Zelotæ, nihil de eorū fide dubitātes, ministros se præbuerūt.* Et lib. 6. c. 16. ait: *Nō equidē recusabo dicere, quæ dolor iubet. Puto, si Romani contrā tam noxios nostræ gentis homines venire tardassent, aut hiatu terræ deuorandam fuisse ciuitatē, aut diluuio periturā, aut fulminū, ad similitudinem Sodomæ, incendia passuram: multo enim magis impiam progeniē tulit, quā ea fuit, quæ illa supplicia partulerat.* Hæc de zelotis Iosephus. Equidem arbitror hāc abominationem in templo quondam Dei, & quondā sancto, præcessuram desolationem eiusdem templi ac ciuitatis prædixisse Danielem ac Christū: eāq; Christum in signū, vt celerem arriperēt fugā in montes & in loca tuta, dedisse fidelibus habitantibus in Ierusalem & in aliis Iudææ oppidis: illisque addidisse illud aliud signū, eidem desolationi ac pressuræ ingenti adhuc vicinius, de quo Lucæ 21, dicens: *Cū videritis circūdari ab exercitu Ierusalē*, id est, aduentare exercitū ad illā circundandā ac obsidendā, *tunc scitote quoniā appropinquat desolatio eius*, &c. Quāuis enim templū Ierosolymitanum nec sanctū iā nec Dei esset templū, post legis veteris cessationem: nō tamē desinebāt esse grauissima sacrilegia formaliter, ac peccata grauissima formaliter, quæ in illo ab illis hominibus fiebāt, interim dū existimabant Dei templum ac sanctum adhuc esse: peccataq;, quæ in illo templo cōmittebāt, grauissima in se erāt, dignissimaq;, quæ à Deo acerrimè punirentur, etiā si extra id templū in loco profano cōmitterentur: illaq; cumulum addidisse videntur à Deo destinatum vt cōplerentur Iudæorū peccata ad id ingens illorum supplicium ac desolationem, desertionemque eorum, de qua Daniel fuerat loquutus, & post eum Christus: & vt id signū eius desolationis instātis, ac pressuræ futuræ, Christus traderet fidelibus, vt suū proprium fugerent periculū. Hæc obiter inserere hoc loco libuit occasione bonorum temporalium, quæ Deus Iudęis fuerat pollicitus, si legem seruarent, interim dum ea lex perseuerabat: quæ lōgè pluribus fuissent comprobanda ac explanāda, si ex professo in suā; propria sede traderentur. Interim verò, quoad cōpertum illū hebdomadarum & annorum, & quoad alia, quæ presè à nobis dicta sunt, lege nostrum Benedictum Pereira lib. 10. & 11. in Danielem. Nunc verò ad id, vnde digressi sumus, regrediamur.

Quamuis Deus Israëlitico populo in genere ac in cōmuni eā tēporalem felicitatē fuerit pollicitus, si legē seruaret, eāq; illi tribuerit dū legē seruauit; id tamē nō tollit, quòd perfectos particulares aliquos in laboribus & aduersitatibus exercuerit, vt Tobiā, & prophetas, quo eos ad maiorē perfectionē eucheret, virtutēq; illorum magis mūdo ostenderet, cumulatiusq; præmiū illis largiretur, vt *diuus Th. 1.2.q.99. art.6.ad.3.* probè notat. Neq; id etiā impedit, quòd probaret

ret interdū populū suū, periculis aliquibus illū exponendo aliorum nequitia, vt probaret spem ac fidem illorum, quam in Deo suo habebāt, illisque tempore congruo subueniret, ac eos erueret, vt plus ipsum laudarēt ac diligerēt, in fideq; atq; in spe in ipso accrescerent, pluscq; apud ipsum mererentur, iuxta illud psal. 49: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

4 In lege autē euāgelica, quoniā & Christi exēplū præcedit, & abūdantior gratia ad illam implendā cōfertur, atq; ad lōgè perfectiorem populū in sanctitate ac meritis creandū ordinatur, vt martyrū numerus, religiosorum, aliorumq; perfectorum virorum ac feminarum, qui in ea floruerunt, testatur, apertaq; iā est ianua regni cælestis, nō ita erant homines inducendi bonorum temporalium caducaq; prosperitate ad illam seruandam, sed præmio cælesti, & contraria sempiterni interitus comminatione, exhortādiq; erant ad contemptum vitæ, & rerum externarum Dei amore, atq; ad laborum tolerantiam ob eundem Dei amorem, cumulatiusq; vitæ æternę præmium adipiscendum, vt & factum est. Vnde Ioannes Baptista, qui, vt Lucæ 1 habetur, in spiritu & virtute Eliæ præcursor Christi fuit parare Domino plebem perfectam, sic orsus est suam prædicationem: *Penitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Iam securis ad radicem arborum posita est. Omnis arbor, quæ nō facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et Christus à ieiunio deserti egrediens, diaboli tētationibus superatis, ac cōgregatis discipulis, sic Matthæi 5 sermonem in monte fuit exorsus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cælorum. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniā ipsi cōsolabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malū aduersus vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Atque in euangelii decursu contemptum rerum externarum, ac propriæ vitæ, docuit, docuerūtq; Christi discipuli, Pauluscq; 2 ad Timot. 3 vniuersim dixit: *Omnes, qui piè volunt viuere in Christo Iesu, persequutionem patientur.*

Vtrùm præcepta omnia moralia ad legem naturæ pertineant, sintq; de omnium virtutum actibus. Disp. 55.

SVMMARIVM.

1. *Præcepta moralia ad legem naturæ pertinent.*
2. *Tres gradus præceptorum moralium.*
3. *Præcepta moralia extendunt se ad actus omnium virtutum.*

1 TRia genera præceptorū veteris legis Disp. 53 distinximus. Nunc verò de singulis, illis generibus in particulari est deinceps ordiendū. Circa ea autē primò id, quod propositū est, quæritur. Cōstat verò ex dictis eadē Disp. 53 iunctis quæ de eadem re Disp. 46 dixeramus, præcepta omnia moralia ad legem naturæ attinere, nec est cur plura ea de re hoc loco addamus.

2 *Diuus Th. 1. 2. q. 100. art. 1.* - præter prima principia moralia, ex quibus deducūtur præcepta, tam affirmatiua, quàm negatiua, quę ex natura ipsa rei, atque adeò iure naturæ sub lethali aut veniali culpa obligant, quę proinde principia in numerum præceptorum cum particularibus præceptis moralibus, iurisve naturalis, non ponunt, tres gradus distinguit. Primus est eorum præceptorum, quæ secluſa quocunque adiutorio diuinæ reuelationis, quia videlicet ad Deum, ānostris sensibus semotum, tanquam ad obiectū nō pertinent, statim modica adhibita consideratione omnibus sunt nota ea esse amplectenda, aut respuenda ac fugienda, vt sunt, honora patrem tuum & matrem tuam, furandum non esse, homicidium non esse patrandum, falsum testimonium non esse dicendum, & similia alia. Secundus verò gradus est eorum, quæ pertinent quidem ad idem genus obiecti non ingentis ob eādem rationem adiutorio diuinæ reuelationis, & tamen maiori indigent inuestigatione, vt nota sint, quæque proinde non omnibus sunt statim nota, sed circa ea erudiri indigent rudiores à peritioribus, qui maiori pollent iudicio, eaque diligentiùs inuestigant. Eiusmodi esse ait diuus Th. illud Leuit. 19: *Coram cano capite surge, & honora personam senis.* Fortasse id inter cōsilia moralia, rectæ rationi luminéve naturali consentanea, connumerari posset. Si enim esset præceptum obligās in veteri lege sub culpa veniali, potiùs annumerari id deberet inter præcepta veteris legis iuris diuini positiui, quàm inter præcepta iuris diuini naturalis. Annumerari autē inter præcepta huius secundi generis posset vitatio fornicationis simplicis sub culpa lethali, itemque poligamiæ vitatio, nisi quia hæc de, re posteriori non erat præceptum in veteri lege; eo quòd dispensatum id esset à Deo illi populo, dispensatione sumpta latè ac minùs propriè, vt infrà, quando disputabimus, num in præceptis decalogi locū habeat dispensatio, explicabitur. In tertio gradu constituit diuus Th. ea præcepta iuris naturalis, quæ indigent adiutorio diuinæ reuelationis, per quā erudimur de diuinis, vt sint cognita, qualia sunt illa Exodi 20: *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem, &c. Nō assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, quæ ad primam decalogi tabulam attinent. Licèt autem ad hæc cognoscēda, quatenus cum Deo eiusque diuino cultu ac honore pugnant, magis necessariū hominibus sit adiutoriū diuinæ reuelationis, quā cognoscenda illa alia præcepta duorum priorū genus, quę nostros proximos respiciūt, aut qualiter nos in humanis genere libeamus vt à recta ratione nō dissentiamus; non tamē negat diuus Thomas, quēadmodū lumine solo naturali cognoscere possumus sine adiutorio diuinę reuelationis, vnū esse Deum rerum omniū causam primā ac conditorem, eique soli Dei cultū deberi, sic etiam nos solo naturali lumine posse cognoscere duo illa præcepta id prohibere, quod cum naturali iure pugnat, ac proinde præcepta esse moralia sub culpa grauissima mortales omnes obligantia: sed solū intendit magis ad illa agnoscenda mortales indigere adiutorio diuinæ reuelationis, ob Dei excellentiam, cū cuius honore ac cultu pugnant, quàm ad cognoscendam illa alia præcepta primi & secundi gradus. Si autē sermo diuo Thomæ esset de præceptis supernaturalibus fidei, spei, caritatis, ac cōtritionis post lapsum in culpa lethali, quæ præcepta ad moralia,

iurisque naturalis Disp. 53 & 46 diximus suppo-
sita diuina reuelatione attinere, tunc sanè
ad illa cognoscenda, simpliciter ac omnino ho-
mo indigeret adiutorio diuinæ reuelationis.
Hęc de primo eorum quæ proposita sunt.

3 Quod verò ad secundũ attinet, nũ scilicet præ-
cepta moralia veteris legis iurisq; naturalis sint
de actibus omnium virtutum, ex dictis Disp. 53 &
46 constat, se extendere ad actus omniũ virtu-
tum, & id docet *diuus Th. 1.2.q.100.art.2.* Quæcũ-
q; enim virtuti morali contraria sunt & cum illa
pugnantia, naturali iure atq; adeò diuino sunt
prohibita, quædã quidẽ sub lethali culpa &quę-
dam sub culpa veniali, pro materiæ & cæterarũ
circunstantiarum qualitate: quæ verò cũ virtuti-
bus moralibus non pugnant, conducunt tamẽ
ad melius esse earundem virtutũ, non sub præ-
cepto, sed sub consilio tradẽtur, vt est illud Prou-
uer. 25: *Si esurierit inimicꝰ tuus, ciba illũ.* Est tamẽ
obseruandum, præcepta moralia naturalis legis
ac diuinæ se extẽdere ad actus omniũ virtutum,
vt hominem iustum ac rectum omnino efficiãt
ad illius felicitatem naturalem ac supernatura-
lem: leges verò humanas ac ciuiles se extendere
etiam ad actus aliarum virtutum, præter iustitiã,
quatenus postulat bonũ politicum reipublicę,
quem suis legibus intendit. Obserua item, non
omnia præcepta moralia fuisse expressa in veteri
lege, sed quædam fuisse relicta, vt ex principiis
naturalibus deducerentur, & per peritiores ac
rectores multitudinis docerentur, consentitque
diuus Th. 1.2.q.100.art.11.ad.3. iuncto art.3. & se-
quentibus eiusdem quæstionis.

De præceptis decalogi. Disp. 56.

SVMMARIVM.

1. *EX moralibus veteris legis præceptis Deus tradidit decalogi præcepta, eaq; postea scripsit in duabus tabulis lapideis, quas ipse dolauerat: & confractis tabulis, tradidit Deo Moyses nouas tabulas. Alia verò præcepta moralia partim tradidit Deus per Moysem, & partim reliquit ea aliis sapientibus ex his præceptis deducenda.*
2. *Non omnes conueniunt in distinctione præceptorum decalogi.*
3. *Helychius excludit præceptum de sabbathi obseruatione a decalogo, sed immeritò, alii aliter alia diuidunt & coniungunt.*
4. *Ordo & series præceptorum decalogi est maximè conueniens & naturalis.*
5. *Diuersimodè authores sentiunt de distinctione præceptorum in ipsis tabulis.*
6. *In præceptis decalogi prima principia moralia, ex quibus deducuntur, continentur, tanquam principia in conclusionibus ex ipsis deductis.*
7. *Ad singula decalogi præcepta reducuntur alia per modum additionis.*

1 EX moralibus veteris legis præceptis Deus
per se ipsum, hoc est ministerio angeli, Dei
personã sustinentis ac gerẽtis, (vt Disp. 50. §. hãc
etiam, &c. ostensum est) tradidit decalogum, id
est, decem verba, seu sententias ac præcepta, au-
diente populo, vt habetur Exodi 20 iuncto c. 19
antecedente, eaq; postea scripsit in duabus ta-
bulis lapideis, à se ipso dolatis & confectis ac
scripris quas tradidit Moysi. vt Exodi 31 in cal-
ce habetur. Eas verò Moyses, viso vitulo, quẽ filii
Israel cõfecerant ac adorauerant, fregit ad radi-
cem montis, vt Exodi 32 habetur. Postea autem,
vt Exodi 34 scriptum legimus, dixit Dominus
Moysi: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar prio-
rum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt ta-
bulæ, quas fregisti.* Et infrà: *Excidit ergo duas tabu-
las lapideas, quales anteà fuerant: & de nocte con-
surgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat
ei Dominus, portans secum tabulas.* Et infrà: *Et scri-
psit in tabulis verba fœderis decem. Cumq; descen-
deret Moyses de mõte Sinai, tenebat duas tabulas la-
pideas testimonii.* De illis etiam duabus prioribus
tabulis lapideis Deut. 9. sic dicitur: *In Oreb prouo-
casti eum, & iratus delere te voluit, quando ascendi
in montem, vt acciperem duas tabulas lapideas pacti,
quod pepigit vobiscum Deus: & perseueraui in mõ-
te quadraginta diebus ac noctibus, panem non cõ-
edens & aquam non bibens. Deditq; mihi Domi-
nus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & cõ-
tinentes omnia verba, quæ vobis loquutus est in mõ-
te de medio ignis, quando concio populi congregata
est. Cumq; tranfissent quadraginta dies & totidem
noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas,
tabulas fœderis.* Et paucis interiectis: *Cumq; de
monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis
vtraque tenerem manu, vidissemq; vos peccasse
Domino Deo vestro, & feciss vobis vitulum con-
flatilem, & deseruisse velociter viam eius, quam
vobis ostenderam, proieci tabulas de manibus meis,
confregiq; eas in cõspectu vestro.* Et de posterio-
ribus tabulis. c. 10 sequenti sic scriptum legitur:
*In tempore illo dixit Dominus ad me, dola tibi
duas tabulas lapideas sicut priores fuerunt, & ascẽ-
de ad me in montem: faciesq; arcam ligneam, & scri-
bã in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas antea
confregisti: ponesq; eas in arca. Feci igitur arcam de
lignis setim. Cumq; dolassem duas tabulas lapideas
instar priorum, ascendi in montem, habẽs eas in ma-
nibus. Scripsitq; in tabulis iuxta id, quod priùs scri-
pserat, verba decem, quæ loquutus est Dominus ad
vos in monte de medio igni, quando populus congre-
gatus est, & dedit eas mihi. Rursusq; de monte de-
scendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram,
quæ huc vsque ibi sunt, sicut mihi præcepit Domi-
nus.* Hæc itaque decem præcepta Deus per se ip-
sum, modo explicato, dedit filiis Israel. Alia verò
moralia, legisve naturæ præcepta, quæ ex his
voluit intelligi, & ad hæc suo modo reduci ac
reuocari, partim eis tradidit per Moysem, & par-
tim reliquit ea aliis sapientibus ex his præceptis
atque ex principiis iuris naturalis deducenda,
explicanda, ac docenda. Decebat quippe Deum,
tanquam naturæ autorem, in lege naturæ tra-
denda, ea sola rudi populo proponere seruãda,
quæ ex naturalibus principiis, modica adhibita
consideratione, naturalis ratio statim intelligit
ac elicit, saltem supposita fide vnius Dei creato-
ris omniũ, ac remuneratoris creaturarum mẽte
liberoq; arbitrio præditarũ, vt in tradẽda ea le-
ge supponebatur ac præmittebatur, ex Exodiq;
capite 20 iũctis capitibus antecedẽtibus cõstat.
Ea autẽ sunt, quæ ad virtutem iustitiæ pertinẽt,
in qua ratio debiti patentior est, quã in aliis vir-
tutibus: sub iustitia religionem, quæ est ad Deũ,
& pietatem, quæ ergo parentes est, comprehẽ-
dendo. Hæ namque duæ virtutes iustitiæ sunt
affines, à ratione iustitiæ in eo deficientes, quòd
non sint inter æquales, sed sint inferiorum com-
parationc

paratione ſuperiorum, à quibus ſuum eſſe, tametſi diuerſimodè, habent, & quòd arctior longeque maior ratio debiti in eis cernatur, quàm in iuſtitia preſsè ac propriè ſumpta, vt hæc omnia tractatu 1. Diſput. 7. dilucidè explanata ſunt. Atque ſicut decuit, expedientiſſimúque fuit, ex his, quæ ad finem pertinent, capita quædam ſummamq; quandam elici ac proponi toto Chriſtiano populo credendam ac ſciendã, id quod ab apoſtolis in ſymbolo fidei fuit factum, ac poſtea ab eccleſia in quatuordecim articulis, quæ credenda ac ſcienda omnibus proponit; reliqua verò in particulari, quæ ad fidem ſpectant, addiſcenda ac tradẽda relinqui ex ſcripturis ſacris, ex traditionibus, atq; ex definitionibus eccleſiæ: ita expedientiſſimum fuit, breuẽ quandam ſummam ac veluti compendium præceptorum iuris naturalis, quæ ad ſempiternam felicitatem cõſequendam ſeruari debebãt, tradi ac proponi toti fidelium congregationi ſciendam ac ſeruandam decem decalogi præceptis; reliqua verò, quæ in illis tanquam in principiis continentur, ad ea reducuntur, maioriq; indagine vt agnoſcantur exigunt, ſapientibus ac doctoribus eccleſiæ inueſtiganda ac docenda aliis relinqui, maximè cùm ſint penè infinita, & multa eorum difficilima intellectu.

2 Quamuis conſentiunt omnes, præcepta decalogi decem fuiſſe, quod & nomẽ ipſum, decalogus, ſignificat, & cõſtat, tum ex illis verbis Deuteronomii 10 ſuprà relatis; *ſcripſit in tabulis iuxta id, quod prius ſcripſerat, verba decem, quæ loquutus eſt Dominus ad vos in monte de medio ignis*: tum etiam ex illo Deuteronomii 4. *Acceſſiſtis ad radices montis, qui ardebat vſque ad cælum, erantq; in eo tenebræ & nubes & caligo: loquutuſq; eſt Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum eius audiſtis, & formam penitus non vidiſtis. Et oſtendit vobis pactum ſuum, quod præcepit vt faceretis, & decem verba, quæ ſcripſit in duabus tabulis lapideis.* Quamuis, inquam, omnes conueniãt, decalogi præcepta decẽ fuiſſe; in eorũ tamẽ præceptorũ diſtinctione nõ omnes conueniũt.

3 Heſychius in caput Leuit. 26. *à diuo Th. 1. 2. q. 100. art. 4.* relatus, præceptum de ſabbathi obſeruatione à decalogi præceptis excludit. Atque in illis verbis Exod. 20: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: Non habebis Deos alienos corã me: Non facies tibi ſculptile*, tria diſtinguit decalogi præcepta. Primum eorũ vult eſſe: *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Secundum: *Non habebis Deos alienos.* Et tertium: *Non facies tibi ſculptile.* Quartum ait eſſe illud: *Non aſſumes nomen Domini tui in vanum.* Atq; hæc quatuor præcepta ait pertinere ad amorem & honorem ac cultum Dei. Et ſex affirmat pertinere ad proximi amorem. Nam vnum tantùm vult eſſe præceptum, quo concupiſcentia prohibetur, ſiue ſit vxoris alienæ, ſiue rerum aliarum proximi externarum, illis verbis Exodi 20: *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, nec aſinum, neque omnia quæ illius ſunt.*

Quòd præceptũ de ſabbathi obſeruatione excludi debeat à numero præceptorũ decalogi, ſingulare Heſychii eſt aſſertum cũ cõmuni Patrum ac ſcholaſticorum ſententia pugnans, quin & cũ ſcriptura Exodi 20, quo in loco perſpicuè inter decalogi præcepta annumeratur. Quãuis autem A eatenus ſolũ ad moralia iuriſve naturalis præcepta attineat, quatenus naturali iure Deo famulatus cultuſq; aliquis externus debetur, tametſi nõ hic in particulari de iure naturali habeatur, vt ſit ſabbathi obſeruatio, ac proinde præceptum de ſabbathi obſeruatione, quatenus determinati vt cultus iure naturali Deo debitus, ſit in particulari ex præcepto, obſeruando ſabbathũ in memoriã beneficii creationis (quod fundamentũ fuit cæterorũ Dei beneficiorũ) idq; eo die, quo Deus ab opere creationis ceſſauit ac requieuit, ſit cæremoniale præceptũ, quod proinde morte Chriſti ceſſauit, atq; ex eccleſiæ ſtatuto in obſeruationem diei dominicæ in memoriam longè exB cellentioris beneficii redemptionis generis humani ac reſurrectionis Chriſti, qua ab opere redẽptionis in gloria ac quiete corporis requieuit, meritò inter Chriſtianos tranſierit; nihilominus oportuit id præceptũ inter præcepta decalogi, quæ ad Dei honorẽ pertinent, annecti & annumerari, quatenus & eo cultus iure naturali Deo debitus ex parte exhibetur, & in ea die ad Dei cultũ dicata, ſinguliſq; hebdomadibus repetenda, populus ſanctus Dei in iis, quæ ad illius & ad cæterorũ præceptorũ ac conſiliorũ obſeruationẽ, & in iis, quæ ad fidẽ attinebant, præcipuè erudiri debebat, & quaten⁹ in eo die, magis quã in aliis, cultus alij Deo erant exhibendi. ReliCqua, quę Heſychii ſententia cõtinebat, cum ſententia proximè referenda examinabuntur.

Plurimi Hebræorum, vt Abulenſis Exodi. 20. q. 2. refert, in illis eiſdem verbis Exodi 20: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. duo præcepta decalogi diſtinguunt, ita vt primum ſit: *Ego ſum Dominus Deus tuus*, quaſi Deus eis verbis dicat, tibi præcipio vt me colas. Et ſecundum ſit: *Non habebis Deos alienos.* Quod verò adiungitur: *Non facies tibi ſculptile*, ſit ad maiorẽ eiuſdem ſecũdi præcepti explanationem. In hac eadem ſententia fuerunt Hiero. Oſeę. 10 in illud; *tunc corripietur propter Duas iniquitates*, & Caiet. Exodi. 20. Origenes quoq; homil. 1. in Exodũ, in illis eiſdẽ D verbis duo diſtinguit præcepta, aliter tamẽ. Primũ enim eſſe affirmat: *Non habebis Deos alienos.* Secundum verò: *Non facies tibi ſculptile.* Hi omnes autores conueniunt, quatuor eſſe præcepta decalogi ad Dei amorem ac honorem attinentia, nẽpe illa duo, iuxta illorum ſententiam, proximè explicata. Tertiũ verò: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Et quartum: *Mementò vt diem ſabbathi ſanctifices.* Sex verò dicunt ad proximi amorem attinere: eo quòd præceptum de nõ concupiſcẽda vxore proximi, & de nõ cõcupiſcendis rebus aliis illius externis, vnum tãtum eſſe affirment: eaq; ratione aiunt, decalogi præcepta numerum denarium non excedere.

E *Diuus Aug. 4. tom. q. 71. in Exodum* (qui etiam inſcribitur lib. 2, ex ſeptem libris queſtionum) in illis verbis Exodi 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. in quibus doctores proximè relati duo diſtinguũt præcepta, & in quibus Heſychius tria diſtinguebat, vnũ tãtũ agnoſcit præceptũ, quod illis verbis continetur: *Non habebis Deos alienos.* Id enim, quod præmittitur: *Ego ſũ Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra Aegypti, de domo ſeruitutis*, præmiſſum fuit, tum ad oſtendendã legiſlatoris autoritatem: tum etiam ad inducendũ populum ad obſeruationem eorũ præceptorũ, quę ibi illi tradebat, atque ad recordationem beneficio-

ficiorum ac mirabilium, quæ in eorum gratiam ac bonum fecerat, quæ sanè recordatio non modicum inducere eos debebat ad eorundem præceptorum obseruationem. Quod verò sequitur; *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea neq; coles: ego enim sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitates patrum in filios, & in tertiam & quartum generationem eorum qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea*; hoc, inquam, quod ibi sequitur, additum censet ad maiorem eius procepti, *Non habebis deos alienos*, explanationem, & vt populus ille à tanto flagitio patrando magis auerteretur. Vnde Augustinus tria tantùm constituit decalogi præcepta ad amorem & cultum Dei attinentia. Septem verò docet Augustinus esse præcepta ad proximi amorem ac bonum attinentia. In posterioribus enim illis verbis, quibus Exodi 20. concupiscentia prohibetur, duo Augustinus agnoscit præcepta. Vnũ de non concupiscenda vxore proximi. Alterum verò de non concupiscẽdis aliis proximi rebus externis. Sententiam hanc sequuntur *Hugo de sancto Victore Exodi 20, diuus Th. 1, 2. q. 100. art. 4. Abul. Exodi 20. q. 20* citata, & doctores communiter, meritoq; in Ecclesiæ catechismis est recepta. Verba enim illa, *Ego sum Dominus Deus tuus*, nullam sanè formam effigiéve præcepti habent, sed tantùm inductiui ad obseruationem mãdatorum, quo sæpe Deus in veteri testamento vtitur. Illa verò alia, *Non facies tibi sculptile*, non ad aliud præceptum attinent, quàm ad illud, *Non habebis deos alienos corã me*: quo enim præcepto cultus aliorum deorũ prohibetur, eodem sanè sculptilia ad eos colendos prohibẽtur: quo fit, vt cõuenienter dicatur, ea & sequentia verba, vsq; ad illa, *Non assumes nomẽ Dei tui in vanum*, ad maiorem explanationẽ primi illius præcepti, atq; ad expressionem, quanta culpa in illius transgressione sit, fuisse addita. Atque cum præcepta per obiecta distinguantur, sanè qua ratione prohibitio adulterii & furti in duo præcepta distinguuntur, eadem quoque ratione prohibitio concupiscentiæ alienæ vxoris, & prohibitio concupiscentiæ rerum alienarum externarum, quæ perspicuè de eisdẽ sunt obiectis, in duo alia præcepta distingui debent, nihil impediente, quod Exodi 20. permixtim ac coniunctim sint tradita: textusque ipse facer, vt Augustinus. q. 71 rectè adnotauit, satis vt distincta præcepta ea tradidit, dum dixit: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorẽ eius*, deinde verò non eadem nec tanta distinctione addidit maiorem extensionem ac explanationẽ primi ex his duobus præceptis, sed lõgè maiori, dicens, *non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.*

4 Numerus, conuenientissimusque præceptorum decalogi ordo, in hunc modum colligitur. Quemadmodum humanę leges hominem ordinant ad communitatem, rempublicamq; humanam sub aliquo principe: ita præcepta diuina hominem ordinant ad communitatem, rempublicamve hominum sub Deo. Ad id verò in vnoquoque eius communitatis duplex requiritur ordo. Vnus, ad principem. Ad eos verò, quibuscum in ea communitate viuit ac conuersatur, alter. Principi autem debentur tria, fidelitas scilicet, reuerentia, ac famulatus. Fidelitas in eo cernitur, vt honor principi debitus, alteri nõ tribuatur. Atque quoad hoc primum decalogi præceptum adhibetur, *Non habebis Deos alienos*, id est, honorem ac cultum mihi debitum, alteri non tribues: quo fit, vt præceptum sit negatiuũ. Vnde in catechismis Ecclesiæ proponi non debet primum decalogi præceptum sub hac forma, *Diliges Deum super omnia*: sed sub hac, *Vnum coles Deum*, id est, non alium præter vnicum Deum tuum verum. Reuerentia autem in hoc cernitur, vt nihil iniuriosum in eũm fiat. Et quoad hoc adhibetur secundum illud præceptum: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Famulatus autẽ debetur principi in recognitionem, & quasi in compensationem aliquatem beneficiorum ab eo acceptorum. Et quo ad hoc adhibetur tertium præceptum de sabbathi obseruatione in memoriam beneficii creationis: quod præceptum in veteri lege ex parte erat morale, sed simpliciter erat cæremoniale, vt suprà fuit explanatum; additaque fuit ratio, cur id cæremoniale præceptum, potiùs quàm alia, inseri ac annumerari præceptis decalogi debuerit. Comparatione verò eorum, quibuscum homo sub Deo viuit ac conuersatur, duplex ordo cernitur. Vnus peculiaris ad parentes, à quibus esse atque educationem accepit, quibus proinde plus, quã aliis, astringitur, arctiorque alteriusq; rationis eorum comparatione ratio debiti cõsurgit. Atque parentum comparatione illud quartum decalogi præceptum adhibetur: *Honora patrem tuũ & matrem tuã, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Alius verò ordo est generalis, cui de communitate cæterorum comparatione, cum quibus viuit ac cõuersatur, quo ita eorum cõparatione se habere debet, vt nulli eorum nocumentum iniustè inferat, neque opere, neque ore, neque corde. Atque opere, neque in illius propriam personam quoad illius substantiam. Et quoad hoc adhibetur quintum illud præceptum, *Non occides.* Neque in personam illi coniunctam ad prolis generationem. Et quoad hoc adhibetur sextum illud præceptũ, *Non mœchaberis*, id est, adulterium nõ committes. Neque in bonis illius externis, & ad hoc adhibetur septimum præceptum, *Non furtum facies.* Ad prohibendum nocumentum oris adhibetur præceptum octauum, *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Ad prohibendum verò nocumentum cordis circa vxorem alienam, adhibetur illud nonũ, *Non desiderabis vxorem proximi tui.* Denique ad prohibendum cordis nocumentum circa alias res externas adhibetur decimum, *Non concupisces domũ aut aliud proximi tui.*

5 Quamuis ex decem decalogi præceptis annumeratis, in communi doctorum atque loquentium vsu, tria priora, quæ ad honorem & cultũ Dei pertinent, ad primam tabulam attinere dicantur, & septem posteriora ad secundam; dubium tamen est, an in vna ex illis duabus tabulis lapideis, in quibus Deus scripsit decalogum, atque in eis scriptum Moysi reponendum in arca tradidit, continerent sola tria priora præcepta, & in alia septem reliqua: an verò nõ, sed quina & quina præcepta in eis fuerint scripta, ita vt, si quatuor erant præcepta ad honorem & cultum

Dei

quatuor erant præcepta ad honorem & cultum Dei attinentia, vt communiter Hebræi affirmãt, & Hieronymus, Caiet. Origenes consentiunt. Præceptum etiam de honore parentum in prima tabula fuerit à Dei scriptũ: si verò, iuxta Augustinum & communiorem sententiam, tria tãtùm erant præcepta ad honorem & cultum Dei attinentia, non solùm præceptũ de honore parentibus exhibẽdo, sed etiam præceptum de nõ occidendo, fuerint cum illis aliis tribus in prima earum tabularum à Deo scripta. Abulensis Exod. 20. q. 7. censet, in priori tabula sola præcepta ad honorem & cultũ Dei attinentia fuisse scripta. *Sotus* verò *2. de iust. q. 3. art. 3.* & alii, cum Iosepho. 4. lib. antiquitatum. c. 3. dicunt, non sola præcepta ad honorem & cultum Dei attinentia fuisse scripta in priori tabula, sed paria quoad numerum fuisse in vtraque tabula scripta. A doctoribus autem tria priora præcepta appellari primæ tabulæ, & septem posteriora secundę, sumptis tabulis, non pro illis lapideis in fœderis arca repositis, sed pro casibus præceptorum digniorum, ac minùs digniorum, ita vt tria priora decalogi præcepta dicantur primæ tabulæ, hoc est, primę ac dignioris classis præceptorum: septẽ verò posteriora dicantur secundæ tabulæ, id est, classis secundæ minùs dignæ.

6 In præceptis decalogi prima principia moralia, ex quibus deducũtur, quale est illud, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, continentur tãquam principia in cõclusionibus ex ipsis dèductis. Ad præcepta item decalogi duo illa præcepta de dilectione Dei & proximi reuocantur: quoniã, vt Disput. 53 fuit ostensum, ad illorum obseruationem necessaria est præceptorum decalogi obseruatio: neque in numerum præceptorum cum decalogi præceptis duo illa præcepta ponunt, vt ibidem ostensum etiam sit: eoque tendit præceptorum decalogi obseruatio, quin & vniuersa lex & prophetæ, vt duo illa præcepta obseruentur, atque adeò ab illis, tanquam media à fine ad quem ordinantur, pendeat lex vniuersa & prophetiæ; vt Christus docuit, & disputatione citata explanatum est. Quòd si aliquando obligent ad peculiarem aliquem actum, qui formaliter in præceptis decalogi non contineatur, (quod infrà suo loco disputandum est) cùm id non sit adeò perspicuum, expediens non fuit in decalogis proponi, sed relinqui debuit explicandum per Moysem & alios sapientes. Mandatum autem generale de Dei dilectione docuit Moyses Deut. 6. dicens: *Audi Israel. Dominus Deus noster vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.*

7 Ad singula verò decalogi præcepta reducuntur alia per modum eiusdem additionis, vt *diuus Th. 1. 2. q. 100. art. 11.* ait. Ad primum quidem reducuntur ea, quæ in cultum tendunt idolorum aut dæmonis, diuinóve cultui quoquo modo aduersantur, vt est illud per Moysem à Deut. 18 traditum ac explanatum: *Non inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam, ducẽs per ignem, aut qui ariolos scisciteturs, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & quærat à mortuis veritatem.*

Ad secundum præceptum reducitur blasphemiæ prohibitio. In prohibitione quippe eius, quod minus est, ac magis frequens, manifestęq; peccatum contra ius naturæ, quale est periurium, prohibitum censetur, quod lõgè deterius est, ad idemque genus spectat, vt in periurio cẽsetur blasphemia prohibita, cui crimini pœna mortis, lapidibus delinquentem obruendo, Leuit. 24. statuitur. Dici quoque posset, in illis verbis: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, non solùm periurium, sed & blasphemiam comprehendi. Qui enim nomen Dei ad blasphemandum assumit, plus in vanum id sanctum nomen assumit, quàm qui illud ad peierandum assumit. Ad idem secũdum præceptum reducit *diuus Th. art. 11.* citato prohibitionem falsæ doctrinæ, falsęve prophetiæ, cui delicto Deuteronomii 18 pœna mortis statuitur. Ad primũ quoque decalogi præceptum reduci id poterat, & quicquid cum fide catholica quoquo modo pugnat. Ad idem quoque præceptum reducitur sacrilegium & irreuerentia, qua vota non implentur, eorúmve fit transgressio. Vnde Numer. 30 cum transgressione iuramenti, voti transgressio coniuncta fuit, sic enim ibi habetur: *Si quis virorum votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.*

Ad tertium præceptum in veteri lege reducebantur cætera cæremonialia, quæ tunc erant in præcepto. Et ad quartum, quæ ad maiorum venerationem ac honorem attinebant.

Ad quintum reducitur omnis alia corporalis iniuria proximo illata, quin & odium, animusque illam inferendi. Vnde Leuit. 19: *Non habis contra sanguinem proximi tui. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. Non quæras vltorem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.* Et paulo superiùs, *Coram cæco non pones offendiculum.* Potiùs autem in eo occisio proximi expressa fuit, quàm occisio propria: quonjam patentior est iniustitia ac peccatum in alterius iniusta occasione, quàm in sua propria.

Ad sextum reducitur omnis fornicatio etiam simplex, cuius prohibitio exprimitur Deut. 23 illis verbis: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* Item vitium omne contra naturam, cuius prohibitio his verbis Leuit. 18 fuit expressa: *Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo.* Et quia in adulterio patentior est iniustitia & nequitia, quàm in aliis fornicationibus, idcirco adulteriũ potiùs, quàm fornicationes aliæ, eo præcepto expressæ fuerunt.

Furtum verò in septimo præcepto latissimè sumitur, vt comprehendit omnem vsurpationẽ iniustam rerum alienarum, & damnum omne in rebus externis proximo iniustè datum, vt tractatu. 2. Disput. 680 iunctis tribus sequentibus disputationibus explanauimus: quo fit, vt sub eo furto rapina etiam comprehendatur, vt ibidem dictum est. Vel certè ad id septimum præceptũ prędictę omnes iniustitiæ circa res proximi externas reducuntur, quarum aliquę in particulari lege etiam veteri reperiuntur expressè prohibitę, vt est illud Deut. 25: *Nõ habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor: pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore super terram, quam Domi-*

Dominus Deus tuus dederit tibi. Abominatur enim Dominus Deus, tuus eũ qui fecit hæc, & auersatur omnem iniustitiam.

Ad octauum item præceptum reducitur temerarium ac falsum iudicium, & omnis detractionis ac mendacii species, quæ alibi expressè prohibentur. Exodi 23: *In iudicio plurimorum non acquiesces sententiæ, vt a vero deuies.* Et infrà: *Mendacium fugies.* Leuit. 19: *Non mentiemini: Non eris criminator nec susurro in populo.*

Illud verò circa nonum & decimum præceptũ est obseruandum, quemadmodum concupiscẽtia vxoris alienę, aut rei alienę externę proximi, peccatum est, sic etiam voluntatem homicidii, aut cuiusuis alterius rei prę ceptis prohibitæ, esse peccatum. Hoc tamen Deus voluit intelligi ex prohibitione concupiscentiæ furti & adulterii; cùm sit par ratio de voluntate vnius rei illicitæ & de voluntate cæterarum rerum illicitarum: vt autem id intelligeretur, expressa fuerunt duo vltima decalogi præcepta: quare sicut voluntas homicidii ad quintum reducitur præceptum, estque eiusdem speciei cum trãsgressione quinti præcepti, & voluntas falsum ferendi testimonium reducitur ad octauum præceptum, estque eiusdẽ speciei cum falso testimonio contra illud præceptum, sic nonum & decimum præceptum ad sextum & septimum reuocantur, transgressioneſque illæ eiusdem speciei sunt cum transgressione sexti & septimi præcepti.

Vtrùm in præceptis decalogi diuina saltem potentia locum habeat dispensatio.

Disp. 57.

SVMMARIVM.

1. IN *præceptis decalogi secundùm aliquos locum habet dispensatio, diuina saltem potentia, idq; probatur argumentis.*
2. *Discrimen inter irritare legem, abrogare legem, dispensare in lege, & interpretari legem.*
3. *Occamus ait præcepta omnia decalogi non solùm dispensari a Deo posse: sed etiam Deum præcipere posse contraria eis omnibus præceptis: sed refellitur.*
4. *Scotus ait sola præcepta maximè negatiua primæ tabulæ dispensari diuina potentia non posse, at bene præcepta secundæ tabulæ, sed refellitur in nonnullis.*
5. *Maior ait, ex præceptis negatiuis secundæ tabulæ solum quintum posse diuina potentia dispensari: præcepta verò omnia affirmatiua, tam primæ quam secundæ tabulæ, eadem diuina potentia posse dispensari: sed refellitur etiam in aliquibus.*
6. *Secundùm D. Thomam & plures alios, & secundùm Molinam, omnia præcepta decalogi nec diuina potentia dispensari possunt præter tertium, ea ex parte qua cæremoniale ac de iure positiuo est.*
7. *Rejiciuntur argumenta, quæ ostenderãt præcepta decalogi posse dispensari, diuina saltem potentia, & excusantur exempla, quæ in rei confirmationem allata fuerant.*

1. PArs, quæ affirmat, suaderi potest. Primò, quoniam si in eis locum non haberet dispensatio, maximè quia præcipiunt aut prohibẽt ea, quæ sunt de iure naturali: sed autore Aristotele 5. Eth. c. 7. quædam sunt de iure naturali, quæ variari possunt atque in aliquibus deficere: A vt de iure naturali est depositum esse reddendũ, si tamen depositum sit gladius, dominusq;, qui illum deposuit ac petit, in furiam incidat, reddi illi non debet: ergo in præceptis decalogi diuina saltem potentia locum habet dispensatio.

Secundò, implere vota, ac iuramenta, quæ nõ sunt de re illicita, est de iure naturali: sed Summus Pontifex frequenter dispensat in votis, & in iuramentis, vt non impleantur: ergo longè maiori cum ratione Deus ipse dispẽsare in his poterit, & in cæteris, quæ de iure sunt naturali, ac proinde in præceptis decalogi, diuina saltem virtute, locus erit dispensationi.

Tertiò, non minoris potentiæ est Deus com- B paratione suarum legum diuinarum, quàm sint homines comparatione legum humanarum ab ipsis latarum: sed homines in legibus à se conditis dispẽsare possunt: ergo Deus in suis legibus diuinis, atque adeò in præceptis decalogi, quæ sunt leges de iure diuino naturali, poterit dispensare.

Quartò, Deus cum Abrahamo Gen. 22. dispẽsauit in homicidio sui proprii filii Isaac: cũ Sãson Iudic. 16. dispensauit, vt se ipsum vnà cum Philisteis interimeret: cum Osea dispensauit, vt fornicaretur: illi enim (vt Oseę 1 habetur) dixit: *Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum:* cum filiis Israel dispensauit C in furto, dum Exodi. 11 Moysi dixit: *Dices omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier a vicina sua vasa argentea & aurea & vestem:* Et c. 12: *Fecerunt filii Israel sicut præceperat dominus Moysi, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemq; plurimam. Dedit autem Dominus gratiã populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt Ægyptios.* Item cum Machabæis dispẽsatum est, vt sabbathum non seruarent, sed in eo pugnarent, vt patet 1. Machab. 2. ergo in præceptis decalogi locus est dispensationi potentia diuina.

Vt quid rei veritas habeat meliùs intelligatur, 2
est obseruandum. Hoc esse discrimen inter irri- D tare legem, abrogare legem, dispensare in lege, & legem interpretari. Quòd legem aut votum irritare est, antequam votum aut lex plenã vim obligandi habeat, impedire ne vim obtineat. In voto faciliùs possumus adhibere exẽplum, quàm in lege, vt si votum factum sit ab impubere, à filio familias, ab vxore, aut à religioso, in his, quorum obligatio ex eo pendet, quòd ratum id habeant, quibus quo ad id subsunt, qui id vouerũt: tunc enim irritum id votum redditur, si illi non consentiant, talem, quo ad ipsis subditum, eam habere obligationem: quoniam obligatio illa ex parte vouentis eo ipso tollitur, antequã plenam vim ipsum obligandi id vouentem habeat. E Quod verò ad legem attinet, adhibere possumus exemplum in illis legibus, quarum vis obligandi, iuxta iurisdictionẽ quo ad id à quibusdam rebus publicis supremis ipsarum potestatibus concessam, pendet ab approbatione populi, vt Disp. 46 & tractatu 2. Disp. 23 iuncta Disp. 22 antecedente explanatum est: si enim populus in lege, à talibus publicis potestatibus lata, non consentiat, irrita eo ipso redditur.

Abrogare verò legẽ est, postquã lex vim obligandi obtinuit, eã tollere. Quòd si integre tollatur, erit in totum abrogata: si verò ex parte solũ quo ad õnes tollatur, erit solũ ex parte abrogata.

Dispen-

Dispensare autem in lege est, tollere à lege vim obligãdi comparatione alicuius aut aliquorum, cum quibus in ea dispensatur, idque in aliquo aut in aliquibus euentibus particularibus, vel in perpetuum, relinquendo in lege vim suã obligandi quo ad cæteros, in cæterisque euentibus etiam quo ad eos, cum quibus in aliquo vel in aliquibus tantùm euentibus dispensatur. Vnde cùm is, qui abrogare potest legem, vim ab ea quo ad omnes auferendo, possit etiã vim ab illa auferre quoad aliquẽ aut quo ad aliquos, cum quibus ea dispensat: consequens profectò est, vt qui abrogare potest legem, possit quoque in ea dispensare: non tamen omnis, qui potest in lege dispẽsare, potest etiam illam abrogare. Prælati enim inferiores dispensare interdum possunt in legibus suorum superiorum, non tamen possunt eas tollere ac abrogare.

Interpretari autem legem (quod ad Epicheiã spectat) est, nullam à lege vim obligandi auferendo, explicare in quo euentu, aut in quibus euentibus, lex non intelligatur obligare. Vt explicare præceptum de non occidendo, non cõprehendere eum, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ suum occidit inuasorem: & præceptum de non furando, non comprehendere eũ, qui in extrema necessitate aliena accipit (domino etiam inuito) ad vitam conseruandam: quoniam id non est furtum.

Itaque irritare legem est impedire ne vis illius obligandi integre consurgat. Abrogare verò legem est auferre ab illa vim obligandi, quã iam integrè ac perfectè habet, idq; quo ad omnes. Vt si summus Pontifex statueret, neminem deinceps obligare præceptum ieiunii, integre tunc abrogaret ieiunii legem. Si verò illam arctaret ad pauciores dies, tunc solùm ex parte illam abrogaret. Dispensare verò in lege, est vim obligandi ab ea auferre, non quoad omnes, sed quo ad aliquem, vel quo ad aliquos. Vt si in ieiunii præcepto dispensetur cum aliquo, aut cum aliquibus, vt non ieiunent, vel omnino, vel ad tempus, aut quo ad aliquos ieiunii dies. Interpretari autem legem est, nullam vim obligãdi ab ea auferendo, explicare ad quos euentus se non extendat. Vt explicare ieiunii legem prægnantes ac nutrientes & ægrotos non comprehendere. Atque quando de sensu legis absque dubio constat, licita quo ad id subditis est interpretatio. Quando verò res est dubia, num aliquem euentum comprehendat, tunc ad legislatorem, aut ad parem, qui in eo numero succesſit, vel ad superiorem, est recurrendum, qui illam interpretetur. Quemadmodum enim hi integre aut ex parte possunt illam abrogare, ita etiam possunt eum interpretari, in quo sensu velint illam deinceps obligare.

Obseruandum est deinde, dispensare interdum sumi presse ac propriè, vt paulo antea definitum explanatumque à nobis est. Interdum verò sumi latiùs, vt dispensare sit eximere aliquẽ ab obligatione legis, siue sit vim à lege auferendo, vt in eo euentu illum non obliget, siue sit nullam omnino vim obligandi à lege auferendo, sed superiore efficiente aliquid, quo id desinit sub eam legẽ cadere, quod secluso eo facto sub eã caderet legẽ, eum ab obligatione legis eximere. Exempla in sequentibus patebunt. Est verò hoc ante mentis oculos habendum,

A quoniam sæpe doctores sumunt latiùs dispensare, nempe hoc posteriori modo proximè explicato, ne credamus eos sumere dispensare presse ac propriissimè, ac decipiamur, in æquioco laboremus.

His ita constitutis, quod hoc loco quærimus, est, num in præceptis decalogi in hoc sensu, diuina saltẽ potentia, sit locus dispensationi, quòd actus, qui est contra præcepta decalogi, non ex eo quòd adueniat aliqua circunstantia, quæ se sinat comprehendi in præceptis decalogi, sed ex eo quòd à præcepto tollatur vis obligandi cõparatione eius actus, licitus reddatur. Vt, verbi gratia, num præceptum de non furando in hoc sensu sit dispensabile, quòd acceptio alieni inuito domino, non ex eo quòd adueniat circunstantia, quæ eam acceptionem à ratione furti eximat, vt erit, si accipiens in extrema sit eius rei necessitate ad mortem euadendam, sed ex eo quòd à non furandi præcepto tollatur obligatio eius præcepti cõparatione talis acceptionis rei alienæ inuito domino eo modo factæ, quo alioquin esset contra id præceptum, sit licita: hoc enim propriè est dispensare, vt in præcepto ieiunii liquet. Si enim actus comedendi carnes in die ieiunii ex eo licitus reddatur, quia morbus aduenit, quæ circunstantia eum actum eximit à præcepto ieiunii, nulla sanè cernitur in eo dispensatio, quòd is actus licitus fuit, minimeque contra præceptum ieiunii. Si verò idem actus ex eo licitus fiat, quòd vis obligandi à præcepto ipso ieiunii comparatione illius tollatur, tunc propriè cernitur dispensatio in præcepto ieiunii comparatione eius actus.

De hac itaque re prima opinio est Ocami in 3 2. dist. 19. asserentis, non solùm præcepta omnia decalogi dispẽsari à Deo posse, sed etiam Deum præcipere posse cõtraria eis omnibus præceptis. Vt posse præcipere odiũ sui ipsiusmet Dei: quo dato, inquit, laudabile esset prosequi odium Deum. Hanc verò suam sententiam non aliter probat, quàm ex illo frequenti in ore illius ad similia principio: quod non implicat contradictionem, Deus efficere potest: nulla verò in hoc cernitur contradictionis implicatio.

Aduersus hanc verò adeò absurdam sententiam sic primò argumentor: Odium Dei, si actus sit humanus, (de hoc enim actu nunc nobis est sermo) adeò suapte natura est moraliter malus, hoc est, dissonans à recta ratione atque à dictamine legis Dei æternæ, qua iudicat aliquid nõ esse faciẽdum, quàm suapte natura anguli trianguli sunt æquales duobus rectis: sed Deus efficere non potest, vt anguli trianguli æquales nõ sint duobus rectis: ergo nec efficere poterit, vt actus odii Dei malus non sit moraliter, & subinde vt non sit illicitus: nulla ergo potentia fieri potest vt actus odii Dei licitus sit.

Dicet aliquis: Præcipiente Deo odium sui ipsius nõ manebit id dictamen legis æternę, quod Deus iudicat, eum odii actum faciendum non esse, quia malum, ac proinde actus ille nec erit tunc dissonus à lege Dei æterna, nec erit malus moraliter. Contra hoc tamen sic argumentor, dictamen illud legis Dei æternæ non pertinet ad sententiam Dei liberam, sed ad scientiã Dei merè naturalem; scientia autem Dei merè naturalis ita est immutabilis, vt nec Deus sua omnipotentia aliud ea scire poterit, quàm quod re ipsa

re ipsa ea sciuit: ergo id dictamen nec potest nec potuit non esse in Deo. Vtraque præmissa explanatur. Triplex est scientia in Deo, vt in *Concordia, & 1.part.q.14. art. 13.* explanauimus, libera scilicet, vt qua sciuit creaturas futuras, quæ vt potuerunt non esse, quia id pendens à libera Dei voluntate fuit, ita potuit non esse in Deo ea scientia, quia si non voluisset eas cõdere, id non sciuisset, sed contrarium, aut contradictorium. Scientia item media inter liberam & merè naturalem, qua nouit quid per quodcumque liberum arbitrium à se creabile sub quacunque rerum circunstantia esset futurũ, ex hypothesi quod illud creare vellet, & in ea circũstãtia rerũ vellet illud collocare, sciturus cõtrarium, si contrarium ex eadem hypothesi, vt posset, fuisset futurum. Et merè naturalis, quam nullus in Deo negat, & qua sciuit complexiones omnes necessarias omnino, vt hominem esse animal, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, & alias similes: vt autem eiusmodi complexiones non possunt aliter sese habere, sic Deus de illis nec sciuit, nec potuit aliud scire, quàm reipsa scit. Cũ ergo quàm necessarium est angulos trianguli esse æquales duobus rectis, tam necessarium ex ipsamet rei natura sit odium Dei esse obiectiue malum ac non faciendum: consequens profectò est, vt sicut Deus non potest non scire angulos trianguli esse æquales duobus rectis, sic etiam non possit non scire, odium Dei nulla ratione esse habendum, nullaque ratione esse posse licitum. Confirmatur obiectum illius dictaminis esse necessarium omnino, quoniam sicut in scientiis speculatiuis dantur conclusiones omnino necessariæ de obiecto omnino necessario: sic etiam dantur conclusiones omnino necessariæ in scientiis practicis: si autem in moralibus conclusio hæc, illicitum ac malum moraliter est Deum odio prosequi, necessaria omnino non est, nescio profectò quænam alia cõclusio necessaria omnino sit: consequens ergo est, neque Deum præcipere posse contrarium, neque dispensare vlla ratione posse in præcepto de ipso odio non prosequendo.

Secundò Deus non potest condere legem iniquam: ergo non potest præcipere vt aliquis odio ipsum prosequatur. Antecedens ex eo est perspicuum, quoniam id esset Deum malum culpæ efficere, quod cum infinita ac illimitata ipsius bonitate pugnat. Consequentia verò probatur, quoniam iniqua esset talis lex ac præceptum. Lex quippe æqua aut iniqua iudicatur ex obiecto, quod ea præcipitur: Deum autem odio prosequi, malum planè ac iniquum obiectiue est, vt rei ipsius inspecta natura statim præscribit ac docet naturale intellectus lumen.

Hæc item sententia apertissimè confutata manet ex iis, quæ in *Concordia q. 14. art. 13. disp. 30, 31, & 32,* in editione verò Antuerpiensi disputatione 31, 32, & 33 copiosè diximus. Eadem sententia damnata à Parisiensibus est articulo illo, quem refert *Sotus 2. de iust. q. 3. art. 8. Dicere per odium Dei posse quempiam mereri.*

4 Secũda de eadem re opinio est *Scoti. in 3. dist. 37. q. 1.* quem Gabriel ibidem sequitur, asserentis, sola præcepta primæ tabulæ (negatiua præsertim) nempe; *Non habebis deos alienos, Non assumes nomen Dei tui in vanum,* dispensari diuina potentia non posse: præcepta verò secundæ tabulæ dispensari à Deo posse. Ait enim duobus modis præcepta aliqua esse de iure naturali: quædam quidem strictissimè, vt sunt principia practica ex terminis nota, ac conclusiones quæ ex eiusmodi principiis necessariò deducuntur: alia verò esse de iure naturali latè, quæ idcirco de lege dicuntur naturæ, quoniam valde consentanea sunt principiis practicis ex terminis notis; non tamen ex illis necessariò deducuntur, sed solùm tanquam illis consentanea: eo modo, inquit, quo ex hoc principio iuris positiui pacificè in republica est viuendum, sequitur tanquam quippiam ei principio consentaneum, ergo esse debet rerum diuisio, non verò sequitur tanquam quippiam necessarium, quasi sine rerum diuisione pax publica nullo modo esse possit. Prioris generis esse ait præcepta primæ tabulæ, eaque de causa esse omnino indispensabilia. Nam, inquit, ex hoc principio, vnus est Deus, necessariò sequitur, ergo honor illi debitus, nulli alteri est tribuendus; sequitur item, ergo non illi facienda est irreuerentia. Posterioris verò generis esse affirmat præcepta secundæ tabulæ, eaque de causa dispẽsare in eis posse diuina potentia, dispensatumq; circa illa à Deo fuisse cum Abrahamo & cum Osea. Nam, inquit, ex principiis moralibus ex terminis notis, non necessariò, sed tanquam quippiã consentaneum eis principiis sequitur, ergo parentes sunt honorandi, ergo proximus non est occidendus, ergo non est adulterandum, non est furandum, &c. Addit, in transgressionibus horum præceptorum secundæ tabulæ, non esse malitiam necessariò ex sola natura rei auertentur ab vltimo fine, quin potiùs, si contenta eis præceptis prohibita à Deo eisdem præceptis non fuissent, cum illis esse posset & amor & acquisitio vltimi finis.

Confirmat Scotus suam sententiã, quoniam si præcepta secundæ tabulæ in se essent necessaria, siue tanquam principia practica ac terminis nota, siue tanquam conclusiones ex talibus principiis necessariò deductæ, vtique diuinus intellectus ante omnem diuinæ voluntatis actũ apprehenderet ea vt necessaria ac vera, atq; ita tanquam necessarium apprehenderet proximum non esse occidendum, non esse adulterandum, non esse furandum, &c. ac tunc voluntas diuina necessariò concordaret cum his complexionibus ita apprehensis, aut certè recta non esset, vtpote quæ à dictamine necessario intellectus diuini circa volenda discordaret: vnde sequeretur voluntatem diuinam esse determinatam ad aliquid extra Deum volendum, quod est absurdum: quippe cùm diuina voluntas à nullo alio obiecto necessitetur, vt illud velit, nisi à Deo.

In multis, tenui meo iudicio, peccare videtur Scotus in hac sua sententia. Primò enim grauiter peccat, quia affirmat, præcepta secundæ tabulæ solùm esse de iure naturali, quia consonant principiis iuris naturæ, non verò quòd ex eis principiis necessariò deducantur. Quæ enim ita sunt de iure naturali planè simpliciter non sunt de iure naturali, sed de iure positiuo, neque

que obligant ad sui obseruationem ante superuenientem legem positiuam, qua præcipiantur aut prohibeantur. Vt, quamuis sit præceptum de naturali aut positiuo iure, quòd pacificè in republica viuatur, inde tamen nõ tenentur homines ad rerum diuisionem faciendam ac seruandam ante superuenientem legem positiuã, qua rerum diuisio statuatur. Ex præcepto quippe finis non tenentur homines ad ea, quæ tali fini sunt solũ consentanea, & non necessaria simpliciter, sed solũ tenẽtur ad ea, quæ ad eum finẽ necessaria omnino sunt. Asserere autem præcepta secundæ tabulæ, non superueniente lege diuina positiua, qua Deus illa seruare præcipiat, non obligare, quasi ex solis ipsis rerum naturis non obligent, sanè temerarium valdeque periculosum est in fide. In primis enim inde sequeretur, ea simpliciter esse de iure positiuo, de iure verò naturali non esse nisi secundùm quid: quod est contra omnium sententiã. Deinde sequeretur Gentes, quæ lumine naturæ intelligunt naturalem malitiam actuum, qui cum eis præceptis pugnãt, eo ipso quòd inuincibiliter ignorarent talem positiuam legem à Deo esse latam, vt omnes inuincibiliter eam ignorant, excusari à peccatis homicidii, adulterii, furti, falsi testimonii, & à cæteris, quæ sunt cõtra præcepta secundæ tabulæ decalogi, quòd plusquàm periculorum in fide: ait enim Paulus ad Rom. 2. *Quicumque sine lege* (scripta scilicet) *peccauerunt, sine lege peribunt.* Et infrà: *Cum Gentes, quæ legem non habent,* (scriptam videlicet) *naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.*

Secundò in eo peccat Scotus, quoniam in transgressionibus præceptorum secundæ tabulæ non videtur admittere malitiam auertentem necessariò ab vltimo fine, & quæ ex se peccatũ sit lethale, sed solùm ex Dei statuto ac præcepto superueniente, imputantis eas transgressiones ad culpam lethalem ac volentis vt à fine vltimo auertunt, eas habere quòd culpæ sint lethales, & quòd ab vltimo fine auertant: hoc autem nulla ratione est dicendum. Paulus enim ad Rom. 1. de Philosophis gentilibus ait: *Qui cum iustitiam Dei cognouissent,* (id est, Deum esse iustum, redditurumque vnicuique iuxta opera sua) *non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte,* æterna videlicet, commemoratque multa delicta contra præcepta secundæ tabulæ.

Scotus obscurè loquitur, neque satis intelligas, ex quo principio velit præcepta secundæ tabulæ sequi non necessariò, sed solùm tanquã quædam consentanea illi principio. Quòd si loquatur de illo principio, Deus est vnus, de quo ait, præcepta negatiua primæ tabulæ sequi necessariò, essèque proinde diuina etiam potentia indispensabilia, sanè tertiò erat in ea doctrina. Quoniam licèt precepta secundæ tabulæ nõ sequerentur necessariò ex illo pincipio, possent tamen necessariò sequi ex aliis naturalibus principiis practicis ex terminis notis ac necessariis, quod esset satis vt præcepta secundæ tabulæ essent simpliciter de iure naturali, omninoque indispensabilia. Imò (vt apertiùs loquatur) principium illud, Deus est vnus, non est principium practicum ac morale, sed speculatiuum. Illo verò præsupposito, principia practica necessaria ac ex terminis nota hæc sunt, Deo iniuria non est facienda, parentibus iniuria non est facienda, cæteris item proximis iniuria non est facienda: vt autem primo ex his tribus principiis practicis ac moralibus necessariò sequuntur præcepta illa primæ tabulę, honor Deo debitus nulli alteri est tribuendus, nomen Dei assumendum non est in vanum, cũ apertè constet vtrumque esse iniuriam grauissimam, quæ Deo fieret: ita ex secundo ex illis tribus principiis necessariò sequitur, caros parentes esse venerandos, hoc est, nihil iniuriosum esse illis faciendum, præstandaque illis esse honorem ac subiectionem debitam. Ex tertio verò principio necessariò sequuntur præcepta reliqua secundæ tabulæ, cùm cõstet vnumquodque eorum, quæ illis prohibentur, iniuriam esse proximo. Sunt ergo præcepta omnia secũdæ tabulæ de iure naturali simpliciter ac extrictissimè, ac proinde indispensabilia omnino: res quippe illis prohibitæ suapte natũra malæ sunt obiectiuè, adeoque innatam eam habent malitiam, vt sit illis prorsus necessaria: quo fit, vt neque ratio nostra aliud de illis verè possit iudicare, quàm quòd mala ac illicita sint, neque item ratio diuina: quemadmodum enim Deus de homine iudicare non potest non esse animal rationis particeps, eo quòd suapte natura ac necessariò talis sit: sic etiam de eiusmodi obiectis præceptorum secundæ tabulæ iudicare non potest ea non esse mala ac illicita vt fiant: quare cùm præcepta secundæ tabulæ ex eo ad sui obseruationem obligent, quòd obiecta eorum ex ipsamet rei natura mala necessariò ac illicita sint consequens profectò est, vt sint omnino indispensabilia.

Quartò in eo etiam videtur errare, quòd innuat, ea sola esse indispensabilia, & contra ius naturæ strictè, quæ malitiam habent necessariò à fine vltimo auertentem: cùm tamen iocosum aut officiosum mendacium, quod veniale est, nec ab vltimo fine auertit, indispensabile omnino sit, & contra ius naturæ strictè: eo quòd nulla adhibita circunstantia honestari possit, deducaturque necessariò ex hoc morali principio per se noto ac necessario, nihil cum virtute ac recta ratione pugnans est faciendum: mẽdacium cum virtute ac recta ratione pugnat: ergo faciendum nulla ratione est.

Ex dictis euersum manet totum Scoti fundamentum, vnde eam asseruit sententiam.

Argumentum verò, quo eam sententiam cõfirmat, non minùs pugnat aduersus ipsummet Scotum, asserentem præcepta primæ tabulæ esse indispensabilia, quàm pugnet aduersus nos. Ad illud verò est dicendum, nullum esse absurdum, diuinam voluntatem esse determinatam ad ea volenda, ita vt signi voluntate velle non possit contraria, aut contradictoria: quemadmodum nullum est absurdum, intellectum diuinum determinatum esse ad intelligendas complexiones necessarias, ita vt voluntas diuina velle non possit eas complexiones aliter se habere. Quod autem dici consueuit, diuinam scilicet voluntatem à nullo obiecto extra Deum determinari aut necessitari, intelligendum est, ad volendum esse existentiæ talis obiecti: quoniam diuina voluntas nihil, extra Deum, necessariò vult existere, sed libere vult existere om-

nia, quæ exiſtunt.

5 Tertia de eadem re opinio eſt *Maioris in 3. diſt. 37. q. 10.* aſſerentis, ex præceptis negatiuis ſecundæ tabulæ, ſolum quintum poſſe diuina potentia diſpenſari: præcepta verò omnia affirmatiua, tam primæ quàm ſecundæ tabulæ, poſſe eadem diuina potentia diſpenſari. Vt Deum poſſe in eo diſpenſare, vt nunquam ſibi cultus exhibeatur, & vt parentibus honor debitus non tribuatur, imò verò vt inhonorétur: quoniam poteſt præcipere meo patri vt ipſe ſe ipſum interficiat, atque etiam mihi poteſt præcipere vt eum interficiam, aut vt in illum, inhonorandi eum cauſa, ſputa aut lapides mittam.

Durandus etiam in *1. diſt. 4. 7. q. 4.* in Maioris ſententiam longè antea inclinauerat quoad quintum decalogi præceptum. Ductus, quòd id, quòd eo præcepto prohibetur, nempe non occides, non habet adeò innatam malitiam, quàm innatam eam habent, quæ prohibentur cæteris præceptis: eo quòd iudici licitum ſit interficere malefactorem, atque etiam priuatæ perſonæ in ſui defenſionem ſit licitum interficere ſuum aggreſſorem.

Hæc verò ſententia inde ortum habuiſſe videtur, quòd non rectè inſpiciatur quid eo quinto præcepto prohibeatur. Neque enim eo prohibetur quæcunque alterius occiſio quocunque modo facta: cùm abſque vlla diſpenſatione iudex interficere poſſit malefactorem: & cùm priuata autoritate iure naturali poſſit quis abſq; vlla diſpenſatione interficere ſuum aggreſſorē cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quod verò prohibetur eo præcepto, eſt ſola interfectio ſuapte natura mala obiectiuè, ſeu proximo iniurioſa, vt aduerſus Scotum tractatu. 2. diſp. 695. & tractatu 3. diſp. 5. explanauimus. Cùm autem Deus ſit dominus vitæ omnium hominum, nemini ſanè facit iniuriam, ſi illam interficiat, aut ſi illum interfici iubeat. Quo fit, vt hominis interfectio diuina autoritate facta eo quinto præcepto non prohibeatur, ac proinde, vt ea licitè fiat, opus non eſſe diſpenſatione vlla in eo præcepto. Eſt namque in hac materia habenda præ oculis egregia illa diſtinctio Soti. 2. de iuſt. q. 3. art. 8. ad 3. eſſe ſcilicet in Deo duplicē poteſtatem in orbem vniuerſum. Vnam, qua iure creationis dominus eſt, non ſolùm bonorum omnium externorum, ſed etiam vitæ, non tantùm hominum, ſed etiam angelorum, ita vt & occidere prohibito abſque cuiuſquam iniuria ac licitè homines poſſit, cunctaque in nihilum redigere. Alteram verò quatenus legiſlator ac iudex eſt omnium. Quæ autem licent ratione prioris Dei poteſtatis, ſanè abſque vlla diſpenſatione licent. Quare ſi per impoſſibile Deus neque legiſlator neque iudex noſter eſſet, neque vllam diſpenſandi in legibus poteſtatem haberet, vtique ex eo ſolùm, quòd priori illa vteretur poteſtate, auferre vitam ac bona externa cuiuſque innocentis per ſe ipſum, vel per alium, abſque cuiuſquam iniuria & abſque vlla diſpenſatione licitè poſſet: quoniam quod ſuum eſt auferret, non ſecùs atque paterfamilias veſtem proprii filii, quem educat, & vitam proprii pecoris licitè concedere, cui libuerit, poteſt, nulla interueniente diſpenſatione, quoniam concedit, quod ſuum eſt, A eſtò is filius ea veſte ſpoliaretur inuitus: imò Deus longè altiori iure illa faceret, quàm paterfamilias hæc efficeret. Quare mirari ſatis nequeo, cur autores, cum quibus diſputamus, affirment, in ſpoliatione, qua filii Iſraël Ægyptios ſpoliarunt, nullam interueniſſe Dei diſpenſatione: in immolatione, verò qua Abrahamus Dei iuſſu egreſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac innocentem, interueniſſe, neceſſariamque diſpenſationem fuiſſe dicant: cùm tamen vtrobique ſit par eadem ratio: quandoquidem Deus non minùs fuerit dominus vitæ Iſaac, quàm bonorum Aegyptiorum. Eſt ergo quintum præceptum indiſpenſabile, non ſecùs B ac reliqua præcepta eiuſdem decalogi negatiua: quoniam quæ interfectio diuina autoritate eſt licita, eo præcepto non prohibetur: quæ verò eo præcepto prohibetur, ſuapte natura eſt iniuſta, adeoque innatam habet obiectiuam malitiam, vt contradictionem implicet eam aliquando licere. Quare ſi per impoſſibile Deus non eſſet hominum dominus, ſed ſolùm eſſet legiſlator, ſanè per poteſtatem, quam vt legislator in leges haberet, efficere non poſſet, vt interfectio innocentis licita eſſet: eo quòd iniuſta ſuapte natura ſit, niſi eius autoritate fiat, qui dominus ſit eius vitæ.

Quod verò ad affirmatiua decalogi præcepta C attinet, conueniunt Durandus & Maior, præceptum de veneratione parentum poſſe diuina potentia diſpenſari. Præceptum verò affirmatiuum de cultum Deo aliquando exhibendo, arbitratur Durandus eſſe omnino indiſpenſabile. In quam ſententiam propendet etiam Scotus, tametſi anceps maneat. Arbitror tamen, neque in his duobus præceptis eſſe locum diſpenſationi. Quamuis enim homo iuſſu aut permiſſione Dei poſſit non reddere parentibus honorem illis alioquin debitum, quin eodem iuſſu aut permiſſione poſſit contrarium illis exhibere, quatenus Deus, tanquam dominus vitæ & honoris parentum, poD teſt abſque cuiuſquam iniuria de eis diſponere vt ſibi placuerit, id tamen non eſt diſpenſare in quarto præcepto decalogi, vt de quinto paulo antea dicebamus: quia non per poteſtatem, quam vt legislator in legibus habet, efficeret vt, quod alioquin licitum non eſſet, licitumque redderetur auferendo ab quarto præcepto vim obligandi, ſed per poteſtatem, quam tanquam dominus vniuerſi in vita & honore parentum habet, efficeret, vt quod alioquin parentibus fuiſſet debitum, ſub quarto ſ; decalogi præcepto fuiſſe caſurum, neque ſit eis debitum, neque ſub eo cadat præcepto, apponendo circumſtantiam, quæ id extrahat ab eorum numero, quæ præcepto illo præcipiuntur. Quar- E tum quippe præceptum id præcisè continet ac præcipit, cuius oppoſitum eſſet iniuria parentibus illata: Deus autem non poteſt in eo diſpenſare, quòd iniuria parentibus fiat: quoniam id adeò innatum habet malitiam, vt non poſſit non eſſe obiectiuè malum ac proinde illicitum, efficereque Deus non poteſt, vt malum, manens obiectiuè malum, liceat: quoniam id apertam inuoluit contradictionem: optimè tamen ſua autoritate, quam vt dominus vitæ ac honoris parentum habet, poteſt efficere, vt quod alioquin futurum fuiſſet iniuria

paren-

parentum, & per consequens contra quartum decalogi præceptum, neque fit iniuria eorum parentum, neque fit contra quartum præceptum: quod planè non est dispensare in eo quarto præcepto.

Quod verò attinet ad illud præceptum de cultu aliquo Deo aliquando exhibendo, dico, si Deus (vt probabile est) efficere potest, vt ab aliquo licitè nunquam sibi cultus exhibeatur, id quidem non erit dispensando in eo præcepto, sed condonando quod eo præcepto sibi erat debitum: quod sanè non est dispensare in eo præcepto, sed est ea condonatione apponere circunstantiam ex parte obiecti, quæ efficit, vt id non comprehendatur in eo præcepto, quod secluſa ea circunstantia comprehenderetur: id quippe præceptum non solùm obligat ad cultum Deo exhibendum, interim dum ab ipso Deo, cui debetur, non condonatur vt ipsi non exhibeatur. Exemplum habemus accommodatum in iuramento promissorio homini facto. Si enim Petrus sub iureiurando polliceatur decem aureos Paulo, manet quidem eo iureiurando adstrictus illos ei soluere, eritque periurus, lethaliterque peccabit contra virtutem religionis, secundumque decalogi præceptum, si eos illi non soluat. Cæterùm si Paulus id debitum illi remittat, manet eo ipso Petrus deobligatus, non quidem quasi Paulus cum eo dispensauerit in eo iuramento atque in secundo decalogi præcepto, sed quoniam remittendo illi id debitum ex illo iuramento, fecit vt eo ipso id iam non esset materia, vinculo eius iuramenti secundoque præcepto decalogi comprehensa. Deus itaque in hoc sensu dispensare non potest in eo præcepto, vt ab hominibus sibi cultus aliquis aliquando exhibeatur, vt scilicet non condonando id debitum, sed manente ita eo debito, vt sibi non soluatur, iniuria ipsi fiat, homo licitè possit nunquam eum cultum illi exhibere: id quippe esset dispensare in eo, quòd licitè iniuria Deo fieret, quod contradictionem implicat.

6 Est ergo nobis amplectenda sententia *diui Thomæ 1.2. q. 100. art. 8. Caiet. ibi, Altisiodorensis lib. 3. tractatu. 7. q. 5. Richardi in 3. dist. 37. art. 1. q. 5. Abul. Exod. 20. q. 39. Soti. 2. de iust. q. 3. art. 8.* & antiquorum, omnia videlicet præcepta decalogi nec diuina potentia dispensari posse, præter tertium, ea ex parte qua cæremoniale ac de iure positiuo est. De eo enim, ea ex parte spectato, nulli potest esse dubium dispensari posse. Sententia hæc, præterquam quòd impugnatione præcedentium sufficienter comprobata est, hac vnica ratione probatur. Tria illa principia suprà à nobis commemorata, Deo facienda non est iniuria, parentibus similiter facienda non est iniuria, itemque reliquis proximis iniuria non est facienda, sunt per se nota, adeoque necessaria, vt neque diuina potentia eis opposita liceant: implicat enim contradictionem, iniuriam factam Deo, parentibus, aut aliis proximis iniuriæ rationem retinentem, licitum esse: sed ex illis tribus principiis euidenter ac necessariò deducuntur prædicta omnia decalogi præcepta: sunt quippe in eo sensu intelligenda, vt eis opposita sint iniuria Deo, parentibus, aut aliis proximis illata, vt diuus Thomas articulo 8 citato explicat, & nos in singulis, in quibus dubium aliquod esse poterat, copiosè hactenus explicauimus: ergo ea omnia præcepta neque diuina potentia dispensari possunt. Lege quoad hactenus dicta tota hac disputatione, quæ copiosè suprà in posteriori parte disputationis 49 explanauimus: illis enim non modica lux ac corroboratio hactenus dictis accedet.

Aduersus Scotum pugnat illud Aristotelis 2. Eth. c. 6: *Sunt affectus nonnulli, qui continuò nomine suo sunt cum prauitate connexi, & actus idetidē, vt adulteriū, furtū, homicidiū. Circa igitur talia nullum est tempus rectè agendi, sed semper delinquitur, ac simpliciter, quid istorum efficiatur, delinquitur.* Censuit enim Aristoteles hæc adeò innatam habere malitiam, vt contradictionem implicet aliquid eorum aliquando licere.

Superest satisfaciamus argumentis initio propositis. Ad primum ergo dicendum est, disput. 49. citata explanatum fuisse, in quo sensu verum sit, quòd Aristoteles loco in eo argumento citato docuit, ibique nos explicasse tres gradus, in quibus aliqua dicuntur esse de iure naturali, qui lucem maximam disputationi huic toti afferunt: atque ea quæ in decalogi præceptis prohibentur aut præcipiuntur, talia esse, vt eo modo quo eis præceptis prohibentur aut præcipiuntur, nullam suscipiant variationem, quasi desinere esse possint aliquando de iure naturali, quin potiùs prohibita eis præceptis, vt illis prohibentur, adeò innatam habere malitiam, vt nulla ratione possint aliquando desinere esse mala obiectiuè ac illicita, ideoque esse omnino indispensabilia, vt ex hactenus dictis hæc omnia perspicua sunt. 7

Vnde ad maiorem eius argumenti dicendum est, non idcirco ea præcepta esse indispensabilia, quia sunt quocunque modo de iure naturali, sed quia inuariabiliter sunt de iure naturali, vt sub eis præceptis cadunt. Nec proinde intelligas, nos arbitrari, quæ ita sunt de iure naturali, vt adueniente aliqua circunstantia, desinere esse possint de iure naturali, qualia sunt, quæ loco in eo argumento citato commemorat Aristoteles, & nos disputatione 49 citata & tractatu 1 disputatione 4 copiosiùs explanauimus, dispensabilia esse, saltem à Deo, dispensatione propriè dicta, quasi Deus à lege naturali obligationem auferre possit eorum comparatione: id enim non arbitramur verum, neque Aristoteles id intendit, neque ex ea illius doctrina id colligitur: quin potiùs ex hactenus dictis contrarium in multis eorum intelliget ur facilè: vnde concessa vlteriùs maiori eius argumenti, neganda erit consequentia.

Ad secundum, concessa maiori, ad minorem negandum est. Summum Pontificem in votis & in iuramentis, ea rationabili causa relaxando, non solùm quando promissio iuramento confirmata facta est Deo, in quo euentu talis promissio rationem habet voti iu-

ramenti confirmati, sed etiam quando est facta homini in illius commodum, negandum, inquam, est summum Pontificem dispensare in eis propria ac presse sumpta dispensatione, de qua sola nunc loquimur, nempe auferendo à lege naturali, qua vota & iuramenta de re non illicita seruare tenemur, vim ad obligandum, permanente vinculo voti aut iuramenti: eo enim dispensationis genere in tali lege neque summus Pontifex neque Deus ipse potest dispensare, vt ex supradictis facilè patet. Dispensare verò cum dispensatione latiùs sumpta, non quidem in lege naturali, qua vota & iuramenta seruare tenemur, sed in votis ipsis ac iuramentis, condonando loco Dei, tanquam Dei vicarium, obligationem voti, etiam iuramento confirmati, debitumque proinde ex tali voto aut iuramento remittendo, quo facto ex parte summi Pontificis, absque vlla dispensatione in naturali lege, qua vota & iuramenta seruare tenemur, desinit cadere sub eandem legem naturalem, quod antea sub illam cadebat. Similiter, quando iuramentum de re non mala factum est alteri homini, illeque tenetur illud relaxare, relaxat illud summus Pontifex loco sui subditi, condonando illi alteri debitum implendi id iuramentum in solius Dei reuerentiam, neque adductus fuerit in testem infidelis promissionis, vt tractatu 2. disputatione 149 dictum est, quod non est dispensare in lege naturali, sed in obligatione iuramenti illam condonando. Vnde concessa etiam minori, si in ea sermo sit de hoc secundo genere dispensationis latæ ac minùs propriæ, neganda est consequentia: quoniam nos loquimur de dispensatione propria in ipsamet lege naturali.

Ad tertium, concessa maiori & minori, neganda est consequentia quo ad leges diuinas iuris naturalis, maximè præceptorum decalogi. Id enim non prouenit ex defectu potentiæ diuinæ, sed ex natura obiectorum, quæ præceptis decalogi prohibentur, aut præcipiuntur: adeò enim innata est malitia prohibitis decalogi præceptis, aut contrariis eorum, quæ eis præcipiuntur, vt nulla potentia fieri possit, vt non sit mala obiectiuè ac proinde illicita: quod non cernitur in legibus humanis & in diuinis positiuis, in quibus, quæ prohibentur, adeò mala sunt, quia pro arbitrio eas leges ferentis prohibita.

Ad quartum negandum est quicquam illorum licuisse per dispensationem in legibus ipsis decalogi, de qua nunc loquimur. Primum enim de attentatione immolandi Isaac, dicendum est licuisse, non per dispositionem in quinto præcepto decalogi vim aliquam à lege ipsi auferendo, sed Deo, tanquam Domino vitæ Isaac, id concedente ac iubente, vt disput. 49 & aliàs sæpe dictum est. Quidam dixerunt, illud licere potuisse per potestatem qua Deus, quatenus iudex, delicta punit: quoniam ob peccatum originis præcipere Abrahamo potuit, vt interficeret Isaac. Cæterùm, cùm peccatum originis solùm nos læserit in gratuitis, mors quidem, quæ euenit per causas naturales ac constitutionem vniuersi, atque adeò etiam per liberas, quas Deus operari sinit pro sui arbitri libertate, pœna est peccati originis: eo quòd eiusmodi mors eo modo obueniat, ac si homines in puris naturalibus fuissent conditi. Quòd verò Deus aliquem interficiat præcipiat ante id tempus, extra pœnas est, quas re ipsa ob originis peccatum incurrimus: eo quòd talis mors inter illas non computetur, quæ similiter essent futura, si conditi essemus in puris naturalibus.

Ad illud de Sansone tractatu 3. disp. 9. cum Augustino, diuo Thoma, & plerisque aliis, est dictum, instinctu ac permissione & voluntate Dei, qui dominus est vitæ omnium, id fecisse, vt constat, quia Paulus ad Hebræ. 11 inter sanctos illum commemorat, & quia Dominum ad id inuocauit, viresque ad id obtinuit à Deo: vnde non per dispensationem in quinto præcepto decalogi id fecit, sed extrahente Deo illam sui occisionem, vnà cum Philistæorum occisione, per eam concessionem ac instinctum à numero earum, quæ sub id præceptum cadunt. Eadem disp. 9 fuit explanatum, qua ratione, sine vlla dispensatione, Eleazarus à culpa sit excusandus. Ibidem etiam disputauimus, num Rasias à culpa sit etiam excusandus.

Ad illud verò Oseæ dicendum est, nullam ibi interueniisse neque fuisse necessariam dispensationem. Sensus enim eorum verborum est, *Sume tibi vxorem fornicationum*, id est, in vxorem legitimam duc eam, quæ cum multis fuerat fornicata: *& fac tibi filios fornicationum*, id est, & postquam illam duxeris, procrea ex illa filios, qui idcirco dicuntur fornicationum, quòd procreentur ex matre, quæ pluries fuerat fornicata, & quòd tales filii delicta ac mores matris imitari soleant. Potuit item Deus, tanquam corporum Dominus, tradere Oseæ potestatem corporis illius mulieris ad aliquos actus generationis, etiam illa inuita: neque id esset dispensatio in præcepto fornicandi: quoniam eo præcepto solùm prohibetur accessus ad non suam: qualis illa tunc non esset: eo quòd esset accessus ad eam, quæ, ex facultate ac iussu Dei, esset Oseæ ad eos actus. Prior tamen sensus est Germanus eius loci.

Quod attinet ad spoliationem illam, qua iussu Dei filii Israël Ægyptios spoliarunt, negandum est illam fuisse licitam Deo dispensante cum filiis Israel in præcepto de non furando: illa enim licuit eis, neque furti rationem habuit, Deo, tanquam domino rerum omnium, transferente ius ac dominium eorum bonorum in filios Israel, atque tanquam æquum iudicem illa eis adiudicante in mercedem laborum, quibus Aegyptii filios Israel iniustè oppresserunt: id quod significat illud Sap. 10: *Et reddidit illis mercedem laborum suorum, &c.* vt tractatu 2, disput. 681 explanatum est.

Quod verò ad pugnam Machabæorum in die Sabbathi attinet, ea absque vlla dispensatione eis licuit, per legitimam eius præcepti interpretationem, quòd eam pugnam ad vitæ & bonorum conseruationem non comprehenderet. Cùm autem id præceptum

in

in veteri lege esset cæremoniale, iurisque diuini positiui, in eo locus erat dispensationi.

Vtrùm modus virtutis cadat sub præcepto.

Disp. 58.

SVMMARIVM.

1. *TRia requiruntur vt actus sit ab habente eam virtutem, & vt verè sit actus eius virtutis.*
2. *Si aliquo præcepto affirmatiuo præcipiatur actus virtutis qua talis, ita vt non satisfiat illi præcepto, nisi quis actum virtutis efficiat, sanè ad id implendum præceptum requiritur, vt qui illum implet, habeat plenum iudicium rationis; deinde vt non faciat inuitus, nec propter inanem gloriam.*
3. *Obiiciuntur tria circa hoc in contrarium argumenta, quæ dissoluuntur.*

DIuus Thomas 1. 2. q. 100. 9. de præceptis moralibus veteris legis agens, quod propositum est, quærit. Id verò locum suo modo etiam habet in præceptis iuris quoque positiui, siue ea diuina præcepta sint, siue humana.

1 *Aristoteles 2. Eth. c. 4.* tria exigit ad actum virtutis, id est, vt actus sit ab habente eam virtutem, & vt verè sit actus eius virtutis. Primum est, vt operetur sciens. Secundum, vt operetur eligens propter hoc ipsum, id est, vt operetur intendens illud quia tale, nempe quia opus studiosum ac virtutis. Et tertium, vt firmo ac immobili animo operetur, hoc est, ex habitu virtutis perfectè acquisito. Verba Aristotelis eo loco hæc sunt: *Primò quidem si sciens, deinde si eligens propter hæc ipsa, tertiò, si firmo animo ac immobili agat.* Hæc autem tria appellat diuus Thomas eo loco modum virtutis, & quærit, num cadat in præcepto, id est, vtrùm quo præcepto actus alicuius virtutis præcipiatur, præcipiatur vt fiat concurrentibus illis tribus.

Cùm autem habitus non requiratur ad naturam ac bonitatem moralem actus virtutis; eo quòd eiusdem rationis ac speciei sit actus, quo habitus virtutis comparatur, & qui procedit postea ex habitu eius virtutis integre ac perfectè generato; sed solùm requiratur vt actus eius virtutis meliùs ac promptiùs fiat; consequens profectò est, vt habitus non cadat sub præcepto, quo actus virtutis alicuius præcipitur. Cùm verò reliqua duo ad moralem bonitatem atque ad esse actus virtutis necessaria sint; quoniam sine scientia seu cognitione ac intentione eius, quod fit, esse nequit opus virtutis, vt ex se est perspicuum, suisque in locis ostenditur; consequens sanè est, vt quo præcepto actus alicuius virtutis præcipiatur, sub eo illa duo cadant, hoc est, sub eo cadere, vt id fiat illis duobus concurrentibus.

2 In præceptis ergo affirmatiuis est expendendum, num eis præcipiatur actus virtutis qua talis; an verò solùm præcipiatur vt aliquid fiat actu humano. Si enim præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro præcipiatur actus virtutis religionis qua talis, ita vt non satisfiat præcepto illi, nisi quis audiendo sacrum actum virtutis religionis efficiat, sanè ad adimplendum id præceptum in primis requiritur, vt qui illud audit, sciens sit, hoc est, habeat plenum iudicium rationis vt intelligat, quod facit. Quo fit, vt si ebrius, aut phreneticus, vel furiosus sacrum die dominica audiret, non impleret præceptum de sacro ea die audiendo, ac proinde si, eo ita audito, compos sui fieret antequam transiret tempus audiendi eo die sacrum, teneretur iterum sacrum sub lethali culpa audire. Deinde requiritur vt sit eligens id propter hoc ipsum, id est, quia tale. Quare si quis sacrum audiret inuitus, ita vt semper renueret illud audire, retineretúrque inuitus, non satisfaceret præcepto illi id sacrum ita audiendo, sed teneretur iterum sacrum audire. Item si quis sacrum audiret præcisè propter inanem gloriam, aut vt mulierem ibi existentem videret, ita vt solùm eligeret audire sacrum ob eum alium finem, & nulla ratione quia id est bonum in se, non satisfaceret præcepto, sed teneretur iterum sacrum audire: eo quòd nullo modo actum exerceret virtutis. Cæterùm si præcipuè motus inani gloria, aut alio malo fine, simul vellet audire sacrum quia iussum ac bonum in se, tunc satisfaceret præcepto: quoniam actus ille simul esset inanis gloriæ, aut alterius vitii, iuxta alium prauum finem ad quem eum ordinaret, & esset actus religionis ex proximo bono obiecto, vt 1. 2. copiosè explanauimus. Quin addo, quamuis haberet hunc actum, nisi inde expectarem laudem humanam, vel nisi ibi esset talis mulier, non audirem sacrum, si tamen simul intenderet eum malum finem, & sacrum audiret quia iussum ac bonum in se, satisfaceret in hoc sensu præcepto de audiendo sacro, quòd non teneretur audire iterum sacrum, tametsi lethaliter peccaret contra idem præceptum illo actu conditionali, ac proinde nulla ratione mereretur ita id sacrum audiendo. Cæterùm si intentio Ecclesiæ (vt videtur probabile) solùm sit præcipere ac obligare, vt sacrum eo die actu humano audiatur, tunc, cùm ad actum humanum requiratur vt voluntarius sit, quod sine scientia, & cum nitentia actuali voluntatis in oppositum, esse non potest, sanè ebrius, phreneticus, aut furiosus non satisfaceret ei præcepto sacrum sine iudicio rationis audiendo, neque item qui detineretur inuitus ac reniteretur ad egrediendum. Qui tamen metu præcisè adductus, aut motus præcisè inani gloria, aut alio prauo fine, sacrum audiret, alioquin sacrum non auditurus, is tunc in eo sensu satisfaceret præcepto illi, quòd non teneretur sacrum iterum audire: tametsi, vt dictum est, lethaliter peccaret, eum conditionalem actum habendo, si cessaret metus, aut non adesset talis alius malus finis à me intentus, sacrum non audirem.

Obiiciet tamen aliquis. Primò, præceptum

de restitutione facienda obligat ad actum virtutis iustitiæ commutatiuæ pro tempore, quo quis tenetur restituere: & tamen si quis, ductus præcisè metu mortis exteriùs incusso, restituat, habens animum non restituendi, si is metus non adesset, aut si, ipso inuito & renitente, is, cui restitutio debetur, vi accipiat, quod sibi debetur; is, qui restituere tenebatur, satisfacit præcepto de restitutione facienda, quoniam deinceps non tenetur eam facere: ergo modus ille, quod eligat propter hoc ipsum, quin & quòd exerceat actum humanum, non cadit sub præcepto. Secundò, præceptum de baptismo suscipiendo obligat ad actum virtutis religionis: & tamen si quis ductus præcisè metu, verè consentiat in baptismo, satisfacit præcepto; quia non solùm non tenetur suscipere iterum baptismum, sed neque etiam licitè ac validè potest id efficere, vt constat ex c. maiores causæ. §. item quæritur de bapt. & eius effectu: ergo modus ille, quod faciat eligens propter hoc ipsum, non cadit sub præcepto.

Tertiò, si is, qui voluntatem habebat suscipiendi baptismum, dormiens, aut amens effectus, baptizetur, satisfacit præcepto, quoniam deinceps nec tenetur, nec licitè potest baptizari, vt *c. maiores causæ. §. vlt. de bap. & eius effectu* habetur: ergo modus ille, vt sciens operetur, non cadit sub præcepto.

Ad primum argumentum, concessa maiori, neganda est minor. Ad probationem verò dicendum est, non idcirco eum, qui restituere tenebatur, non teneri deinceps in illis duobus euentibus restituere, quòd præceptum de restitutione facienda impleuit: imò verò lethaliter peccauit contra idem præceptum nolendo ex sua parte restituere, vt tenebatur: sed idcirco deinceps non teneri, quoniam iam nihil illi debet, cui restituere tenebatur, ac proinde cessauit obligatio illius præcepti comparatione talis restitutionis faciendæ.

Ad secundum, concessa etiam maiori, neganda est minor. Cùm enim ille lethaliter peccet contra præceptum baptismi non volendo sua sponte illud suscipere, dicendus non est, ea inuolũtaria mixtè susceptione baptismi, id præceptum impleuisse. Ad probationem verò similiter est dicendum, non idcirco non teneri illum deinceps præcepto baptismi, quòd id præceptum impleuerit, sed quòd, cùm baptismus illo modo inuoluntariè mixtè susceptus fuerit verus baptismus, cessat obligatio præcepti de baptismo suscipiendo. Exemplum simile est in paruulo, cui ante vsum rationis fuit baptismus adhibitus: hic enim præceptum non impleuit de baptismo suscipiendo, cùm nemo ante vsum rationis implere dicatur leges, & tamen cessat in eo obligatio suscipiendi iterum baptismum. Quòd si, tam in hoc quàm in præcedente argumento, satisfacere præcepto sumatur non pro implere propriè præceptum, sed pro deinceps non teneri præcepto, tunc concessa in vtroque maiori & minori, neganda erit consequentia.

Ad tertium est concedendum illum impleuisse præceptum de suscipiendo baptismo, non quidem per actualem baptismi susceptionem dum dormiebat, aut amens erat, sed per actum ac voluntatem suscipiendi baptismum antequã iudicium rationis amentia aut somno amitteret, subsequuta postea actuali baptismi susceptione opera eius, qui baptismum, postquam priuatus fuit vsu rationis, illi contulit: atque cùm is, qui ita fuit baptizatus, illum antecedentem actum elicuerit sciens & eligens propter hoc ipsum, cessat sanè argumenti obiectio. Quare concessa maiori ac minori eius argumenti, neganda est consequentia.

Ex dictis intelliges, eum, cui in pœnitentiam esset iniunctum, vt die aliquo ieiunaret, non implere id præceptum à confessario sibi impositum, si, quia ei cibus denegaretur, inuitus omnino ieiunaret. Cæterùm si, quia videret cibũ sibi denegari, afficeretur ad ieiunandum, incipereque vellet ieiunare, tunc quamuis alioquin non fuisset ieiunaturus, credo satisfaceret præcepto sibi impositio. Is tamen, cui iniunctum esset, vt sumeret flagellum, non solùm non satisfaceret ei præcepto sibi iniuncto, si ab alio inuitus flagellaretur, sed nec si, dum ab alio iustè vel iniustè flagellaretur, ipse id libenter perferre vellet animo implendi pœnitentiam sibi iniunctam. Ratio autem est, quoniam iussus à confessario est, non solùm pati, sed etiam agere, flagella sibi infligendo. Si tamen ipsius suasu aut iussu ab alio flagellaretur, ipseque animo implendi pœnitentiam sibi iniunctam id iuberet, aut suaderet, satisfaceret tunc præcepto sibi iniuncto: quoniam in moralibus agere quis id censetur, cuius suasu aut iussu aliquid fit.

Illud denique obserua, si sub excommunicatione, aut alia censura, impositum esset præceptum aliquod, quod iuxta hactenus dicta non impleretur, nisi, qui id efficeret sciens ac eligens propter hoc ipsum, id faceret, tunc si non seruaret hunc modum, vtique eam censuram incurreret, estò sine eo modo id efficeret: quoniam verè non impleret id præceptum, eaque de causa pœnam, illud non implentibus statutam, incurreret: Ecclesiaque iurisdictionem habet circa actus internos, quando eos præcipit tanquam modos externorum.

Vtrùm modus caritatis cadat sub præcepto diuinæ legis.

Disp. 59.

SVMMARIVM.

1. *Caritas naturalis triplex est, Dei, proximi, ac nostri: at habitus caritatis supernaturalis vnica est species infima: quæ imperat actum caritatis, quo diligimus proximum & nos, vt sit propter Deum.*
2. *Deo duplex debetur caritas, naturalis & supernaturalis; proinde præceptum caritatis erga Deum includit id quod est ei debitum ex caritate naturali, & quod est debitum ex supernaturali caritate.*
3. *Cùm modus, vt aliquid fiat ex caritate Dei supernaturali, solùm cadat sub præcepto dilectionis Dei ea ex parte, qua præceptum illud est supernaturale,*

le, & non est qua est præceptum caritatis Dei naturalis, fieri optimè potest, nos aliquo actu merè naturali implere præceptũ caritatis erga Deũ, qua id præceptum est naturale, ac proinde posse illud implere sine modo caritatis supernaturalis.

4. Præcepta caritatis Dei, proximi, ac nostri duobus modis intelliguntur. Vno latè, vt præcipiunt nihil fieri nec omitti, quod cum caritate Dei, proximi, aut nostri pugnat: altero, quatenus vim habent præceptorum affirmatiuorum, præcipiúntque præcisè actus positiuos proprios caritatis Dei, proximi, aut nostri: non verò quatenus se extendunt ad præcipiendum ea, quæ ad alias virtutes spectarint.

5. Hæc tria caritatis præcepta, quamuis ad decalogum reducantur, non sunt decalogo formaliter expressa.

6. Sub culpa lethali tenemur præcepto caritatis Dei subuenire, & nos opponere, quando honor Dei periclitaretur coram hominibus.

7. Obijcitur aduersus antecedentia argumentum, quod dissoluitur.

8. Duobus modis aliquid dicitur modus actus virtutis alicuius, vnus enim est intrinsecus, alter extrinsecus.

9. Præceptum de diligendo Deo ex toto corde duobus modis intelligitur.

SErmo est de caritate supernaturali. Atque C sensus quæstionis propositæ est, vtrùm quo præcepto aliquid præcipitur lege diuina, simul præcipiatur vt id fiat ex caritate supernaturali, ita vt modus caritatis supernaturalis cadat sub eo præcepto. Verbi gratia, præcipit quartum decalogi præceptum, vt honoremus parentes, quærit autem *diuus Thomas 1. 2. q. 100. art. 10.* & quærunt doctores alii, num præcipiatur vt id fiat ex caritate supernaturali, ita vt modus ille caritatis supernaturalis sub eo cadat præcepto, & ità de aliis præceptis legis diuinæ. Et saltem quærunt num modus caritatis sub præcepto legis diuinæ cadat, ita vt diuina lege præcipiatur. Meritò autem additum est diuinæ legis: quoniã D cùm lex humana ciuilis ex se, vt humana est, non ordinetur ad finem supernaturalem, sed solùm ad naturalem ac politicum finem, satis perspicuum erat, quæ legibus humanis præcipiantur, non præcipi vt fiant ex caritate supernaturali, ac proinde eum modum caritatis supernaturalis non cadere sub illis legibus.

1 Vt verò res hæc, alioquin difficilis, perspicuè ac excussè intelligatur, obseruandum est. Caritatem naturalem, vt 2. 2. in materia de caritate fusiùs ostendimus, triplicem esse, Dei videlicet, proximi, ac nostri. Habitum verò caritatis supernaturalis, qui virtus est theologalis, vnicam E esse speciem infimam, vt ibidem etiam ostendimus, suoque influxu ac concursu auchere actũ caritatis, quo Deum diligimus, vt sit supernaturalis. Imperare verò actus caritatis, quibus nos & proximos diligimus, vt sint propter Deum. Ex eiusmodi autem imperio ac relatione horum duorum actuum in Deum, illis aduenire rationem formalem caritatis supernaturalis, quæ simul est in eis actibus cum ratione formali ipsorum caritatis naturalis, qua nos ipsos & proximos nostros diligimus, vt ibidem fuit explanatum ac comprobatum.

Hinc facilè intelligetur triplex esse præceptũ A diligendi, Deum videlicet, proximos, & nos ipsos. Duo priora expressa sunt Matth. 22. illis verbis; *Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Tertium verò satis innuit Christus illis verbis secundi, *Sicut te ipsum*, scilicet diligere debes. Neque fuit opus plus illud explanare, præsertim cùm adeò naturale cuique sit se ipsum diligere.

Cùm autem Deo duplex caritas debeatur, 2
naturalis scilicet, qua tenemur eum diligere, etiam si ex sua misericordia nos per media supernaturalia non ordinasset in supernaturalem finem sempiternæ felicitatis, & supernaturalis, quatenus supernaturaliter tenemur eum diligere accommodatè ad sempiternam felicitatẽ; consequens profectò est, vt præceptum caritatis, quo Deum diligere tenemur, duo includat, nempe id, quod ei est debitum ex caritate naturali; & id, quod est ei debitum ex supernaturali caritate, quatenus vult eam nobis præstare ad finem supernaturalem, ad quem ex sua misericordia nos condidit, & vult ac præcipit vt ex illa ipsum diligamus. Quo fit, vt quatenus id præceptum supernaturale est, id quidem præcipiat nobis Deus, quod supra vires nostras est, cæterùm paratus supplere ex parte sua, quod nobis ad id præceptum implendum deest, si ex nostra parte præstare velimus, quod ipse ad id ex nobis exigit.

Quia verò præcepta omnia iuris merè naturalis ad caritatem pertinent naturalem Dei, proximi, ac nostri, indeque deriuantur tanquã præcepta particularia comprehensa sub eis generalibus præceptis, in quibus virtute continentur, & quæ cum particularibus in numerum præceptorum ponunt, vt disp. 53 explanatum est, omniaque ea iuris naturalis præcepta similiter essent, estò Deus non ordinasset nos ad finẽ supernaturalẽ, nec nobis caritatẽ supernaturalẽ conferre statuisset, consequens profectò est, vt præcepta omnia iuris naturalis impleri intra limites virtutũ moraliũ possint sine supernaturali caritate, ac proinde vt modus ille, quòd fiant ex caritate supernaturali, seu propter Deum ex supernaturali caritate dilectum, necessarius non sit ad implẽda iuris merè naturalis præcepta, neque sub eis præceptis is modus cadat: sed solùm sit necessarius ad id implendũ præceptũ caritatis supernaturalis, aut quando tenemur nos reponere in gratia ratione aliqua, neq; vi sacramẽti alicuius, quod tunc suscipiamus, in gratia cum sola attritione reponamur ex Christi meritis virtute eius sacramenti nouæ legis tunc nobis applicatis, vt hæc omnia paulo inferiùs elucidabimus.

Hoc loco illud obiter admonuerim, cũ mo- 3
dus ille, vt aliquid fiat ex caritate Dei supernaturali, solùm cadat sub præcepto dilectionis Dei ea ex parte, qua præceptũ illud est supernaturale, & nõ qua est præceptum caritatis Dei naturalis, fieri optimè posse, nos aliquo actu merè naturali implere præceptum caritatis erga Deũ ea ex parte, qua id præceptum est naturale, iurisve est naturalis, ac proinde posse illud implere sine modo caritatis supernaturalis. Sicut enim præcepto iuris merè naturalis dilectionis proximi

ximi tenemur sub culpa lethali ei subuenire cibo, quando extremè illud indiget, & impedire furtum graue illius, si commodè possumus: ita præcepto iuris merè naturalis dilectionis Dei, quo astrigeremur, etiam si ab eo conditi non fuissemus in finem supernaturalem, tenemur, tanquam creaturæ eius mente liberoque arbitrio præditæ, nos opponere & subuenire honori eius, si id efficere possemus, ac proficeremus, quando periclitaretur honor illius, lumine ipso naturali id præscribente: estò autem id efficeremus exrra gratiam ipsius ob culpam aliquam lethalem constituti, planè satisfaceremus præcepto dilectionis illius naturalis tunc ad id obliganti: non secùs atque tribuendo proximo cibo eo tunc extremè indigenti, aut impediendo furtum graue, quod ei paratetur, satisfaceremus præcepto affirmatiuo dilectionis naturalis proximi ad ea tunc nos obligati, estò illa efficeremus in sorde alicuius peccati lethalis extrauagantiam ac caritatē Dei constituti: id quod *Sotus 2. de iust. q. 3. art. 10. de natura & gratia, c. 22.* rectè affirmat.

4 Deinde est obseruandum, præcepta caritatis Dei, proximi, ac nostri, posse duobus modis intelligi. Vno latè, vt præcipiunt nihil fieri nec omitti, quod cum caritate Dei, proximi, aut nostri pugnat. Hoc autem modo sumpta sunt præcepta quædam generalia, quæ vim habent tum præceptorum negatiuorum, quatenus ea omnia fieri prohibent, quæ pugnant cum caritate Dei, proximi, aut nostri: tum etiam præceptorum affirmatiuorum, quatenus ea omnia fieri præcipiunt, seu non omitti, quæ ita caritas efflagitat, vt sine illis salua non consistat. Hoc modo sub præcepto vniuersali caritatis proximi dicimus cōprehendi septē posteriora præcepta decalogi, quæ ad secundam tabulam pertinere dicuntur, nec cum illis ponere in numerum, vt disp. 53 explanatum est. Dicimus etiam sub præcepto caritatis Dei comprehendi tria priora, quæ ad primam tabulam attinere dicuntur. Imò verò contineri omnia vniuersim præcepta sub lethali culpa obligantia, vt ibidem explanatum est, quatenus quod cū caritate proximi aut nostri pugnat, ex consequenti pugnat etiam cum caritate Dei: eo quòd sit offensa Dei lethalis, caritasque proximi ac nostri ad Dei caritatē ordinentur: & vniuersim quicquid culpa est lethalis, siue aduersus præcepta iuris naturalis, siue aduersus præcepta iuris positiui, tā diuini quàm humani, id omne cū Dei caritate pugnet.

Altero verò modo sumi possunt tria illa præcepta, quatenus vim habēt pręceptorū affirmatiuorū, præcipiūtq; pręcisè actus positiuos proprios caritatis Dei, proximi, aut nostri, aut etiam simul cēsetur prohibere actus illis tribus speciebus directè ac proprissimè cōtrarios, vt odiū Dei, odiū proximi, & odiū nostri: nō verò quatenus se extendunt ad præcipiēdum aut prohibendū ea, quæ ad alias virtutes spectant, quæ quasi custodes trium illarū specierum caritatis sunt, illisque quodāmodo annexæ, quatenus violatio earum redundat in violationē caritatis. Vt violatio religionis, blasphemia, periurio, transgressione voti, aut cultū Deo debitū alteri tribuēdo, redundat in violationē caritatis Dei. Et violatio iustitiæ redūdat in violationē caritatis proximi. Hoc modo distinguimus peccata contra iustitiā aut religionem, vel contra alias particulares virtutes, à peccatis contra caritatē obligationemq; ex caritate, ab obligatione ex iustitia, ex virtute religionis, aut ex aliqua alia particulari virtute. Quo loco obserua, sub caritate proximi, & sub obligatione ex caritate qua illi interdum tenemur, comprehendi etiam caritatem & obligationem ex caritate, qua reipublicę tenemur: respublica enim non est aliud, quàm collectio multorum proximorum eius communitatis, quæ respublica dicitur, cuius vnusquisque nostrum pars quædam est, magis illi deuincta, quàm singulis proximis. Nomine etiā caritatis proximorum, eam etiam caritatem cōprehendimus, qua parentes astrictiùs tenemur diligere, quàm cæteros proximos, adeò vt obsequia, quæ illis debemus, ad particularem virtutē pietatis attineant: sicut & contraria crimina aduersus illos commissa ad peculiarem vitii speciem, impietatem nuncupatam, attinent.

Hoc modo spectata ac sumpta hæc tria caritatis præcepta, quamuis ad decalogū reducantur, nō tamen sunt decalogo formaliter expressa, vt ex se liquet: quoniam si percurras præcepta omnia decalogi, in nullo nec in omnibus simul inuenies illa expressa: quin potiùs decalogi præcepta ad caritatem Dei ac proximi tanquam ad finem ordinantur, iuxta illud Pauli 1. Timot. 1: *Finis præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona ac fide nō ficta.* Ad tria verò decalogi præcepta reducitur præceptū caritatis Dei: & ad reliqua reducuntur præcepta caritatis proximorū ac nostri. Ratio autem cur in decalogo expressa non fuerint tria hæc præcepta hoc modo sumpta, hæc est: Quoniā, vt disp. 57. fuit explanatum in summa illa præceptorum decalogi, quæ omni populo scienda proponebatur, solùm ea cōtineri debebant, quæ absque indagine ac disputatione omnibus statim proposita facilè erant nota obligare ad sui obseruationem: ea verò quę his tribus præceptis ita sumptis continentur, præsertim quatenus affirmatiua sunt, difficilima sunt cognitu ac explicatu, in quibus euentibus obligent: eaque de causa satis fuit ea præcepta alibi in scripturis sacris exprimi, atque sapientibus inuestigandum ac docendum relinqui, quādo & quousque obligent, aut non. Odium autem, præterquam quòd internum peccatum esse soleat, atque maledictione soleat exterius exprimi, coniunctum sanè esse solet, proximi comparatione, cum iniustitia aduersus illum contra quintum, septimum, & octauum decalogi præcepta.

Controuersia autem præcipua est, quinam sint actus, qui his tribus præceptis, quatenus affirmatiua sunt, præcipiantur, itemque quodnā sit tempus, pro quo ad eos actus obligent. Atque quamuis de præcepto caritatis propriæ doctores ferè omnes sileant, arbitror tamen proprium eius præcepti actum esse hominem sibi ipsi subuenire in necessariis, quæ prudentis arbitrio lethalis culpa esset illa tunc omittere. Vt si cibum tunc non sumeret, quando inde penderet cōseruatio vitæ aut salutis corporis, ita quòd graue damnum corporis ex ea voluntaria omissione immineret, nec adesset circunstantia, quæ tūc excusaret, aut si quid aliud simile omitteret.

Actus verò præcepti caritatis proximi sunt, subuenire illis in necessariis ad vitam salu-

salutemque corporis tuendam, ad honorem ac famam bonaque externa illi conseruanda, atque ad salutem spiritualem comparandam aut tuendam, quando prudentis arbitrio sub culpa lethali quis ad ea tenetur. Quando autē & quousque vnusquisque ad hæc ex caritate sub culpa lethali teneatur, tractatibus præcedentibus fuit ex parte explicatum, & in hoc etiam aliquid adjicietur, atque variis aliis in locis, maximè in materia de caritate, explanabitur. Quasi enim partes subiectæ huic præcepto caritatis proximi sunt præcepta de eleēmosyna, de correctione fraterna, de vitando proximi scandalo. Hæc verò, & similia alia, ad quæ præceptum caritatis proximi sub lethalis culpa obligat, suis propriis in sedibus explananda sunt.

Quod verò ad præceptum caritatis Dei attinet, cum Dominico, Soto locis citatis, & aliis, mihi persuadeo, nos teneri sub culpa lethali præcepto caritatis Dei subuenire ac nos opponere, quādo honor & gloria Dei & Christi periclitarentur corā hominibus, id efficiendo, quod profuturum ad id speraremus, etiam cum periculo nostro: quantum autem ac quando & quousque id efficere teneamur, prudentis arbitrio, spectatis circunstantiis omnibus tunc concurrentibus, est iudicandum.

Item cùm conditi simus ad supernaturalem finem sempiternæ felicitatis, non aliter quàm cum caritate Dei supernaturali obtinendum, quæ est vestis illa nuptialis, sine qua nullus ad cælestē conuiuium admittitur agni nuptiis cū Ecclesia à cælesti Rege paratum, sanè præceptū est de Deo ex caritate supernaturali diligendo ad eum finem supernaturalem obtinendum. Atque ante legem gratiæ & antequam ex magna Dei misericordia in ea instituerentur sacramenta, quæ attritos iustificarent, illisque vi sacramentorū conferretur caritas supernaturalis, sicut sine sacramentis confertur contritis, sanè longè frequentiùs sub lethali culpa tenebantur homines Deum ex caritate supernaturali diligere, quàm Christiani in noua lege eum ex caritate supernaturali diligere teneamur. Vt minimum enim quando mortis periculum se offerebat, & homo in sorde culpæ lethalis erat, tenebatur sub culpa lethali Deum ex caritate supernaturali diligere, vt vitam consequeretur æternam, interitumque euaderet sempiternum, de peccatis suis conterendo, Deumque proinde diligēdo ex caritate supernaturali per auxilium Dei particulare in puncto, quo conterebatur ac iustificabatur, quod auxilium Dei præstò erat conferre facientibus totum quod in ipsis erat, vt ita contererent, conuerterentur, ac iustificarentur: eo autē ipso, quòd ita contriti iustificabantur, actus ille contritionis ac dilectionis Dei eliciebatur, emanabat, ac continuabatur ab habitu caritatis supernaturalis iam comparato. At verò postquam Deus fragilitatis humanæ misertus sacramenta nouæ legis per Christum instituit voluit, quæ, persoluto iam pretio nostræ redemptionis, efficaciùs ac copiosiùs multo operarentur, quàm remedia ante in lege naturæ & scripta ad nostram salutem concessa, quæque attritos iustificarent, ac proinde, quo ad habitum gratiæ gratum facientis caritatisque cōparandū, ex attritis cōtritos efficerent, non ita frequenter sub reatu lethalis culpæ tenemur Deum ex caritate supernaturali diligere ad effectum comparandæ sempiternæ felicitatis, interitumque euadendi sempiternum, quoniam satis est nos attriti, suscipiendo simul sacramentum nouæ legis. Quòd si illud non suscipiamus, atque in sorde culpæ lethalis iaceamus, simusque in discrimine vitæ, tunc contriti sub noua culpa lethali tenemur, atque adeò diligere Deum ex caritate supernaturali, perinde atque in eo euentu tenebantur homines legis naturæ & scriptæ. Si item administrare velimus sacramentum aliquod, nec sacramentum priùs suscipiamus, quo ex attritis contriti in sensu explicato efficiamur, simusque in culpa aliqua lethali, tunc ex ea hypothesi, quia ad illud administrandum esse sub culpa lethali tenemur in gratia, consequenter tenemur sub culpa lethali conteri atque adeò Deum ex caritate supernaturali diligere.

Vtrùm autem extra hos euentus teneamur sub noua culpa lethali Deum ex caritate supernaturali aliquando diligere, an verò transigere possimus totam vitam sine reatu nouæ lethalis culpæ contra præceptum de Deo ex caritate diligendo, ipsum ex illa non diligendo, si mortis periculum nobis non occurrat, nec velimus aliquid aggredi, ad quod sub culpa lethali sit necesse nos esse in gratia Dei: sub iudice hæc lis est. Et quamuis difficile admodum sit taxare tempus, quando teneamur extra hos euentus reponere nos in gratia, atque adeò Deū diligere ex caritate supernaturali, aut certè atteri de peccatis & sacramentum nouæ legis recipere, certè satis probabile est, nos aliquando, aut aliquoties, in vitæ decursu id efficere teneri. Id quod etiam indicat præceptum illud Ioan. 6 de Eucharistia sumenda: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: ad quod necesse est homines priùs in gratia reponi. Vt enim Paulus 1. ad Cor 11. ait: *Quicunque manducauerit panem & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* Ea autem de causa meritò Ecclesia statuit, vt adulti semel saltem in anno accedere tenerentur ad pœnitentiæ sacramentum, sacramque Eucharistiam sumere, atque etiam quoties occurrit mortis periculum, vt illis saltem temporibus in gratia se reponerent, idque præceptum implerent. Dies etiam festos statuit, in quibus fideles à seruilibus operibus vacarent, sacrumque audire tenerentur, & in quibus verbum Dei audirent, quo ad Dei amorem atque ad pœnitētiam adhortarentur ac inducerentur. Ad eundem quoq; finē orationem Dominicam Christus instituit, qua remissionem peccatorum quotidie fideles ex corde cōtritionis à Deo postularent. Ecclesia etiam confessionem, qua venia peccatorum à Deo postulatur, aliasque similes orationes instituit, ieiuniaque varia ac vigilias, & similia alia instituit. Vnde timendum non est, eos Christi fideles, qui perditi non sint, culpam lethalem aliquando incurrere ex transgressione peculiaris præ-

præcepti de Deo ex caritate supernaturali diligendo.

7 Aduersus hactenus dicta præcepto peculiari caritatis objicies: Finis non cadit sub præcepto, sed solùm id, quod est ad finem: sed finis præcepti est caritas, vt Paulus 1. ad Timot. 1. ait: ergo de caritate ac dilectione Dei nullum est peculiare præceptum.

Ad hoc argumentum respondet probè Caiet. 2. 2. q. 184. art. 3. Maiorem in hoc sensu esse veram, quòd finis non cadit sub eo præcepto, quo aliquid propter eum finem præcipitur: atque ita probare optimè argumentum, caritatem ac dilectionem Dei non cadere sub præceptis decalogi, quæ ad Dei caritatem ordinantur, ea præcipiendo, aut prohibendo, quæ necessaria sunt fieri, aut omitti, vt caritas Dei in nobis sit ac permaneat. Id verò non tollit, quòd de Dei caritate, de Deóve diligendo, sit peculiare aliquod præceptum tanquam de re Deo debita, & tanquam de medio ad Deum vitamque sempiternam obtinendam necessario.

Explicandum autem est, quis sit sensus illorũ verborum præcepti de dilectione Dei; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*, vt habetur Matt. 22, Marci 12. Lucæ 10. & Deut. 6. Tametsi Deut. 6. non habeatur illa verba, *ex tota mente tua.* & habeatur, *ex tota fortitudine tua.* Et Marci 12. illis omnibus verbis, quæ ex Matthæo retulimus, addatur, *ex tota virtute tua*, & Lucæ 10. illis etiam addatur, *& ex omnibus viribus tuis.* Item explanandum est, num id præceptum eis in locis traditum impleri in hac vita possit.

Quod ad primum attinet, prætermissis aliis expositionibus, *Diuus Th. 2. 2. q. 44. art. 5.* nomine *cordis*, intelligit voluntatem, quæ idcirco cor dicitur, quoniam sicut cor est primum principium corporeum omnium motuum animalium, in eoque residet concupiscentia: sic voluntas cæteras potentias mouet, animaque nostra voluntatis potentia concupiscit, frequentissimumque est in literis sacris nomine cordis voluntatem intelligere. Nomine autem *mentis* intelligit diuus Th. intellectum, etiam quatenus recordatur. Nomine verò *animæ* partem intelligit sentientem. Et nomine *virtutis, fortitudinis, ac virium*, intelligit exteriores exequutrices potentias, vt ea ratione homo quo ad potentias omnes, quæ voluntati parent, Deum diligat. Fortasse tamen idem ferè per singulas illas partes significatur. Nam in eo quod dicitur, *ex toto corde*, id est, ex tota voluntate, reliquæ potentiæ, quę voluntatis imperio subiacent, intelliguntur ex consequenti. Nomine autem mẽtis, partes omnes animæ intellectiuæ, intellectus scilicet ac voluntas, intelliguntur, quibus cæteræ subduntur ac obediunt. Nomine verò totius animæ, ipsa cum omnibus suis potentiis optimè intelligi potest. Deniq; nomine viriũ, potentiæ omnes animę rectè intelligi possunt. Atque idẽ per totã virtutẽ ac fortitudinem intelligi rectissimè potest. Nisi fortè hoc auferre potiùs velis ad conatum. Quia verò illis omnibus idem intelligitur, aliter tamen ac aliter explanatum, ad maiorem intelligentiam ac exaggerationem in quibusdam ex locis relatis, in quibus hoc præceptum traditur, plures voces idem significantes ponuntur, quàm in aliis.

Quod verò ad secundum attinet, *Diuus Th. 2. 2. q. 44. art. 6.* cum Augustino de perfect. iust. ait, quamuis hoc præceptum impleri in hac vita possit, quantum satis est vt vitetur peccatum transgressionis illius, non tamen ita vt perfectè impleatur. Perfecta quippe illius adimpletio relinquitur patriæ, vbi Deum toto corde, viribusque totis, conatúve toto diligemus. Sub ea tamen forma in via nobis proponitur, vt quantum potuerimus, imitari in vita conemur patriæ perfectionem in eo præcepto adimplendo. Atque est sermo in eis verbis, non solùm de peculiari præcepto caritatis Dei, sed etiam de vniuersali, quod ad sui impletionem requirit impletionem præceptorum omnium, quæ sub culpa lethali obligant, vt dictum est.

Vt verò hæc meliùs intelligantur, obseruanda est non condemnenda doctrina *Caietani 2. 2. q. 44. art. 4.* Ait enim, duobus modis aliquid dici modum actus alicuius virtutis. Quidam enim est modus actus virtutis alicuius, qui intrinsecus dicitur talis virtutis, qualis est ille, quẽ efficere in eo actu spectat ad virtutem, cuius est is actus: eaque ratione is modus non extrahit eum actum extra limites talis virtutis. Alius verò est modus, qui extrinsecus dicitur tali virtuti, qualis est, quem efficere in eo actu non pertinet ad virtutem, cuius is actus est proprius, sed ad aliquam aliam: eaque de causa is modus extrahit eum actum à limitibus virtutis, cuius est actus proprius. Rursus modus intrinsecus actui alicuius virtutis est duplex. Quidam enim est, sine quo ratio eius virtutis salua non potest consistere in eo actu. Alius verò est, sine quo ratio eius virtutis salua in eo actu potest consistere: qua de causa is modus solùm pertinet ad perfectionem eius actus intra limites eius virtutis. Hæc omnia perspicua sunt in hoc exemplo. Si quis eliciat actum subueniendi parenti, quantum oportet ac tenetur iuxta virtutem pietatis, & eliciat eum actum promptè ac feruidè, & propter Deum, sanè is actus est virtutis pietatis comparatione talis parentis, in eoque inueniuntur duo modi intrinseci ac proprii virtutis pietatis: vnus quidem subuenire quantum oportet ac iuxta virtutem pietatis tenetur: alter verò promptè ac feruidè ei subuenire: efficere enim vtrumque in eo actu ad virtutem attinet pietatis, neutrumque eum actũ extrahit à limitibus virtutis pietatis. In eodẽ etiã actu inuenitur præterea tertius ille alius modus, propter Deum videlicet, qui quidem quoniam proprius virtutis caritatis erga Deũ, eumque in eo actu efficere pertinet ad virtutem caritatis, & non ad virtutem pietatis, dicitur modus extrinsecus actui illi virtutis, eumque actũ extrahit à limitibus virtutis pietatis, illi superaddendo rationem formalem virtutis caritatis ergo Deum. Ex duobus autem illis aliis prioribus modis, primus pertinet ad rationem intrinsecã actus virtutis pietatis: quoniã si quis parenti non subueniat quantum oportet ac tenetur iuxta virtutem pietatis, actus ille non erit virtutis pietatis. Secundus verò modus solùm spectat ad perfectionem actus virtutis pietatis: quoniam sine feruore, promptitudine, ac intentione

8

tione in eo actu salua in illo manet ratio formalis actus virtutis pietatis. A

9 Hac doctrina præhabita, est dicendum: Præceptum illud, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* duobus modis posse intelligi. Vno, vt sit sensus nihil præponendo Deo, nihilque admittendo, quod cum Dei caritate & cum legibus ad dilectionem ac amicitiam conseruandam ab eo statutis pugnet. Atque in hoc sensu id præceptum impleri à nobis potest in hac vita cum Dei auxilio, quod volentibus ad id efficere, quod est in ipsis, paratus est præstare: idque de Deo diligendo præceptum, eo modo intellectum, modum præcipit sine quo ratio caritatis Dei non potest salua consistere. Sic multi in B hac vita dicuntur Deum perfectè diligere, qui integre ac plenè seruant, quę ad veram Dei dilectionem sunt necessaria, nihil admittēdo, quod cum Dei dilectione pugnet. Sic Ioan. 1. sua cano. c. 2 ait: *Qui seruat verbum eius, verè in hoc caritas Dei perfecta est*, hoc est, perfectè Deum caritate supernaturali diligit, nihil quod cum illa pugnet admittendo. Et c. 4: *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est.* Et c. 5: *Hæc est caritas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt.* Et 2 cano. ait: *Hæc est caritas, vt ambulemus secundum mandata eius.* 3. Reg. 14. ad Ieroboam dicitur: *Nō fecisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & sequutus est me in toto corde suo, faciēs quod placitum esset in conspectu meo.* Et Psal. 118 Regius Propheta ait: *In toto corde meo exquisiui te.* Deut. 4: *Inuenies eum, si tamen in toto corde quæsieris eum.* Quo pacto tempore Asæ testatur scriptura 2 Paralip. 15, Iudæos quæsiisse & inuenisse Deum dicens: *In tota voluntate quæsierunt eum, & inuenerunt.* Et de Iosia 4 Reg. 23 dicitur: *Reuersus est ad Dominum in toto corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta omnem legem Moysi*, id est, seruauit legem Moysi, nihil admittendo Dei caritati contrarium. Est ergo stulta hæresis Lutheri affirmantis, omnia opera cuiuscunque iusti in hac vita esse peccata; D eo quòd nullus implere in ea possit præceptum de diligendo Deo. Ea damnata meritò fuit in concilio Tridentino sess. 6. c. 11. & can. 7, 18 & 25. Lege etiam can. 26 & 31.

Altero verò modo intelligi potest idem præceptum, ita vt eo præcipiatur, hominem semper diligere Deum toto conatu ac omnibus viribus, ita vt nihil quod remittere, retardare, aut impedire possit Dei dilectionem admittat. Atq; tunc non solùm præciperetur, quod esset satis ad peccatum vitandum conseruandamque caritatem, sed etiam quod necessarium esset ad exactissimam illius obseruationem attenta maiestate ac bonitate diuina. Satis autem est perspicuum, E quod ita pertinet ad perfectissimam præcepti obseruationem vltra id, quod est satis, vt absolutè ac simpliciter dicatur quis illud seruare, neq; esse modum necessarium vt actus sit virtutis, neque simpliciter cadere sub præcepto, sed solùm secundùm quid, vt scilicet perfectè id præceptum impleatur. Atque hoc solùm est, quod voluerunt Augustinus & diuus Thomas suprà relati.

Vtrùm præcepta moralia veteris legis iustificarent. Disp. 60.

SVMMARIVM.

1. *DVplex est iustificatio per gratiam gratum facientem.*
2. *Nullum opus moraliter bonum iustificabat in veteri lege, iustificatione scilicet, qua quis ex iniusto & peccatore fiat iustus, sicut neque in noua lege iustificat.*
3. *Vt opera bona moraliter facta in gratia sunt meritoria augmenti gratiæ in noua lege, sic etiam erant in veteri lege.*
4. *Cæremonialia præcepta veteris legis non conferebant gratiam, ac proinde non iustificabant iustificatione, qua quis ex iniusto fiat iustus..*

QVæstionem hanc proponit diuus *Th. 1. 2. q. 100. art. 12.* & in corpore articuli sermonem etiam miscet de cæremonialibus & iudicialibus. Duplex autem est iustificatio per gratiam gratum facientem. Vna, qua aliquis ex iniusto & peccatore iustus efficitur, quæ prima iustificatio nuncupatur. Et altera, qua aliquis postquam iam est in gratia gratum faciente, iustusque per illam est iam formaliter effectus, C crescit in accepta iustitia & gratia, magisque iustus efficitur, quæ vocatur iustificatio non prima. 1

Hoc ita constituto, prima conclusio in hac disputatione est: Nullum opus moraliter bonum, atque adeò nulla obseruatio præceptorum moralium iustificabat in veteri lege loquendo de iustificatione prima, qua quis ex iniusto & peccatore iustus fiat: sicut neque in noua lege iustificat. Aliquod tamen opus bonum effectu supernaturali ex Dei supernaturali auxilio, putà contritio, erat in veteri lege, & est in noua, vltima dispositio ad gratiam, quam Deus meritis quidem Christi conferebat in veteri lege, & cōD fert in noua, eo modo dispositis, sed merè gratis eorum comparatione, quibus confertur. Prior pars est de fide: ait enim Paulus ad Rom. 3: *Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo*, & ad Gal. 2: *Si enim per legem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est*, definitaque est in concilio Tridentino sess. 6. c. 1. & can. 1. Neque ad hunc locum ea de re agere spectat. Posterior itē pars est etiam de fide ac recepta, neque ea de re agere ad hunc locum similiter spectat. 2

Secunda conclusio. Quemadmodum opera moraliter bona facta in gratia causa sunt meritoria augmenti gratiæ in noua lege, meritò, tanquam ex radice, prouenientę in illis ex gratia E gratum facientę antea comparata, per quam operans factus est filius Dei per adoptionem; & subinde causa sunt, modo explicato, iustificationis non primæ: sic etiam erant in veteri lege. Sic Ecclesiastici 18 dicitur: *Ne verearis vsq; ad mortem iustificari*, (ea bona, licèt laboriosa, efficiendo non vnde in merito ac iustitia crescas) *quoniam merces Dei manet in eternum.* 3

Quando autem ad Rom. 2 ait Paulus: *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*; vel intelligit de iustificatione nō prima, qua post gratiam comparatam acquiritur illius augmentum operibus legis in gratia

factis: vel (quod magis credo) quia iustitia & gratia pendet, vt conseruetur, postquam comparata est, ex obseruatione legis, quoniam per quamcunque illius transgressionem culpa lethali gratia ac iustificatio amittitur, atque etiam vt primò peccatores iustificentur, pendet ex proposito seruandi legem, nunquamque peccandi lethaliter, & ex contritione, præsertim tempore, de quo tunc loquebatur Paulus, (agit enim ibi de tempore, in quo duo erant ouilia, legis scilicet scriptæ ac naturæ, comparatque Iudæos tunc cum Gentibus, vt ex eo capite & ex antecedente & sequente constat) quæ sanè contritio opus est legis; idcirco ea verba protulit, quibus docet ad comparandam, conseruandam, & augendam iustitiam, non sufficere legis scientiam ex auditu, quam Iudæi habebãt, quibus lex tradita erat, quique in illa docebantur, de qua re Iudæi gloriabantur, sed necessariam esse illis obseruationem, eam adimplendo. Vnde ad Gal. 3 ait: *Lex non est ex fide*, sed *qui fecerit ea* (mandata scilicet legis) *viuet in illis*, vita scilicet gratiæ: quoniam comparatio vitæ gratiæ, ac conseruatio illius, pendet à legis obseruatione, licèt homines non comparent primam gratiam ac iustificationem vi legis, sed per fidem Christi meritis. In quo eodem sensu Leui. 18 dicitur: *Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo viuet in illis.*

4 Tertia conclusio: Cæremonialia veteris legis non conferebant gratiam, ac proinde nec iustificabant prima iustificatione: tametsi ad præsentiam circumcisionis gratia conferretur ratione fidei, quæ ea protestabatur. Sacramenta verò nouæ legis (quæ cæremonialia quędã sunt) gratiam conferunt ac iustificant. Vtraque pars conclusionis certa est: earum tamen examen ac explanatio non ad hunc locum spectat.

De cæremonialibus veteris legis præceptis. Et num fuerint ante legem scriptam, virtutemq; tunc habuerint iustificandi.

Disp. 61.

SVMMARIVM.

1. *Licèt ante legem scriptam fuerint sacrificia & cæremoniæ; demptis tamen nonnullis, non fuit cæremoniale vllum tempore legis naturæ in præcepto.*
2. *Refutatur obiectio in contrarium.*
3. *Quædam veteris legis præcepta cæremonialia vim habebant ad tollendam immunditiam corporalem ab ipsamet lege in quibusdam euentibus statutam: at nulla poterant mundare ab immunditia spirituali.*

1 DIcendum deinde est de cæremonialibus præceptis. Quid verò & quotuplicia sint, disp. 53 fuit explanatum. Quamuis autem ante legem scriptã tempore legis naturæ fuerint sacrificia ac aliæ cæremoniæ, quibus Deus colebatur, & fuerint etiam sacerdotes, vt tractatu 2 disp. 21 explanatum fuit; si tamen demas remedium contra originis peccatum, quod Adamo reuelatum fuit, & toto tempore legis naturæ perseuerauit, atque etiam tempore legis scriptæ quo ad feminas, quæ non circumcidebantur; si A item demas præceptum illud Gen. 9 Noë & posteris traditum: *Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis*; quo prohibeatur comedere sanguinem animalium siue à venis extractum, siue in venis manantem, dum animal suffocatum interibat, idque tunc vt homines eius præcepti obedientia exerceret, tum etiam in signũ & memoriam quantum Deus detestaretur homicidium, vt ibi subiũgitur: quod in causa fuit, vt id cæremoniale præceptum lege veteri antiquius ab Apostolis seruari præciperetur Actorum 15 ad tempus illis verbis; *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos bene agetis*, idque propter rationem disputatione sequenti reddendam: si hæc, inquam, demas, nullum sanè cæremoniale fuit tempore legis naturæ in præcepto, vt *diuus Th. 1.2.q.103.art.1.* affirmat, dictumque à nobis fuit disp. 21 citata. Vt enim tractatu 3 disp. 4 ostendimus, hominibus ante diluuium prohibitus non fuit esus carnium, tametsi multi, quos ibi retulimus, contrarium affirmauerint. Neque video de quo alio præcepto cæremoniali possit esse dubium an obligauerit tempore legis naturæ. Præter Adamum autem, qui à Deo illustratus sacrificia & cæremonias instituit ac docuit posteros suos, quibus Deum colerent, & Noë, qui idem post diluuium fecit, fuerunt etiam viri alii sancti, à Deo ad id illustrati, qui tempore legis naturæ idem variis temporibus efficerent, cæteroque ea docerẽt, vt *diuus Th. art. 1.* citato rectè docet. De remedio externum contra originis peccatum, quod toto tempore legis naturæ, atque etiam scriptæ quo ad feminas, perseuerauit, & inter cæremonialia est procul dubio computandum, dubitandum non est à Deo fuisse institutum, fuisseque in præcepto toto eo tempore, idque præceptum de iure fuisse diuino positiuo, vt disp. 21 citata dictum est. Vt tamen multis placet, integrũ Deus D hominibus reliquisse videtur diuersa optione eorum offerre ad illius peccati expiationem, de qua re in materia de Sacramentis est differendum. Itaque, vt ait diuus Thomas art. 1 citato, quamuis cæremoniæ fuerint tempore legis naturæ, quibus Deus colebatur, præcepta tamen cæremonialia (excipe duo paulo antea explicata) lege scripta tradita sunt. Tametsi circumcisio Abrahamo fuerit præcepta ante legem scriptam, idemque præceptum Leuit. 12 fuerit repetitum ac traditum: qua ratione Christus Ioa. 7 ait: *Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus.* Abrahamo scilicet tradita in præceptum, & à patribus ante Moy- E sem ac legem vi eiusdem præcepti seruata.

2 Quòd si quis aduersus hactenus dicta objiciat illud Dominici ad Noë Gen. 7: *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena masculum & feminam.* Ex quibus constare videtur, præceptum cæremoniale de distinctione animalium immundorum à mundis fuisse ante diluuium & post diluuium tempore legis naturæ. In primis verò non fuisse tale præceptum de distinctione immundorum animalium à mundis quo ad esum, sed id præceptum lege Moysis fuisse postea traditum, satis apertè constat ex illis verbis Gen. 9: *Omne, quod mouetur & viuit, erit vobis*

bis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis. Omnia enim animalia, absque vllo discrimine, tradidit Deus tunc illis in cibum, ipsis relinquens, vt eis animalibus ad cibum non vterentur, quæ nociua inuenirent, aut quæ abhorrerũt: nec secùs ac herbas omnes eis similiter in cibum tradidit. Mihi verò germana expositio illius loci Gen. 7 videtur, quòd cùm Moyses librum Geneseos scripsit post latã legem scriptam, atque Deus præceperit Noë, vt ex quibusdam animalibus inferret in arcam septena & septena, & ex aliis bina & bina, qualia diuino nutu ministerioque angelorum ex diuersis orbis partibus vltro in arcam aduenirent; eduxeritque ita Deus ad arcam ex animalibus mundis septena & septena, & ex immundis bina & bina; Moyses eis verbis breuiter expressit, ex quibus animalibus iussus Noë fuerit tollere & admittere in arcam septena & septena, & ex quibus bina & bina. Fortasse simul tunc reuelauit Moysi Deus, idcirco ex quibusdam iuberi in septena & septena, quòd illa munda præcepto ipsius erant futura ad esum: reliqua verò tunc ad sacrificia, tum etiam ad esum, erant futura immunda. Alii volunt, Deum præcepisse Noë, vt ex animalibus, quæ tunc temporis immunda reputabantur in opinione hominum ad sacrificia & esum, quoniam ad neutrum tunc erat vsus illorum pro solo arbitrio & existimatione hominum, inferret solùm bina & bina: ex reliquis verò inferret septena & septena.

3 Quod ad reliquum in titulo Disputationis propositum attinet, num scilicet præcepta cæremonialia veteris legis vim habuerint ad iustificandum. *Diuus Th. 1. 2. q. 103. art. 2.* rectè ait, duplicis immunditiæ tempore legis veteris fuisse habitam rationem. Vna erat spiritualis immunditia ratione culpæ: alia verò corporalis ab ipsamet lege in quibusdam euentibus statuta, quæ ad cultum diuinum, aut etiam ad communicandum cum aliis, non idoneum illam habentem reddebat, eratque velut irregularitas quædam lege veteri ad id in eis euentibus inducta. Sic leprosi reputabantur immundi, & qui morticinium tangebat, & in aliis euentibus eiusmodi immunditia contrahebatur.

Si de hac posteriori immunditia sit sermo, quædam veteris legis cæremonialia vim habebant ad illam tollendam, atque adeò ad sanctificandum, hoc est, idoneum reddendo ad cultum diuinum, & ad communicandum in eum cum aliis, quod scripturæ sacræ veteris & noui Testamenti sanctificare in sensu explicato ac mundare appellant. Quemadmodum enim irregularitates illæ ac immunditiæ veteri lege introductæ ac statutæ iure diuino positiuo fuerunt: sic remedia ad illas tollendas, atque ad sanctificandum in sensu explicato, ab illis emundando, eadem lege veteri eodemque diuino iure positiuo fuerunt introducta. Vnde Paulus ad Hebræos 9, statum legis veteris cum statu legis nouæ conferens, ait: *Si enim sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ asperſus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, &c.* Et paulo superiùs dixerat: *Quæ est parabola temporis instantis*, id est præsentis status veteris legis, *iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam* (id est, quo ad conscientiam spiritualemque munditiam) *perfectum facere seruientem, solummodo & cibis & in potibus & in variis baptismatibus & iustitiis carnis, vsque ad tempus correctionis* (id est aduentus Christi, quæ cæremonialia legis veteris corrigenda commutandáve erant in melius) *impositis.*

Si verò de priori spirituali immunditia ratione peccati sit sermo, quæ per gratiam gratum facientem tollitur, sic cæremonialia veteris legis quemadmodum gratiam conferre non poterant, ita neque mundare ab illa immunditia poterant. Vnde Paulus ad Galat. 2: *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Et c. 4 cæremonialia veteris legis *infirma & egena elementa* appellat, quia iustificare gratiamque conferre non poterant. Et ad Hebræos 9 de eis ait: *Quæ non possunt iuxta conscientiam* (id est quo ad conscientiam) *perfectum facere seruientem*, eum scilicet iustificando ac emundando gratiam illi conferendo. Et c. 10: *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Quomodo autẽ cæremonialia veteris legis inseruirent ad iustitiæ & gratiæ augmentum, & quomodo ad præsentiam circumcisionis, aut remedii alterius feminis contra peccatum originale applicati, ratione fidei, quæ eis protestabatur, meritis Christi gratia conferretur, Disputatione præcedente fuit dictum, alibique est copiosiùs explanandum.

Vtrùm cæremonialia veteris legis præcepta ita cessauerint, vt absque lethali culpa seruari nequeant.

Disp. 62.

SVMMARIVM.

1. *Præcepta cæremonialia veteris legis non cessarunt, nec in æternum cessabunt: vt probatur, sed non affirmatiuè.*
2. *Lex vetus cessauit lege noua adueniente Christi: quia erat vmbra nouæ legis.*
3. *Præcepta cæremonialia cessarunt non solùm quatenus vmbræ erant futurorum, sed simpliciter & omnino.*
4. *Controuersia inter Hieronymum & Augustinum circa modum cessationis legalium, sed Augustini sententia recipitur, scilicet post Christi mortem etiam Apostolos legalia seruasse. Agitur de controuersia inter Apostolos Petrum & Paulum.*
5. *Supponendum baptismum ante passionem à Christo fuisse institutum, atque eo tempore vsque ad passionem fuisse in consilio non in præcepto, affirmant Thomistæ, totam legem veterem ac proinde circumcisionem fuisse vsque ad passionem in præcepto; in morte verò ac resurrectione Christi cessasse, & exinde legem nouam cœpisse esse in præcepto. Scotus verò & alii asserunt baptismum non priùs cœpisse esse in præcepto, quam Euangelium promulgatum fuerat; sed sententia eius, licèt pluribus probetur, refellitur: ac prior confirmatur.*
6. *Lex baptismi & aliæ leges à Christo ante passionem latæ statim à morte Christi habuerunt vim præcepti, nec ad id fuit necessaria alia promulgatio, quam quæ à Christo ipso, dum viueret, facta*

facta illarum fuit.

7. Argumenta quædam in contrarium refelluntur.

8. Post sufficientem Euangelii prædicationem orbi factam licitum non est alicui aliqua ex causa seruare legalia: nec excusantur à peccato, qui adhuc ea seruant animo ea vt legalia seruandi.

9. Refelluntur argumenta quæ initio Disputationis allata sunt in contrariam partem.

1 QVòd non cessauerint, seruariq; absque culpa possint, suadetur. Primò, quoniam Baruch 4 de lege veteri atque adeò de præceptis illius cæremonialibus dicitur: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum.* Et Leuit. 16 dicitur: *Erit vobis hoc legitimum sempiternum*, & est sermo de cæremoniali præcepto: ergo præcepta cæremonialia veteris legis nec cessarunt, nec in æternum cessabunt.

Secundò, Apostoli post acceptum Spiritum sanctum non peccauerunt lethaliter: at, etiam post euangelii promulgationem inceptam, leguntur seruasse cæremonialia præcepta: vt Paulus Actorum 16 legitur circumcidisse Timotheum, qui erat ex patre gentili & ex matre Iudæa, secumque eum assumpsisse: & Actorum 21 consilio Iacobi & seniorum, qui erant Ierosolymis, purificatur legitur cum aliis quatuor viris: ergo absque lethali culpa seruari præcepta cæremonialia possunt.

Tertiò, Apostoli & seniores in illo celebri concilio, cuius Lucas Actorum 15 meminit, sic conuersis ex Gentibus scripserunt: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*: sed abstinere ab immolatis, & à sanguine, & suffocato, ad cæremonialia spectat præcepta: ergo non solùm conuersis ex Iudæis, sed etiam conuersis ex gentibus, licuit cum Euangelio seruare præcepta cæremonialia veteris legis.

2 Statuenda initio huius Disputationis est hæc fundamentalis conclusio. Lex vetus cessauit lege Christi noua adueniente. In quo autem puncto lex vetus cessauerit, post hanc conclusionem stabilitam examinabitur. Conclusio est de fide, & contrarium, legem scilicet veterem non cessasse, sed esse seruandam vnà cum Euangelia ac lege noua, fuit hæresis Cerinthi, Ebionis, & Nazarænorum, vt referunt *Aug. de hæresib. l.* Quod vult Deum. *hæresi. 8, 9, & 10. Hieron. Epist. 11. 2. tom.* operum Augustini, & idem *Augustinus Epist. 19. Castrus aduersus hæreses, verb. Lex. hæresi. 1.* & alii. *Augustinus hæresi. 10.* citata ait Epiphanium computare tanquam sectatores eiusdem erroris Sampsæos & Elcesæos, quorum *Epiphanius tom. 1. lib. 2.* hæresi 13 meminit.

Conclusio verò probatur ex illo ad Galat. 3: *Quid igitur lex? Propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat*, vt scilicet eo adueniente cessaret, & succederet noua, quam id semen promissum ferret. Et infrà: *Lex pedagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificaremur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pedagogo*, sub lege scilicet illa veteri. Et c. 4: *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, quæ sunt per allegoriam dicta* A *duo Testamenta.* Et infrà: *Sed quid dicit scriptura? Ejice ancillam & filium eius; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Ac concludit Paulus: *Itaq, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit*: à lege scilicet veteri, eiusque obligatione. Id enim est, quòd initio capitis his verbis dixerat: *Ita & nos, cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes*, cæremoniis legis. *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret*, à iugo scilicet eius legis. Et c. 5: *Nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Enacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini*: id est, qui quæritis in circumcisione ac lege veteri iustificari, quasi illa vim ad iustificandum habeat, quam antea habebat, retineat, *à Christo euacuati estis*, id est illum culpa vestra lethali amisistis: quod expressiùs explicat addès, *à gratia excidistis.* Atque vt summatim dicam, intentum Pauli tota Epistola illa ad Galatas est, neque ex lege veteri fuisse vnquam iustitiam, sed ex Christo, neq; legem veterem post Euangelicam vim vllâ obligandi habere, sed omnino cessâsse Christi aduentu, ad quem ordinabatur.

Eadem conclusio probatur ex illo ad Hebr. 7: *Translato sacerdotio*, Leuitico scilicet secundùm ordinem Aaron, in sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedec, iuxta illud Psal. 109: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*, (quem locum disp. 50. à §. posterior verò, &c. copiosè explanauimus) *necesse est vt & legis translatio fiat.* Et c. 8 adducens illud Ieremiæ 31, quod perspicuè nostram conclusionem confirmat: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum vt educerem illos de terra Ægypti*, addit Paulus, *dicendo nouum veterauit priùs.* Et c. 10: *Aufert primum vt sequens statuat.* Lege quæ disp. 52 circa illud testimonium ex Ieremiæ 31 capite à Paulo ad Hebræ. 8 *relatum*, dicta sunt.

Probatur etiam conclusio ex illo ad Ephes. 2: *Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè*, quia scilicet promissionem de Christo non habebatis, in idololatriamq; declinaueratis, *facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, id est duos populos Gentilicum & Iudaicum vnum Christianum in vno communi ouili sub vno pastore, *& medium parietem maceriæ*, legis videlicet veteris, quæ populum Israëliticum à Gentili diuidebat, indeq; duo illi populi occasionem sumebant vt inter se dissiderẽt, inuicemq; sibi aduersarẽtur, *soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorũ*, veterem scilicet, *decretis*, legis nouæ, *euacuans, vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem*, legis gratiæ formatum ac creatum, *faciens pacem, vt reconciliet ambos in vno corpore*, Ecclesia scilicet Christianæ ac legis nouæ, *Deo per crucem, interficiens inimicitias in semet ipso. Et veniẽs euangelizauit pacem vobis, qui longè fuistis, & pacem iis, qui propè: quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem.*

Eandem conclusionem probat definitio illa Actorum 15 Apostolorum & Ecclesiæ in illo primo

primo concilio in Eccleſia celebrato, qua ſtatutum fuit, conuerſos in Gentibus non teneri ſeruare legem Moyſi, quia ſcilicet nouæ legis aduentu ceſſauerat. Eandem confirmat illud Inn. 3 c. maiores cauſæ in prin. de bap. & eius effect. *Abſit vt in illam damnatam hæreſim incidamus, quæ perperam affirmabat, legem cum euangelio, & circumciſionem cum baptiſmo ſeruandam.* Eandé concluſionem *Sotus. 2. de iuſt. q. 5. art. 4.* & alii referunt definitam fuiſſe in concilio Florentino: ſed ego eam definitionem nunquam in eo concilio reperire potui.

Ratio autem cur lex vetus adueniente Chriſto, lataq; per eum lege noua, ceſſare debuerit, hæc eſt: Quoniam, vt Paulus ad Hebræ. 10 ait, lex vetus habebat *vmbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*: vnde quemadmodũ adueniente ſole ceſſat vmbra, & adueniente veritate tolluntur imagines ac figuræ, quæ ad illam ſignificandam fuerant inſtitutæ, vtpote ad id deinceps nõ neceſſariæ: ita adueniente Chriſto, lataq; per eum lege noua, ſanguineque ſuo confirmata, ceſſare debuit lex vetus. Præſertim cùm Chriſtum, & quæ per Chriſtũ tempore legis nouæ ac gratiæ erant futura, vt futura ſignificaret, quod veritatem poſt Chriſti aduentum, & poſtquam illa iam geſta ſunt, non habet. Quo fit, vt Chriſtus, non tam abrogando ac reuocando legem veterẽ, quaſi in longius tempus fuiſſet poſita, vlteriuſque illius inſtitutione fuiſſet duratura, quàm implendo, quod ſignificabat, eam ceſſare fecerit: dataque quippe à Deo fuerat in illud ſolùm vſque tempus. Vnde Matth. 5 dixit Chriſtus; *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* Accedit, quòd, vt Petrus Actorum 15 ait, iugum veteris legis erat admodum graue, *quod*, inquit, *neque patres noſtri neque nos portare potuimus*, id eſt, quod nos & patres noſtri difficilè portauimus: oportebat autem iugum legis nouæ ac gratiæ non ita graue eſſe, ſed ſuaue ac leue. Vnde Chriſtus Matth. 11: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, comparatione ſcilicet iugi, quod lege veteri hominum ceruicibus fuerat impoſitum: quod ſanè teſtimonium confirmat, legem veterem aduentu nouæ legis ceſſaſſe.

3 Illud verò eſt hoc loco obſeruandum, præcepta cæremonialia ceſſaſſe non ſolùm quatenus vmbræ ac figuræ erant futurorum, ſed ſimpliciter ac omnino ceſſaſſe. Vt obligatio ſeruandi ſabbathum ceſſauit, etiam vt erat in memoriam beneficii creationis, & Paſcha ceſſauit, etiam vt erat inſtitutum in memoriam eductionis populi Iſraëlitici de Ægyptiaca captiuitate, & circumciſio ceſſauit etiam, vt erat ſignaculum fidei diſtinguens Iſraëliticum populum à reliquis. Imò verò non ſolùm ceſſarunt præcepta cæremonialia veteris legis, ſed etiam iudicialia, quin & moralia ea ex parte, qua veteri lege fuerant præcepta. De tota quippe lege Paulus dixit; *tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat*, & de toto fædere veteris legis dixit, *dicendo nouum, veterauit prius, & auſert primum, vt ſequens ſtatuat*, & denique teſtimonia ſuprà relata de tota vniuerſim lege loquuntur. Dixi, quin & moralia ea ex parte, qua veteri lege erant præcepta: quoniam moralia præcepta in noua lege obligant, ſed non quatenus lege veteri fuerunt præcepta, ſed quatenus de iure ſunt diuino naturali, pertinentque proinde ad naturæ legem, in legeque noua ſunt quoq; præcepta. Quædã item iudicialia veteris legis præcepta iure canonico ac ciuili obligant, non quia fuerunt lege veteri præcepta, ſed quia tanquam conſona rationi, regiminique eccleſiaſtico aut ciuili accommodata, de nouo canonico aut ciuili iure ſancita ſunt. Iuxta hanc doctrinam accipienda ſunt, quæ Clemens lib. 6. Apoſt. Conſt. c. 22 & 23 tradit de ceſſatione veteris legis, & permanſione quo ad præcepta decalogi ac moralia.

Quamuis in concluſione, à nobis hactenus 4 ſtabilita, catholici omnes conueniant, in primis tamen fuit inter Hieronymum & Auguſtinum ſolemnis admodum controuerſia circa modum ceſſationis legalium, vt 2 tom. operum Auguſtini ab Epiſtola 8 vſque ad 19 conſtat. Hieronymus enim exiſtimauit, legalia vim ſuam vſq; ad Chriſti paſſionem retinuiſſe, fuiſſeque vſq; ad id tempus in præcepto. Exinde verò non ſolùm fuiſſe mortua, deſiiſſeque eſſe in præcepto, ſed etiam fuiſſe mortifera, ita vt nulli abſq; lethali culpa licuerit illa ſeruare, niſi inuincibili ignorantia excuſaretur ab ea culpa. Vnde negat Apoſtolos poſt Chriſti aſcenſionem ſeruaſſe legalia: ſed ait, pia quadam diſpenſatione ſimulaſſe ea ſeruare, facti Iudæis Iudæi, vt Iudæos lucrifacerent. Hinc vlteriùs ait, quando Petrus ad Galat. 2 legitur reprehenſus à Paulo, quia pia quadam ſimulatione ſe ſubtraxerat à conuerſis ex Gentibus, cum quibus antea cibos in lege prohibitos edebat, ne conuerſi ex Iudæis, qui à Iacobo aduenerant, ſcandalizarentur cernentes eum cum conuerſis ex Gentibus eis veſci cibis, in eo, quòd ita ſe ſubtraxiſſet, non peccaſſe. Neque item Paulum peccaſſe dum illum illo modo reprehendit: quoniam pia etiam quadam ſimulatione finxit ſe illum reprehendere ad tollendum ſcandalum, quod conuerſi ex Gentibus ex eo ſumpſerant, quòd viderent Petrum ſe illo modo ab eis ſubtraxiſſe, legaliaq; ſeruaſſe, quaſi legalium obſeruatio ad ſalutem eſset neceſſaria. Citat Hieronymus Epiſt. 11 citata autores huius ſuæ ſententiæ, quos ſe ait eſse ſequutum, Originem, Didymum, Apollinarem Laodicenum, quem ait nuper de Eccleſia egreſsum, Alexandrum veterem hæreticum, Euſebium Emiſſenum, Theodoretum, Heracleontem, & Ioannem Chryſoſtomum.

Auguſtinus verò Epiſtolis citatis, præſertim 19, tria diſtinguit tẽpora. Primum, vſq; ad mortem Chriſti, in quo legalia fuerint in præcepto. Secundum, inde vſque ad ſufficientem Euangelii promulgationem, non huic autẽ illi in particulari, ſed orbi: quod tempus aliquod perſeuerauit annis, cùm minimum vſque ad Hieroſolymitanam euerſionem quadraginta circiter annis poſt mortem Chriſti: quo tempore toto legalia quidem in præcepto non erant, licitum tamen ſolis conuerſis ex Iudæis erat ea ſeruare, non quidem ſpem in eis conſtituendo, quaſi ſine eis Chriſti gratia non ſufficeret ad ſalutem. Neq; item quatenus ſigna futurorum, quæ iam erant impleta, figuratiua, ſed quatenus lege veteri in Dei cultum inſtituta, atque eadem lege veteri præcepta aut prohibita. Dixi, ſolis conuerſis ex Iudæis licitum eo tempore fuiſſe illa

seruare: quoniam conuersis ex Gentibus licitum non erat ea tunc seruare: eo enim tempore illis dicebat Paulus; *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Tertium tempus erat, à sufficiente Euangelii promulgatione vsque ad finem mundi: quo tempore toto omnibus vniuersim est illicitum seruare legalia. Quo fit, vt Augustinus & Hieronymus in solo illo secundo, intermedióve tempore inter illa alia duo, dissentiãt: in reliquis verò duobus temporibus omnino consentiant.

Quanquam *Adrianus in.4.q.1.* acerrimè nitatur Hieronymum defendere, vt *Maior. ibidem. dist.3.q.1.* plus Augustino adhærendo, Hieronymum etiam defendat, inter scholasticos tamen Augustini sententia communiter recipitur, estque planè amplectenda. Primò, quoniam Scriptura sacra absolutè ac simpliciter narrat, Apostolos tempore illo intermedio seruasse legalia: ergo non fictè sed verè illa seruarunt, ac proinde licita tunc erant conuersis ex Iudæis. Secundò, quoniam si conuersis ex Iudæis illicitum eo tempore erat seruare legalia, sinè Apostoli peccarent simulando se illa seruare: suo enim exemplo in eo errore illos confirmabãt, illisq; occasio erant, vt in exequutione rei illicitæ perseuerarent: quod non licet, etiam ad vitandum scandalum: *Vtilius enim scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur*, vt ex *Bulla. c. si excandaliZauerit extra de reg. iur.* habetur. *Caiet. 1.2.q.103.art.4. Sotus.2. de iust.q.5.art.4. & in. 4. q.1.art.2.* & alii, referunt concilium Florentinum, post definitionem cessationis legalium Christi aduentu, addere; *Non tamen negat sancta synodus, à Christi passione vsque ad promulgatum Euangelium illa potuisse seruari, dum tamen minimè ad salutem necessaria crederentur.* Quibus verbis licèt concilium Augustini sententiam non definiat, in illam tamen vt in probabiliorem propendet. Suprà tamen dixi, me hactenus reperiisse eam definitionem, eáque verba in eo concilio post illam subiecta.

Ratio autem cur toto eo tempore conuersis ex Iudæis permissum diuinitus fuerit seruare legalia, est in primis, vt facilior illis esset conuersio ad fidem Christi: durum quippe admodum fuisset relinquere statim cæremonias omnes veteris legis, moresq; in quibus fuerãt nutriti: præsertim cùm valde emulatores essent legis Moysis: apostolis verò toto eo tempore docentibus non esse illis necessarium, sed solùm permissum seruare legalia, prohibentibusque conuersis ex Gentibus illa seruare, paulatim eos, successoresque illorum, assuefecerunt ad omnino relinquendum graue legis veteris iugum, atque ad conueniendum ac conuiuendum cum conuersis ex Gentibus ex solo leui iugo legis Christi, vt à quàm multis annorum centenis totus Christianus populus in eo solo viuit. Deinde verò ratio eiusdem diuinæ permissionis fuit, vt synagoga eorum mater debito cum honore, vt Augustinus Epistо. 19 citata ait, deferretur ad tumulum. Si enim Deus conuersis ex Iudæis statim prohibuisset obseruationem legalium, in suspicionem conuersorum ex Gentibus venire potuisset, cæremonias illas (quæ tamen à Deo fuerant institutæ ac præceptæ) non secùs malas fuisse, atque erant cæremoniæ, quibus ipsi idolis seruierant, Aquæ omnino eis statim fuerant prohibitæ. Postquam autem ita cum honore sepulta fuit synagoga, si post promulgatum orbi Euangelium vellent conuersi ex Iudæis denuo cæremoniis illis vna cùm Euangelio ac lege gratiæ vti, id iam profectò esset exhumare cineres synagogæ iam sepulti, vt idem Augustinus ibidem optimè ait, quod in dedecus potiùs quàm in honorem synagogæ semel omnino sepultę redundaret.

Illud verò est hoc loco obseruandum, etiam apostolos ipsos post Christi resurrectionem ad tempus latuisse legalium cessationem, vt Adrianus & Sotus locis citatis probè adnotarunt. B Quod planè colligitur apertè ex illo Actor. 10, quo in loco cùm Petrus Apostolorum Princeps iussus esset occidere & manducare de animalibus illis in linteo de cælo submissis, respondit: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune & immundum.* Paulus autem statim atque ad fidem fuit conuersus, & à Christo ipso apostolus fuit creatus, vt potissimùm inter Gentes Euangelium prædicaret, per Christique reuelationem Euangelium accepit, vt hæc omnia & alia sub iureiurando idem apostolus ad Galat. 1 affirmat, edoctus immediatè à Christo fuit, non ex operibus legis esse iustitiam, sed ex fide ac meritis Christi, legemque veterem ita cessasse, C vt à Gentibus nulla ratione esset seruanda, à conuersis verò ex Iudæis posset quidem licitè ad tempus seruari, iustitiæ spem non in illa sed in fide ac meritis Christi constituendo, non tamen teneri eos illam seruare: idque ipse cum Barnaba, ad id ministerium à Deo assumpti, inter Gentes docuerunt, qui (postquam Petrus Cornelium, domesticosque ac cognatos & necessarios illius amicos Cæsareæ baptizauit) primi docere ac conuertere Gentes cæperunt, vt constat Actorum 13 & capitibus sequentibus. A nonnullis autem ex conuersis ex Iudæis, qui plus iusto legem Moysis zelabant, doceri aduersus Paulum & Barnabam cæpit Antiochiæ, con- D uersos ex Gentibus teneri circumcidi ac seruare legem Moysi, neque illos posse aliter saluos fieri, vt Actorum 15 constat, resque ad Apostolos & seniores, qui erant in Ierusalem, fuit delata, qui, vt ibidem habetur, definierunt, id illis non esse necessarium. Cùm autem vbique gentium Paulus docuisset, conuersos ex Gentibus nec teneri nec posse licitè seruare legalia, (id quod in causa fuit, vt Paulus graues persequutiones à Iudæis pateretur) quidam ex conuersis ex Iudæis Galatas seducere cęperunt, eos teneri seruare legalia, nec aliter posse saluos fieri: autoritateque Pauli in docendo detrahere cæperunt, vt qui post Christi ascensionem fuisset E conuersus ad fidem, nec à Christo accepisset Euangelium, vt alii apostoli à Christo immediatè Euangelium acceperunt, standumq; esse potiùs consuetudini Ecclesiæ Ierosolymitanæ à Petro & Iacobo edoctæ, in qua cum Euangelio legalia seruabantur. Quod in causa fuit, vt Paulus ad Galatas scribens, ea de se & de suo Euangelio, ad Galatas confirmandos ac reuocandos ad veram fidem, diceret, quę in ea Epistola continentur, illaque sub iureiurando confirmaret. Nempe se à Christo immediatè fuisse creatum apostolum, & à Christo immediatè per reuelationem accepisse Euangelium, cui proinde adeò

non

non potest subesse falsum, vt si per impossibile ipse, aut angelus de cælo, nedum pseudoapostoli, qui Galatas peruertere conabantur, quicquam illi repugnans doceret, anathema illum pronunciet. Neque in sua doctrina, qua docet legalia cessasse, esse quòd auram quæreret popularem, hominibúsve placere intenderet, quin potiùs, si contrarium docuisset, grauissimas vitaret persequutiones à Iudæis, quòd legalium cessationem doceret, sibi illatas. Addit ipsum, qui adeò legis Moysis æmulator erat ante sui conuersionem, vt zelo obseruantiæ eius legis persequeretur ac deuastaret ecclesiam, & proficeret in Iudaismo tuendo supra omnes suos coætaneos, nequaquam docturum cessationem legalium, nisi à Deo accepisset illa cessasse. Deinde confirmat se non didicisse Euangelium ab aliis Apostolis: quoniam priùs euangelizauit Dei iussu, quàm ad Apostolos veniret: neque quando venit post tres annos à sua conuersione, ampliùs quàm quindecim dies fuit cum eis commoratus, neque tunc alios nouit, quàm Petrum & Iacobum, neque ecclesiis, quæ erant in Iudæa, erat notus ex facie, sed tantùm audierant conuersionem suam, eumque, qui antea persequebatur Ecclesiam, Euangelium prædicare. Deinde narrat, se post quatuordecim annos cum Barnaba, assumpto Tito, qui ex Gentibus ad fidem fuerat conuersus, secundùm reuelationem ascendisse Ierosolymam, contulisseque Euangelium, quod in Gentibus prædicabat circa cessationem legalium, cum iis, qui meritò in Ecclesia in magna habebantur reputatione, hoc est cum Petro, & Iacobo, & Ioanne, ne si ab eis discreparet, vt multi falsò ei imponebant, in vanum cucurrisset ac cucurreret, neque quicquam deuiare à tramite veteri Euangelii fuisse compertum, sed dexteras illi dedisse societatis quo ad Euangelii promulgationem, vt ipse & Barnabas potissimùm Gentibus euangelizarent: illi verò tres alii Apostoli Iudæis potissimùm euangelizarent. Aitque nec Titum, qui ex Gentibus conuersus fuerat ad fidem, fuisse Ierosolymis iussum circumcidi, tametsi id contendissent multi falsi fratres ex conuersis ex Iudæis, quibus in nullo cesserunt: eo quòd id consonum non esset veritati Euangelii. Verba autem illa de prædictis Apostolis, qui meritò ab omnibus in magna habebantur reputatione, *quales aliquando fuerint*, antea scilicet quàm ego ad fidem conuerterer, quòd videlicet fuerint magni ac sancti, ipse verò blasphemus & persequutor Ecclesiæ fuerim, vt aduersùs Paulum objiciebãt pseudoapostoli, contendentes apud Galatas ea ratione potiùs ipsos auscultare debere & sequi morem Ierosolymitanæ Ecclesiæ, quàm doctrinam Pauli, illa, inquam, verba proximè explanatum habent sensum: vnde subiungit Paulus; *nihil mea interest*, id parum inseruiunt, vt inde veritati Euangelii mei detrahatur. *Deus enim personam hominum non accipit*; vt scilicet alligatus sit distribuere sua bona pro qualitate & sanctitate personarum, quasi mihi indigno, dum ad fidem & apostolatum me vocauit, non potuerit, sicut & illis, reuelare cessationem legalium, & alia fidei mysteria.

Deinde narrat Paulus, cùm Petrus Antiochiam venisset, atque antequam ex Iudæa superuenissent à Iacobo quidam ex conuersis ex Iudæis, legalia cum conuersis ex Gentibus non seruaret, cum illis cibos lege veteri prohibitos edendo; vbi verò illi superuenerunt, timendum eorum scandalum, subtraxisse à conuersis ex Gentibus, non quantum par erat cauendo scandalum conuersarum ex Gentibus, qui inde arbitrari poterant tanquam ab adhuc immundis se ab illis subtrahere, necesseque illis esse veterem legem cum Euangelio seruare. Hoc factum Petri narrando, vt Paulus Galatis ostendat, quàm vera sit doctrina, quam eos docuerat, conuersos scilicet ex Gentibus nec teneri nec posse licitè seruare legalia, ait se *in faciem*, id est coram omnibus qui aderant, *ei restitisse*, eum scilicet quo ad id reprehendendo; *quia reprehensibilis erat*. Et *cum vidissem* ait, *quod in eo non rectè ambularent ad veritatem Euangelii*, tam scilicet Petrus, quàm qui cum ipso in eam simulationem consenserant, *dixi Cephæ coram omnibus: Si tu, cum Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo cogis Gentes Iudaizare?*

Vt suprà dictum est, Hieronymus cum doctoribus, quos pro sua sententia citauit, est arbitratus, neque Petrum in eo peccasse, in quo, vt proximè relatum est, fuit à Paulo reprehensus, neque Paulum eo modo illum reprehendendo peccasse: quoniam, inquit, pia simulatione id fecit ad vitandum scandalum conuersorum ex Gentibus. Augustinus verò cum Cypriano & Ambrosio, quos Epist. 19 pro sua opinione citat, censet Paulum nulla simulatione fuisse vsum, sed verè & ex animo Petrum reprehendisse, peccasseque Petrum, non quidem lethaliter, sed venialiter, eaque reprehensione verè fuisse dignum. Atque, quod ad doctores, quos Hieronymus pro sua sententia citat, attinet, inter alia sic Augustinus dicit: *Fateor caritati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, vt nullum eorum autorem scribendo aliquid erraße firmissimè credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate doctrinaq; polleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Et infrà subiungit, Paulum c. 2 Epistolæ ad Galatas sibi sufficere, vt cum omnibus eis autoribus opponat ac præferat, qui contrarium sentiunt. Neque enim cum veritate ac integritate, quæ in scripturis sacris est confitenda, eõsentit, vt Augustinus Hieronymo egregiè objicit, affirmare, Petrum tunc culpa caruisse, ob quam verè à Paulo fuit reprehensus. Cùm enim Epistola illa Pauli ad Galatas scriptura sacra sit, Paulusq; in ea non solùm narret, se in faciem Petro restitisse, sed etiam addat, *quia reprehensibilis erat*, in quo perspicuè affirmat eum fuisse reprehensibilem, consonum sanè veritati, quæ in ea scriptura est confitenda, non est, negare fuisse tunc in Petro culpam aliquam, ratione cuius verè esset reprehensibilis. Qua de causa doctores communiter post Augustinũ admittunt, fuisse tunc in Petro culpam aliquam, non quidem lethalem, sed venialem. Ea autẽ culpa non in eo fuit posita, quòd Petro fuerit tunc illicitum seruare legalia: cùm enim ex Iudæis esset, integrũ illi tunc erat seruare le-

galia, & ea non seruare, vt ostensum est, sæpeque ea non seruabat, cum Gentibus de cibis veteri lege prohibitis edens, vt constat ex hac ipsa Pauli reprehensione: dixit enim illi Paulus; *Si tu, Iudæus cùm sis, gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo cogis Gentes iudaizare?* In eo autem fuit Petri culpa posita, vt dictum est, quòd vt scandalum conuersorum ex Iudæis, qui à Iacobo superuenerant, vitaret, non satis cauit scandalum, quod conuersi ex Gentibus sumpturi erant, videntem ipsum subtrahere se ab eis, adeoq; solicitè coram conuersis ex Iudæis seruare legalia: inde enim arbitrari poterant, aut certè dubitare, num ipsis necessarium esset seruare legalia. Atque id est, quod Paulus ait: *Cogis Gentes iudaizare?* exemplo scilicet tuo. Vt enim doctor quidam in eadem Pauli verba rectè ait, *facta superiorum non tam inuitant, quàm subditos cogunt ad eorum imitationem.* Atque, vt Augustinus Epistola citata obseruat, plus in Petro Ecclesiæ capite humilitas enituit, qua benignè ac humiliter eam reprehensionem susscepit, quàm tantum dedeceat Apostolum venialis culpa, ob quam fuit reprehensus, quæ ex cura ac desiderio vitandi scandalum conuersorum ex Iudæis, eosque in fide conseruandi, ortum habuit.

Quòd si quis contra prædicta obiciat, Gelasium c. sancta Romana 15. dist. dicentem: *Illa sentimus, quæ beatum Hieronymum sentire cognouimus, non solùm de Rufino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fidei religione reprehendit.* Dicendum est, Hieronymum non reprehendisse contrariam doctrinam Augustini, Cypriani, & Ambrosii, quin & Pauli, tanquam hæreticam, sed **potiùs Augustino de** contrario admonuisse **ac redarguisse** Hieronymum: neque proinde hoc comprehendi inter ea, de quibus Gelasius ibi loquitur. Adde, solùm ibi probari, quæ tanquam hæretica Hieronymus reprehendit in aliis, quorum opera illo eodem capite non approbantur: opera autem Augustini, Cypriani, & Ambrosii, illo eodem capite approbantur, antequam de Hieronymo in illo mentio fiat.

5 Est deinde controuersia alia circa rem hanc de cessatione legalium inter Scotum & Gabrielem ex vna parte, & cæteros doctores scholasticos communiter ex alia. *Diuus* quippe *Th. 1. 2. q. 103. art. 3 & 4*, & tam ipse, quàm alii scholastici in 4. partim dist. 1. & partim dist. 3. supponendo baptismum ante passionem fuisse à Christo institutum, atque eo tempore **vsque ad** passionē fuisse solùm in consilio **& non in præcepto**, affirmant legem totam **veterem, ac** proinde circumcisionem, fuisse vsq; ad passionem in præcepto: in morte verò ac resurrectione Christi cessasse, ex indeque legem nouam cæpisse esse in præcepto: integrum tamen fuisse conuersis ex Iudæis seruare veterem legem vsque ad sufficientem Euangelii promulgationem, vt est dictum: post Euangelii autem sufficientem promulgationem nemini esse licitum seruare legem veterem.

Scotus verò *in. 4. dist. 3. q. 4.* quem *Gabriel ibidem dist. 1. q. 4. art. 3.* sequitur, consentiendo cum reliquis doctoribus, baptismum ante Christi passionem fuisse institutum, & vsque ad passionem non fuisse in præcepto, ab eis tamen dissentit, in primis circa baptismum, quoniam arbitratur fuisse in consilio non solùm vsque ad mortem ac resurrectionem Christi, sed etiam vsque ad solemnem Euangelii promulgationem, qualis in die Pentecostes Ierosolymis fieri cæpit. Cùm verò eiusmodi promulgatio Euangelii successiuè fuerit facta in orbe, priùs in vno loco quàm in alio, & priùs in quibusdam quàm in aliis, inde infert baptismum priùs in vno loco desiuisse esse in consilio, cæpisseque esse ibi in præcepto, quàm in aliis.

Deinde quo ad circumcisionem ab aliis etiam dissentit, quoniam circa illam quatuor distinguit tempora. Primum, à dato præcepto circumcisionis vsque ad institutionem baptismi: in quo tempore toto circumcisio fuit in præcepto Israëlitico populo & antecessoribus vsq; ad Abrahamum. Secundum, ab institutione baptismi vsque ad solemnem præcepti baptismi promulgationem: quo tempore toto ait circumcisionem fuisse Israëliticis in consilio, sicut & baptismus toto eo tempore, ex ipsius sententia, erat in consilio: in hoc tamen sensu, quòd sub præcepto erat circumcidi vel baptizari sub disiunctione eligendo horum alterum, vt vnusquisque potiùs vellet, baptismus tamen determinatè, aut circumcisio determinatè, non erat in præcepto, sed integrum erat alterum eorum, quod quisque mallet, eligere, aut etiam vtrumque suscipere. Tertium tempus, ait Scotus, erat à tempore, quo baptismi præceptum cæpit solemniter promulgari in aliquo vel in aliquibus locis, vsque ad sufficientem Euangelii promulgationem per orbem: quo tempore toto baptismus erat in præcepto eis in locis, & circumcisio neque in præcepto neque in consilio erat eisdem in locis. Licitū tamen tunc conuersis ex Iudæis erat circumcidi & seruare cætera legalia, vt Augustinus cōtra Hieronymum affirmat. Quartum denique tempus est à sufficiente Euangelii promulgatione per orbem vsque ad mundi finem, in quo nemini licèt circumcidi nec seruare cætera legalia.

Probat verò Scotus tempore toto, quo baptismus fuit in consilio, circumcisionem fuisse etiam in consilio, & non in præcepto. Primò, quoniam quando præceptum vnius tollit omnino præceptum alterius, consilium eiusdem tollit necessitatem illius alterius: sed præceptum baptismi omnino tollit circumcisionem, illam reddens omnino inutilem ac illicitam: ergo consilium baptismi tollit necessitatem circumcisionis, ac proinde eam relinquit solùm in consilio.

Secundò, si ad Christi aut Apostolorum prædicationem Iudæus aliquis ante Christi passionem baptizaret filium suum paruulum, eumq; non circumcideret, paruulus ille salutem sempiternam consequeretur, si ante vsum rationis ex hac vita migraret: quoniam per baptismum consequutus esset gratiam: ergo circumcisio non erat tunc illi necessaria. Quòd si quis dicat, patrem illius teneri tunc circumcidere eum suum infantem. Contrà, quoniam paruulus ille iam tunc habebat sufficiens remedium contra originis peccatum sibi applicatum, paterque illius id ita credebat: ergo non tenebatur applicare illi remedium circumcisionis.

Deinde probat Scot⁹ post resurrectionē baptismum

mum vnà cum circumcisione, modo suprà explicato, fuisse sub consilio vsque ad solemnem præcepti baptismi promulgationem, argumenturq; tertiò in ordine in hunc modum. Quoniam nullus se habet aliter nunc, quàm antea, comparatione alicuius legis quo ad obligationem illius, nisi aliter sit promulgata: sed baptismi præceptum à Christi passione, vsque ad solemnem prædicationem Euangelii in die Pentecostes per Apostolos factam, non fuit aliter promulgatum quàm antea: ergo quemadmodum baptismus ante Christi passionem fuit solùm de consilio, ita etiam fuit solùm de consilio toto eo tempore post passionem ante solemnem Euangelii promulgationem, patique ratione toto eo tempore circumcisio fuit etiam de consilio.

Quartò, Iudæi à passione Christi vsq; ad promulgationem præcepti baptismi tenebantur circumcidere paruulos suos, spem in circumcisione constituendo, vt antea faciebant; eo quòd eis non constaret de reuocatione circumcisionis: si ergo eo tempore baptismus fuisse in præcepto, abolitaque eo tempore esset circumcisio, sanè Iudæi tenerentur falsam decisionem habere opinionem: quod concedendum nulla ratione est.

Contraria tamen sententia, nempe legalia omnia morte Christi cessasse, atq; à puncto mortis Christi legem nouam ac potissimùm baptismum fuisse in præcepto, est nobis cum communi scholasticorum, quin & cum Augustino & Hieronymo, qui in hoc conueniant, amplectenda. Probatur primò, quoniam legalia, vt ex dictis constat, adueniente veritate, ad quam potissimùm significandam instituta fuerant, cessare debuerunt: fuerant autem potissimùm instituta ad significandum mysterium redemptionis nostræ per Christum futurum: cùm ergo in morte Christi fuerit consummatum; consequens profectò est, vt tunc cessare debuerint, & vt tunc reque ipsa cessauerint. Id quod, iuxta multorum expositionem, significare, Christus voluit, quando, vt Ioan. 19 habetur, antequam inclinato capite emitteret spiritum, dixit: *Consummatum est.* Atque in eiusdem rei signũ, Christo expirante, *Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum*, vt Matth. 27 habetur. Non itaque statim in aduentu Christi, impletisque in vita illius aliquibus ex figuris veteris Testamenti, lex vetus cessauit, sed consummato nostra redemptione morte Christi, lex vetus cessauit. Cùm autem non priùs lex vetus cessauerit, quàm incepit noua; quoniam alioquin populus ille Hebræus tempore aliquo neque lege veteri neque noua fuisset astrictus, quod esset valde absurdum; consequens sanè est, vt ab eodẽ temporis puncto lex noua inceperit. Atque cùm nullum alium præceptum videatur Christus instituisse magis ante mortem suam, seruandum tamen post suam mortem, quàm præceptum de baptismo suscipiendo, non solùm quoniam baptismus institutus à Christo fuit ante passionẽ, vsusque fuit eius baptismi ante passionem, vt Ioan. 3 & 4 constat, sed etiam quoniam est ianua Christianæ Ecclesiæ, nec priùs homines obligari debuerint ad Christianam Ecclesiam, iam plenè sanguine Christi stabilitam, ingrediendam, quàm ad ingrediendam in eam per ianuam, qua fidei Christianæ professio fit; consequens certè est, vt baptismus statim post passionem fuerit in præcepto: in quo autem sensu, infrà explanabitur. Non dixi totam legem nouam incepisse statim mortuo Christo: quoniam necesse non est omnia, quæ in lege noua immediatè à Christo sunt instituta, incepisse esse in præcepto statim à morte Christi. Si enim ante passionem non instituit Christus sacramentum pœnitentiæ, sed post resurrectionẽ, satis perspicuum est præceptum de illo suscipiendo non incepisse statim à Christi morte.

Secundò eadẽ sententia probatur, quoniam, vt ad Hebræos 7 habetur: *Translato sacerdotio, necesse est, vt & legis translatio fiat*: at sacerdotium Leuiticum translatum fuit in Christi sacerdotium secundùm ordinem Melchisedec in passione ac morte Christi, qui *assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redẽptione inuenta*, vt ad Hebræos 9 habetur: offerens quippe se ipsum in ara Crucis Patri, nobis omnibus æternam redemptionem inuenit: ergo in morte Christi lex vetus cessauit & incepit noua.

Tertiò, quoniam Testamentum nouum, legem continens nouam, morte Christi confirmatum est: dixit enim Christus in consecratione calicis, vt Matth. 26 & Marci 14 habetur: *Hic est sanguis meus noui Testamenti*, & vt Lucas 22 & Paulus 1 ad Cor. 11 referunt, dixit: *Hic calix nouum Testamentum est in sanguine meo*, & Paulus ad Hebræos 9: *Vbi*, inquit, *Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris: Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum viuit, qui testatus est*: ergo lex noua in Christi morte obligare cæpit: sed obligante lege noua, lex vetus obligare destitit, *quoniam abstulit prius, vt sequens statuat, & dicendo nouum, veterauit prius*, vt ad Hebræ. 10 & 7 habetur: ergo in morte Christi lex vetus desiuit, & noua obligare cæpit.

Addit glosa in illud ad Hebræ. 10: *Hostiam & oblationem noluisti*, exponens; *A tempore scilicet passionis: nam tunc illa displicere cæperunt, quando est completa veritas, cuius erant figuræ.*

Ad primum verò argumentum Scoti cum Adriano vbi suprà & cum aliis est dicendum, maiorem esse veram, quando præcepta sunt de rebus, quæ se inuicem non compatiuntur; vt quia vsus matrimonii & virginitas se inuicem non compatiuntur, sanè quemadmodum præceptum virginitatis omnino tolleret præceptum vsus matrimonii reddendo eum vsum illicitum, sic consilium virginitatis tolleret præceptum vsus matrimonii, & redderet eum vsum permissum, (Scotus enim in eo argumento permissionem circumcisionis appellat consilium) in re tamen, de qua agimus, neque circumcisio pugnat cum baptismo, & baptismus cum circumcisione, vt adueniente consilio baptismi ad tempus aliquod, non possit simul in idem tempus perseuerare præceptum circumcisionis, quod antea erat, & quod ex consilio baptismi non censeatur sublatum interim dum legalia alia non cessauerant, sed erant adhuc, vt antea, in præcepto.

Ad secundum, concesso antecedente, neganda est consequentia, si consequens intelligatur de necessi-

necessitate præcepti. Cùm enim præceptum circumcisionis nondum esset reuocatum, nec cessasset; eo quòd Christiana ecclesia, lexque noua seu Testamentum nouum, nondum sanguine Christi, generisque humani redemptione, essent stabilita, ac proinde nondum Testamentum nouum antiquasset vetus, ecclesiaque synagogæ nondum ecclesia esse desiisset, vtique pater illius sub reatu culpæ lethalis tenebatur circumcidere puerum illum, sicque Christus id illi efficere præcepisset; vt legalia omnia vsque ad mortem suam ipse seruauit, circumcidi ac præsentari volens in templo, ascendendo ad festa Ierosolymis celebranda, Pascha cum discipulis suis pridie quàm pateretur celebrando, & reliquas legis cæremonias obseruando, ac solicitè aliis præcipiendo vt illas seruarent, idque curando: leprosis enim à se mundatis præcipiebat ire ac ostendere se sacerdotibus, seruareque ea, quæ lex vetus circa id præcipiebat: & Matth. 23 docebat homines vt seruaret ac faceret, quæ Scribæ & Pharisæi ex cathedra Moysi illis præscriberent. Quin & puer ille, quatenus descendés ex Hebræis, tenebatur sub lethali culpa circũcidi, tametsi excusaretur ab ea culpa ignorantia inuincibili eius legis, eo quòd nondum ad rationis vsum peruenisset. Ad id verò, quod de patre illius in contrariũ vlteriùs objicitur, concesso integro antecedente, neganda est consequentia. Quoniam quamuis ad id non teneretur vt circumcisione originis peccatum, quod in eo iam erat deletum, ab eo auferretur, tenebatur tamen necessitate præcepti circumcisionis, quod nondum cessauerat. Sicut contritus de peccatis quamuis non teneatur ea peccata confiteri, vt deleantur, eo quòd iam illi sint remissa, tenetur tamen ea confiteri necessitate præcepti confessionis, sacramentiue pœnitentiæ: & parentes beati Ioannes Baptistæ quamuis scirent eum in vtero matris sanctificatum ac mundatũ esse ab originis peccato, tenebantur tamẽ illum circumcidere necessitate præcepti circumcisionis. Atque Abrahamus, cui præceptum circumcisionis fuit traditum, quamuis iustificatus iam esset ac mundus ab originis peccato, necessitate tamen præcepti tenebatur se & suos circumcidere. Maximè cùm circumcisio non solùm fuerit instituta in remedium peccati originis, sed etiam in signaculum iustitiæ fidei, quo populus ille peculiariter à Deo electus distingueretur ab aliis.

Ad tertium, quòd Scotus contendit, baptismũ etiam post mortem Christi neq; ad solemnem Euangelii promulgationem fuisse solùm de cõsilio, neganda est maior: quando enim lex statuta ac promulgata est seruanda à tali tẽpore venturo, vtiq; eo tempore adueniente obligare incipit ad sui obseruationem siue noua promulgatione, vt ex se est perspicuum. Christus autem ante suam passionem statuit præceptum de baptismo suscipiendo, seruandum tamen stabilita ecclesia Christiana ac lege noua, stabilitóve nouo Testamento sanguine ac morte sua, completoq; mysterio nostræ redemptiõnis: idq; promulgauit non solùm discipulis, sed etiam Nicodemo & Ioa. 3 constat, & fortè multis etiã aliis: vnde stabilitis Ecclesia ac Testamẽto nouo sanguine ac morte Christi, completoq; eodẽ sanguine ac morte Christi mysterio nostræ redemptionis, statim baptismi præceptũ sine noua alia promulgatione obligare cæpit: tametsi à culpa transgressionis illius ii omnes excusarentur, qui id præceptum aut illud pro eo tempore obligare inuincibiliter ignorabant, quales omnes vsq; ad diem Pentecostes videbantur esse, disponente id ita Christo sua sapientia ac prouidentia, vt vitarentur peccata, suauiusq; remedia legis gratiæ remediis legis veteris succederent, iuxta ea, quæ subjicienda sunt. Neq; vt lex aliqua obliget, necesse est eam deuenire in eorum omnium notitiam, quos obligat. Præceptũ quippe de suscipiendo baptismo totum orbem hodie re ipsa obligat, etiam eos qui illud inuincibiliter ignorant: hi tamen excusantur à culpa transgressionis illius ignorãtia inuincibili: quæ sanè non diceretur propriè illos excusare ab ea culpa, nisi ipsi, quando excusantur, tenerentur ea ipsa lege. Id quod possumus cõfirmare, quoniã qui id præceptum vincibiliter ignorat, non excusatur à culpa transgressionis eius præcepti: quod non aliunde prouenit, nisi quia præceptum, etiam ignorantes, obligat: hic verò non habet sufficientem ignorantiam, quæ ipsum à culpa transgressionis illius præcepti excuset, sicut sufficientem ad id ignorantiam habet, qui illud inuincibiliter ignorat. Quo fit, vt quemadmodum Euangelica lex non fuit à Christo lata in die Pentecostes, sed tunc orbi cæpit solemniter promulgari: sic ante diem Pentecostes cæperit omnes obligare, tametsi ante eum diem & post eum diem ignorantia illius inuincibilis à culpa trãsgressionis illius ita ignorãtes excuset.

Quidam affirmant legem baptismi ac nouam non habuisse vim præcepti nisi à puncto solemnis promulgationis illius in die Pentecostes: arbitranturq; id dicere Concilium Tridentinum de baptismo sess. 6. c. 4, quo in loco tradita descriptione iustificationis, *vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum Saluatorem nostrum.* Additur: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Id verò de baptismo & lege noua probant, quoniam promulgatio est de essentia legis, vt *sanctus Th. 1. 2. q. 9. art. 4.* docet: promulgatio autem solemnis nouæ legis facta est in die Pentecostes. Quod probant: Primò, quia lex vetus viguit vsque ad Christi mortem: ab eo autem tempore vsque ad Pentecostem, neq; Christus neq; apostoli publicè ad populum loquuti sunt. Secundò, non debuit promulgari solemniter lex noua, nisi completis omnibus mysteriis redemptionis: mysteria autem completa sunt in ascensione Christi. Tertiò lex vetus solemniter promulgata fuit in monte Sina die quinquagesimo post primum Pascha Iudæorum: ergo lex noua promulgari die quinquagesimo post primum Pascha Christianorum. Fuisse enim illam legis promulgationem, figuram promulgationis Euangelii, docent *Aug. Epist. 119. Leo serm. 1. de Pentecoste*, & alii. Quartò, concioni primæ, quam habuit sanctus Petrus Actorum 2 ipso die Pentecostes, conueniunt omnes conditiones promulgationis solemnis. Nam habita

bita est in vrbe Regia Ierosolymorum, præsentibus omnibus hominibus omnium nationum, vt Lucas testatur, à summo præcone Euangelii, qui erat Apostolus Petrus, & in ea concione comprehensa sunt præcipua capita totius doctrinæ Euangelicæ. Denique continuò etiam cæpit vsus Sacramentorum.

6 Arbitror tamen legem baptismi, legesque alias à Christo ante passionem latas, vt erat lex de sacra Eucharistia sumenda, statim à morte Christi habuisse vim præcepti, neque aliam ad id fuisse necessariam promulgationem, quàm quæ à Christo ipso dum viueret facta illarum fuit. Excusatos tamen à culpa transgressionis illarum eos omnes fuisse, qui ignorassent inuincibiliter vel latas fuisse à Christo eas leges, vel fuisse latas vt ab eo puncto obligarent, vt regulariter erant omnes in ea ignorantia, Deo id ita sua sapientia prouidente. Alioquin si lex noua ab eo puncto vim præcepti non habuit, sanè verum non esset, legem nouam in ratione legis ac præcepti à morte Christi incepisse, & veterem ab eo puncto desiisse, vt Patres & doctores alii communiter affirmant. Neque item esset verum, legem nouam Testamentúmve nouum antiquasse prius ac vetus Testamentum; vt Paulus ad Hebræos 8 & 10 affirmat, quin potiùs eo dato, Testamentum vetus antea desiisset toto eo tempore, quo fuit à morte Christi vsque ad diem Pentecostes, quàm nouum in ratione legis nouæ inciperet. Dicendum quoque consequenter esset, aliquo tempore, nempe à morte Christi vsque ad diem Pentecostes, fuisse populum Hebræum sine lege veteri ac noua in ratione legis ac præcepti, ac proinde sine vlla lege Dei positiua, quod est valde absurdum. Quod enim hi, cum quibus disputamus, dicunt; quamuis scilicet lex vetus eo tempore cessasset, ob ignorantiam tamen, quòd cessasset, obligasse toto eo tempore Iudæos: hoc, inquam, quod ita dicunt, sanè non satisfacit. Etenim id non est, legem illam eo tempore illos obligasse, sed conscientiam ipsorũ erroneam, quòd illa adhuc tenerentur, ipsos obligasse ad actus obseruantiamque illius legis, quę iam verè non erat, ipsosq; proinde non obligabat. Denique sententia, quam impugnamus, nihil differret à sententia Scoti quoad baptismum, nisi quòd illius autores videntur affirmare, baptismum incepisse esse omnibus in præcepto à die Pentecostes, Scotus verò affirmat, existentibus solùm in Ierusalem incepisse eo die esse in præcepto, reliquis verò prout temporis successu singulis populis diuulgabatur.

Verba autem illa Concilii Tridentini non intelliguntur de promulgatione Euangelii in die Pentecostes. Neque enim concilium ibi intendit definire, paruulos, qui extra Ierusalem à Iudæis in aliis locis, in quibus ea promulgatio inuincibiliter ignorabatur, sequenti die, hebdomada, aut mense, circumcisi fuerunt, atque ex hac vita ita discesserunt, saluos non fuisse: sed ibi loquitur concilium de promulgatione Euangelii facta sufficienter toti orbi, à quo puncto legalia omnia mortifera esse cæperunt, vt suprà dictum est: neque iam ab eo puncto ad diuinam attinebat prouidentiam supplere effectum iustificationis in illis, quibus circumcisio applicaretur, ignorantibus inuincibiliter A parentibus eorum Messiam venisse, legemque veterem cessasse, vt ad diuinam prouidentiam pertinuit eum iustificationis effectum supplere, non solùm à morte Christi vsque ad diem Pentecostes, sed etiam in multis, qui inuincibili ignorantia laborabant, vsque ad sufficientem Euangelii promulgationem factam orbi, de qua in eo loco concilii Tridentini est sermo.

Reliqua verò, quibus ii, cum quibus disputamus, nituntur, probant quidem expediens fuisse eam solemnem euangelii promulgationem fieri debere in die Pentecostes, misso in magna illa abundantia tunc de cælo Spiritu sancto in Christianam Ecclesiam: non verò B probant, eam aliam promulgationem baptismi & quarundam aliarum legum factam à Christo, non fuisse sufficientem, vt vim legum ac præceptorum haberent, statim ac Christiana Ecclesia & lex noua seu Testamentum nouum stabilita ac fundata esset sanguine ac morte Christi, generisque humani redemptione.

Ad quartum Scoti argumentum potest in primis negari, Iudæos tunc teneri ita ponere spem in circumcisione vt falsam haberent opinionem: quoniam non tenebantur habere hunc actum, & hoc inseruit ad iustificandum hunc puerum, sed satis esset id efficere animo C implendi præceptum circumcisionis ac mundandi puerum, sine vlla assertione falsa in intellectu. Adde, puerum, qui ita circumcideretur, verè tunc iustificari, satisque id innuunt Patres Concilii Tridentini definitione suprà relata, dum solum post promulgationem Euangelii definiunt neminem esse iustificatum sine baptismo re vel voto, apertè innuentes in illo intermedio tempore à morte Christi vsque ad promulgationem Euangelii, sine baptismo re aut voto potuisse aliquos iustificari: quod maximè habet locum in pueris Iudæorum, qui cum ignorantia inuincibili parentum ipsorum cessationis legalium, ac necessitatis baptismi, D circumciderentur, supplente tunc Deo effectũ iustificationis ad præsentiam circumcisionis, quæ iam vim non habebat, sed ad diuinam bonitatem ac prouidentiam spectabat perinde tunc iustificare fide, quæ circumcisione protestabatur, ac si adhuc circumcisio mortua non esset, sacramentique rationem non amisisset, nec infantes synagogæ, quæ illucusque vera fuerat ecclesia, ita subitò atque cum communi omnium ignorantia, etiam apostolorum antequam Petro linteo misso de cælo manifestaretur cessasse legalia, sine remedio manerent. Dici deinde ad id argumentum potest, Iudæos teneri tunc circumcidere pueros, non quidem E vi præcepti, quod antea ea de re latum fuerat à Deo, quoniam id præceptum cessauerat, nullamque iam tunc vim obligandi habebat, sed teneri ex sua conscientia erronea, qua, sine vlla sua culpa, credebant se adhuc illo diuino præcepto teneri: id verò non est, Deum obligare ad habendam falsam opinionem de circumcisione, sed non omittendum id, quod conscientia dictat, aut attentis circumstantiis concurrentibus dictare tenetur, omitti non posse sine Dei offensa: inde verò per accidens sequitur hominem aliquando teneri habere opinionem aliquam

quam falsam: quod sanè nullum est absurdum.

7 Sunt verò aduersus hactenus dicta quædam argumenta, quæ in maiorem lucem eorum, quę dicta sunt, erunt hoc loco proponenda ac dissoluenda.

Primum est, Iudæi ante passionem, visis tot ac tam stupendis miraculis Christi, tenebantur in illum credere, ac proinde tenebantur fieri Christiani: sed non poterant esse Christiani nisi suscipiendo baptismum, qui ianua est Ecclesiæ, & quo caracter Christianitatis imprimitur: ergo baptismus ante passionem fuit in præcepto.

Confirmare verò hoc possumus: Primò, quia si Gentilis aliquis visis Christi miraculis in illum crederet, teneretur tunc baptizari: ergo baptismus ante passionem erat in præcepto.

Secundò, quoniam Christus Ioan. 3. ante passionem dixit Nicodemo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et Fulgentius de fide ad Petrum c. 3: *Ex illo*, inquit, *tempore, quo saluator noster dixit: si quis renatus non fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, absque Sacramento baptismatis, præter eos qui in Ecclesia catholica sine baptismate pro Christo sanguinem fundũt, nec regnum cælorum potest quisquam accipere, nec vitam æternam:* ergo baptismus ante passionem fuit in præcepto.

Secundum est: Iudæi ante passionem seruare tenebantur alia Christi præcepta, vt præcepta de credendo in ipsum, fideque dictis illius adhibenda, iuxta illud Ioan. 15: *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent:* ergo lex noua ante passionem obligare cæpit.

Tertium, Christus Matth. 11 dixit: *Omnes Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt:* ergo à tempore Ioannis cessauit lex vetus, ac proinde non cessauit morte Christi.

Quartum, si Iudæus aliquis, ignorans post Christi passionem inuincibiliter baptismum, circumcideret paruulum suum, paruulus ille iustificaretur: durum quippe videretur, concedere Deum antequam constaret, quin & antequam constare Iudæis debuisset de Messiæ aduentu, & de remedio alio instituto ad delendum peccatum originis, abstulisse remedium circumcisionis: ergo circumcisio post passionem in remedium contra peccatum originis perseuerauit, ac proinde morte Christi non fuit abolita ac reddita inualida.

Quintum, Christus neque legitur vllam condidisse legem, neque item vllam legem reuocasse: ergo neque lex noua incepit morte Christi, neque item lex vetus morte Christi desiuit obligare.

Ad primum horum argumentorum, concedendum quidem est, Iudæos ante passionem astrictos fuisse credere in Christum, Christianosque fieri quo ad fidem: verumtamen negandum simul est, illos ante passionem astrictos fuisse insigniri per baptismum Christianitatis caracterе, fierique per baptismum integre ac perfectè Christianos: tãetsi multi ex iis, qui in Christum credebant, illum susciperent, baptizantibus illis Apostolis, vt Ioan. 3 & 4 habetur. Ratio autem, cur tunc astricti non fuerint susciperе baptismum, hæc est: Quoniam cùm vsque ad mortem Christi ac redemptionem generis humani Ecclesia Christiana, nouumque Testamentum, non essent stabilita ac plenè fundata, baptismus vsque ad eandem Christi mortem non erat in præcepto, sed solùm de consilio.

Ad primam confirmationem respondent *Sotus. 2. de iust. q. 5. art. 4. & Medina. 1. 2. q. 103. art. 4.* eum quidem Gentilem teneri tunc susciperе baptismum: quoniam cùm non posset circumcidi, tenebatur baptizari. Cæterùm cùm baptismus eo tempore non esset in præcepto, sed solùm in consilio, non video cur teneretur baptizari: susceptа quippe fide Christi, saluare poterat legem naturæ seruando, & vtendo remediis legis naturæ, non secùs atq; Iudæi, qui in Christum credebant, seruando ante Christi passionem legem veterem, saluabantur: duo enim illa ouilia legis naturæ (ad quam solam Gentiles tenebantur) & legis veteris æquè tunc vsque ad Christi mortẽ vim suam ad salutem retinebant. Fateor tamen, si quis gentilium tunc fidẽ Christi susceperit, vt Centurio, cuius famulum paralyticum Christus Matth. 8 Capharnaum à morbo liberauit, aut Cananea, verisimile esse, fuisse ab Apostolis baptizatos. Quod tamẽ contẽdimus est, ad id in rigore neque finis neque præcepti necessitate fuisse ante Christi mortem astrictos.

Ad secundam verò confirmationem dicendum est, Christum quidem id ante mortẽ suam dixisse Nicodemo, non tamen vt necessarium statim, sed post mortẽ suam quando legalia cessassent, vt *Bernardus Epist. 77 ad Hugonem* rectè exponit. Quemadmodum enim de Eucharistia antequam eam instituerit Ioan. 6 dixit Christus: *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*, imponens præceptum de Eucharistia sacra sumenda, non tamen necessariò seruandum statim, sed post illius institutionem ac mortem ipsius: ita præceptum baptismi statuit ac promulgauit ante mortem ipsius, non tamen necessariò seruandum ante mortem ipsius & ante Ecclesiam ac Testamentum nouum plenè stabilita, sed post mortem ipsius. Eodem autem modo accipiendum est, quod Fulgentius de fide ad Petrum dixit: accipit enim tempus quo, id est de quo illud Saluator dixit; *nisi quis renatus fuerit, &c.* dixit verò Saluator illud non de eo die, in quo id protulit Nicodemo, sed de tempore legis nouæ, hoc est, post suam mortem, vt explanatum est.

Ad secundum argumentum respondit *Sotus in. 4. dist. 3. q. 1. art. 2.* obligationem ad seruandum id præceptum nõ oriri ex peculiari Christi præceptione in lege euangelica, sed ex illo Dei præcepto Deut. 18: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui*, id est, qui homo sit visibilis sicut tu, & qui, sicut tu, legem eis tradat, *& ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego vltor existam.* Dici tamen meliùs potest, id præceptum de fide Christi amplectenda, tot miraculis ac attestationibus proposita, de iure esse naturali diuino latè sumpto, vt disp. 46 & 53 explanatum fuit.

Ad tertium dicendum est, ibi non esse sermonem de cessatione legis veteris, sed meo iudicio, sensus illorum verborum, iunctis proximè antecedentibus, hic est: *A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur, quia*

quia scilicet inde primordia aduẽtus Messiæ, leA gisque nouæ, noui ve testamenti cæperunt, quo tempore per Ioannem tanquam per prænunciũ & præcursorem Messiæ, per Christum ipsum, per apostolos suos, & alios euangelii ministros, verbo, exemplo, magnitudine ac multitudine miraculorum ac virtutum, vocandi homines vniuersim erant ad fidem Christi, atque ad vitam longè magis perfectam ac sanctiorem, quàm vnquam antea fuerint vocati, ad Ecclesiamve Christi militantem, ac simul ad triumphantem, quæ cum militante in vnam Ecclesiam ac regnum continuatur; & quo tempore Christus sanguine ac morte sua genus humanum erat redempturus, aperturusque erat iaB nuam regni cælestis, & quasi vim sanguine suo, morte ac meritis suis, hosti generis humani inferendo, ablaturus ab eo erat ius totum, quod in humanum genus Adami peccato comparauerat; hisque de causis Christus dixit, à diebus Ioãnis Baptistæ regnum cælorum vim patitur: quoniam quasi bello ac conflictu suo ac suorum cũ hoste humani generis regnum cælorum erat stabiliendum ac comparandum: ideoque subiungit, *& violenti*, legitimè cum diabolo, mundo, ac carne, certando, *rapiunt illud*. Atque hoc idem est, quod significant verba illa Lucæ 16, *Ex illo*, id est, ex tempore Ioannis, à puncto scilicet quo natiuitas illius per Gabrielem Zachariæ nunciata est, *regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud*, hoc est, ad illud ingrediendum, acquirendum, ac comparandum, *vim facit*. Est autem constructio accommoda, quasi dicat, ab illo tẽpore incipiũt homines vim & conatũ adhibere ad illud ingrediendũ ac comparandum: neque enim ante eam annunciationem fidem Christi præsentis, nouæque Ecclesiæ ac testamenti noui iam incipientis, habere homines cæperunt, sed omnium prima illam habere cæpit beata Virgo, dum angelo nunciante Christũ concepit, cui meritò Elisabeth dixit, *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino*. Mox verò illam habuit beatus Ioannes Baptista, dum in vtero ad virginis salutationem Elisabethæ factam fuit sanctificatus. Deinde illam habuerunt Elisabeth, Zacharias, à Ioseph, & deinde alii. Denique omnes, qui in id cælorum regnum vim modo explicato fecerunt, omnes illam fecerunt à tempore Ioannis, hoc est, ab annunciatione natiuitatis illius, ab illiúsve conceptione. Matthæi autem 11. post illa verba; *A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; continuò subiungitur: *Omnes enim prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt: & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est*, id est, ipse est prænuncius, qui primum Christi aduentum in spiritu & veritate Elias erat anteceſsurus, vt Lucæ 1. Gabriel angelus Zachariæ prædixit. Verba autem illa; *Omnes enim prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*; hunc habent sensum. Etenim status merus legis veteris & prophetarum fuit vsque ad Ioannem: à Ioanne autem status legis nouæ ac testamenti noui, tanquam à præcursore Messiæ, cæpit vnà cum illo, atque adeò à tempore Ioannis regnum cælorum vim patitur. Non dixit stabilitum ac fundatum est, vt priorem legis veteris statum euacuaret, sed dixit, *vim patitur*: quia scilicet inde vis cæpit illi inferri. Quo fit, vt verba illa; *Omnes prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt*; non significent in aduentu Ioannis, ante Christi mortem, legem veterem cessasse, suamque obligandi vim amisisse, vt tertio argumento contendebatur.

Pro solutione quarti argumenti est obseruandum. Vt suprà ex parte est dictum, quamuis baptismi præceptum à puncto, quo obligare cæpit, euacuauerit alia omnia remedia, quæ cõtra peccatum originis erant, nempe circumcisionem, & signum quo homines in lege naturæ fidem protestabantur, ad prouidentiam tamen diuinam pertinuisse, interim dum sufficienter Euangelium non erat promulgatum orbi, ignorantiaque erat inuincibilis præcepti baptismi, eoque euacuari remedia cætera contra peccatum originis, ipsummet Deum supplere effectum iustificationis ac emundationis à peccato originis, quem antea ad applicationem eorum remediorum Deus ipse efficiebat ratione fidei, quæ eis remediis protestabatur, maximè cùm in parentibus esset adhuc vera fides infusa, eamque remediis illis protestarentur: id quod satis innuunt Patres concilii Tridentini sess. 6. c. 4. dum definiunt, post Euangelium promulgatum nullum posse iustificari absque baptismo in re vel in voto: quibus verbis satis innuunt, à morte Christi vsque ad Euãgelii promulgationem potuisse pueros iustificari adhibitis eis remediis, quæ contra originis peccatum ante baptismum erant. Vnde non probo cuiusdam sententiam, asserentis, à puncto mortis Christi nullum omnino puerum fuisse iustificatum susceptа circumcisione, aut susceptо remedio legis naturæ contra peccatum originis. Iuxta id, quod pro solutione quarti argumenti obseruamus, est dicendum, vt succesſsiuè promulgabatur euangelium, depellebaturque in parentibus inuincibilis ignorantia, tam circa fidem Christi, quàm circa præceptum baptismi, desiisse pueros iustificari, applicata illis circumcisione, aut illo alio remedio legis naturæ contra peccatum originis, & à puncto, quo Euangelium sufficiẽter orbi fuit promulgatum, nullũ puerum sine baptismo, saltem sanguinis, fuisse iustificatum, vt concilium Tridentinum loco citato satis perspicuè definit. Ad argumentum ergo est concedendum, puerum illum in eo euentu iustificari, non quidem quòd circumcisio maneret adhuc in præcepto, aut in consilio, sed quòd ad prouidentiam diuinam pertinebat interim dum in Iudeis, aut in Gentilibus, erat ignorantia inuincibilis baptismi, Euangeliumque sufficienter non erat orbi promulgatum, paruulos eorum iustificare ad præsentiam circumcisionis, aut alterius remedii legis naturæ contra peccatum originis, vt antea iustificabantur: præsertim cùm parentes adhuc eis remediis veram suam fidem infusam protestarẽtur, inuincibili ignorantia eos excusante ab infidelitatis præcepto. Sotus arbitratur circumcisionem tũc solùm valuisse vt signum, quo homines in lege naturæ suam fidem protestabantur, & non vt circumcisionem: quoniam, inquit, vanida iam tunc erat circumcisio. Cæterũ cùm per Christi mortem & baptismi præceptũ non minùs remedium legis naturæ vim suam amise-

amiserit, quàm circumcisio, probabilius existimo valuisse, modo suprà explicato, vt circumcisionem. Quo fit, vt si ad applicationem circumcisionis pueris Hebræorum ante baptismum institutum plus gratiæ conferebatur, quam pueris gentilium conferretur applicato illis remedio legis naturæ, idem quoque esset in euentu de quo modò loquimur.

Ad quintum, quod ad priorem antecedentis partem attinet, constat eam falsam esse: quoniam leges baptismi & de sumenda Eucharistia condidit ante passionem, seruandas de præcepto post passionem, vt dictum est. Quod verò attinet ad posteriorem de reuocatione legis veteris, est dicendum, præterquam quòd Christus tempore suæ mortis, dicendo, *consummatum est*, satis innuit cessationem veteris legis, vt tamen *diuus Th. in 4. dist. 1. q. 2. art. 4. quæstiuncula 2. ad 3.* rectè ait, eo ipso, quòd Christus id impleuit, ad quod potissimùm significandum lex vetus fuerat instituta, illam cessasse, neque fuisse opus alia reuocatione.

In dubium reuocatur, num lex vetus defecerit in puncto mortis Christi, indeque lex noua inceperit; an potiùs in puncto resurrectionis Christi lex vetus cessauerit, & noua inceperit: eo quòd in puncto resurrectionis fuerit completum perfectè mysterium nostræ redemptionis, iuxta illud Rom. 4. *Traditus est propter debita nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Sotus art. 4.* citato anceps hac de re esse videtur: ait enim Patres pro eodem reputare tempus totum, quod fuit à Christi morte vsq; ad gloriosam ipsius resurrectionem. Cæterùm cùm dicendum non sit, tempore illo intermedio vtramque legem simul obligasse, nec item neutram, sanè vel est dicendum legem veterem obligasse vsque ad instans resurrectionis, indeque nouam incepisse, vel est dicendum legem veterem solùm obligasse vsque ad instans mortis, & inde nouam obligare cæpisse. Atque hoc secundum arbitror esse omnino dicendum. Tum quoniam Patres communiter affirmant, legem veterem in Christi morte cessasse. Tum etiam quoniam testamentum nouum, quod vetus antiquauit, in morte Christi testatoris confirmatum fuit, vt Paulus ad Hebræ. 9. ait. Tum denique quoniam lex vetus potissimùm fuit instituta ad significandam Christi mortem, sacrificiumque illius vitæ suæ propriæ patri æterno in redemptionem generis humani in ara crucis oblatum: aduenientе autem eo, ad quod significandum lex vetus fuit potissimùm instituta, cessare continuò lex vetus debuit, vt sæpe est dictum. Paulus autem ad Rom. 4. dixit, Christum resurrexisse propter iustificationem nostram, non quidem quasi resurrectione sua illam meruerit, ac proinde quasi tanquam causa meritoria illam resurrectione sua attingat: quippe cùm quando resurrexit nihil meruerit, nec esset iam in statu merendi, sed totum ipsius meritum fuerit passione atque antecedentibus suis operibus, morteque proinde, & non resurrectione, nos redemit, ac meritoriè nos iustificet: id dixit, tum quoniam resurrectione sua causa fuerit exemplaris nostræ iustificationis, qua de morte peccati in vitam spiritualem resurgimus: tum etiam quoniam resurrectio sua corroborauit fidem in ipsum, A qua tanquam radice ac fundamento iustificamur.

Postremò quæritur, num, post sufficientem 8
Euangelii promulgationem orbi factam, licitum alicui aliqua ex causa sit seruare legalia. Quæstio hæc potissimùm controuertitur propter eos Aethiopes, qui vulgò presbyteri Ioannis nuncupantur, de quibus est fama, simul baptizari ac circuncidi, circuncidi tamen ad Christi imitationem. *Caiet. 3. part. q. 37. art. 1.* ait, si circuncidantur spem in circunciſione collocando, quasi nunc proficiat, vt ante Christi mortem proficiebat, vel animo seruandi legem Moysi ad Christi imitationem, qui illam seruauit, estò ad id non teneantur, peccare illos lethaliter. Quoniam, inquit, id est seruare legalia, quod est prohibitum. Cæterùm, inquit, si id efficiant in hoc sensu ad Christi imitationem, quoniam sicut Christus voluit pro nobis sustinere dolorem circuncisionis, ita ipsi volùt similem dolorem pro Christo sustinere, nec intendant seruare legem Moysi ad Christi imitationem, qui illam seruauit, tunc illos in eo non peccare lethaliter: nisi fortè propter scandalum aliarum ecclesiarum, quibus occasionem præbent suspicandi eos iudaizare. Propendêre autem videtur Caiet. in excusationem eorum hominum a culpa lethali.

Sotus 2. de Iust. q. 5. art. 4. & Couar. 1. var. resc. c. 17. in calce. n. 1. censet, Aethiopes illos excusandos non esse à culpa lethali ob scandalum aliarum Ecclesiarũ, & Couar. periculosam appellat Caietani opinionem. Ego addo, cùm paruulos suos circumcidunt, qui nihil merentur perferendo dolorem illum circuncisionis, nullam esse excusationem illam, quòd perferre vult dolorem illum pro Christo ad illius imitationem: multaque alia sunt, in quibus cum merito & sine scandalo Ecclesiarum adulti iam effecti imitari, si velint, Christum possunt, quæ ad cæremonialia veteris legis non attinent. Addo, animo seruandi legem veterem, vnà cum euangelio, id, & multa alia, eos efficere, vt seruare sabbathum vnà cum die dominica, abstinere ab esu léporum, & aliorum lege veteri prohibitorum, eo intuitu, quòd legẽ veteri sint prohibita, vt ex relatione nostrorum, qui ad illos conuertendos inter illos commorati sunt, accepi. Quare nulla ratione excusandi sunt: tum ob scandalum aliarum Ecclesiarum: tum etiam quòd verè seruent legalia animo ea vt legalia seruandi, legeque veteri præcepta aut prohibita.

Supereſt respondeamus ad argumenta ini- 9
tio disputationis proposita. Ad primum respõdet diuus Th. 1. 2. q. 103. art. 3. ad 1. legem veterem quoad præcepta moralia esse in æternum: quo ad cæremonialia verò ac iudicialia esse in æternum, non secundùm se, sed quo ad veritates, quarum erant figuræ. Legitima tamen responsio est, quam *1. part. q. 10. art. 3. concl. 4.* cum Augustino & aliis tradidimus, nempe in scriptura sacra sæpe æternum aut sempiternum sumi pro re magnæ cuiusdam durationis, aut quæ licèt tandem finem sit habitura, finis tamen & terminus ei non præfigitur, vt variis testimoniis scripturę sacręid ibi comprobauimus: sic autem sumitur æternum ac sempiternum in duobus illis testimoniis in eo argumento relatis.

Ad

Ad secundum est dicendum, cùm Timotheus Atytis in idolorũ cultum, iuxta c. presbyteros 50 esset ex matre Iudæa, & Paulus natione esset Iudæus, licitum illis tunc fuisse seruare legalia ante sufficiẽtem Euangelii promulgationem orbi factam, vt dictum est. De Tito autem ait Paulus ad Gal. 2, *cùm esset Gentilis, non est compulsus circumcidi.*

Ad tertium dicendum est, ex quatuor illis, quæ in eo concilio conuersis ex Gentibus prohibita fuerunt, fornicationem simplicem ex se, iuréve diuino naturali, esse malam ac prohibitam. Ea verò de causa ibi eis prohibetur, quoniam adeò, dum Gentiles essent, vitiis mente caligauerant, vt existimarent eam malam ac illicitam non esse. Reliqua verò tria ad tempus B dumtaxat fuisse ibi illis prohibita, non tanquã iussa veteri lege, quippe cùm eodem ipso concilio fuerit definitum, eos non teneri seruare veterem legem, sed vt melius iniri commerciũ, fierique vnio in vnum populum Christianum posset inter conuersos ex Iudæis & ex Gentibus. Si enim conuersi ex Iudæis cernerent cõuersos ex Gentibus comedere ex carnibus idolis immolatis, suspicari possent illos Christianismo idololatriam præmiscere. Item cùm Iudæi, inter alia lege veteri prohibita, maximè sanguinẽ ac suffocatum tanquam cibum immundum abhorrerent, viderentque vtrumque ante legem veterem fuisse post diluuium Noë & posteris C omnibus illius prohibitum, de quorum numero Gentiles omnes etiam erant, horrerent valde, nimisque molestum ipsis esset, cernere conuersos ex Gẽtibus eo cibo edere, illosque parui penderent, ac proinde vnio & pax non rectè inter vtrosque seruaretur. Quando autem in eo concilio tria illa necessaria ab apostolis dicuntur, intelligunt, tum necessitate præcepti, quod ad breue tẽpus tunc quoad illa imponebant: tũ etiam necessitate finis, vt meliùs vnio ac pax inter vtrumque populum seruaretur. Paulus autẽ 1. Cor. 8. perspicuè docet, solùm ad tollendum scandalum populorũ prohiberi esum carnium idolis immolatarum, non verò quòd in eo esu D in se aliqua sit culpa: simulque prædicare ac docere cæpit, cessante eo scãdalo, licitum esse esum illarum carnium, idemque docuit Rom. 14.

Obiciet verò aliquis *c. si quis carnem. 30. dist.* quo in loco ex concilio 1. Gangrensi c. 2. habetur, *Si quis carnem manducantem ex fide*, id est, cum bona conscientia, *cum religione, præter sanguinem, & idolo immolatum, & suffocatum crediderit condemnandũ*, anathema sit. Ex quibus verbis videtur tempore illius concilii, anno 324 à Christi natiuitate, perseuerasse præceptum illud concilii apostolorum.

Item obiciet c. sicut satius 32. q. 4. quo in loco ex Augustino de bono coniugali habetur, satius esse fame mori, quàm idolotytis vesci.

Ad primum dicendum est, id concilium (vt ex Epistola illius proœmiali liquet) intendisse definire in eo capite, hæreticos eos esse, qui dicebant, illicitum esse comedere carnes, etiam alias ab immolato, sanguine, & suffocato. Quo fit, vt particula illa, præter, non excipiat hæc tria quasi eo tempore illicita, sed solùm posita in eo capite sit ad exprimendum causas etiam alias, de quibus hæretici illi loquebantur.

Ad secundùm verò dicendum est, Augustinum loqui ibi, quando quis cogitur vesci idolodist. Quòd autẽ eo modo sit intelligendus Augustinus, vel ex eo patet, quoniam cessante scãdalo & iniuria saluatoris, estò adhuc præceptum illud apostolorum perseueraret, licitum in extrema necessitate esset carnibus illis vesci: quippe cùm præceptum de conseruanda vita de iure sit naturali, & prohibitio illa solũ erat de positiuo iure: quando autem duo præcepta simul concurrunt, quorum vnum est de iure naturali, & alterum de iure positiuo, iuri naturali, quod præualet, est standum.

De iudicialibus veteris legis præceptis. Disp. 63.

SVMMARIVM.

1. *REpetuntur nonnulla priùs dicta circa iudicialia præcepta legis veteris.*
2. *Licèt omnia iudicialia præcepta spectantia præcipuè ad regimen reip. Christi morte cessârint, non prohibet aliqua horum vel in ecclesia Christiana vel in rebus publicis seruari, non quidem tanquam præcepta in veteri lege, sed tanquam congrua in se vt seruari possint.*
3. *Præcepta iudicialia veteris legis in quatuor partes distinguuntur, iuxta quadruplicem ordinem, qui in republ. cernitur.*

DIcendum consequenter est de iudicialibus 1
veteris legis præceptis in particulari. Disputatione autem 53 explanatum fuit, præcepta omnia iudicialia veteris legis de iure esse diuino positiuo, atque in eo à moralibus præceptis distingui, quæ sunt non de iure positiuo, sed de iure diuino naturali. Differre verò à præceptis cæremonialibus, quoniam illa quamuis essent etiam de iure diuino positiuo, ad cultum tamẽ diuinum pertinebãt: iudicialia verò ad regimẽ eius populi, etiam quatenus respublica erat secularis, attinebant. Et quamuis cæremonialia præcepta instituta fuerint à Deo, non solùm ad cultum ipsius, atque ad continendum eum populum cæremoniis illis, ne in idololatriam diffflueret, illumque in ipsius obedientia exercendum, sed etiam simul præcipuè ad figurandum ac significandum quæ tempore legis gratiæ erant futura: id tamen non tollit, quòd iudicialia eiusdem legis præcepta, quamuis ad regimen eius populi pro eo statu fuerint præcipuè instituta, aliquid nihilominus aliud in sensu spirituali interdum ex diuina institutione significarent.

Cessasse autem morte Christi præcepta omnia cæremonialia & iudicialia veteris legis, atq; E etiã moralia ea ex parte, qua veteri lege erant præcepta, licèt non quatenus de iure diuino sunt naturali, disputatione præcedente fuit ostensum: quoniam lex illa tota in id solum tempus fuit lata, quousque redemptio generis humani Christi morte fuisset completa, quam potissimũ ea lex figurabat ac significabat: atque quemadmodum per Christi mortem, qua in ara crucis se in sacrificium pro redemptione generis humani patri obtulit, præuia Messiæ sacrificii institutione, sacerdotium Leuiticum in Christi sacerdotium secũdùm ordinẽ Melchisedec fuit trãslatũ, sic quoq;, autore Paulo Hebræ. 7, legis

translatio fuit facta, cessauitq; proinde tota lex vetus, locoq; illius noua lex Christi successit.

2 Quia verò iudicialia veteris legis præcepta præcipuè ad regimen illius reipublicæ, etiã vt secularis erat, fuerunt à Deo lata, prout status eius legis ac temporis efflagitabat, tametsi aliquibus eorum aliquid aliud in sensu spirituali voluerit significari, nihil sanè prohibet, aliqua horum vel in ecclesia Christiana à summis Pontificibus, vel in rebuspublicis secularibus statui ac seruari, non quidem tanquam præcepta in veteri lege, & quasi vt præcepta in veteri lege non cessauerint, sed tanquam congrua in se, vt vel in Ecclesia vel in republica aliqua secularistatui ac seruari possint. Sic præceptum iuris humani est in Ecclesia, vt diuinæ ministris Ecclesiæ Christianæ soluantur, sicut diuino iure veteri lege solui præcipiebantur. Sic etiam matrimonium iure humano canonico prohibitum est contrahi inter consanguineos in aliquibus gradibus, vt iure diuino positiuo contrahi erat prohibitum in veteri lege. Sic quoq; quædam furta dupli aut quadrupli pœna aliquibus in rebuspublicis secularibus puniuntur, quæ etiam eadem pœna lege veteri puniebantur: iureque canonico ac ciuili quædam aliæ leges sunt statutæ, quæ lege veteri sancitæ à Deo etiam fuerant. Præcepta verò cæremonialia veteris legis, quoniam præcipuè ad aliud significandum tempore legis nouæ implendum fuerunt statuta, & tanquam ritus, qui pro statu eius legis ad cultum diuinum congruebant, nec pro statu legis nouæ vlla ratione congruunt, nefas omnino est iterum illa statui ac seruari, ideoq; non solùm mortua, sed & mortifera sunt, si hoc tempore seruentur, vt disputatione præcedente fuit ostensum. In hactenus dictis consentiunt diuus *Thom. 1. 2. q. 104.* cæteri doctores communiter.

3 *Diuus Th. q. 104.* citata, art. 4. optimè præcepta iudicialia veteris legis in quatuor partes seu membra distinguit, iuxta quadruplicem ordinem, qui in republica cernitur. Primus est, principum seu potestatum, qui capita sunt reipublicæ, comparatione inferiorum, inferiorũque superiorum comparatione. Atque inde resultat primum genus præceptorum iudicialium veteris legis, circa principum ac potestatum institutionem, munus eorum ac reuerentia & obsequia à subditis illis exhibenda. Secundus ordo est conciuium inter se, qualiter se habere debeant quoad actus, & quo ad alia, quibus pænis affici debeant, si inordinatè circa alios se gerãt, & quæ cum aliis conciuibus seruare debeant, & quomodo eorum controuersiæ componi debeant. Atque leges diuinæ positiuæ veteris legis, quæ circa hæc aliquid statuunt, pertinent ad secundum genus. Tertius verò ordo est, cõparatione externorum, indeque resultat tertium genus præceptorum iudicialium veteris legis, vt quo ad bella cum hostibus, quoad susceptionẽ peregrinorum & aduenarum. Quartus denique ordo est patrumfamilias comparatione suorum domesticorum, indeque resultat quartum genus iudicialium præceptorum veteris legis, quæ disponunt quoad vxores, & quo ad filios ac seruos. Hæc verò quatuor genera seorsim explicat ac explanat copiosè *diuus Th. q. 105. sequenti.* Nobis verò satis erit, dum de singulis sese obtulerit occasio dicendi, id explanare, quod ad eorum vnumquodque iudicabimus attinere, vt circa eorum aliqua id hactenus in nostris operibus iam editis fecimus.

A

B

C

D

E

De lege noua, Euangelicáve, ac gratiæ. Disp. 64.

SVMMARIVM.

1. *Lex gratiæ licèt quoad præcepta non iustificet, sacramenta tamen nouæ legis iustificant, quod veteris legis sacramenta non poterant: gratia verò est, quæ in lege noua longè copiosius iustificat, quam vnquam antea iustificauerit.*
2. *Lex gratiæ non fuit tradenda statim à principio mundi, nec verbũ diuinum statim a mundi principio incarnandum, sed tot sæculis præcedere debuit lex naturæ & lex scripta.*
3. *Lex gratiæ perseueratura est vsque ad finem mũdi, nec vlla alia post illam futura est.*
4. *Refutantur hæretici Cataphrygas & Manichæi, qui asserebãt promissionem aduentus Spiritus sancti non fuisse Apostolis impletam, sed per Spiritus sancti aduentum futuram aliam legem.*
5. *Refellitur argumentum probans, Euangelium Christi non esse Euangelium, sed futurum esse adhuc euangelium Spiritus sancti, quasi lex alia posterior futura.*

EXplicata huc vsque lege veteri, de lege noua ac gratiæ nunc pauciſſimis est dicendũ: eo quòd quid ea sit, & cur ita sit nuncupata, atque in quo à lege scripta atque ab aliis legibus differat, *disp. 46. à §. adueniente autem tempore*, &c. explanata sint. Lege item in eadem disputatione *a §. discedentibus verò*, &c.

Lex autem gratiæ licèt quo ad præcepta non iustificet, tametsi obseruatio eorum, ab homine iam iustificato emanans, causa sit augmenti gratiæ, ac proinde iustificationis non primæ; quod etiam de præceptis veteris legis disp. 60 est dictum; sacramenta tamen nouæ legis iustificant, quod veteris legis sacramentis denegabatur, etiam ad præsentiam circumcisionis in lege veteri, & ad præsentiam remedii legis naturæ cõtra peccatum originis, paruuli ratione fidei, quę eis remediis protestabatur, iustificarẽtur, vt eadẽ disputatione est dictum, & alibi copiosiùs est ostendendum. Gratia verò, quæ non solùm vi sacramentorum in noua lege confertur, sed etiã quæ post Christi aduentum ac mortem copiosiùs meritis eiusdem Christi tempore nouæ legis confertur, quàm vnquam antea tempore legis veteri aut naturæ fuerit collata, atque ad quam copiosiùs recipiendam maiora longè auxilia eiusdem Christi meritis conferuntur, quã vnquam antea fuerint collata, in aduentuque Spiritus sancti in die Pentecostes largissimè fuit effusa, & beatæ Virgini tempore incarnationis, ac Ioanni Baptistę dum in matris vtero fuit sanctificatus, & in aliis similibus euentibus, quorũ omnium donorum ratione Deus Ieremiæ 31 promisit se scripturum in mentibus & cordibus Christianorum legem Euangelicam, nouam, ac gratiæ, illa, inquam, gratia est, quæ in lege noua longè copiosiùs iustificat, quàm vnquam antea iustificauerit. Atque quod eam gratiam *diuus Thom.*

Th.1.2.q.106.art.2. cum Augustino de spiritu & litera ait legem nouam iustificare, quin & eandem gratiam appellat legem gratiæ quo ad id quod in lege gratiæ est præcipuũ, gratiáq; datâ iustis omnibus tẽpore legis scriptæ & naturæ pertinere affirmat ad legẽ gratiæ ratione Christi, cuius meritis collata est, quique post eas leges extitit, autorque est legis gratiæ. Et quia fide Christi explicita vel implicita iustificati sunt & iustificabuntur quotquot à lapsu Adami fuerunt iustificati atque in futurũ iustificabuntur, tanquã fundamento & radice iustificationis, legẽ gratiæ appellat Paulus legẽ fidei, quæ iustificat quoad caritatẽ & gratiã quæ ex ea fide vltimò ad eam dispositis confertur. Vnde ad Rom.3: *Iustitia*, inquit, *Dei per fidem Iesu Christi in omnibus & super omnes, qui credunt in eum: non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt & egent gratia Dei, iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propitiatorẽ per fide in sanguine ipsius.* Et infrà: *Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quã legẽ? Factorũ? Non. Sed per legẽ fidei.* Quę, vt ad Ga.5. idẽ Apostolus ait, *per caritatẽ operatur.*

2 Legem nouam non fuisse tradendam statim à principio mundi, nec verbũ diuinũ statim à mundi principio fuisse incarnandum, morteque, quo ad esse humanũ incarnatione assumptũ, nõ statim à principio mundi fuisse redemptum genus humanũ, ianuáque cæli sua morte hominibus aperturũ, sed tot seculis præcedere debuisse legẽ naturæ, & post eã legẽ scriptã, ac tandẽ hæc alia, ad tẽpus legis gratiæ attinentia, Dei misericordia fuisse sequenda; quãuis congruentiæ quædã reddi possint, vt scilicet à minùs perfecto ad id, quod perfectũ est, deueniretur, & vt mundus experientia tot seculorum suæ miseriæ meliùs intelligerer, quã necessaria illi esset gratia Christi, gratantiusque tanta beneficia acciperet, & vt, ad aduentũ Messiæ legẽque gratiæ meliùs suscipiẽda, variis præuiis figuris ac prophetiis mundus disponeretur; præcipuè tamen cur id ita diuina dispositione factum sit, incõprehensibilibus Dei iudiciis, quæ in semetipsis iustificata sunt, est relinquendũ: hæc enim omnia à beneplacito sanctissimæ suæ voluntatis pendent, qua sua sapientia ac ineffabili ptouidentia ita illa disponere voluit.

3 Legem autem nouã ac gratiæ perseueraturã esse vsque ad finẽ mũdi, nullãq; aliã post illam esse futurã, cõprobatur ex illo Baruch 2: *Et statuam illis testamentũ alterũ sempiternũ, vt sim illis in Deũ, & ipsi erunt mihi in populũ.* Matth.24: *Nõ præteribit generatio hæc*, Christianorum, vt exponit Chrysostomus, *donec omnia fiant*, & præmiserat, quæ futura erant in seculi mundique huius consummatione: quare lex gratiæ, quæ est Christianorũ, vsque in finem mundi est perseueratura, atque adeò nulla alia est futura post eam. Quin, estò eũ locũ exponamus de generatione hominũ, id est, de decursu huius mũdi toto quoad hominũ generationẽ, eorúmve successionẽ, sanè ex iis quæ præmiserat, nempe etiã tẽpore consummationis seculi perseueraturos fideles, acerrimeque tunc esse persequẽdos ac tentandos, constat legẽ Christi ad cõsummationẽ vsque seculi esse perseueraturam. Ac sanè si post legẽ Euangelicã nouã ac gratiæ alia esset futura, tẽpus legis gratiæ nõ verè diceretur nouissima hora, quia post eam alia Ecclesiæ militãtis hora esset futura: Ioan. autem 1. sua canonica c.2. ait, *Filioli nouissima hora est.* Idem comprobatur ex illis verbis formæ consecrationis calicis, *Hic est sanguis meus noui & æterni testamẽti*, ex quibus constat, post testamentum nouũ, nouamque legẽ, nullũ aliud testamentum nullamque aliã legem esse futuram: porrò verba illa de traditione Ecclesiæ, quæ *columna & firmamentum est veritatis*, constat à Christo fuisse prolata, eoque ipso, quòd forma illa ab Ecclesia est ita constituta, necesse est veritatẽ continere infallibilem. Potuit etiã Ecclesia id verbũ, æterni, formæ cõsecrationis addere, licèt apud Euangelistas non reperiatur ex testimonio illo Pauli ad Hebræ. vlt. quod hoc ipsum apertè cõfirmat, *Deus pacis, qui eduxit de mortuis pastorẽ magnum in sanguine testamenti æterni Dominum nostrũ Iesum Christum.* Idem confirmat egregiè *diui Th.* ratio 1. *2.q.106.art.4.* quoniam status nouæ legis succedit statui veteris legis, tanquã perfectus minùs perfecto: nullus verò status Ecclesiæ militantis potest esse perfectior, quã sit status legis gratiæ: eo quòd nullus status, qui ad vltimũ finẽ sempiternæ felicitatis Ecclesiæve triũphantis ordinetur, possit in Ecclesia militante esse perfectior, quã qui ad vltimũ finẽ Ecclesiámve triumphantẽ introducit: id verò efficit lex noua, ab ipso verbo diuino iam incarnato tradita, redemptoque iam genere humano morte Christi, eademque morte aperta iã ianua cælesti, vt qui expiàti omnino iã sint, cõtinuò cęleste regnũ ingrediantur. Vnde Paulus ad Hebræ 10: *Habentes itaque fratres fiduciã in introitu sanctorum sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouã & viuentẽ, accedamus*, ad eum scilicet. Et Christus Lucæ 23 ad latronem, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Quo fit, vt post legem nouam ac gratiæ nulla alia in militante ecclesia sit futura.

Hinc stultitia hæresum Cataphrygarum & Manichæorum confutatur, qui in hoc conuenie- 4
bant, promissionẽ aduentus spiritus sancti non fuisse apostolis impletam, sed per spiritus sancti aduentũ, qui omnẽ doceret veritatẽ, futurã aliã legẽ. Et quoniam liber Actorũ apostolorum adimpletã apostolis manifestè cõmemorat, idcirco librũ illum non admittebant, vt autor est Aug. de vtilit. cred. c.3. & lib. 19 contra Faustum c. vlt. Cataphrygæ autem Montanũ, suæ sectæ cum duabus illius prophetissis Prisca & Maximilla autorẽ, spiritum sanctũ paracletum affirmabant, vt apertè Augustinus de hæresib. ad quod vult Deum hæresi 26 affirmat. Vnde nõ video vnde *Sotus 2.de iust.q.7.art.4.ad 1.* dictus asseuerit, non tantam blasphemiam illos affirmasse, sed solùm affirmasse aduentum spiritus sancti in Montano & duabus illius prophetissis fuisse impletam. Manich eiautẽ suum Manichæum affirmabãt fuisse spiritum sanctũ, vtidẽ Augustinus ibidẽ hæresi 46 affirmat, & consentit Sotus vbi suprà. Hi verò non solũ libro Actorum Apostolorum, capite præsertim 2, apertissimè confutantur, sed etiã Ioannis 14, 15, & 16, quibus in locis ipsi met apostolis, vt in ipsis sit, eos doceat, & vt ipsos aptos ad testimonium de Christo reddendum, promittitur. Atq; Ioan.14; *Vt maneat vobiscum.* Et paucis interiectis, *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos ma-*

nebit, & in vobis erit. Atque idem Ioannes c. 7. ait: *Nondum erat spiritus datus, quia nondum Iesus erat glorificatus*: quibus verbis apertè docet, statim glorificato Christo resurrectione ac adscensione in cælum, spiritum sanctum apostolis & ecclesiæ fuisse datum. Porrò docuit apostolos omnem veritatem, quam ipsos scire oportebat, Ecclesiæque assistit, vt non erret in omni veritate definienda, quam in Ecclesia sit opus definire.

5 *Diuus Th. art. 4.* citato hoc conficit argumẽtum: Dominus Matth. 24 dicit, *Prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio*: sed Euangelium Christi iã diu est prædicatũ in vniuerso orbe, iuxta illud Pauli ad Rom. 10: *Sed dico. Nunquid audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: nec tamen adhuc venit consummatio: ergo Euangelium Christi non est euangelium regni, sed futurum est adhuc euangelium Spiritus sancti, quasi lex alia posterior.

Ad hoc respondet, cùm Christus in principio suæ Euangelicæ prædicationis dixerit, *Appropinquauit regnum cælorum*, stultissimum esse affirmare Euangelium Christi non esse Euãgelium regni, sed post illud futurum esse aliud. Quod verò attinet ad locum illum Matth. 24. Chrysostomus intelligit, tempore apostolorum prædicatum fuisse euangelium in vniuerso orbe, iuxta Pauli testimonium, quia fama peruenerat ad vniuersum orbem tunc cognitum: & nomine consummationis, quam post eam prædicationem prædixerat Christus futuram, intelligit excidiũ Ierosolymitanum. Mihi plus probatur sententia Augustini Epist 78 & 80 in fine, (vtraque est ad Hesichium) pro qua sententia citat etiam Hieronymum, locum videlicet illum intelligendum esse de consummatione seculi, nec priùs illam futuram, quàm Euangelium in vniuersis nationibus ac locis promulgetur, aitque Augustinus Epist. 80 citata, suo tẽpore nondum euangelium fuisse promulgatum aliquibus nationibus in interiori Africæ parte. Atque cùm nostris seculis inuenta fuerit quarta orbis pars, longè maior quàm tres aliæ antea cognitæ, ad quam nostris seculis prædicatio Euangelii est delata, nec dumque in tota ea parte Euangelium sit promulgatum, quin & nauigationibus varia loca alia indies reperiantur, ad quæ Euangelium nunquam fuit delatum, ad interioraque earum nondum in multis earum Euangelii prædicatio deuenerit, constat sanè vsque ad hanc diem eam prædicationem in vniuerso orbe, quam Christus antecessuram consummationem seculi prædixit, nondum esse completè factam. Optimè autem Augustinus locis citatis ait, quamuis ex eo Euangelii testimonio constet consummationem seculi non priùs esse futuram, quàm Euangelium modo explicato in vniuerso orbe prædicetur, ex eo tamen loco non haberi, continuò post eam prædicationem completã futuram esse seculi consummationẽ, neque quanto tempore, paruo videlicet aut magno, post eam prædicationẽ completam, seculi consummatio sit futura. Ad testimonium verò Pauli ad Rom. 10. ex Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, quod Paulus in sensu spirituali attulit, quem locus ille verè habet; tametsi in sensu literali de cælis, ornatu, lumine, vi, motuq; ordinatissimo eorũ, maximè solis, qui diurno suo motu ad motum primi mobilis, ac suo proprio motu per Zodiacum, diẽ efficit ac noctem, quatuorque anni tempora, is locus apertè intelligatur; ad id, inquam, Pauli testimonium, eum locum ex Psal. 18 in sensu spirituali referentis de apostolis & aliis euangelii prædicatoribus, qui gloriam ac excellentiã Dei, tanquã alii cæli, longè feliciùs quàm materiales cæli, annunciant ac per totum orbem deferunt, est dicendum, citari ac afferri eam prædicationem tanquam cæptam, & iam tunc per magnam orbis partem delatã, ita vt notitia illius ad Iudæos omnes vbique gentium commorantes, & ad Gentiles omnes magna ex parte deueniret, nõ tamen tanquam omnino iam tunc completam. Loquitur verò Paulus per verbum præteriti tẽporis, exiuit, quoniam id verbum habebat testimonium Dauidicum longè antea à Dauide prolatum, atque in sensu literali verè ab ipso prolatũ, & in spirituali iam tunc magna ex parte impletum: & quoniam non est inconsuetum in literis sacris, quæ prædicuntur futura, commemorari vt iam completa in persona eius, in quo dicuntur iuxta illud in persona Christi longè antea à Dauide dictum, quàm fuisset factum; *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Adde, dici optimè posse, Paulum de suo, & non ex testimonio Psal. 18, quod non citauit, verissimè per hyperbolem dixisse ea omnia verba; *Sed dico. Nunquid non audierunt. Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum*, ministrorum scilicet prædicationis Euãgelii, *& in fines orbis terræ verba eorum.* Nam iam tunc adeò denunciatum erat euangelium, vt verissimè potuerit id à Paulo per nonnullam hyperbolem dici.

Vtrùm lex noua fuerit alia à veteri. Et num iusti veteris testamenti filii fuerint Dei adoptiui. Disp. 65.

SVMMARIVM.

1. *Quamuis lex noua & vetus ad eundem finẽ vltimum sempiternæ felicitatis fuerint ordinatæ, simpliciter tamen diuersæ sunt, quatenus pro ratione diuersi status ecclesiæ tempore legis veteris ac nouæ diuersa alia præcepta lege vtraq; lata sunt, in seq; comprehendunt.*
2. *Opinio aliquorum probantium iustos veteris testamenti non fuisse verè filios Dei per adoptionem, sed tantùm per figuram.*
3. *Sed probabilior opinio, iustos veteris testamenti ac legis naturæ verè fuisse filios Dei adoptiuos.*
4. *Refellitur prior opinio negantium, & omnia argumenta dissoluuntur.*

QVod ad primũ attinet, quamuis lex noua & vetus ad eundem finem vltimum sempiternæ felicitatis fuerint ordinatæ, communicauerintque in præceptis legis naturæ, quã vtraque includit, & in aliquibus aliis, fidei, spei, & caritatis, tametsi aliquãtulũ quo ad credẽda variatis, vt disp. 46 & aliis sequentibus explanatum est, eaq; apertè, qua ita conueniũt, distin-

distinctæ non sint, simpliciter tamen diuersæ A *omnes: vos autem sicut homines moriemini.* Deut. 32; *Peccauerunt ei, & non filii eius in sordibus,* id est, peccauerunt ei filii quidem, sed non in sordibus, hoc est, non vt sordibus peccatorum se inquinauerunt. Isaiæ 1, *Filios enutriui & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Item multi ex iustis antiquæ legis, & legis naturæ, fuerunt prædestinati, illi scilicet omnes, qui vitam in gratia finierunt, vt est notissimum: sed prædestinati omnes sunt prædestinati in filios adoptionis, hoc est, in hæredes vitæ æternæ; eis non per naturam debitæ, sed per gratiæ adoptionem: vnde Paulus ad Eph. 1; *Elegit nos in ipso ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti & immaculati in cõ*B*spectu eius in caritate. Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suæ.* Et ad Rom. 8: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Item filiorum adoptio non est aliud, quàm ius ad paternam hæreditatem ex gratia adoptantis: sed iusti veteris & naturæ legis ius habuerunt ad paternam Dei hæreditatem ex eiusdem Dei gratia, vt fides docet: ergo verè fuerunt filii Dei adoptiui. Præterea iusti antiquæ legis ac legis naturæ, quos Christus glorioſos in limbo efficit, indeque eduxit, hodieque cũ ipso in cælo regnant, verè sunt filii Dei, paterna Dei C hæreditate donati: ergo dum viuerent, & dum ex hac vita decesserunt, verè etiam erant Dei filii per gratiam: nemo quippe est in cælo filius Dei, nisi priùs in hac vita filius eiusdem Dei fuerit per gratiam adoptionis, veste scilicet nuptiali gratiæ & caritatis in militante Ecclesia vestitus.

Augustinus se ipsum, & per consequens cæteros Patres, qui contrarium videntur asserere, explicans, lib. 3. contra duas Epist. Pelagianorũ c. 4. ait, justos omnes veteris legis, & legis naturæ, quatenus fide & gratia gratum faciente, & non ex lege veteri atque factorum, iustificati sunt, ad legem fidei, quæ per gratiam iustificat, D attinuisse, fuisseq; filios Abrahæ per repromissionem, natosque esse non ex ancilla, sed ex libera, ad nouumque attinuisse testamentum, & per consequens filios Dei adoptiuos fuisse: quatenus verò legé factorũ veterémve seruabant, quæ terroribus & cõminationibus data est, ex metuq; illã seruabant, fuisse filios ancillæ, attinuisseq; ad vetus testamentum: neq;, vt sic præcisè, filii fuerunt adoptionis, nisi typicè ac in figura, quatenus ea lex typus figuraq; erat Christi ac eius gratiæ, per quam est vera adoptio filiorum Dei in omnibus, qui à lapsu primorum parentum iustificati sunt.

Ad primum ergo argumentum in cõtrarium 4
E concesso antecedente, neganda est consequentia: quoniam iusti antiquæ legis, præter legem terroribus illis ipsis data, acceperunt donum fidei & gratiæ gratum facientis, per quam ius ad vitam æternam habuerunt, filiiq; Dei adoptiui fuerunt: licèt non tam perfecta adoptione, quã perfecta est tempore legis gratiæ. Tum quia illa ala adoptio, vt meritis Christi venturi data est, sic etiã à Christo venturo meritisque illius futuris pendens erat: adoptio verò iustorum tẽpore legis gratię datur ob Christum, meritaq; Christi iã existentia. Tum etiã quoniam illa, eo quòd pretium nostræ redemptionis nondum esset

2 Quod verò ad secundum attinet, non defuerunt qui arbitrarentur, iustos veteris testamenti non fuisse verè filios Dei per adoptionem, sed solùm typicè ac per figuram. Id autem suadere conantur.

Primò, ex illo ad Rom. 8: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*: ergo, autore Paulo, iusti antiquæ legis non habuerunt spiritum adoptionis filiorum.

Secundò, vetus testamentum in seruitutem generabat, nouum verò in libertatem filiorum: ad Galatas enim 4. ait Paulus: *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suũ factum ex muliere, factum sub lege, vt adoptionem filiorum redemptionis reciperemus*: ergo ante Christi aduentum non erat filiorum adoptio.

Tertiò, Ioannis 1. de Christo dicitur: *In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestate filios Dei fieri, his qui credũt in nomine eius*: ergo ante Christi aduentũ non erat talis potestas. Quod idem Ioan. 1. sua canonica c. 3. apertè significasse videtur, dicens: *Videte qualem caritatem dedit nobis pater, vt filii Dei nominemur & simus.*

Quartò, quoniam sunt multa sanctorum Patrum testimonia Ambrosii, Aug. Cyrilli, Athanasii, Chrysostomi, Theophylacti, & Oecumenii, quæ in illud Isaiæ 1. *filios enutriui*, Leo Castrus refert, aperteque significare videntur, Iudæos non verè, sed Typicè & quoad figuram filios Dei fuisse appellatos.

Quintò, quoniam vbi non est regeneratio, nec est filiatio: sed in veteri testamento non fuit regeneratio in filios Dei: eo quòd baptisma, quod est sacramentum regenerationis, iuxta illud Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & illud ad Titum 3, *Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis*, non fuerit in veteri testamento: ergo in veteri testamento non fuit adoptio filiorum Dei.

3 Est tamen procul dubio affirmandum, iustos veteris testamenti ac legis naturæ verè ac propriè fuisse filios Dei adoptiuos. Paulus enim ad Rom. 9. de filiis Israël ait, *Quorum adoptio est filiorum.* Ad Gal. 4: *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus a patre: ita & nos, cùm essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus seruientes.* Quibus verbis apertè docet, Israëlitas verè fuisse filios Dei per adoptionem & hæredes vitæ æternæ, quod est esse filios Dei per adoptionem, iuxta illud ad Rom. 8: *Si filii, & hæredes: hæredes quidem Dei*, hoc est, bonorum ipsius, *cohæredes autem Christi*: cæterùm si cum tempore legis gratiæ conferantur, quæ tanta abundantia donorũ spiritus sancti scripta est in mẽtibus & cordibus fidelium, quasi seruos & paruulos fuisse à Deo tractatos. Psal. 8; *Ego dixi, dii estis, & filii excelsi*

esset solutum, neque morte & meritis Christi ianua regni cœlestis esset aperta, non introducebat, nec introducere poterat in hæreditatē paternam ac cœlestem, ad quam erat adoptio, donec Christus moreretur: adoptio verò iustorum legis gratiæ, statim post mortem eo ipso, quòd nihil manet iam igne expurgatorio expiandum, in cœlestem hæreditatem introducit; eo quòd morte ac meritis Christi ianua regni cœlestis sit iam aperta. Tum denique quoniam abundantior est adoptio tempore legis gratiæ, quàm fuerit aliis temporibus, ob maiorem gratiam, maioraque dona collata Christi fidelibus pro soluto pretio nostræ redemptionis, quàm antea conferrentur, maioremque ac liberiorem fi- B liorum visceribus habeamus accessum ad patrē per Christum, quàm vnquam antea iusti habuerint.

Ad antecedens secundi argumenti est dicendum, quamuis vetus testamētum in seruitutem generaret, quatenus vi solius legis homines nō iustificabantur, iustificatioque & adoptio tunc pendens erat à Christi meritis adhuc futuris; nihilominus meritis Christi adhuc futuris, ac fide in illum, saltem implicita, homines multos, tū legis veteris tum etiam legis naturę, iustificatos ac adoptatos in filios à Deo fuisse; tametsi non tam perfecta ac completa adoptione, quàm perfecta & completa est adoptio tempore legis gra- C tiæ ob rationes in solutione ad præcedens argumentum explanatas. Vnde ad secundum argumentum, concesso antecedente, neganda similiter est consequentia.

Ad tertium, concesso similiter antecedente, neganda est consequentia. Quoniam virtute meritorum eiusdem Christi quæ erant adhuc futura, erat ante ipsius aduentum eadem potestas, licèt non tam copiosis adeoque potentibus auxiliis, quàm post Christi aduentum ad id data hominibus sunt. Id etiam, quod ex 1. canonica c. 3 adducitur, intelligitur de iustis omnibus, qui à lapsu primorum parentum fuerunt: tametsi abundantiori gratia nominantur ac D sunt Dei filii iusti temporis legis gratiæ, quàm fuerint ac nominati sint iusti temporis legis scriptæ ac naturæ.

Ad quartum est dicendum, exponenda esse ea omnia testimonia ea præcisè ex parte, qua legē veterem seruabant, quæ typus erat Christi & gratiæ per Christū conferendæ: non verò quatenus fide Christi futuri, & gratia meritis eiusdem Christi adhuc futuri ipsis tunc collata, iusti erant: sic enim quemadmodum verè ac propriè erant iusti, sic etiam verè ac proprii erant filii Dei adoptiui.

Ad quintum est dicendum, quamuis baptis- E ma sacramentum regenerationis nuncupetur, quoniam institutum est velut ianua, qua in ecclesia homines ingrediantur, & vt per gratiam, quam paruulis & adultis Christi meritis confert, regenerentur quoad esse gratiæ ac filiorū Dei adoptiuorum, & vt eo professio fidei ac religionis Christianæ fiat, rationeque caracteris, quem imprimit, homines perfectè fiant de ecclesia; nihilominus generationem, quo ad esse gratiæ atque quoad esse filiorum Dei adoptiuorum, multis etiam aliis modis fieri, vt est perspicuum. Vnde ad maiorem quinti argumentum est dicendū, si in ea regeneratio sumatur presse Apro ea sola, quæ fit per baptismum, maiorem esse falsam: quoniam quemadmodum gratia gratum faciens multis aliis modis tempore legis nouæ, veteris, ac naturæ, comparatur, sic etiam adoptio filiorum Dei multis aliis modis acquiritur. Si verò regeneratio in ea maiori sumatur pro quacunque gratiæ gratum facientis acquisitione, concedenda est, sed neganda est tunc minor. Probatio autem minoris loquitur de regeneratione presse, quæ per solum fit baptismum.

Vtrùm lex noua veterem legem impleuerit, in eáque fuerit contenta. Et num lex vetus grauior noua sit. Disp. 66.

SVMMARIVM.

1. *Duo in veteri lege ad rem præsentem spectantur, finis scilicet legis & præcepta. Finis est duplex, vnus communis illi cum lege noua, nempe per iustitiam perducere omnes ad vitam æternam. Alter illi peculiaris, adumbrare scilicet ea, quæ in lege noua erant futura.*
2. *Lex noua legis veteris priorem finem impleuit, per iustitiam scilicet omnes ad vitam æternam perducendo.*
3. *Lex noua ac Christus impleuit etiam posteriorem finem veteris legis, adumbrare scilicet ea quæ in noua lege erant futura.*
4. *Præcepta omnia veteris legis Christus pro loco & tempore facto exactissime, interim dum vixit, adimpleuit.*
5. *Lex noua quoad illa, in quibus cum veteri omnino communicabat, vt quoad præcepta moralia, simpliciter in illa continebatur: quoad reliqua continebatur tanquam perfectum in minus perfecto: quoad fidem, continebatur implicitè.*
6. *Lex vetus difficilior impletu fuit quam noua, propter multitudinem præceptorum eius legis, atque ob dolorem circumcisionis.*

QVod ad primum attinet, vt intelligatur 1
quot modis, & quoad quæ, lex vetus per nouam sit impleta, est obseruandum. Duo in lege veteri, ad rem præsentem, attendi posse, nempe finem eius legis & præcepta. Finis autem illius duplex erat. Vnus, communis illi cū lege noua, nempe per iustitiam perducere omnes ad vitam æternam. Alter verò illi peculiaris ac proprius, adumbrare scilicet ac figurare ea, quæ in lege noua erant futura.

Quod ad priorem illum finem attinet, lex 2
noua, seu Christus autor illius, in hoc sensu illam impleuit, quòd suis meritis ac morte id supleuit ac compleuit, quod illa ad eum finem assequendum non volebat. Cùm enim lex illa nec iustificare potuerit, vt sæpe est dictum, nec iustus eius temporis perducere in vitam potuerit æternam; eo quòd ianua cælorum illis adhuc esset clausa, donec pretium nostræ redemptionis solueretur; qua de causa iusti illi, expiati priùs expurgatorio igne, si quid ex hac vita expiandum deferrent, in limbo patrum vsque ad Christi mortem, Dei conspectu priuati, detinebantur; vtrumque Christus comparatione hominum eius legis ac legis naturæ suppleuit ac compleuit morte sua tempore legis gratiæ,

illis

illis promerendo fidem & gratiam, quibus tē-poribus earundem veteris ac naturæ legum iu-stificati sunt, & quorum meritorum virtute, ad-huc temporibus illis futurorum, ea dona illis collata sunt, eisdemque ianuam regni cælestis aperiendo, illosque in vitam æternam sua mor-te perducendo. Vnde Paulus ad Rom. 8: *Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnē, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato*, id est, hostia expiatrice, *damnauit*, hoc est, aboleuit, *peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis.* Promissio-nes item pro tempore legis gratiæ in veteri te-stamento factæ, in nouo sunt adimpletæ. Vnde Paulus 2. ad Cor. 1: *Quotquot enim promissiones Dei sunt*, id est, in Christo, *est*, hoc est, eo om-nino modo habuerunt, quo promissæ sunt, ne-que locum vlla ex parte quo ad illas habuit non eo modo euenisse, quo promissæ sunt. Et quia, quæ in veteri testamento de tempore noui te-stamenti erant prædicta, in nouo erant omnino implenda, sæpe in nouo testamento dicitur, hoc factum est, vt adimpleretur, quod dictum est, quoniam eo ipso, quòd fuit prædictum, e-rat implendum: non tamen, quod à libero arbitrio creato pendebat vt esset, fuisset præ-dictum futurum, nisi præuisum fuisset pro libertate talis arbitrii creati eo modo fu-turum.

3 Quod verò ad posteriorem finem legis vete-ris attinet, nempe adumbrare ac figurare, quæ in noua lege erant futura, quod præcipuè cære-monialibus veteris legis præceptis cōueniebat: sanè ea omnia præcepta, reliquasque vmbras ac figuras veteris testamenti, lex noua Christus-que ipse impleuit, eaque præcepta implendo euacuauit: quoniā solū erat imposita quousque id, quod præcipuè figurabāt, impleretur, nēpe vsque ad Christi mortē, redēptionēque generis humani, vt disp. 62 explanatum est. Vnde Pau-lus ad Colos. 2: *Nemo*, inquit, *vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabatorū*, ex eo scilicet vos condemnantes, quòd ea non seruetis, *quæ sunt vmbra futurorum*, ad illa significandum futura ac referendum in-stituta, sicut vmbra id corpus, cuius est vmbra, refert, illiusque est figura: *corpus autem Christi*: vnde quia completa per Christū, euacuata sunt, nec obligant, sed cessarunt: non secùs ac cessat vmbra aduenientе lucis radio in loco, in quo ea vmbra erat, & non secùs ac cessat figura adue-nientеque veritate, quando figura ad id solùm inseruiebat, vt veritatis figuram significaret, in solumque id tempus erat instituta, quousque ea veritas aduenisset: qua de causa lex vetus lex vm-bræ ac figuræ nuncupatur: nostra verò lex noua lex veritatis dicitur. Quin, vt disp. 62 est dictū, etiam iudicialia præcepta veteris legis, & vni-uersim lex tota vetus, ea ex parte qua, quæ illa continebat, ea lege erant præcepta, cessarunt morte Christi: quoniam translatio sacerdotio Leuitico in Christi sacerdotiū secundùm ordi-nē Melchisedec, necesse fuit vt & legis trāslatio fieret, quæ in id solùm tēpus à Deo fuerat lata.

4 Quod denique ad præcepta veteris legis at-tinet, illa omnia pro loco & tempore facto exa-ctissimè, interim dum vixit, adimpleuit: nam circumcisus est, in templo est præsentatus, pa-scha cum discipulis celebrauit, & reliqua seruа-

A uit. Vnde Paulus ad Gal. 4: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex mu-liere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, re-dimeret.* Figuras item ac vmbras eius legis im-pleuit. Moralia quoque præcepta, quæ, quate-nus ad naturæ legem attinebant, erant permā-sura, in legitimo sensu, quantum tunc fuit opus, explanauit, debitasque cautelas adhibuit, vt me-lius seruarentur, illisque euangelica consilia ad-didit. Quare Christus non soluit, sed impleuit ac compleuit legem veterem: illa verò, quia ad tēpus, in quo perseueraurit, fuerat solū præce-pta, eo aduenientе, sine alia abrogatione cessauit.

Lex noua quoad illa, in quibus cum veteri 5
B omnino cōmunicabat, vt quo ad præcepta mo-ralia, simpliciter in illa continebatur. Quo ad reliqua verò continebatur tanquam perfectū in minùs perfecto, quodammodo sicut animal in semine, & sicut species continentur potentia in genere. Quo ad fidem enim continebatur implicitè, tametsi quoad aliqua credenda eadē omnino esset fides tempore legis veteris & gra-tiæ, vt quòd Deus esset vnus, creator cæli & terræ, totiusque huius vniuersi. Quoad reliqua verò lex noua continebatur in veteri tanquam in vmbra & figura eorum, quæ in lege noua e-rant futura. Quoad eiusmodi continentiam to-tam noui testamenti in veteri intelligendum est
C illud Ezech. 1: *quasi sit rota in medio rotæ*, id est, vt Greg. hom. 6. in Ezechielem exponit, nouum testamentum in veteri.

Quoad vltimum, in titulo huius disputatio- 6
nis proposītum, attinet. Satis profectò constat, legem veterem grauiorem in se difficilioremq; impletu fuisse, quàm nouam, propter multitu-dinem præceptorum eius legis, cæremonialiū præsertim, atque ob difficultatem & dolorem circuncisionis. Vnde Petrus Actorum 15: *Quid tētatis Deum, imponere iugum super cervices discī-pulorum, quod neque patres nostri neque nos portare potuimus?* Et Christus Matth. 11. de lege sua, *Iu-gum*, inquit, *meum suaue est, & onus meum leue,*
D cum antiquo scilicet legis veteris collatū. Quòd verò longè grauiores persequutiones passi sint fideles legis gratiæ, quàm fideles legis veteris & naturæ sint passi, id non ex legis noue difficulta-te prouenit, sed ex nequitia, inuidia, & astutia dæmonū, hominumq; nequitia, Deo id Chrstia-nis ad auctiorem coronam permittente, illosq; potentissimis auxiliis ac donis ad grauissimas persequutiones ferendas adiuuante.

Admonent verò *diuus Tho. 1.2.q. 107. art. 4.* cum Aug. Epist. 119. c. 19. & alii, per potestatem, quæ Ecclesiæ ac prælatis ad condendas leges ac cōstitutiones à Christo est relicta, nō tot leges ac præcepta esse multiplicāda, quæ iugū Domi-
E ni nimis graue difficileq; obseruatu efficiant, & quæ in causa sint, vt cū tot leges ac præcepta dif-ficilè admodū sciri possint, & multo minùs om-nes sine nullius transgressione seruari, contem-nantur, passimque violentur. Attendere verò legislatores debent, non solùm num singulæ leges, quas condunt, seruatu non sint difficiles, sed etiam num omnes simul, quæ ab ipsis conduntur, & quæ à suis anteceſſoribus sunt conditæ, seruari non admodum difficilè possint, vt iugum legum non admodum dif-ficile sibi subditis imponant. Atque fortasse expediret non parum, multas ex iuris ciuilis &

canoni-

canonici leges abrogari, vt iugum humanarũ legũ tẽporis progressu à variis legũlatoribus mirum in modum multiplicatum, hominumque seruicibus impositum, redderetur leuius, legumque custodia ac subditorum obedientia esset exactior, nec ex tanta legum multiplicitate periculum immineret animarum. Inter alia autem fortasse expediret, censuras omnes ecclesiasticas ad longè minorem numerum ac methodum redigi, multas ex illis abrogando.

De quibus lex noua disponat. Et de Euangelicis consiliis. Disp. 67.

SVMMARIVM.

1. *IN lege gratiæ Christus de his disposuit, quæ ad gratiam conferendam & ad illam conseruandam, quasi ab eis gratiæ conseruatio pendêret, erant necessaria.*
2. *Alia præterea tradidit Christus ad legitimum præceptorum quorundam moralium intellectum, ad consilia perfectionémque Christianam attinentia.*

1 IN lege noua & gratiæ Christus de his disposuit, quæ ad gratiam conferendam, & ad illam conseruandam, quasi ab eis gratiæ conseruatio pendêret, erant necessaria. Quod ad primum genus attinet, cùm gratiæ autor sit Deus, atque ad Christum vt hominem instituere ea instrumenta attineret, quibus vi suorum meritorum gratia hominibus conferretur, septem sacramenta Ecclesiæ Christianæ ipse in noua lege instituit, atque præcepta quoad eorum nonnulla. Itẽ potestates Ecclesiasticas instituit, quæ illa ex officio administrarent. Sacramentalia verò ac ritus in illis administrandis, apostolis ac ecclesiæ instituenda reliquit, cui Ecclesiæ spiritum sanctum assistentem promisit ac contulit, qui cum ipsa ad finem vsque seculi perseueraret, quique eam in his & in aliis necessariis illustraret, regeret, ac adiuuaret.

Quod verò ad secundum genus attinet, cũ gratiæ conseruatio à præceptorum moralium obseruatione pendeat, quæ sub culpa lethali obligant, sub moralibus præceptis ea etiam cõprehendendo, quæ, posita creatione hominum in finem supernaturalem, ac reuelatione à Deo facta credẽdorũ, disputatione 46 & 53 diximus de iure esse naturali, & ad moralia præcepta reduci, vt sunt præcepta de fide, spe, & caritate supernaturalibus, & de contritione, aut attritione cum sacramento, post lapsum in culpam lethalem, sanè de his solis præceptis moralibus Christus in lege gratiæ etiam disposuit, illa tradendo & docendo, ex legeque veteri ex parte supponendo. Neque vlla alia præcepta addidit ipse in lege gratiæ, tametsi potestatibus, tam ecclesiasticis quàm secularibus, ea alia præcepta addenda pro loco & tempore reliquerit, quæ expedire iudicarent. Quia ergo non alia præcepta tradidit Christus in lege noua, sed reliqua libera reliquit, interim dum aliquid aliud à potestatibus publicis non præciperetur, lex noua à Iacobo c. 1. lex perfectæ libertatis nuncupata est. Dicta itẽ est perfectæ libertatis, quia in ea & per eã perfectam libertatem, non solùm à iugo veteris legis, sed etiam à peccato quoad effectus illius consequimur, aperta iã nobis ianua regni cælestis. Et quoniã caritate, quã Christus nobis promeruit, & quæ abundantius multo in lege gratiæ cõfertur, quàm vnquã antea fuerit data, qua lex Dei in mentibus & in cordibus nostris scribitur, filiorum libertate, & non timore seruorum, promptiùs multo à Christi fidelibus impletur, quàm vnquam antea fuerit impleta.

2 Multa præterea alia tradidit Christus ad legitimum præceptorum quorundam moralium intellectum, ad consilia perfectionemq; Christianam attinentia, ad vitãdam hypocrisim, inanem gloriam, rectam habendamque intentionem, ad amplectendã crucẽ, vitamque Dei amore contemnendam, ad æternum supplicium vitandum, ad vitamque anhelandum sempiternam, & ad pleraque alia attinentia, quæ longum esset percensere, & ex literis sacris noui testamenti constant.

Humanam legem, tam ciuilem quàm Ecclesiasticam, quis condere possit, & quousq; subditorum acceptatione pendeat, cuiusq; virtutis ac potentiæ actus ea sit, quomodo à lege Dei æterna deriuetur, quid sit, & num à lege naturali deriuetur, meliúsque sit legibus, quàm præpositorum prudentia, respublicas gubernari. Disp. 68.

SVMMARIVM.

1. *Ex merè humanâ non deriuatur per consequentiam necessariam à lege naturali: sed multæ leges humanæ deriuantur à naturalibus per arbitramentum ac dispositionem humanam, non tamen necessariam.*
2. *Melius respublica gubernatur legibus, quàm prudentia præpositorum sine legibus.*

EXplicatis huc vsque legibus omnibus diuinis, supereſt, iuxta ordinem initio disputationis 47 propositum, vt de humana lege deinceps disseramus, quæ magis ad hunc quintum de iustitia tractatum, quàm diuinæ leges, spectat. Et quoniam ea omnia, quæ in titulo huius disputationis proponimus, præter duo postrema, dis. 46 copiosè explanata à nobis sunt, de solis duobus postremis hac disputatione dicemus.

1 Quod ergo ad eam quæstionem attinet, num scilicet lex merè humana, hoc est, lex positiua humana, à lege naturali deriuetur, eaque vna è conditionibus sit, vt vim obligandi habeat. In primis est dicendum, non deriuari à lege naturali per consequentiam necessariam: quoniam per consequentiam necessariam deducuntur, vel ex principiis iuris naturalis, vel ex conclusionibus ex illis deductis, vtique de iure sunt naturali, & non de iure humano positiuo, vt adulterandum non esse, furtum non esse committendum, falsum testimonium non esse dicendum, hoc adulterium in singulari non est faciendum, & similia alia, vt est notissimum, asseruntque *diuus Thom. 1. 2. q. 105. art. 2.* & doctores communiter. Dicendum est deinde, multas humanas leges deriuari à naturalibus per arbitramentum ac dispositionem humanam, consentaneam quidem iuri illi naturali, à quo

ita

ita deriuantur, non tamen necessariam, quasi sine tali dispositione naturale id ius non posset saluum consistere: qua de causa tales dispositiones ac leges non sunt de iure naturali, sed de iure humano positiuo. Verbi gratia, de iure naturali est, malefactores à potestatibus publicis debere puniri, vt pax, iustitia, communeque reipublicæ bonum conseruetur: cæterùm quòd latro suspendatur, vel flagelletur, aut insuper triremibus adigatur, non est de iure naturali; quoniam sufficienter saluum consistet ius naturale, si aliis puniatur pœnis: quo fit, vt leges, quæ pro certis furtis eas pœnas consentaneè ad rectam rationem statuunt, à iure quidem illo naturali, quòd malefactores à publicis potestatibus sint puniendi, deriuentur, non tamen per necessariam consequentiam, sed per arbitramentum ac dispositionem humanam, rectæ rationi consonam, ab illáve minimè deuiam, cæterùm liberam ad id non ita, sed aliter, saluo iure eodem iure naturali, statuendum, ac proinde fit, vt tales leges humanæ sint merè positiuæ. Similiter Deum ab hominibus cultu aliquo externo esse colendum, de iure est naturali: præcepta verò ecclesiæ, quo ad id die dominica & aliis festis diebus ab operibus seruilibus vacetur, & quòd eisdem diebus sacrum audiatur, quoniam necessaria non sunt, vt id diuinum ius saluum consistat, eo quòd cultus alii possunt Deo adhiberi, consentanea quidem sunt iuri illi naturali ac rationi rectæ, non tamen sunt de iure naturali, sed de iure humano merè positiuo tanquam arbitramenta ac dispositiones humanæ. Dicendum est tertiò, legem omnem humanam positiuam, vt iniqua non sit, ac proinde vt legis rationem sortiatur, esse debere rectæ rationi consentaneam, ab illáve minimè dissonam, bonoque communi reipublicæ accommodatam, talemque præsumendam eam esse, quæ ab habente potestatem ad leges condendas emanat, quando aliud de illa non constat, atque eatenus satis esse, vt à iure naturali deriuetur, (vt ius naturale consilia etiam naturalis iuris complectitur) quòd à recta ratione non dissonat, bonoq; communi est accommodata. Lege quæ Disp. 53 dicta sunt.

2 Quod verò ad vltimum attinet, num scilicet melius sit legibus, quàm prepositorum prudentia, respublicas gubernari, quæstio est, quam *Arist. 3. polit. c. 11 & 12* disputat. Dicendum verò est cum *diuo Thoma. 1. 2. q. 105. art. 1. ad. 2.* melius rempublicam legibus gubernari, quàm prudentia præpositorum sine legibus. Ratio autem in primis est, quoniam facilius est vnum aut paucos prudentes reperire, qui leges condant, adiuti longa experientia, ac legibus in aliis rebus publicis latis, easque præscribant, tum subditis vt eas seruent, eisque se accommodent, tum etiam iudicibus ac præpositis diuersarum ciuitatum ac locorum, qui eas seruari curent, & iuxta illas iudicent, quàm reperire tantam multitudinem prudentum ac proborum, qui sine legum adiutorio & subditis præcipiant, quæ oportet, & eos iudicare in singulis euentibus possint, quod æquum & iustum est attingendo. Ad leges quippe optimas cuique reipublicę condendas, satis sunt pauci prudentes & ad id idonei in vno seculo aut etiam in multis: quis verò tantam iudicum multitudinem, quanta ad diuersa loca temporum successu est necessaria, reperiat? qui adeò prudentes sint ac periti, vt, sine legum adiutorio, quæ necessaria sunt præcipiant, atque quod iustum est, in tam multis ac variis euentibus iudicent? sanè id omninò est impossibile. Ratio deinde est, quoniam leges longi temporis consideratione conduntur, maximaque cum consultatione, atque attentis aliis iuribus, ductisque legislatoribus experientia multarum rerum: iudicia verò in particularibus euentibus non tantam patiuntur moram, atque, nisi conditæ essent leges, iudicibusque essent præscriptæ, quas antea scirent, & iuxta quas iudicarent, sanè difficilimè, quod iustum est, attingerent, facileque ac passim errarent. Ratio tertiò est, quoniam leges de futuris atque in vniuersali constituuntur, nullas personas particulares tunc attingendo ac respiciendo, eaque de causa in illis ferendis personarum particularium respectus, variisque circa illas effectus, qui à recto deuiari efficiant, non est cur timeatur: iudices verò in particularibus euentibus, si sine legibus priùs ab aliis statutis, quas sequi in iudicando tunc tenerentur, iudicarent, facilè affectu circa actorem, aut reum, pecuniaque aut precibus corrumpi possent, vt à iusto deuiarent. Ratio item quartò est, quoniam quando leges iam antea sunt statutæ communes omnibus, quibus aliquid præcipitur, prohibetur, aut punitur pœna aliqua, non est adeò subditis molestum ac odiosum, etiam dum exequutioni mandatur, quàm esset, si iudex aut prælatus id tunc statueret, ac exequutioni mandaret, neque est locus quæremoniis aduersus iudicem aut prælatum, quòd id obseruari faciat, exequutionique mandet, quòd antea legibus erat statutum, sicut esset, si ipse de suo tunc instituerit, præciperet, aut exequutioni mandaret. His itaque & aliis de causis, quàuis leges superfluæ, & quæ simul sumptæ nimium grauent, ferri non debeant, sed aboleri potiùs debeant, si iã latæ, plusque iusto sint multiplicatæ, vt Disp. 66 dictum est, consultissimum tamen vtilissimúq; est, vt quàm maximè fieri possit, cuncta, quæ obseruari debent, tum à subditis, tum etiam à iudicibus in iudicando ac puniendo, legibus statuantur, eaque sola iudicum arbitrio, spectatis circunstantiis concurrentibus, definienda relinqui, quæ legibus comprehendi non possunt. Inter quæ computa ea, de quibus licèt latæ sint leges, ex circumstantiis tamen concurrentibus, recta ratio docet, mente legislatorum non esse, vt interuenientibus eis circunstantiis seruentur, aut vt integre nullo adhibito moderamine seruentur. Quare sicut medicus instructus peritia artis accedere debet ad curandum infirmũ, attamen simul vti debet prudentia, vt pro qualitate circunstantiarum concurrentiũ adhibeat remedia ac medicamenta, moderamen interdum apponendo præceptis vniuersalibus artis, & interdum ea deserendo, quando viderit nociua fore, neque in eo euentu & cum eis circunstantiis illa intelligi: ita iudex, legum peritia instructus accedere debet ad iudicandum, cæterùm vtendo simul prudentia, vt pro qualitate circunstantiarum cõcurrentium moderamen interdum adhibeat dispositionibus vniuersalibus legum, interdumque illas omnino omittat, quando per Epicheiam iudicauerit illas

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

illas in eo euentu & cum eis circumstantiis ex mente ipsorummet legumlatorum locum habere.

Quas conditiones humana lex habere debeat. Et num ius gentium positiuum ius an naturale sit.

Disp. 69.

SVMMARIVM.

1. *Conditiones, quæ requiruntur ad legem humanam ex Isidoro.*
2. *Si bonum commune reip. postulet, vt lex aliqua feratur, quamuis illa redundet in bonum particulare Principis, aut aliquorum de republ. id non impedit legem illam esse iustam.*
3. *Ius gentium presiè sumptum non est ius naturale, nec cõprehẽdit sub se ius naturale, sed est ius positiuum humanum: sed quando latè sumitur, vt apud Iurisconsultos, tunc multa comprehendit sub se, quæ sunt de iure naturali, & multa quæ sunt de iure positiuo humano.*

1 PRimum eorum, quæ proposita sunt, quæritur propter *Isidorum lib. 5. Etym. c. 21.* & refertur. *c. erit autem lex. dist. 4.* quo in loco sic ait: *Erit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinẽ, loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid propter obscuritatem in captionem contineat, nullo proprio priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* Meritò autem idem Isidorus conditiones has ad pauciores antea reduxerat, ad has scilicet, *quòd religioni congruat, quòd disciplinæ conueniat, quòd saluti proficiat*, vt alii illas reducunt, vt *Nauar. in Manu. c. 23. n. 40. Alfonsusq; à Castro 1. de leg. pœn. c. 1.* ait, omnes sub hac conditione comprehendi, vt sit rectæ rationi seu prudentiæ conformis. *Diuus Thomas art. 3.* citato, conditionem illam, quòd sit honesta, exponit, id est, nõ dissonans à vera religione, vt dissonabant, impiæque erant, ac minimè seruandæ leges circa ritus gentilicos. Illam verò conditionem, *quod disciplinæ conueniat*, intelligit, quòd non dissonet à lege naturali ac rectæ ratione, ad quam conditionem reducit pleraſque ex illis aliis Isidori conditionibus, nempe, quòd iusta sit, nihil continens, quod à iustitia, hoc est virtute, dissentiat.

Item quòd sit possibilis. Quo loco obserua, possibile in re præsenti non sumi solùm vt opponitur simpliciter & omnino impossibili: ad quod constat legem nullam posse obligare: sed etiam vt opponitur valde difficili: quod enim esse difficile poteſt, *Arist. 1. de cælo c. 11.* impossibile etiam appellat. Est tamen obseruandum, quãuis lex iniusta esse possit ex eo, quòd id præcipiat, quod est valde difficile subditis, eoque proinde ex parte desinere possit subditos obligare, id tamen esse intelligendũ, dummodo bonum reipublicæ, aut finis congregationis, cui id præcipitur, non exigat, vt id à subditis exequutioni mandetur: tunc enim lex ad id difficile iniunctos subditos obligat. Talis est lex, quæ præcipit, subditos in bello, etiam cum mortis periculo, non deserere suum locum: quod intelligendum est, interim dum est spes, quòd victoria comparetur, aut quòd respublica, vel oppidum, aut castrum defendatur. Item si religio ad ardua aliqua constituatur pro ecclesiæ & proximorum bono, aut pro sola perfectione propria, neminem cogendo vt id institutum amplectatur ac profiteatur, sed integrum singulis relinquendo vt id non amplectantur, imò illis suadendo, vt priùs cogitent, num vires spirituales ad tantum opus in se sentiant, annumque aut duos probationis annos illis præscribendo, in quibus in arduis ac difficilibus in ea religione se exerceant, secumque interim deliberent, num vires & sumptus ad id necessarios in se sentiant, ne si ædificare incipiant, nec consummare possint, ab aliis meritò irrideantur, dicentibus, *Hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare*: in hoc sanè euẽtu difficiles admodum religionis leges quo ad ieiunia, orationes, ac vigilias longas, aliasque corporis castigationes, quæ cum instituto & prima eius religionis institutione consentiant, quæque impossibiles meritò essent iudicandæ, si vniuerso populo, iisque, qui tali instituto religionis sua propria spõte voto se non astrinxissent, iudicandæ non sunt impossibiles talium religiosorum comparatione, vt ex capite impossibilitatis ac difficultatis earum ad illas non teneantur. Sic in nostra societate votum illud professorum valde arduum summo Pontifici factum, eundi ad ipsius imperium quocunque iusserit, siue inter fideles, siue inter infideles, nullo postulato viatico, sed pedites, quando aliud eis non offertur & suppeditatur, eleemosynamque in itinere petendo, freti Dei prouidentia ac auxilio, illas sanè sub culpa lethali obligat, quando à summo Põtifice aliquo siue inter fideles siue inter infideles mittuntur. Quin, cùm institutum nostrum sit, ad superiorum imperium vagari per orbem inter fideles ac inter infideles salutem animarũ quærendo, sanè sub culpa lethali possunt superiores nostri nos astringere transire ad Iudæos, & ad quæcunque loca, ad ibi ministerium nostrum exercendum, quærendamque salutem animarum, estò id valde arduum ac difficile sit. Itaque an lex aliqua humana vel præceptum humanum adeò sit difficile, vt ex capite difficultatis, seu impossibilitatis moralis, desinat subditos obligare, attendi debet ad eos, quibus id præcipitur, ad institutúmve, cui se astrinxerunt, & an id ita expediat bono communi, vt ea via ei subueniatur, aliterque illi commodè non possit subueniri, & omnes alias circunstantias concurrentes, ex illisque prudẽtis arbitrio est iudicandum, an ex capite difficultatis ac impossibilitatis de obliget subditos, an non. Quando autẽ præceptum esset, non humanum, sed diuinum, tunc quantumcunque esset arduum ac difficile, obligatio esset illud seruare, vt fuit illud Abrahamo impositũ de suo proprio filio immolãdo. Deus enim omnium supremus ac absolutè dominus, neque à subditis ac republica mendicatam habet iurisdictionem, neque habet illam limitatam, quantum sit necesse ac expediens ad finem spiritualem animarũ, vt illam habet summus Pontifex, & habent alii Ecclesię prælati. In dubio autem, num lex moraliter sit obseruatu impossibilis, supplicari ab ea poteſt, interimque dum ab illa supplicatur, non obligat: neq; principes

cipes pertinaces esse debent persistendo, vt lex admodum difficilis obseruetur, nisi quando id ita omnino bono publico expediret. Quòd si Princeps persistat, præsertim si ille sit summus Pontifex, illi in dubio est parẽdum. Euenire verò aliquando poterit, vt difficultas legis aut præcepti tanta quidem sit, quæ sufficiat, vt melius esset id non præcipi, talemque legem aut præceptum tolli & abrogari, non tamen quæ sufficiat, vt ex capite eius difficultatis nõ obliget, interim dum non tollitur ac abrogatur. Admonet autẽ Castrus. c. 1. citato & alii, fieri ob difficultatẽ posse, vt lex aliqua iniusta sit aliquibus ex iis, quibus est imposita, & non omnibus. Vt si senibus & iuuenibus præcipiat portare sarcinã, quæ iuuenum viribus nõ sit improportionata, sit verò notoriè improportionata viribus senum. Aut si diuitibus & pauperibus præcipiat soluere tributum, quod diuitibus non sit incommensuratũ, sit verò notoriè incõmensuratũ pauperibus.

Fortasse illa verba Isidori, *secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem*, adiungi debent præcedenti illi particulæ, *possibilis*, ita vt velit dicere, sit possibilis attẽta tum ipsamet natura rei, quæ præcipitur, tum etiam patriæ consuetudine: quoniam interdum, quod pro consuetudine vnius regionis ac loci non reputabitur impossibile moraliter, reputabitur pro consuetudine alterius: vt onera lege aliqua Æthiopibus iniũcta, maximè si sordida & abiecta sint, quę apud illos sunt in vsu nec impossibilia reputãtur, apud Hispanos, si ciuibus iniũgerentur, meritò impossibilia reputarentur. Et quæ rusticis lege aut præcepto imperantur, nec illorũ comparatione impossibilia censentur, si in vrbe honestis præciperentur, meritò impossibilia iudicarẽtur. Alii duas illas particulas, *secundum naturam, secundũ patriæ consuetudinẽ*, tanquam conditiones diuersas ad legem humanam iustam accipiunt; difficileque illas explicant, atq; à superfluitate difficilè Isidorũ excusant. Castrus, vbi suprà, illa verba, *secundũ patriæ consuetudinem*, exponit, id est, quæ non aduersetur iustæ patriæ consuetudini: quia tunc talis lex esset iniusta: secùs verò si lex aduersaretur prauę loci consuetudini. Addit verò non expedire vt seratur lex contra consuetudinem patriæ, quæ nec mala sit nec bona, nec vtilis nec inutilis, ne fortè talem legem contra similem consuetudinem serendo, perturbatio & malum aliquod oriatur in republica. Idem tamen non video esse Isidori intentum.

Illa autem verba, *loco temporiq; conueniens*, prudenter docent, euenire facilè posse, vt quæ lex vni loco est conueniẽs ac iusta, alteri loco cõueniens non sit, sed iniusta, & vt quæ lex vno tẽpore est conueniens & iusta, alteri tempori conueniens non sit, sed iniusta. Vt, verbi gratia, (quod quàm sæpissime in Hispaniis euenit) si in eodem anno in vna parte Hispaniarum, vt in Betica, in Legione ac Castella veteri, in regno Toleti, aut in minoribus partibus harum præcipuarũ partiũ, quæ eisdem legibus Regis Hispaniarum gubernantur, eueniat, magnã esse copiam frumẽti, & in aliis magnam penuriam, ita vt pretium naturale iustum frumenti meritò in eisdẽ variis locis sit valde inæquale, non video legem posse esse iustam, quæ æquale pretium in omnibus eis locis taxet, estò permittatur accipi insuper pretium transportationis ex vno loco in alium. Similiter, si vno anno taxa sit iusta, vt pro quantitate frumenti eius anni mensura tanto pretio vendatur, non video iustam esse eandem legem, vt semper in sequentibus annis, quantumuis lõgè sterilibus, & in quibus pretium naturale frumẽti longè plus ex ipsamet rei natura accrescit, eodem pretio vendatur. Atq; id profectò satis apertè docent hæ duę conditiones legis iustę ab Isidoro traditę, ipsaque met rei natura omnino persuader. Neq; video iustam esse, quãdo in vna parte est copia frumẽti, & in aliis magna sterilitas, quę accurrunt ad emendum frumentum ea, in qua est abundantia, atque in qua ex tanta emptorũ copia, & ex tanta aliorum sterilitate, multum accrescit naturale pretium frumenti in ea, in qua est abundantia, cogi homines eius regionis, in quo est abundantia, vendere suum triticum eo pretio, quo illud venderent, si in illis aliis locis non esset sterilitas, nec tanta emptorũ copia accederet ad illud emendum. Præter iniustitiam enim manifestam, quæ in hoc & in euẽtibus proximè explicatis, nostro iudicio, cernitur, inde euenit, quòd negotiatio agriculturæ, adeò reipublicæ necessaria, à quàm plurimis deseratur, & vt vacent aliis negotiationibus, in quibus longè plus lucri, & longè minùs laboris ac solicitudinis, quàm in agricultura experiuntur. Cùm sæpe agricolæ affirment, longè plus ipsis stare mensuram tritici, quàm sit pretiũ, quo eam vendere præcipiuntur. Inde etiam, atque ex magna iudicum & aliorum ministrorum publicorum abundantia ad quàm multa alia, qui agricolas iniustè vexant, bonaq; illorum extrahũt, euenit, vt armenta & vires nõ habeant ad agros colendos, ad semina terræ mandanda, & ad fructus colligẽdos, & vt multæ possessiones incultæ maneant, atque vt multa oppida habitatoribus careant, & alia ad minorem multo habitatorum numerum redigantur: quod in causa est, vt frumẽti copia indies minor in his regnis sit, necesseq; proinde sit pretium illius naturale indies magis accrescere, nisi his malis ac vexationibus agricolarum subueniatur. Leges quoq;, vt nõ omnibus liceat pistricum munus accipere ac vẽdere panes coctos, vt ãte quinquaginta annos in his regnis omnibus licebat, sed quibusdã dũtaxat, valde pernicios as bono publico iudico, & quæ in causa sunt, vt cariùs multo panes vendãtur, & lõgè deteriores, quã quondã venderẽtur, & quàm hodie venderẽtur, si omnibus esset permissum id munus exercere. Pistrices enim conderẽt optimos conficere panes, ne aliarũ pistricum panes, quòd meliores essent, venderentur, & ipsarũ nõ remanerent nõ venditi. Quando autẽ certæ deputatæ sunt pistrices, quæ solæ panes vendunt, pessimos illos efficiunt, vt plus lucrẽtur, scientes, cùm alii exponi non possint ad vendendũ, illos, licèt pessimos, vẽdẽdos esse. Hæc, & quæ subjicia, adiũge iis, quæ *tractatu 2. Disp. 364 & 365* dicta sunt. In aliis quoq; rebus posset exẽpla adhiberi, leges vni loco aut tẽpori cõgruentes, aliis nõ cõgruere. *Vnde Inno. 3. in cõcilio Lateranensi. c. nõ debet de cõsang. & affin. Nõ debet*, inquit, *reprehensibile iudicari, si secundũ varietatem temporũ, statuta quòq; varientur humana.*

Addit Isidorus, *necessaria, vtilis*. Fortasse pro eodẽ accipit, necessaria vtilis; quasi vtilis sit expositio verbi necessaria: nã necessariũ latè sumptũ vtile cõprehendit, vt ad proœmiũ Porphirii ad

adnotatur. Quasi dicat, lex superflua esse nō debet, nullam vtilitatem continens.

Addit Isidorus: *Manifesta quoque, ne aliquid propter obscuritatem in captionem contineat*, id est, ne sua obscuritate in causa sit, vt subditi illam nō intelligentes, capiātur transgressione illius, quā fugerent, si lex esset perspicua, illamq; intelligerent. Ac sanè in multis legibus optandum esset, vt compēdiosiores ac dilucidiores essent, ne tot interpretationibus subiacerent, atque vt subditis essent perspicuæ.

Postremò addit Isidorus, *nullo proprio priuato cōmodo, sed pro cōmuni ciuium vtilitate conscripta. Gloſa.c.erit autē lex* citato, verbo *priuato*, sit ait: *Tunc enim esset priuilegiū.* Alfonsus à Castro vbi suprà ita accipit hāc glossam, quasi autor illius intenderit, eā postremā Isidori cōditionē ad id solū esse positā, vt per illā lex à priuilegio distinguatur, & quasi lex omnis, quæ priuatum intenderet cōmodum, esset priuilegiū. Vnde Castrus argumentatur inde sequi, legē iniustā, qua princeps tributum exigeret iniustū, in nullū cōmune reipublicę bonum, sed in suū solū cōmodum, esse priuilegiū: quo nihil potest dici absurdius: illa enim nō priuilegii, sed legis iniustæ rationē haberet. Ego verò nō adeò stolidum fuisse existimo eius glossæ autorem, vt id intenderet: neque id verba illa eius glossæ significant, sed solū intendit tradere discrimen inter legem iustam & priuilegium iustum. Quòd lex iusta fertur in commune bonum: priuilegium autem iustum detur in particulare bonū eius, cui conceditur: licèt id soleat redundare in commune bonum, quatenus cōmune bonū efflagitat, vt ex rationabili causa priuilegium aliquibus in ipsorum particulare cōmodum concedatur.

2 Est verò obseruandū, si bonū cōmune reipublicæ postulet, vt lex aliqua feratur, quāuis illa redundet in bonū particulare principis, aut aliquorū aliorū de republica, id non impedire legē illā esse iustā: quoniā Isidorus iniustitiæ ac tyrānidis eā legem damnat, quę ita lata est pro bono priuato ac proprio, vt nō sit lata simul in bonū cōmune. Hinc quia commune reipublicæ bonū postulat, vt ipsius princeps competentes habeat reditus, quibus cōgruè sustētetur, ipsam gubernet, ac defendat, leges tributorū, quæ cōmensuratæ ad eos fines à principe feruntur, quāuis simul in ipsius priuatū cōmodum redundent, leges sunt iustæ, quatenus sunt in cōmune reipublicæ bonum. Iustæ similiter sunt leges latæ in fauorem minorum, aut in fauorem quorundā, qui vtiles sunt reipublicæ, quatenus ita in commodum quorundam de republica feruntur, vt id postulet commune reipublicæ bonum, in illudque redundet.

Illud hoc loco, pro munere meo, vt si me rectè ac Christianè sentire fuerit iudicatum, deinceps nō ita id fiat, admonuerim. Nō satis esse, verè iudicari, curiæ Regis & subinde bono communi expedire, vt triticū ex variis oppidis ad illam asportetur, missis instrumētis ac ministris publicis, qui id autoritate regia, etiam populis ac dominis tritici inuitis, exequutioni mādent, si ita fiat, vt in fine anni proximi præcedētis millesimi quingentesimi nonagesimi noni factū est, & audio antea aliquoties, quādo est tritici penuria, fuisse factū. Inter alia autē pretio lege taxatò quatuordecim regaliū argēteorum pro fanega, quam vocant, extrahebatur, nec agricolis nec populis relinquendo copiā tritici necessariā ad suā sustentationē, & vt semina iteriū terræ mādarent, coactiq; sunt populi aliunde emere & asportare triticum ad suā sustentationē, ferè in duplo, hoc est viginti quatuor, viginti quinq;, viginti sex, & viginti septem argēteis. Id autē qua ratione tuta cōscientia ac sine obligatione illis restituendi damna eis illata fieri possit, ego sanè non video. Mitto, quòd ministri publici, aut delegati à ministris publicis, vt non tantum tritici ab vnoquoq; oppido extrahant, quantū petunt, solent à misero populo accipere pecunias non modicas, quas populi ad redimendam suā vexationē illis tribuūt. Mitto itē populos cogi asportare id frumentum in curiam, illos damnando pœnis pecuniariis, quòd non tot plaustra ac iumenta ad id tribuant, quot ministri publici ad id petunt, estò populi ea non habeant, neque populis iustum pretiū pro vectura solui. Et quamuis hæc ministrorum aut subministrorum ad id deputatorū culpæ sint, ea tamē occasione populos iniustè vexant. Mitto præterea, me audiuisse ab agricolis conquerentibus, iudices aut iudicē, ad has cōmissiones, quas vocāt, deputatū aut deputatos, accipere tantam copiā tritici & hordei à multis agricolis, vt eis ad competentem suorū sustentationem, quod ipsis est necesse, nō relinquāt, & postea cogere illos schedulis, quas *petitiones* vocāt, supplicare, vt ipsis cōgrua sustētatio relinquatur, pecunias tribuēdo famulis, qui has schedulas cōficiant, illas offerant, atq; intercessores sint, vt ipsis pars cōpetens sui proprii tritici ac hordei relinquatur. Iā verò triticū & hordeū, ita asportatū, inter ditissimos quosq; diuiditur, quales sunt Rex, & Regi familiares ac famuli, inter senatores & ministros diuersorū consiliorū, quæ vocant, & inter cęteros ministros publicos, atq; inter consanguineos & affines horum omnium, & inter ipsorum amicos. Et cū panis coctus pōderis duarum librarum Madritii vendatur viginti octo aut triginta marauedinis, ita vt pistrices ex vna faneca triginta quatuor aut triginta quinq; regales conficiant, pro summoque beneficio pistrices ducant, si ipsis triticum viginti sex argenteis vendatur, quoniam in vnaquaque faneca octo aut decem regales argēteos lucrātur, cùm item in diuersoriis faneca hordei sedecim aut octodecim argenteis vendatur, tū Madritii tum etiam in itineribus à miseris agricolis extrahitur sex regalibus, eoque pretio, addito modico incremento pro vectura, potētes illam accipiunt. Quàm hæc iniqua sint & iniusta, non est qui non videat, si ad ea attēdere velit. Num autem emolumentum hoc tantum potentum in causa sit, vt taxæ cum tanto multorū dispendio ac inæqualitate, & cum tanta pernicie reipublicę foueātur, alii iudicēt. Sanè emolumentum curiæ non cum tanta iactura & inæqualitate multorum aliorū intēdi iustè potest eiusmodi præceptis, quæ non possunt non esse valde iniusta. Hæc de primo eorum, quæ in titulo huius disputationis sunt proposita.

Quod verò attinet ad secundū, nū scilicet ius 3
gētium positiuū ius an naturale sit. Sanè ex iis, quæ tractatu 1 à Disput. 3 dicta sunt, facilè patet quid sit dicendum. Eo enim in loco diuisimus ius sumptū tā pro lege, quā pro obiecto legis, in omnia sua mēbra. Atq; Disp. 5 & 6 ostendimus,

ius

ius gentiũ duobus modis vſurpari. Vno à theologis communiter, preſsè ac propriè, vt eſt ius poſitiuum commune omnibus aut ferè omnibus gentibus, diſputationeq; 5 citata quid illud ſit, & in quo à iure naturali, & à ciuili iure preſsè ſumpto, diſtinguatur, explanauimus. Si autẽ ius gentium illo modo preſsè ac propriè ſumatur, conſtat non eſſe ius naturale, nec ſub ſe ius naturale comprehendere, ſed eſſe ius poſitiuum humanum, vt ibi oſtenſum fuit. Altero verò modo ſumunt iuriſcõſulti ius gentium multo latiùs, illudq́ue diſtinguunt à iure naturali, lõgè aliter ab eis ſumpto, quàm à theologis ſumatur, vt Diſp. 6 citata à nobis explanatum fuit. Iuriſconſulti enim id naturale ius appellãt, quod natura inſtigante commune eſt hominibus cũ beſtiis, vt coniunctio maris cum femina, & liberorum procreatio. Nomine autem iuris gentium intelligunt, quod proprium quidem eſt hominum, ſed commune eſt omnibus aut ferè omnibus gentibus, ſiue ad ius naturæ id pertineat, vt pertinent præcepta decalogi, ſiue ad ius poſitiuum humanũ, vt eſt rerum diuiſio, legatorum illeſio, captos bello iuſto in ſeruitutem poſſe redigi, & ſunt ſimilia alia. Si ergo ius gentium hoc poſteriori modo ſumatur, conſtat in ſe cõprehendere multa quæ ſunt de iure naturali, & multa quę ſũt de iure poſitiuo humano, ac proinde ius gentium eo modo ſumptũ partim ad ius naturale & partim ad ius poſitiuum humanum attinere. Diuus verò Thomas licèt frequenter cum Theologis de iure gentiũ in priori acceptione loquatur: prima tamen ſecũdæ q. 105. art. 4. de iure gẽtium in poſteriori acceptione ſermonẽ miſcet cum iuriſconſultis. l. 1. & ſequentibus *inſt. de iur. nat. gent. & ciuil. l. 2. titu. 1. part. 1.* & cum Iſidoro c. ius auten. diſt. 1. Ad hoc autem non attẽdentes: *Sotus. 1. de iuſt. q. 1. art. 4. & Medi. 1. 2. q. 105. art. 4.* laborant profectò in exponendo diuo Thoma, nec planè intentum ac mentem illius in eo articulo aſſequuntur.

A

B

C

Lex humana vt obliget, num promulgationẽ requirat. Et num ſtatim promulgata obliget, an poſt duos menſes. Et quid de lege ſummi Pontificis. Diſp. 70.

D

SVMMARIVM.

1. NOn priùs lex humana vim habet obligandi ſubditos, quam promulgata ſit.
2. Vt lex integram ſuã completam rationem legis cõparatione omnium quibus fertur habeat, neceſſe non eſt promulgationẽ coram ſingulis fieri, ſed ſatis eſt coram aliquibus toti collectioni ſubdisorũ eam legem ferri, ſiue ſolenniori ſiue minùs ſolenni promulgatione, vt omnes eo ipſo aſtringat.
3. Falſitas opinionis eius oſtenditur, quæ dicit legẽ nõ obligare eos, qui a culpa trãſgreſſionis, illius ignorãtia inuincibili, quod promulgata ſit, excuſatur.
4. Quando legiſlator voluit vt lex ipſius non obligaret ante lapſum certi tẽporis à pũcto promulgationis illius, perſpicuum eſt tunc eã ante id tẽpus elapſum nõ obligare: eo quòd lex nõ maiorẽ vim obligandi habeat, quam legiſlator velit eã habere.
5. Quando legiſlator expreſſit à quo pũcto velit ſuã legem obligare, ſtatim ab eo pũcto obligat, etiam ignorantes, tametſi ignorantes inuincibili ignorãtia excuſentur, & per conſequens etiam a pœna tranſgreſsionis eius legis.
6. Quando legiſlator non expreſſit tempus à quo lex ſua obligare inciperet, ſi ſit inferior Principe, etiã ſi ſit lex concilii prouincialis, ſtatim à publicatione incipit obligare.
7. Quãdo legiſlator eſt ſupremus princeps, vel reſp. libera, tunc de iure Cæſareo lex illius nõ obligat in curia & prouincia, in qua curia reſidet, niſi poſt duos menſes à publicatione illius.
8. Statim ac lex aliqua in curia ſũmi Põtificis eſt promulgata, obligat omnes de curia & de prouincia, in qua curia reſidet, tametſi ignorantes eam inuincibiliter excuſentur à culpa & a pœna tranſgreſſionis illius.
9. In regno Caſtellæ & Hiſpaniarum quando promulgatur lex aliqua, additur clauſula, quod à trigeſimo promulgationis die ſeruanda ſit.
10. Quando lex irritum aliquid ex iuſta cauſa redderet, quod alioquin in ſe erat licitum, & quod reddi irritũ redundaret in iniuriã ſubditorũ, dũ fieret bona mente, eam legem ignorãdo, tũc ea lex in curia promulgata, nõ obligat commorantes in aliis prouinciis, quouſq; in vnaquaq; earũ promulgatione communis ſcientia de ea lege habeatur, recipiq; in vnaquaq; ſeu executioni mãdari ea lex incipiat.
11. Quando lex ſummi Pontificis reuocaret priuilegium audiendi confeſsiones aliquibus conceſsũ, nõ cenſeretur ea lex ita reuocare tale priuilegium, vt irritas faceret confeſsiones, quas habentes id priuilegium audiẽt, antequam notitia eius reuocationis ad eos perueniret, vel notitia eius reuocationis iam cõmuniter haberetur eo in loco, in quo eas audiunt.
12. Aliæ leges ſummi Pontificis, quæ tempus non præſcribunt à quo obligare incipiant, ſtatim à publicatione in curia facta obligant totam eccleſiam: ignorantes tamen eas inuincibiliter excuſantur a culpa & a pœna tranſgreſſionũ illarum.

MAgno nos onere hoc loco leuabunt, quæ tractatu 2 Diſp. 395 dicta ſunt.

Conſentiũt doctores nõ priùs legem humanã vim habere obligãdi ſubditos, quã promulgata ſit. Ita *diuus Th. 1. 2. q. 90. art. 4. Caiet. & Med.* ibi, *Sotus. 1. de iuſt. q. 1. art. 4. Caſtr°. 1. de lege pœn. in calce capitis. 1. Nauar. lib. 1. conſ. titu. 2. de conſtitut.* cõſil. 1. q. 4. & doctores cõmuniter. Quin, ex mẽte diui Thomę & doctorũ, de ratione legis eſt promulgatio illius, tanquã cõplens rationẽ legis: qua de cauſa in definitione legis ponitur particula, *promulgata*. Et Gratianus §. *leges. diſt. 4.* ſic ait: *Leges inſtituũtur cũ promulgantur: firmãtur cùm moribus vtentium approbãtur.* Nomine enim promulgationis intelligitur, nõ quæcũq; manifeſtatio illius ſubditis, ſed manifeſtatio ac intimatio id illis præcipiẽdo: antequã autẽ id illis in modum præcepti intimetur, quẽadmodum ipſos nõ obligat, ſic ſanè nec rationẽ adhuc præcepti ipſis iã facti, legiſve ipſis iã latę, habet. Quo fit, vt promulgatio de qua nobis hoc loco eſt ſermo, non ſit ſolũ cõditio ſine qua lex nõ obligat, ſicut applicatio ignis ad ſtupã eſt cõditio, ſine qua vis ignis naturalis, quã iã ignis ante eã applicationẽ integrã in ſe habet, ſtupã non inflãmabit, ſed ſit quippiã legis completiuũ, atq; adeò cõpletiuũ vis ſeu virtutis legis ad ſubditos obligandum.

Eſt autẽ magnopere hoc loco obſeruandũ, vt lex integrã ſuam cõpletam rationem legis, comparatione omniũ, quibus fertur, habeat, vimq; proinde obligandi cõparatione eorũ omnium

habeat, neceſſe nõ eſſe promulgationẽ corã ſingulis fieri, notitiámve eius præcepti ſeu legis ita latę ad ſingulos deuenire, idq; neq; quando primò promulgatur, neq; poſtea ordine quodã per eos, qui promulgationi aderãt, ad alios, & per hos ad alios, quo vſq; ad õnes ſucceſſiuè ea notitia deueniat: ſed ſatis eſſe corã aliquibus toti collectioni ſubditorũ id præceptũ eámve legẽ ferri ac promulgari, ſiue ſolemniori ſiue minùs ſolẽni promulgatione, vt õnes eo ipſo aſtringat, niſi legiſlator vim obligandi eius legis ſuſpendat, vt nõ ſtatim aſtringat, ſed poſt certũ empus: facta enim promulgatione legis toti ſubditorũ communitati coram aliquibus eorum, omnes de ea communitate aſtringit, ſingulorũq; cõparatione habet vim legis ipſos aſtringens, quia õnibus eo ipſo eſt iam lata: cæterùm ignorantes probabiliter ſeu inuincibiliter eam legẽ excuſabuntur à culpa tranſgreſſionis illius, & per cõſequens à pœna, ſi pœna aliqua ſtatuta fuit tranſgredientib⁹ eam legem: quoniam vbi culpa nõ eſt, locũ non habet pœna, quæ culpam ſupponit & ob culpam imponitur. Si tamen lex ipſo iure aut ipſo facto aliquid irritat, tunc ſanè id eo ipſo erit irritũ tam cõparatione inuincibiliter ignorantium legem, quàm cõparatione illam ſcientiũ: quoniam lex eo ipſo vim ſuam integram habet cõparatione omnium, quibus eſt ita lata, ſiue ad omniũ notitiam deuenerit, ſiue nõ, ſed multi ignorantia inuincibili excuſentur à nõ impletione eius legis. Idem eſt de legibus reuocantibus cõſuetudines aliquas: eo enim ipſo, quòd latæ ac promulgatæ in ſenſu explicato ſunt, inualida ſunt, quæ iuxta tales gratias, priuilegia, ac conſuetudines fiunt, à puncto pro quo legiſlator intendit eas reuocare, eſtò qui illa, iuxta antiquas gratias, priuilegia, ac conſuetudines, exercent, inuincibiliter ignorent latas eſſe eas leges reuocatorias.

Iuxta ea, quæ de promulgatione requiſita ac ſufficiente ad legis rationem, & vt vim obligandi lex habeat, dicta ſunt, Diſp. 62 dicebamus, legem baptiſmi, & alias euangelicas, vt de ſumenda ſacra Euchariſtia, latas & promulgatas à Chriſto mũdo ante ſuam paſſionem, non quidem coram omnibus de mundo, ſed coram aliquibus, neq; vt ãte ſuam paſſionem & ante ceſſationem legis veteris obligarent, ſed vt obligarent à pũcto ſuæ mortis, quando tranſlato ſacerdotio Leuitico in Chriſti ſacerdotiũ ſecundùm ordinem Melchiſedec legis quoq; trãſlatio fieret, ac proinde lex vetus ceſſaret, eas, inquam, leges cępiſſe à puncto mortis Chriſti obligare totũ orbem, etiam ante ſolemniorem promulgationem legis euangelicæ factam in die Pentecoſtes, omneſq; vniuerſim mortales à pũcto mortis Chriſti aſtrictos ſub lethali culpa fuiſſe illas ſeruare; attamen excuſatos fuiſſe à culpa tranſgreſſionis illarũ omnes, qui inuincibilem earũ ignorantiam habuerunt, nõ ſolùm à pũcto mortis Chriſti vſq; ad ſolemniorem illam promulgationem legis Euangelicæ in die Pentecoſtes, ſed etiam poſt illam deinceps per Apoſtolos & alios miniſtros euangelii ita orbi ſufficienter factam, vt mortifera deinceps õnibus Iudęis legaliũ obſeruatio redderetur, & excuſari hodie õnes, ad quos notitia eius non deuenit, qui proinde inuincibiliter eam ignorant: cũ tamen omnes vniuerſim mortales hodie teneantur lege baptiſmi, cæteriſque Euangelii legibus, vt eſt perſpicuũ, atq; à pũcto mortis Chriſti fuerint lege euãgelica aſtricti. Itaq; promulgatio, quę eſt de intrinſeca ratione legis, & ſine qua lex vim obligãdi non habet eorũ ſubditorũ comparatione, quibus imponitur, eſt illa prima, qua ſubditis præcipitur, ſiue adſint multi ſiue pauci, dum omnibus ita præcipitur ac intimatur: aliæ autem euulgationes, quæ poſtea fiunt, inſeruiunt quidẽ vt notitia eius legis iam latæ ad plures aut ad omnes deueniat, nulluſque ignorantia inuincibili eius legis excuſari à culpa tranſgreſſionis eius legis poſſit, nõ tamen ſunt de ratione legis, neq; ab eis pẽdet vis obligandi legis, quam iam lex, facta prima illius promulgatione ac intimatione ſubditis, in ſe habet.

Ex dictis facilè cõſtat, falſam eſſe ſententiam illam, quam poſt Ioannem And. ibi innuunt *Panor. c. cognoſcentes. a.n. 6. de conſtit. Baldus. l. leges ſacratiſſimæ. C. de leg. quin & Caiet. 1.2.q. 90. art. 4.* nempe legẽ non obligare eos, quia culpa tranſgreſſionis illius ignorantia inuincibili, quòd promulgata ſit, excuſantur. Sanè eo ipſo, quòd ſemel modo explicato eſt promulgata, neq; à legiſlatore vis obligandi illius ad certum vſq; tẽpus ſuſpẽditur, onus, quibus eſt impoſita, etiam illas inuincibiliter ignorantes, obligat, tametſi inuincibili ignorantia eius legis à culpa tranſgreſſionis illius excuſentur. Imò verò ideo ea ignorantia à culpa tranſgreſſionis illius excuſantur, quia illa iam tenentur: ſi enim illa nõ tenerentur, opus non eſſet eos ignorantia illius à culpa excuſari. Vnde hodie omnes tenentur lege baptiſmi illum ſuſcipere: qui tamen inuincibiliter legem baptiſmi ignorant, à culpa nõ impletionis illius excuſantur. Quo fit, vt aliud longè diuerſum ſit, aliquos ignorantia inuincibili legis excuſari à culpa non impletionis legis illius, & aliud non teneri ea lege iam lata ac promulgata nec ſuſpenſa quo ad obligationem illius vſque ad certum tempus.

Quando legiſlator voluit, vt lex ipſius nõ obligaret ante lapſum certi temporis à puncto promulgationis illius, tunc ſatis eſt perſpicuum eam ante id tempus elapſum non obligare: eo quòd lex non maiorem vim obligandi habeat, quàm legiſlator velit eam habere. Ita, poſt doctores alios, *Panor. c. cognoſcentes. n. 7. de Conſt. & Nauar. q. 4. citata n. 14.* Sic cum *conſilium Tridentinum ſeſ. 24. c. 1.* de reformatione, irrita fecerit matrimonia clandeſtina, ac expreſſerit id decretum non habere vim in vnaquaq; paræſcia niſi poſt triginta dies à publicatione illius in eadem paræſcia facta, cõſtat irrita non fuiſſe matrimonia clandeſtina in vnaquaque paręſcia, niſi celebrata fuiſſent triginta diebus poſt publicationẽ eius decreti in ea paræſcia factam: quæ autẽ intra illos triginta diebus à publicatione eius decreti iam facta fuiſſent in ea paręſcia celebrata, valida vtiq; fuiſſent, vt ante id decretum valida erant.

E contrario verò, quando legiſlator expreſſit, à quo puncto vellet ſuam legem obligare, ſtatim ab ipſo pũcto à legiſlatore expreſſo obligat, etiã ignorantes, tametſi ignorantes inuincibili ignorantia à culpa excuſentur, & per conſequẽs etiam à pœna tranſgreſſionis eius legis. Vnde ſi legiſlator exprimat velle ſuam legem ſtatim ſeu ex nunc obligare, obligare incipit à puncto promulgationis: qua de cauſa ſi ea lex irritos aliquos actus efficiat, irriti ſunt, ſi poſt punctum pro-

promulgationis sint effecti, etiam ab ignoran- A tibus inuincibiliter eam legem. Ita, post alios doctores, *Panor.n.7. citato, Felin. ibidem n.7. limit.5.& Nauar.q.4. citata,n.15.* consentit *glosa clem.2.de hæret.* verb. *ex tunc.*

6 Quando legislator non expressit tẽpus,à quo lex sua aut constitutio obligare inciperet, si sit inferior principe, etiã si sit lex concilii prouincialis, statim à publicatione incipit obligare. Ita *Panor.n.7.* citato, & multi alii, quos Panor. citat, *Fel.n.7.* citato, *lim.1.& Nauar.q.4.* citata, *n.16.* Potissima autẽ ratio, vt Nauar. ibi ait, est, quoniam in iure non est dispositum, vt constitutio inferioris à principe non obliget nisi post certũ tempus à promulgatione: & cùm id statutũ nõ B sit, non est cur dicatur expectandos priùs esse duos mẽses à puncto promulgationis, aut quod. uis aliud tempus. Quanto autẽ tẽpore præsumatur ignorantia in subditis à puncto promulgationis talis cõstitutionis, & quãto nõ, vt à culpa & à pœna trãsgressionis excusentur. Rectè respondent doctores citati, id relinquendũ esse prudẽtis iudicis arbitrio spectata distantia loci, in quo facta est promulgatio, & absentiæ subditi, & spectatis reliquis circũstãtiis cõcurrẽtibus. Minus verò tẽpus sufficit vt nõ præsumatur ignorantia inuincibilis cõstitutionis inferioris à principe, quam cõstitutionis principis: eo q; lõgè maius esse soleat districtũ, in quo toto obligat C lex principis, quã in quo obligat cõstitutio inferioris principi, ac proinde minus tempus in hoc, quã in illo, vt notitia legis ad omnes subditos deueniat, requiritur. Et minus tempus requiritur vt præsumatur nõ fuisse ignorantiã in eis subditis, qui minùs distabãt in eodẽ districtu à loco, in quo facta fuit publicatio, quàm in eis, qui plus distabant, vt *Panor.* vbi suprà *n.8.* rectè ait, argumento textus in *c. quosdam, & in c. quantum de præsum.*

7 Quãdo autẽ legislator est supremus princeps, vt Imperator, aut Rex superiorem non recognoscens, vel magnus alium superiorem nõ recognoscens, aut respublica libera, tunc de iure D Cæsareo lex ipsius non obligat in curia, & prouincia in qua curia residet, nisi post duos mẽses à publicatione illius: & in aliis prouinciis eidem supremo principi subiectis, post duos similiter mẽses à pũcto publicationis eius legis in earum vnaquaq; factæ. Ita profectò videtur perspicuè dispositũ in authẽtico, vt factę nouæ cõstitutiones, & cũ aliis, quos citat, aduersus pleroſque alios, affirmat *Nauar.q.4.* citata *n.17.* Ratio autẽ quare neq; scientes neq; ignorantes obliget de iure Cęsareo lex ante lapsum duorũ mensium à puncto publicationis, iuxta Nauar. n.17. citato, est: quoniã licèt illi duo menses iure authenticorũ potissimũ cõcedãtur, vt intra id tẽpus notitia legis ad omnes deueniat, nullusque deinceps possit iustã prætẽdere ignorantiã, non est tamen ea sola ratio, sed simul etiã est, vt ea lex simul omnes obligare incipiat, & nõ quosdam subditorum ante alios, sicque imparitas subditorum, querimonia, ac confusio tollatur, lege omnes simul obligare incipiente. Quare id tempus à iure Cæsareo authenticorum præscriptumest, quo ad omnes leges post illud latas, vt nulla obligare incipiat nisi post duos menses à publicatione talis legis, quando aliud lege post id authenticum lata non exprimit.

Panor.n.7. citato, *Feli. n. etiam 7* citato, *lim.2.* & multi alii, quos citant, & quos *Greg. Lopez l. 20.titu. 1.part.1.glos.1.* sequitur, affirmant, id authenticum intelligẽdum esse, quoad ignorãtes intra eos duos mẽses latã esse eam legẽ: secùs autẽ quoad illã scientes: scientes enim cẽsent eam legẽ obligari ante lapsum eorum duorum mensium à puncto quo illam scire cæperunt. Præter iura alia canonica citat *Greg. Lopez. l. vlt. ff. de decretis ab ord. faciend.* Cæterùm textus ille, stando in iure Cæsareo, limitandus est per authenticum vt factæ nouæ constitutiones, quod postea de iure authenticorum fuit conditum. Præter ea loquitur de legibus municipalibus, non verò de legibus supremi principis.

Sententiam hanc Panormitani, Felini, & cõ- 8
plurium aliorum, veram esse arbitror de stylo curiæ Romanę, in legibus summi Põtificis adde iure canonico. Nempe statim ac lex aliqua in curia summi Pontificis est promulgata, ligare omnes de curia, & de prouincia, in qua curia residet; tametsi ignorantes eã inuincibiliter excusentur à culpa & à pœna transgressionis illius. Atque in foro exteriori ad eos, qui illam fuerint transgressi, spectat probare, ignorantia illius probabili fuisse illã transgressos, quando non sunt cõiecturæ apertæ seu verisimiles iudici, interuenisse ignorantiam probabilem illius, vt sunt ex modico tempore infra duos menses à publicatione illius, ex distantia transgressionis à loco, in quo facta est legis publicatio, & sunt aliæ circunstantiæ concurrentes, vt circa legem inferioris à supremo principe est dictum. Consentit *Nauar.q.4.* citata *n.18.* Non tamen probo verba illa, quæ ibi quo ad hoc Nauarrus subiungit, dicens: *Quæ consuetudo & stylus restringi fortè posset ad forum tantùm exterius, & ad vrbiculas.* Puto enim eum stylum locum etiam habere in foro conscientiæ, & comprehendere omnes de prouincia Romana. Quid autem dicendum sit de Christi fidelibus extra prouinciã Romanã degentibus, statim id explanabimus. Ac sanè cõsentit *ius canonicum c.1. de post. prælat.* & *c.1. §. nec obstaret*, iuncta glossa ibi, *de consess. præb. lib. 6.* quod iuxta antiquissimum eum stylum Romanæ curiæ, & non iuxta ius authenticorum, latum est. Itaque spatium duorum mensium in legibus summi Pontificis, quo ad prouinciã, in qua curia est summi Pontificis, à puncto promulgationis earum legum in curia, solùm hodie habet locum, vt deinceps non sit credenda ignorantia earum legum sequi ex ignorantia inuincibili prætendit transgressum se esse eam legẽ, probare sufficienter debet eã ignorantiã, alioquin culpabiliter eã legẽ fuisse transgressum iudicabitur, pœnaq; transgressoribus eiusdẽ legis statuta punietur. Intra illos duos menses à publicatione præsumitur ignorantia, quãdo circunstantiæ contrarium non persuadent, vt non præsumetur in eo, qui degit in loco, in quo lex promulgata est, aut etiam in vicino pro ratione temporis elapsi à puncto promulgationis, & pro aliis circunstantiis concurrentibus.

In hoc autem Castellæ regno in legibus seu 9
pragmaticis interdum apponi solet ea clausula, *que desde el dia que fuere publicada en nuestra corte en adelante, y fuera della en todos nuestros reinos* (intellige Hispaniarũ, qui eis reguntur legibus. Lusitania enim & Aragonia, cum eis coronis

annexis, aliis reguntur legibus) *passados treinta dias, se cumplay guarde y esecute.* Interdum verò leges ac pragmaticæ solũ promulgantur in curia obseruatiq; præcipiuntur, nullo præscripto in eis termino post quod extra curiã seruentur, exequutioniq́ue mandentur. Crediderim quãdo præscribitur ille terminus, non ligare extra curiam, etiam scientes, nisi post eũ terminum elapsum. Quando verò terminus non apponitur, distinguendũ arbitror. Quoniã si sunt leges, quę aliquid cõcedunt antea prohibitum, vt quæ habeant pretiũ frumenti antea taxatũ, vt sit deinceps maius, aut quæ concedunt redis (*coches* nostri vocant) incedere, si antea erat prohibitũ, & tunc beneficio eius legis potiuntur omnes, etiã distantes à curia, & id ignorantes à puncto promulgationis eius legis factæ in curia, ad effectũ, vt quamuis peccauerint legẽ antiquam trãsgrediendo arbitrantes se adhuc illa teneri, atque adeò contra conscientiam id efficiendo, nihilominus pœnam eius legis iam abolitæ non incurrant, neque teneantur restituere pretiũ, quod vltra antiquum lege taxatum acceperunt, modo non excedat pretiũ nouæ taxæ. Sic verò sunt leges, quæ aliquid prohibent sub certa pœna, vt aliquos vidi non apponentibus terminum pro distantibus à curia, tunc præsumptio erit pro illis intra triginta dies legem ignorasse, vt euadãt pœnam, nisi aliunde constet eos iam eam legem sciuisse. Quòd si res sit dubia, ac iurent se illã ignorasse, quando illam sunt transgressi, pœnam euadent iuxta ea, quæ disputatione sequenti dicenda sunt. Quando tamen lex taxaret pretium infra id quod illuc vsque vendebatur tunc, siue terminus pro distantibus à curia esset præfixus, siue non, modò tamen terminus præfixus non sonaret apertè, vt solùm vltra eum terminũ nefas illis esse id pretium excedere, tunc credo, qui intra eũ terminũ, ignorãtes legẽ, venderent vltra pretiũ iustè taxatũ, euaderẽt quidẽ pœnã eius legis, restituere tamẽ tenerẽtur incremẽtũ, quod ignoranter acceperũt vltra legẽ iustè taxatũ.

Quod attinet ad Lusitaniæ regnum, à quo tempore leges in curia publicatę obligent commorantes in curia, & in aliis partibus regni, tractatu 2, disp. 395 explanatum fuit.

Vtrùm autẽ leges summi Pontificis, post duos menses elapsos à publicatione facta in curia Romana, obligent omnes, qui extra prouinciã Romanã in aliis prouinciis degunt, etiam si à curia Romana valde sint remotæ, atq; etiam si in eis prouinciis non sit facta earum publicatio. Rem hanc ex parte examinauimus copiosè tractatu 2. disp. 395, occasione quorundam contractuum censualiũ, qui in se liciti erant, irritique à Pio Quinto reddebantur, si sine certis cõditionibus post bullam à se ea de re latam celebrarentur.

10 Arbitror sequentibus conclusionibus esse respondendũ. Prima est. Quando lex irritũ aliquid ex iusta causa redderet, quod alioquin in se erat licitũ, & quod reddi irritũ redundaret in iniuriã subditorũ, dum fieret bona fide eam legẽ ignorando, tunc ea lex in curia promulgata non obligat commorantes in aliis prouinciis, quousque in vnaquaque earũ promulgatione, aut alia ratione, cõmunis scientia de ea lege habeatur, recipiq́; in vnaquaque seu exequutioni mãdari ea lex incipiat. Atque per Epicheiam hæc est censenda mens summi Pontificis quoad eam A legem. Cõclusionem hanc copiosè probauimus disp. 395 citata, & idcirco in ea probanda hoc loco non immorabimur. Fortè autem de eiusmodi solùm legibus loquitur authenticũ vt factæ nouæ cõstitutiones, præcipiens, vt eiusmodi leges, quales sunt omnes, de quibus ibi fit mentio, non obligẽt in curia nisi post duos mẽses à publicatione facta in curia, neque in singulis nisi post duos menses à publicatione in singulis earum facta. Licèt autem id legibus eiusmodi pontificibus de communi stylo non seruetur, vt tamen loco citato copiosè ostẽdimus, ad hoc vt obligent, irritaq́: reddant, quæ contra illas fiant, necesse est vt vel publicatione, vel B alia ratione, cõmunis notitia in vnaquaq; prouincia de illis habeatur, Epicheia id præscribẽte ac docente, quoniam alioquin iniqua esset mẽs summi Põtificis in eiusmodi legibus, quod nullo modo de illius legibus est existimandum.

Secunda conclusio. Quando lex summi Pontificis reuocaret priuilegiũ audiendi cõfessiones aliquibus concessum, nõ censeretur ea lex ita reuocare tale priuilegium, vt irritas faceret confessiones, quas habentes id priuilegiũ audirent, antequam notitia eius reuocationis ad eos peueniret, vel notitia eius reuocationis iam cõmuniter haberetur in eo loco, in quo eas audiũt: quoniã id esset irrationabile, & cũ iniuria C & grauamine maximo eorũ, qui illis virtute talis priuilegii essent confessi. Idem intellige de reuocationibus facultatũ audiendi cõfessiones, quas ordinarii interdũ faciunt, idq́; propter eãdẽ rationẽ. Idẽ quoq; intellige, si quæ aliæ leges reuocarent similiter alia, quorũ exequutionem bona fide factã, irritã esse, in iniuriã similiter cederet aliorum. Hanc conclusionem cũ Dominico Soto asseruimus ac probauimus disp. 395. citata. Quoniã id esset irrationabile cũ aliorũ iniuria, quod per Epicheiã intelligẽdũ nõ est, esse mentem summi Pontificis, aut aliorum prælatorum, in eiusmodi legibus ac reuocationibus.

Tertia conclusio. Aliæ leges summi Pontifi- 12
D cis, quæ tempus nõ præscribunt, à quo obligare incipiãt, statim à publicatione in curia facta obligant totã Ecclesiã; ignorantes tamẽ illas excusantur à culpa, & à pœna transgressionis illarũ, si illas probabiliter seu inuincibiliter ignorent. Atque tanta poterit esse distantia à curia Romana, & tam pauci à curia Romana ad eum locum poterunt accedere, vt, si in ea diœcesi facta non sit publicatio earũ, esse possit ignorantia inuincibilis illarum post duos menses, etiam longo tempore, talisque ignorantia præsumi ac iudicari debet in foro exteriori, quando de eis legibus in eo loco non habebatur tunc notitia. Iuxta hanc conclusionem accipio, quæ Nauarrus E cum communi doctorum sentẽtia ex stylo curię tradit. q. 4. citata n. 19. modò tamen non suspendatur obligatio earum legum extra prouinciam curiæ Romanæ duobus mẽsibus, sed statim omnes obligent, vt de scientibus eas leges promulgatas esse ipse & plerique alii concedunt: quæ enim leges scientes obligant, sanè ignorantes illas etiam obligant, tametsi ignorantes eas inuincibiliter, à culpa & à pœna transgressionis earum excusentur, vt suprà dictum est. Illa item eadẽ iuxta hanc cõclusionẽ accipio, modò tẽpus, in quo extra prouinciã Romanã ignorari illas inuincibiliter in exteriori foro debet præ-

sumi,

sumi, nec arctetur ad duos menses, quoad eos, A quiualde distãt, & ad quos notitia earũ legũ post eos duos menses non peruenit negligentia suorum prælatorũ in ea diœcesi illas promulgandi, vel alia ratione: nec extendatur ad duos menses quoad adeò vicinos prouinciæ Romanæ, vt quo ad Venetos, Florẽtinos, Neapolitanos, Genuẽses, & alios similes, vt constet in eis prouinciis, spectatis circũstantiis omnibus cõcurrentibus, communem notitiam earum legum, ante duos menses elapsos à publicatione earum Romæ factam, habitam communiter fuisse in eis prouinciis ac locis. Quo fit, vt tempus, in quo in exteriori foro præsumi ignorantia probabilis harum legum in subditis debeat, iudicio prudentis iudicis, spectatis circunstantiis omnibus B concurrentibus, debeat semper relinqui.

His, quæ in hac disputatione sunt dicta adiũge, quæ tractatu præcedente disp. 395 citata dicta sunt. Cæterùm, quæ in ea disputatione videris ab his discrepare, quæ eo loco dicta sunt, ea ad dicta hoc loco admetiaris.

Vtrùm de essentia legis humanæ ac constitutionis sit, vt sit scripta. Et num ignorantia legis seu iuris excuset. Et qualiter legis ignorantia probari possit. Disp. 71.

SVMMARIVM.

1. MVlti Iurisconsulti censent de ratione & substantia legis esse, vt sit scripta: quòd lex sit à legendo dicta, at melior multorum sententia asserentium non esse de essentia legis vt sit scripta, tametsi ante publicationem redigi in scriptis soleat, vt melius de illa constet.
2. Ignorantia legis tunc excusat à culpa & à pœna, si loquamur de lege promulgata quidem, sed antequam præsumatur deuenisse notitiam illius ad homines communiter eius loci, in quo aliquis prætendit habuisse illius ignorantiam, habita ratione temporis, à quo fuit primò promulgata, &c.
3. Ignorantia legis iuramento transgredientis sufficienter probari potest, quo affirmet ignorasse se talem legem latam fuisse: quando spectatis circunstantiis concurrentibus res est in se dubia, num legem ignorauerit. D
4. Quando plena præsumptio est in aliquem, quòd scienter legem aliquam sit transgressus; aut certè quòd ex ignorantia crassa eam sit transgressus, tunc non satis est probatio per iuramentum trãsgressoris, vt ea ignorantia censeatur sufficienter probata, quin neque iuramentum cum vno teste.
5. Probatur verò sufficienter ignorantia legis alicuius promulgatæ, probato aliquo, quod coniunctũ moraliter esse non potuit cum scientia eius legis, aut cum negligentia culpabili illam sciendi. E
6. Quamuis, vt quis teneatur seruare legem promulgatam, non requiratur scientia quòd lata sit, quæ sit euidens, requiritur tamen notitia illius, quæ à fide dignis sit habita.
7. Quando constaret legem aliquam esse promulgatam; attamen eam esse talem, de qua meritò dubitatur an sit recipiẽda vel simpliciter vel in aliqua prouincia, non tenentur particulares statim ac sciunt illam esse latam eam seruare, sed posse exspectare num recipiatur.
8. Si in foro conscientiæ loquamur, & ignorantia legis verè sit inuincibilis, tunc ignorantia legis vsu receptæ ab omni culpa & à tota pœna trãsgredientibus eam legem excusat in eodem foro.
9. Licèt, quãdo aliæ pœnæ sunt statutæ pro aliquo delicto, qui id delictũ cõmittit non excusetur à pœna, estò inuincibiliter eam pœnam ignoret esse pro eo delicto statutam; qui tamen inuincibiliter ignorat legem ecclesiasticam, qua aliquid præcipitur sub pœna excommunicationis, non incurrit excõmunicationem illam, licèt id quod sub ea pœna prohibetur malum alioquin in se sit.
10. In foro externo ignorantia iuris non præsumitur, maximè quæ crassa non sit, quæq; à culpa & à pœna excuset, ita vt, nisi sufficienter ignorantia inuincibilis iuris probetur, pœna transgredientibus legem statuta non euadatur.
11. Refellitur opinio Nauarri dicentis, eum, qui bona fide & probabili ignorantia contractum celebrauit usurarium, non teneri ad restitutionem eius, quod in eo contractu vltra sortem, adeoq; tãquam veram usuram in se sed non existimatione celebrantis eum contractum, accipit, modò non excedat id quod lucraturus fuisset iusto alio contractu, si ab hoc abstinuisset.
12. Quoniam inuincibilis ignorantia iuris à pœna excusat, inde efficitur, amentem, infantem, & quemcunque alium vsu rationis perspicuè carentem, si inuincibili ignorantia iuris flagitium aliquod committeret, pro tali delicto in foro exteriori omnino excusari.
13. Quando lex ad pœnam incurrendam exigit delinquentem dolum seu scientiam, vt si dicat, Qui scienter id fecerit, sit eo ipso excommunicatus, tunc ignorantia crassa & supina, etiam si iuris sit, à tali pœna excusatur. C
14. In commodis seu compendiis ignorantia iuris etiam inuincibilis obest, sed non excusat, nec adiuuat: in damnis verò ignorantia iuris non obest, sed excusat & adiuuat.
15. Quamuis, qui bona fide possedit aliquid alienum ignorantia facti tanto tempore, quantum ad id præscribẽdum est necessarium illud verè præscribat, comparetq; proinde dominium illius, quod prior dominus eo ipso amittit, qui tamen ignorãtia iuris etiam inuincibili, quòd esset suum, illud possideret, id non præscriberet, illa tamen possessio non est bona fide ex dispositione iuris ciuilis ad præscribendum necessaria.
16. Si hæredi instituto non remaneat quarta pars bonorum defuncti, atque ex ignorantia iuris soluit legata integra, non potest ex illis quod ad eam defuerit repetere.
17. Quando quis ex iuris ignorantia repudiauerit hæreditatem ad se attinentem, aut intra tempus à iure statutum, vt adeatur, & vt alioquin eo tempore transacto ad proximè succesorem ea hæreditas transeat, illam non adiuit, tunc eo ipso transit hæreditas illa ad proximum succesorem, nec ei subuenitur; secus autem si ex ignorantia facti illam repudiauit vel non adiuit.
18. Qui aliquid soluit quod suum iam simpliciter erat, aut ad se iam omnimodo pertinebat, vel illud remisit, si id ex ignorantia iuris aut facti fecit, illud repetit, nec proinde talis ignorantia ei nocet.
19. Minori 25 annis, & militi seculari, rusticis rudibus, mulieribus etiam in certis casibus, subuenitur, si in aliquo ius ciuile ignorent.

QVæ in hac disputatione proponimus, necessaria videntur ad pleniorem cognitionem eorum, quæ disputatione præcedente dicta sunt.

Albericus, Salycetus, Cynus, & alii, quos *Felin. in rub. de cõst. n. 3.* & *Gr. Lop. l. 4. tit. 1. par. 1 gl. 1.* referũt, cẽsent, de ratione & substãtia legis esse, vt 1

sit scripta. Duci potissimũ videntur etymologia illa Isidori, quòd lex à legẽdo sit dicta. Quãuis autẽ ea esset legitima etymologia, vnde id nomẽ fuerit illi impositũ, (quod tamẽ disp. 46 falsum esse ostendimus) argumentum tamen nihil vrget. Neq; enim est necesse, vt etymologia vnde nomen aliquod est impositum, omnibus conueniat, quibus id nomen accõmodatur, sed satis est si aliquibus conueniat: vt licèt lapis à lædendo pede sit dictũ, necesse non est, vt lapis omnis pedẽ lædat: ac proinde quãuis ea esset etymologia verbi lex, necesse nõ esset vt legibus omnibus cõueniret. Longè verò cõmunior doctorũ sentẽtia, quos Felinus idẽ refert, & quos *Panor. in eadẽ rub. n. etiã 3.* sequitur, est, de substantia legis ac cõstitutionis non esse scriptam, tametsi ante publicationẽ redigi in scriptis soleat, vt meliùs de illa cõstet, meliusque memoria illius cõseruetur. Atque hãc sententiã verã esse existimo. Vnde lex testibus probari potest, siue extet scriptura authẽtica, in qua cõtinebatur, siue deperdita sit, vt doctores citati affirmãt. Adde tu, siue nunquã fuerit scripta, sed voce tenus sancita ac promulgata. Quòd autẽ ad legis rationẽ necesse nõ sit eã in scriptis esse redactã, facilè cõstat, quoniã illi eidem legi, quæ scripta rationẽ legis habet apud doctores, cum quibus disputamus, competit ratio legis eo ipso, quòd sola voce sit lata ac promulgata principis autoritate vt seruetur, vt ex sẽ est satis perspicuũ. Cõfirmatur, quoniã apud nationes barbaras, quæ scribere nesciunt, vt sunt Aethiopes, Congi, Angolæ, & alii permulti, & erãt habitatores permulti noui orbis, antequã Hispani ad illos accederent, imponere poterant leges sibi subditis verbo tenus, dubitandũq; non est leges aliquas, tametsi paucas, illos habuisse, verbo tenus statutas ac promulgatas, maximè quoad punienda furta, adulteria, & alia crimina: ergo de ratione legis nõ est, quòd sit scripta. Neq; probo sententiã Felini vbi suprà cũ Baldo quos sequitur *Greg. Lopez gloßa 1.* citata, asserentiũ, scriptã nõ esse quidẽ de forma substantiali legis, essẽ tamen de forma legis accidẽtali, hoc est (vt se ipsos exponunt) necessaria ad inducẽdã obligationẽ ex tali lege, quasi lex non obliget nisi sit scripta. Quæ enim dicta sunt probant, satis esse ad subditos obligandum, si voce fit eis lata ac promulgata: tametsi apud non barbaros priùs scribi soleat, quàm promulgetur. Hæc de primoeorum quæ proposita sunt.

2 Quod verò ad secundum attinet, est distinguẽdũ. Quoniã si loquamur de lege promulgata quidẽ, sed antequã præsumatur deueniſſe notitiã illius ad homines communiter eius loci, in quo aliquis prætendit habuisse illius ignorantiã, habita ratione tẽporis, à quo fuit primò promulgata, & distantiæ eius loci à loco, in quo fuit facta promulgatio, spectatis reliquis circunstãtiis concurrentibus, ita quòd, iuxta ea quæ disputatione præcedente dicta sunt, præsumptio ex illis sit pro eo, qui ignorantiam illius habuisse contendit, verè illã habuisse, nisi contrariũ aliunde cõstet aut probetur: atq; tunc ea iuris ignorantia à culpa excusat, & omnino à pœna, quin neque in dãnis neq; in cõmodis illi præiudicat, qui illã habet, nõ secùs ac lata nõ esset ea lex. Tametsi, quando lex taxat pretiũ mercis, aut irritũ aliquid facit à pũcto promulgationis, pretiũ venditionis eius mercis post eã legẽ promulgatã, maiori pretio factæ, quã ea lege sit taxatũ, reduci debeat ad quantitatẽ pretii ea lege taxati in cõsciẽtiæ & in exteriori foro, inualidũq; sit, quod contra eã legẽ aliquid irritantis fuerit id effectũ, nihil impedièt ignorantia taliũ legũ. In titulis autẽ *ff. & C. de iuris & facti ignorantia*, nõ est sermo de eiusmodi ignorantia legũ seu iuris: quoniã hæc excusat à delicto transgressionis legis, & à pœna pro eo delicto statuta. Quin arbitror nõ impediret vsucapionem seu prescriptionẽ, vt impedit ignorãtia iuris, de qua est sermo in titulis de iuris & facti ignorantia, vt *tractatu 2. disp. 64.* copiosè ostendimus.

Hęc iuris ignorantia probari potest per eum, qui prætẽdit ex illa trãsgressum fuisse legẽ, quãdo iam non est præsumptio pro illo, quòd illã ignorauerit, quę dubio caret, (tali enim præsũptione existente, probatione ignorãtię nõ indiget) sed vel res est præsumptio dubia attentis circũstantiis cõcurrentibus, vel est præsumptio aduersus illũ, quòd eã nõ ignorauerit, nisi fortè ignorantia crassa & supina, (quæ eũ nec à culpa nec à pœna excusat) eo quòd homines communiter loci, in quo eis dicit illã ignorasse, de promulgatione eius legis notitiã tũc haberent, eãq; legẽ cõmuniter iam tunc seruarent. Admittitur verò is ad id probandũ, vt probata tunc ignorantia inuincibilis eius legis, excusetur omnino à culpa trãsgressionis eius legis, & per cõsequens à tota pœna pro ea transgressione lege illa statuta. Ita *Panor. c. cognoscentes de constit. n. 9. Fel.* ibidem *n. 10. Nauar. lib. 1. consil. titu. 2. de constitutionib. consil. 1. q. 2.* Quod probant argumento *c. vlti. qui matr. accus. poss. & l. vlt. ff. de decret. ab ordi. facien.* Et quoniam licèt tantum tẽpus à publicatione legis sit elapsum, vt præsumptio aduersus illum iam sit, ipsum eam nõ ignorasse, aut crassè ac supinè illam ignorasse, ea tamen præsumptio non est iuris & de iure, vt aduersus eum non admittatur probatio in contrarium.

Est verò nõ parua cõtrouersia, quomodo ea 3
ignorãtia probari possit, & nũ sufficiẽter probetur iuramẽto eius, qui eã legẽ est trãsgressus, quo affirmet ignorasse talẽ legẽ latã promulgatãq; fuisse. Quod verò ad probationẽ per iuramẽtũ attinet, prætermissis aliis opinionibus, quas apud *Panor. c. cognoscẽtes de cõst. n. 9.* & apud Fel. ibidẽ à n. 10. legere poteris circa probationẽ ignorãtiæ legis, de qua nũc loquimur, (quoad ignorãtias enim aliarũ rerũ suis in locis erit dicendũ) est distinguẽdũ. Quòd aut, spectatis circunstãtiis cõcurrẽtibus, res in se est dubia, an legem ignorauerit, ita quòd, iuxta ea quæ disp. præcedente explanata sunt, adhuc nõ est præsumptio plena aduersus eũ, qui illam est transgressus, eũ illã sciuisse, aut si eã ignorauit, crassè illã ac supinè ignorasse. Atq; tũc, quando aliud de illo nõ cõstat, nec probatur, meo iudicio sufficit ad probationẽ plenã, vt absoluatur, iuramentũ ipsius, q́ illã ignorauerit. Vt si in hoc regno lex in curia sit promulgata nullo dato termino pro degẽtib⁹ extra curiã, & intra triginta dies à lege in curia promulgata aliquis in loco à curia distanti cõtẽdat ex ignorãtia illã fuisse trãsgressũ, satis est, quãdo aliunde cõtrariũ nõ cõstat, si iuramẽto affirmet se illã ignorasse, vt immunis à culpa & à pœna eius transgressionis iudicetur. Similiter, si intra duos menses à lege summi Pontificis in sua curia promulgata aliquis in loco à curia distanti illam transgrediatur, neque

aliun-

aliũde conſtet, illũ ſcienter fuiſſe eã tranſgreſsũ, A ſatis eſt, ſi iuramento affirmet, ſe illã ignoraſſe, vt ſimiliter abſoluatur. Eodẽ modo ſi lapſi iã ſunt duo menſes, lexq; illa in diæceſi à curia diſtante nec fuit promulgata, nec cõmuniter ſcitur ac practicatur, & aliunde de ſciẽtia tranſgreſſionis talis legis nõ conſtat, ſatis eſt, ſi iure iurãdo affirmet ſe illam nõ ſciuiſſe, vt ſimiliter abſoluatur. Ratio autẽ eſt, quoniã quãdo res adeò eſt dubia, & ex parte eſt veriſimilitudo ac præſũptio ignorãtiæ iuſtæ eius legis talis trãſgreſſoris, vt in propoſitis euẽtibus & in aliis ſimilibus eſt ea veriſimilitudo, nulla ſanè æquitas patitur, vt ille condemnetur, ſed ad tollendã ſuſpicionẽ, num ſciẽs fuerit illã tranſgreſſus, atq; vt, ſi ex propria illius B confeſſione conſtet ſcienter fuiſſe illã trãſgreſſum, puniatur, cogi poteſt ſuo iuramento id cõfirmare, eamq; pellere dubietatem. Idem cenſet Feli. vbi ſupra cũ aliis, & meo iudicio bene, quãdo eſt quidẽ iam præſumptio plena aduerſus illũ, quòd ſcienter legẽ fuerit trãſgreſſus, vel certè ex ignorantia craſſa & ſupina, attamen adeò vrgẽtes probationes & indicia in contrariũ ille affert, vt ferè ad integrã probationẽ talis iuſtæ ignorantiæ accedãt, remanẽte tamẽ aliquo dubio: tũc enim probatio ſuperaddita per ſuũ iuramẽtum, quòd illã ignorauerit, cẽſeri debet cõplere integram ac plenam probationem propter eãdem rationem. Atq; in his euẽtibus verã C eſſe exiſtimo gloſsã c. propoſuiſti. verb. nõ probatur. 82. diſt. & multas alias quas Fel. n. 10. citato cõmemorat, & quod Panor. & Fel. vbi ſuprà ac Nauar. conſil. 1. citato. q. 2. n. 7. tradunt de probatione ignorantiæ per iuramentum.

Quãdo verò eſt iã integra ac plena præſũptio
4 aduerſus aliquem, quòd ſciẽter legẽ aliquã fuerit tranſgreſſus, aut certè quòd ex ignorantia craſſa ac ſupina eã fuerit tranſgreſſus, vt quia in hoc regno poſt triginta dies à lege in curia promulgata, aliquis eſt eã trãſgreſſus, aut de iure Cæſareo authenticorũ poſt duos integros menſes à promulgatione facta in prouincia, in qua dicitur facta illius tranſgreſſio ex ignorãtia, vel quia D poſt duos menſes à promulgatione legis, ſummi Põtificis facta in curia, cõtẽditur ex ignorantia inuincibili eius legis fuiſſe factam tranſgreſſionem illius in prouincia Romana, aut in aliqua alia diæceſi, in qua iam communiter ſciebatur ac practicabatur, tũc non ſatis eſt probatio per iuramentũ tranſgreſſoris eius legis, quòd ex ignorãtia inuincibili eius legis fuerit illã tranſgreſſus, vt ea ignorantia cenſeatur ſufficienter probata, quin neq; iuramentũ cum vno teſte. Quoniam quãdo eſt tanta præſumptio in cõtrarium aduerſus aliquem, nõ ſatis eſt probatio per iuramentum illius, maximè quãdo de cõmodo, aut vitanda pœna eius, qui id iuramento affirmat, a- E gitur, quod in re propoſita euenit, vt Bart. & multi alii, quos doctores citati referũt, rectè affirmant: ſed neceſsaria tunc aliunde eſt plena ac integra probatio. Vt tamẽ cum Felino & aliis paulo antea dixi, quando aliunde eſsẽt adeò vrgẽtia indicia, adeoq; vrgens probatio, vt ferè accederet ad plenã, tũc accedens iuramentum deberet cenſeri plenam compleri probationẽ, argumento multorũ iuriũ, quæ ad ignorãtiæ probationem in multis euẽtibus admittũt iuramẽtũ eius, qui ſub illo affirmat ſe id ignoraſſe, de quorũ numero ſunt. *c. vlt. qui matr. accuſ. poſ. c. ſi verò. 2. de ſent. excommu. & c. eos de temp. ord. lib. 6.*

Probatur verò ſufficienter ignorãtia legis ali- 5
cuius promulgatę, probato aliquo, quod cõiunctũ moraliter eſſe nõ potuit cũ ſciẽtia eius legis, aut cũ negligentia culpabili illã ſciẽdi. Vt quòd toto eo tẽpore infans fuit, vel aliter ſine vſu rationis, vt quia fuit amẽs, aut quòd fuit abſens à loco, in quo potuit ac debuit illam ſcire, vel quia toto eo tempore fuit extra eam prouinciam, aut apud infideles. Ita doctores communiter, & cum eis *Nauar. q. 2. citata n. 6 & 7.*

Rectè ait *Nauar. vbi ſupra. q. 3. n. 8.* quamuis 6
vt quis teneatur ſeruare legem promulgatã, nõ requiratur ſcientia, quòd lata ac promulgata ſit, quæ ſit euidens, vt peruiſum, requiri tamẽ notitiã illius, quæ à fide dignis ſit habita: neq; enim ſtatim ac dicitur promulgatam eſſe, tenetur, qui id audit, illam ſeruare, donec à fide dignis id intelligat: *qui enim citò credit, leuis eſt corde*, vt Eccleſ. 19 habetur, neq; ex quocũq; rumore tenetur quis inducere ſuper onus ſeruandi legẽ: tamẽſi, ſi qua cõmoda via illi occurrat, vnde cognoſcat, an ita rei veritas habeat, teneatur inquirere, nũ id ita habeat, cõpertoq; rẽ ita habere, teneatur legẽ ſeruare. Si tamen, ad legẽ implendã, neceſſariũ ſit inſtrumentũ, aut aliquid aliud, quod, ſpectatis circunſtãtiis concurrentibus, cõmodè non poteſt haberi, vt promulgato præcepto Pii Quinti, quòd omnes tenerẽtur deinceps recitare officiũ diuinũ iuxta breuiarium ab eo editum, ſanè tunc, qui id præceptum eſſe promulgatum agnoſcebant in Hiſpaniis conſtituti, non tenebantur id officium recitare, quo vſq; commodè in eiſdem Hiſpaniis habere poſſint id breuiarium, vt re ipſa in Hiſpaniis fuit tunc factum.

Illũd etiã eſt obſeruandũ, cõſentaneè ad Na- 7
uarrum. q. 3. citata. n. 11. quando cõſtaret legẽ aliquã eſſe promulgatam, attamen eam eſſe talẽ, de qua meritò dubitatur, an ſit recipiẽda, vel ſimpliciter, vel in aliqua prouincia aut cõmunitate, non teneri particulares ſtatim, ac ſciunt illã eſſe promulgatã, eam ſeruare, ſed poſſe expectare nũ recipiatur: quoniã nullus tenetur ſeruare legẽ, quam maior eius communitatis pars nõ receperit, & quã capita eius communitatis non receperit: eaq; de cauſa, quando eſt dubium, num recipietur, priuati expectare poſſunt donec videant illam recipi, & oppida, minoreſq; cõmunitates, aut minus præcipuè, expectare poſſunt num ciuitates, minores, aut magis præcipuæ cõmunitates eius prouinciæ illam recipiant.

Si autẽ loquamur de ignorantia legis nõ ſolũ 8
promulgatæ, ſed etiam vſu iam receptæ, de qua ignorantia iuris eſt ſermo *in tulis. ff. & C. de iur. & fact. ignor.* tunc eſt diſtinguendum. Quoniam vel loquimur in foro conſcientiæ, vel in foro exteriori. Si in conſcientiæ foro loquamur, & ignorantia legis ſit verè inuincibilis, ſeu probabilis, tunc ignorantia eius legis in eodem conſciẽtiæ foro ab omni culpa & à tota pœna tranſgrediẽtibus eam legẽ excuſat. Et longè maiori cum ratione, ſi ea ignorantia fuit legis promulgatæ quidem, ſed nondũ vſu receptæ, de qua antea loquuti ſumus. Habẽt autẽ hęc verũ, ſiue ea inuincibilis ignorantia ſiue antecedẽs, quam vocant, quia ſcilicet, ſi is, qui eam habet ignorantiam, haberet ſcientiam eius legis, illam non tranſgrederetur, ſiue ſit comitans, quia videlicet eſtò haberet ſciẽtiam eius legis, illam eodẽ modo tranſ-

transgrederetur; nihil tamẽ is tũc de ea re cogitat, neq; habet talẽ actum, sed solùm est ita prauè affectus, Deusq; scit id ita futurum fuisse.

In priori parte huius asserti omnes cõsentiũt. Ratio verò illius est, quoniã inuincibilis ignorãtia, *vt.1.2.q.76.art.3.* copiosè ostẽdimus, excusat à tota culpa transgressionis præcepti ex ea ignorantia; & per consequens à tota pœna pro ea trãsgressione statuta: quippe cùm vbi non est culpa, pœna propriè dicta incurri non possit, quæ esse nequit nisi ob veram culpã. Cõfirmatur ex. *c. cognoscentes de cõst.* vbi habetur, *Rem, quæ culpa vacat, in damnum vacare non cõuenit.* Ait verò bene *Nauar. lib.1. consil. tit.2. de cõst. consil.1.q.2.* in foro cõscientiæ stari dicto rei asserentis se inuincibiliter ignorasse eam legem, hoc est, in potestate ipsius tũ non fuisse illã scire, aut illius recordari atq; ad eã aduertere. Id quod doctus & prudens, qui à timorato minùs docto & minùs prudente, qui ex ignorãtia seu inaduertentia legem aliquã est transgressus, consulitur, nõ difficile iudicabitur attentis circunstantiis omnibus cõcurrentibus. Atq;, vt è multis exemplũ vnũ proferamus, *concilium Tridẽtinum sess.24.c.12.* de reformat. sic statuit: *Prouisi de beneficiis quibuscunq; curam animarum habentibus teneãtur à die adeptæ possessionis, ad minùs intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel, eo impedito, corã generali eius vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicã facere professione, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spõdeãt ac iurent. Prouisi autẽ de canonicatibus, & dignitatibus in ecclesiis cathedralib⁹, nõ solũ corã Episcopo, seu ei⁹ officiali, sed etiã in capitulo idẽ facere teneantur. Alioquin prædicti ones prouisi, vt supra, fructus nõ faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* Idẽ extendit Pius quartus ad superiores quoscunque quarumcunq; religionũ, in bulla ipsius circa formam faciẽdi eã professionẽ, quę habetur in fine concilii Tridẽtini, idq; his verbis. *Volentes etiam per quoscunq;, quibus de monasteriis, conuentibus, domibus, & aliis quibuscunq; locis regulariũ quarũcunq; ordinum, etiam militariũ, quocunq; nomine vel titulo prouidebitur, idem seruari.* Nescio tamen an hoc vllibi vsquam vbiq; in Hispaniis sit receptũ. Fortè quia in eis, Dei bonitate, sani omnes in fide & in obedientia sanctæ Romanæ Ecclesiæ sunt. Quod ad illos verò alios beneficiarios attinet, sanè cùm adeò multiplicata sint hodie iura, facillimũ est, qui promouentur ad beneficia, hoc mandatũ ita ignorare, vt in potestate ipsorũ non sit de illo inquirere aut ad inquirendũ de illo aduertere, vel, si aliquãdo illud sciuit, in potestate ipsius nõ fuerit recordari, ad illúdve attẽdere, ac proinde facillimũ est cũ inuincibili seu probabili ignorãtia prętermittere efficere eã fidei professionẽ, ac spõsionẽ obediẽtiæ sãctę Romanę Ecclesiæ, & multi de se ipsis affirmabunt, & ego nonnullos iam reperi. Cùm verò ea lex pœnalis sit quoad id, vt fructus eius beneficii non faciãt suos, & vt possessio eius beneficii ipsis non suffragetur ad illud triẽnali possessione præscribendum, cõparandumq; dominium illius cum titulo colorato, certè nõ video pœnas illas tũc incurri in foro conscientiæ. Neq; illa est ignorantia iuris comparatione possessionis verè comparatæ, neque comparatione præscriptionis talis beneficii possessione illius triẽnali cum titulo colorato, sed solum cõparatione professionis fidei pręceptę ac omissę, quę quãdo est culpabilis, annexa habet eam pœnam, vt ea possessio, vera in se, non suffragetur ad præscribendum id beneficium triennali possessione cũ titulo colorato: quod nescio an satis attẽderit *Nauar.1.lib.consil.tit.1.cons.1.* Fatetur verò nobiscũ ibidem *cons.3.* facilè eiusmodi ignorantiã eius præcepti concilii Tridentini posse esse inuincibilem in foro conscientiæ: nec video cur (parum sibi constans) in fine consilii.1. sic dixerit: *Sed quia prædicta ignorãtia & inaduertẽtia non est sine aliqua culpa nolendi scire, vel negligentiæ discẽdi, vel aduertendi ad id, quod scire & aduertere debebant, secundùm qualitatem suam, non est facile illos excusare omnino, etiam quoad forum conscientiæ.* Hæc ille. Nauarrus ibi consilio quarto arbitratur, in primis satis esse efficere eam fidei professionẽ ac iuramentũ per procuratorẽ. Quod ego asserere nõ audere: quoniã actus ille, ex mẽte legũlatorum, requirere videtur personalẽ præsentiam, & vt ab ipsomet beneficiario fiat, vt de ipsius vera fide professione ipsiusmet facta constet. Deinde verò asserit, eũ, qui ex ignorãtia inuincibili illã intra eos duos mẽses facere omisit, teneri nihilomus post eos duos menses illã efficere. Et quãuis id tutius sit, præsertim ne si postea animaduertatur eũ illam non fecisse, spolietur in pœnam fructibus longioris temporis, eosq; soluere cogatur: quando tamẽ nõ esset id periculum, & ei, qui ita per ignorãtiam inuincibilẽ illã facere omisit, cõstaret in foro conscientiæ se illos non debere, seq; verè esse catholicũ, fortè per epicheiã est cẽsendum, mentẽ legũlatorum non fuisse, vt in eo euentu teneretur illã efficere elapsis iã illis duobus mẽsibus, cũ manifesto periculo, vt cogatur soluere fructus prætériti tẽporis, quos verè in foro cõscientię nõ debet. Sanũ verò cõsilium esset, quãdo fructus verè nõ fecisset suos, teneretúrq; facere eã fidei professionẽ, efficere priùs in exteriori foro cõpositionẽ circa illos cũ sede apostolica, seu cum eo ministro summi Põtificis, qui ad id haberet facultatẽ, & tunc accedere ad eã fidei professionẽ corã ordinario efficiendã. Iuxta exemplũ propositũ ac explanatum, facilè quiuis doctus intelliget, quãdo in cõscientiæ foro in similibus quãplurimis aliis euẽtibus interueniat iuris ignorãtia inuincibilis seu probabilis, quæ in eodem conscientiæ foro à tota culpa & à pœna tota pro transgressione eius legis statuta excuset.

9 Quãuis, quãdo aliæ pœnæ sunt statutæ pro aliquo delicto, vt pro furto, aut homicidio, qui id delictũ culpabiliter cõmittit, nõ excusetur à pœna, estò inuincibiliter ignoret eam pœnã pro eo delicto esse statutã; quitamẽ inuincibiliter ignorat legẽ aut statutũ ecclesiasticum, quo aliquid præcipitur aut prohibetur sub pœna excõmunicationis, non incurrit excõmunicationẽ illã, estò id, quod sub ea pœna prohibetur, malũ alioquin in se sit, & is cõmittat id sciẽs esse malũ ac peccatũ. Vt si quis, ignorans inuincibiliter pœnã excõmunicationis statutã esse ab ecclesia furantibus ex naufragio, furetur ex naufragio, sciens id in se esse malum cõtra septimũ decalogi præceptũ; aut si in Episcopatibus, in quibus sub pœna excõmunicationis prohibita sunt venesicia, & alia sacrilega arte dæmonũ, ignorãs inuincibiliter ea delicta esse in eis sub ea pœna prohibita, aliquid eorum efficiat, sciens id in se esse malũ ac peccatũ lethale, secluſa ea prohibitione ecclesię

sub

ſub ea pœna, tunc eam excommunicationem nõ incurrit. Ratio autem eſt, quoniam excommunicatio non incurritur niſi propter inobedientiã eccleſiæ: qui autẽ inuincibiliter ignorat, id prohibitũ etiam eſſe ab eccleſia ſub ea pœna, inobediẽs eccleſiæ non eſt, ſed ſoli Deo, ius naturale in eis euẽtibus ſciẽs & prudẽs trãſgrediẽdo. Et quoniam, vt quis excõmunicationem incurrat, neceſſe eſt, vt priùs admoneatur, ſaltem lege Eccleſiaſtica lata ac promulgata ea de re, per ipſumque ſtet, ſcire eam admonitionẽ, quia craſsè ac ſupinè eam ignorat: qui autem inuincibiliter ignorat ſtatũ eccleſiæ latum ſub pœna excõmunicationis, non cenſetur admonitus, vt ob inobedientiã ac contumaciam eccleſiẽ, eã pœnã excõmunicationis incurrat. Hæc cũ cõmuni doctorũ ſentẽtia, quã ibi retulimus, aſſeruimus aduerſus Couarruuiã & Adrianũ, ac copiosè comprobauimus. *1.2.q.76.art.3.* cõſentitq;. *c. vt animarũ de cõſt. lib.6.* quo in capite cũ Sylueſt. aſſeruimus, nomine *quorũcunq; ordinariorũ*, cõprehendi etiam ſummum Põtificẽ, qui ordinarius eſt ordinariorum, ac proinde in eo capite leges etiam ac conſtituta ſummi Pontificis cõprehẽduntur. Quia verò ſedes propria id examinandi articulus ille eſt, eoque in articulo copiosè id oſtẽdimus, nõ plura hoc loco hac de re dicimus.

Quãuis autẽ difficilè euenire poſſit, quãdo eccleſia ſub pœna excõmunicationis aliquid præcipit aut prohibuit, vt quis nõ ignoret præceptũ eccleſiæ, quo id præcipit aut prohibuit, & tamẽ inuincibiliter ignoraret, & non potiùs craſsè ac ſupinè ſub pœna excommunicationis id præcepiſſe aut prohibuiſſe; articulo tamẽ 3 citato nõ improbabile cũ Dominico à Soto iudicauimus, ſi quando id eueniret, tranſgredientẽ id eccleſię præceptũ nõ incurrere eã excommunicationis pœnã. Quoniam ad incurrendam excommunicationem, neceſſe eſt antecedat admonitio ſub ea pœna, ſaltem per legẽ ea de re latam: qui autem, ſciens id præceptum, inuincibiliter ignoraret latum eſſe ſub excommunicationis pœna, non cẽſeretur admonitus ſub ea pœna, excuſante illum ignorantia inuincibili, quòd id præceptum ſub excommunicationis pœna eſſet latum.

Poſteriorem partem aſſerti ſuprà propoſiti, prædicta ſcilicet omnia eodẽ modo habere locũ, ſiue ignorãtia inuincibilis ſit antecedẽs, ſiue cõmunitans, oſtendimus copiosè. *1.2.q.76.art.3.* cum Caiet. ibidẽ & cum pleriſq; aliis aduerſus Nauar. in Manuali, quam etiam ſententiam repetit *lib.1.conſil.titu.1.conſ.1.num.3. & titu.2. conſ. 1.q.1.num.3.* ac aliàs ſæpe. Ratio autem, inter alias, eſt. Quoniam culpa tranſgreſſionis legis eſſe nequit ſine voluntario: ſicut autem ignorantia inuincibilis antecedens legis efficit legis tranſgreſſionem inuoluntariam, ita ignorãtia inuincibilis eiuſdem legis cõmunitans efficit eandẽ tranſgreſſionem omnino non voluntariã: quoniam ſicut per contrarium voluntarii, nẽpe per inuoluntarium, ſi ſit ſimpliciter & omnino inuoluntarium ob ignorantiam inuincibilem antecedentem, tollitur omnino voluntarium; ita per contrarium, nempe per non voluntarium omnino & ſimpliciter ob ignorantiam comitantem inuincibilem, tollitur omnino volũtarium: ſine voluntario autem culpa eſſe nõ poteſt, & per conſequens neque vera pœna. Item quoniam ignorantia inuincibilis antecedens & A comitans in nullo alio differunt, niſi quia communiter ignorans eſt ita affectus, quòd idem ſimiliter efficeret, eſtò adeſſet ſcientia oppoſita, cùm tamen ea de re nullum talem habeat actũ: habitibus verò neque meremur neq; demeremur. Multis aliis rem hanc articulo 3 citato dilucidè confirmauimus.

Hactenus loquuti ſumus de ignorantia iuris inuincibili in foro conſcientiæ ſolùm ad excuſãdum tranſgreſſorẽ illius ex ea ignorãtia à culpa, & à pœna ſtatuta tranſgredientibus eam legem. Nunc verò de iuris ignorantia in foro exteriori eſt dicendum ad hos & ad alios effectus. Atque quo ad alios effectus ſermonem miſcebimus de B foro etiam conſcientiæ.

Quando res poteſt eſſe dubia, nũ in ea iuris an potiùs facti ignorantia interuenerit, varia egregia exempla traduntur. *l.1.ff. de iur. & facti ign.* quibus id diſcerni docetur, & ex quibus facilè in aliis euentibus id diſcerni ac iudicari poterit.

In foro exteriori ignorantia iuris non præſumitur, maximè quæ craſſa & ſupina non ſit, quæque à culpa & à pœna excuſet, ſed potiùs cõtraria ſcientia præſumitur: quare, niſi ſufficienter ignorantia inuincibilis iuris probetur, quæ tamẽ difficilimè & quã rariſſimè probari poteſt, pœna tranſgredientibus legẽ ſtatuta nõ euadi- C tur. Atq; hic eſt vnus ex euẽtibus, in quibus iuris ignorantia non excuſat. Si tamen aliquando iuris ignorantia inuincibilis in foro exteriori ſufficienter probaretur, procul dubio in eodem exteriori foro eadem ignorãtia inuincibilis, ſufficienter probata, excuſaret tranſgreſſorem eius legis à tota pœna: quoniam euidens tunc eſſet in eo foro eam ignorantiam inuincibilem excuſaſſe à tota culpa tranſgreſſionis eius legis: vbi autem conſtat nullam interueniſſe culpam, locum pro ea non habet vera pœna etiam in exteriori foro: quoniam contrarium eſſet manifeſtè iniquum, cum iure naturali pugnans, aduerſus quod ius humanum nullã vim D habet, ſed neque iura humana intendunt quicquam contra illud ſtatuere. Quin arbitror habendam iudicibus in foro exteriori eſſe rationẽ, etiam ignorantię iuris ad mitiùs pœnas imponẽdas, quando veriſimiles ſunt cõiecturæ, nõ ſolũ inuincibilis ignorantiæ, ſed etiam ignorantiæ iuris non multum culpabilis, ſicut habere debent rationem aliarum circunſtantiarum concurrentium, quæ multum extenuant culpam delicti commiſſi ad pœnas minuendas.

Quia re vera ignorantia iuris, ſi inuincibilis ſit, etiam in exteriori foro, ſi de ea in illo conſtet, quemadmodùm excuſat à culpa tranſgreſſionis legis, ſic etiam excuſat à tota pœna pro E ea tranſgreſſione ſtatuta; inde prouenit, quòd ſi quis ex ignorantia iuris valde abſtruſi minimèq; præuii bona fide legẽ tranſgrediatur, pro qua ſit impoſita pœna, illi in exteriori foro imponi non debeat neque licitè poſſit ea pœna: quoniã ſicut ignorantia inuincibili iuris adeò abſtruſi, ſibiq; incogniti, à tota culpa tranſgreſſionis illius excuſatur, ſic etiam excuſari à tota pœna debet. Exẽplum ſit, celebrauit aliquis bona fide cõtractũ in aliquo loco, in quo illicitus ac vſurarius nõ habebatur, aut meritò bona fide ſequut' opinionẽ doctorũ, quos conſuluit, aut quos audiuit approbare eum contractum, illum celebrauit,

lebrauit, sanè, estò postea rationibus vrgentissimis comperiatur, eum contractum vsurarium esse, ille puniri non debet pœna vsurariis in iure statuta, nec ille est censendus vsurarius: quoniã materialiter solùm fuit vsurarius celebrando eũ contractum, non verò formaliter: quod tamen ad culpam & ad pœnam pro ea culpa incurrendam erat necessarium. Ita *Nauar.* cum plerisque aliis, quos citat. *lib. 5. consil. titu. 19. de vsuris consil. 20. & lib. 1. titu. 39. de iis quæ vi metúve causa fiũt, consil. 3. n. 11. Castrus. 2. de leg. pœn. c. 14. cõclus. 1. principio. propos. 1.* qui ait, quando rusticus, aut alius imperitus, bona fide celebrauit contractum in se vsurarium, aut aliter illicitum, quia consuluit suum parochum, aut alium, qui affirmauit esse licitum, ita quòd spectatis circunstantiis concurrentibus meritò id sibi persuasit, nec tunc aliam diligentiam facere debuit, talem rusticum aut imperitum neque in foro exteriori incurrere pœnam vsurariis aut celebrantibus eum contractum statutam, si de ea bona fide ac diligentia in eodem foro exteriori cõstet: quoniam ille quẽadmodum ea bona fide ac ignorantia inuincibili seu probabili excusatur à tota culpa, sic etiã excusatur à tota pœna. Consentit cum hactenus dictis. *l. regula. §. sed iuris ignorantiam. ff. de iur. & fact. ign.* quo in loco Paulus iurisconsultus sic ait: *Sed iuris ignorantiam non prodesse Labeo ita accipiendum existimat, si iurisconsulti copiam haberet, vel sua prudentia instructus sit: vt cui facile sit scire, ei detrimentum sit iuris ignorantia: quod raro accipiendum est*, ignorare scilicet inculpabiliter, quia neq; quem consulat habet, neque per se id scire poterat. Vbi vides Paulum cum Labeone affirmare, quando res est obscura comparatione illam ignorantis, & quem consuleret non habuit, excusari in foro exteriori à culpa & à pœna eius, quod ignorans iuris ignorantia fecit aut omisit. Multo verò magis erit excusandus, quãdo consuluit, quantum, spectatis circunstantiis concurrentibus, par erat, consilioque peritiorũ, quos cõsuluit, errauit. Atque iuxta hæc sunt accipienda, quæ traduntur. 20. titu. 1. part. 1.

II Illud verò non probo, quod Nauar. cons. 20 citato à n. 11. addit, eum scilicet, qui ita bona fide ac cũ probabili ignorantia contractũ celebrauit vsurarium, restituere non teneri, quod eo cõtractu vltra sortem, atque adeò tanquam verã vsurã in se, sed non existimatione celebrantis eum cõtractum, accipit, modò non excedat id, quod lucraturus fuisset alio iusto contractu, si ab hoc abstinuisset: incrementum enim fatetur teneri restituere.

Ducitur. Primò quoniam, inquit, qui contractu vsurario aliquid vltra sortem accipit, idcirco tenetur illud restituere, quoniã peccauit illud ita accipiendo: is verò, de quo loquimur, non peccauit accipiendo cum ignorantia probabili id vltra sortem.

Secũdò, quoniam qui ita ignorãtia probabili celebrauit contractũ vsurariũ, potuit eadem pecunia celebrare alium contractũ iustũ, in quo tãtundem aut plus lucraretur, quare æquum non est, vt priuatus vtroq; emolumẽto maneat: quoniam res, quæ culpa caret, in damnum vocari non debet, vt habetur. c. cognoscentes de const.

Tertiò, quoniã, qui mutuò dat, licèt nõ possit licitè ac iustè accipere aliquid vltra sortẽ pro mutuo, licitè tamen aliquid accipit vltra sortem pro lucro cessante, aut damno emergẽte: quare, qui eum contractum vsurarium ignorantia inuincibili celebrauit, licitè retinere poterit id incremẽtũ, quod vltra sortẽ accipit, pro interesse, quod licitè accipere poterat celebrãdo loco illius alium contractum iustum, quẽ celebrasset, si eum vsurarium contractum non celebrasset.

Sententiam hanc Nauarri non probo: quoniã cõtractus vsurarius, quem bona fide & cum inuincibili ignorantia is celebrauit, certè non fuit titulus tribuens illi ius vllum ad id incrementũ: neq; lucrũ ex eo illi cessans, quòd celebrasset alium contractum. Tum quoniam non constat fuisse celebratum alium contractum, & eo aliquid esset lucraturum, & quantum id lucrum esset futurum. Tum vel maximè, quoniam pro lucro cessante nihil accipi potest cõtractu, alioquin in se vsurario, nisi deductum sit in pactum, vt pro eo lucro cessante id incrementum vltra sortem concedatur, illo incremento emente, qui illud concedit, eam iacturam mutuantis, vt tractatu 2 in materia de vsura copiosè ostensum à nobis fuit.

Ad primũ ergo argumentũ Nauarri negandũ est, illum, qui eum vsurariũ cõtractũ celebrauit, ex eo solùm teneri id incrementum restituere, quòd peccauerit: tenetur enim etiã ex parte rei acceptæ; eo quòd contractus ille insufficiẽs fuerit ad trãsferendũ dominiũ aut ius illi incremẽti: sicut, qui bona fide emit à fure, tenetur restituere rẽ emptam domino illius, non quidem ex parte iniustæ acceptionis, peccatiue, quoad illã accipit, sed ex parte rei acceptæ, cuius dominiũ ea emptione non comparauit, neque vllum ius cõparatione rei ita emptæ. Cùm autem, qui dũtaxat restituere tenetur ex parte rei acceptæ, solùm teneatur illam restituere, si extet, aut si in aliquo ex illa se inueniat locupletiorem, certè, qui eum contractum ignorantia inuincibili celebrauit, si ex incremento accepto nõ se reperiat locupletiorem, quia illud expendit, nihilq; plus habet in bonis, quàm si illud nõ accepisset, estò nullum alium celebraturus fuisset contractum iustum loco illius vsurarii, ad nullum tenetur restitutionem: si verò se reperiat locupletiorẽ in parte solùm eius incrementi, eam solam partem, & non integrum incrementum, tenetur restituere.

Ad secundũ, concesso toto antecedente, negãdum est, æquũ nõ esse, vt priuatus maneat vtroq; emolumento: sicut, qui bona fide rem emit à fure, tenetur illam restituere, nihil impediẽte, quòd si eum contractũ non celebrasset, celebraturus fuisset aliũ, in quo lucraretur, imò in quo nõ amitteret suũ capitale, quod amittet, facta ea ẽptione absq; sua culpa, si fur soluẽdo illi nõ sit suũ pretiũ, aut si disparuit, nec possit id abillo recuperare: iacturæ enim eiusmodi sine vlla culpa ad fortunæ euentus spectant. Id verò quod additur, res, quæ culpa caret, in damnum vocari nõ debet, intelligendum est, de dãno pœnæ, de quo eo in capite est sermo: non verò quòd ex rebus, quæ culpa carent, quàm sæpissime iacturæ non eueniant, quas patienter ii sustinere debẽt, quibus eueniunt, neque ea de causa accipere aut retinere licitè possunt, quæ ad alios spectant, atque ad quæ nullum ipsi ius compararunt.

Ad tertiũ cõcedendũ similiter est antecedẽs, si qui mutuò ita dat, in pactũ deducat, vt id accipiat

pro

pro lucro cessante, aut damno emergente, ac mutuatarius in eo pacto superaddito consentiat, idque incrementum valeat tale lucrum cessans, aut damnum emergens: secùs autem si id non fuit deductum in pactum, vt in re, de qua disputamus, deductum non fuit: vnde neganda est consequentia.

12 Quoniam inuincibilis ignorantia iuris à pœna excusat, etiam in foro exteriori, vt si in eo de tali ignorantia constet, aut dispositione iuris in aliquo euentu ad eum effectum in eo foro talis ignorantia præsumatur, inde efficitur, cùm ex se sit apertissimum, amentem, infantem, & quemcunque alium vsu rationis perspicuè carentem, inuincibili tunc ignorantia iuris interfiere, adulterari, aut quoduis aliud flagitium committere, eum à pœna pro tali delicto omnino etiam in foro exteriori excusari. Ita probant *l. infans. ff. ad leg. Cor. de sicar. clement. si furiosus de homic.* quæ etiam ab irregularitate ob homicidium statuta excusat, & *l. 21. titu. 1. par. 1.* atque affirmat communis doctorum sententia, quam *tractatu. 3. disp. 36.* retulimus. Si quis tamen inebriaretur, expertus in ebrietate delicta, pro quibus pœna est statuta, committere, aut aliqua alia ratione sua sponte iudicium rationis amitteret, expertus similiter, se, dum eo modo est extra iudicium, similia alia delicta committere; tunc, si constaret animo ea delicta patrando se inebriasse, aut iudicium rationis alia via amisisse, pœnam ordinariam incurreret, si dum ita compos sui non esset, aliquod eorum delictorũ committeret: quoniam ita tunc non solùm essent voluntaria in sua causa, sed etiam volita. Si verò non constaret eo animo se inebriasse, aut aliter sponte iudicium rationis amisisse, pœnam tunc incurreret, non quidem ordinariam pro eo delicto statutam, sed arbitrariam, maiorem vel minorem, pro quantitate periculi, quod erat, ne ex tali causa voluntaria sequerentur, spectatis cæteris circumstantiis concurrentibus. Is item, de quo non constaret priuatum omnino esse iudicio rationis, attamen intelligeretur stolidum magna ex parte esse, si delictum committeret, pro quo pœna esset statuta, non esset quidem puniendus ordinaria pœna pro eo delicto statuta, sed arbitraria, maiori vel minori, quo magis aut minùs ad integram stoliditatem accederet, spectatisque aliis circumstantiis concurrentibus. Ita Greg. Lopez, tametsi non sic exactè hoc explicet *l. 21.* citata, *glo. 1. argumento. l. seruius. ff. quod vi aut clam, & c. qui ea. 38. dist.* Vbi Gregorius sic ait: *Stultus in culpa, sapiens erit in pœna*, quòd Hispanè dicimus; *El loco por la pena es cuerdo.*

Minor infantiæ proximus, id est, si masculus sit, vsque ad decimum annum cum dimidio expletum, si verò sit femina, vsque ad nonum cum dimidio expletum, si delictum, pro quo pœna statuta sit, committat, illam non incurrit: quoniam iuris dispositione censetur ex ignorantia inuincibili adeóve debili iudicio rationis illud commisisse, vt à tota pœna excusetur. Ita cum Ant. Gom. Iulio Claro, & aliis doctoribus, quos citant, dictum à nobis est *disp. 36 citata, iuxta. §. pupillus inst. de inutilib. stip. §. penult. inst. de oblig. quæ ex delict. l. pupillum. ff. de reg. iur. l. apud. §. sitis non tutor. vers. denique Iulianus. ff. de dol. mal. except. l. 21. titu. 1. part. 1. l. 8. in fine titu. 5. l. 4. titu. 19. part. 6. l. 9. titu. 1. l. 3. titu. 8. l. 17. titul. 14. & l. 8. titu. 31. part. 7.*

Minor verò pubertati proximus, id est, si masculus excedat decimum annum cum dimidio, & femina nonum cum dimidio, pœnas incurrunt pro delictis, & longè maiori cum ratione si puber iam sit: nec restituitur in integrum aduersus delictum, & quousque id locum habeat. Et in quibus euentibus impubes pubertati proximus pœnam non incurrat. Et num in delictis carnis puniri nihilominus debeat pœna aliqua arbitraria. Et quòd impubes pubertati proximus nunquam puniri debeat pœna ordinaria pro delicto lege statuta, sed semper mitiori alia arbitraria. Et num minoribus puberibus minuẽdum sit de pœna ordinaria, de iure communi aut huius regni, atque iudex ad id teneatur. Hæc omnia copiosè dis. 36 citata explanata sunt.

13 Illud vlteriùs est obseruandum, quando lex aut statutum ad pœnam incurrendam exigit delinquentem dolum seu scientiam, vt si dicat, qui scienter hoc fecerit, aut si dicat, qui hoc facere præsumpserit, sit eo ipso excommunicatus, (illud enim verbum, facere præsumpserit, scientiam in faciente exigit, sine qua non censetur esse præsumptio) tunc ignorantia crassa & supina, etiam si iuris sit, à tali pœna excusatur. Ita *Couar. in Epit. part. 2. c. 6. §. 8. n. 21.* & alii communiter. Probatur verò, quoniam cum ignorantia crassa & supina, si affecta non sit, dolus non datur seu scientia, neq; censetur esse præsumptio: ergo quando lex aut statutum, ad pœnã aliquam incurrendam, dolum seu scientiam exigunt, nec ex capite affectationis ignorantiæ dolus interuenit seu præsumptio, vtiq; ignorantia crassa ac supina ab ea pœna excusat, etiam si ignorantia iuris sit. Cùm autem in ignorantia affectata dolus ea ipsa affectatione illius interueniat, neq; à culpa excuset, sed potiùs ratione affectationis illam augeat, sanè qui ex ignorantia affectata delictum committeret, dolum exigentem vt pœnam incurreretur, illam incurreret. Ita *Couar. vbi supra & Alfonsus a Castro. 2. de leg. pœn. c. 14. §. nec refert.*

Hactenus de ignoratia iuris loquuti sumus, quatenus excuset aut non excuset à pœna pro delicto imposita, quando tale delictum ex ignorantia iuris fuit commisum. Nunc de iuris ignorantia ad effectus alios est dicendũ, de quibus est potissimùm sermo in titulis. *ff. & C. de iur. & fact. ign.* quatenus scilicet in eis adiuuet seu excuset, & quatenus non.

14 Hæc autem regula statuitur. In commodis seu compendiis ignorantia iuris etiam inuincibilis obest, seu non excusat nec adiuuat. In damnis verò ignorantia iuris non obest, sed excusat ac adiunat. Nomine verò compendiorum seu commodorũ, illam etiam comprehenduntur, ad quę quis ius habebat, vt ea retineret ac efficeret sua, seu vt ea plenè acquireret, vtẽdo facultate à iure ad id sibi concessa. Vt hæredi, quando illi non remanet quarta pars hæreditatis, à iure cõceditur detrahere ex legatis falcidiã vsq; ad complementũ quartæ partis hæreditatis. Et hæredi grauato restituere hereditatẽ, conceditur detrahere ac retinere quartã Trebellianicã, quando ex bonis hæreditatis quarta pars ei non remanet. Hæredi item instituto aut ab intestato conceditur certũ tempus ad deliberandum, num hærès esse velit,

velit, eoque transacto hæreditas ad substitutum vel ad proximum hæredem ab intestato cum eadem deliberandi facultate deuoluitur. Posse ité in iudicio opponere exceptionem aliquã, inter compendia seu commoda computatur, & similia alia. Nomine verò damnorũ intelligitur, si quis soluat indebitum: id enim in damnum seu detrimentum suorum bonorũ cedit, quia iam suum id erat: estò autem ex ignorantia iuris quacunq; illud soluat, ea ignorantia illi non nocet, sed repetere potest eo modo ex iuris ignorantia solutum. Idem est de re omnino iam alicui debita, sine dependentia ab aliquo ipsius actu, quo illam acceptet. Atq; ex his exemplis facilè oblata quacunque alia re iudicabit, num ad compendium vel ad damnum attineat. Regula proposita, hoc modo explicata, habetur *l. iuris ignorantia. 2. ff. de iur. & fact. ign.* Vbi Papinianus sic ait: *Iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus: suum verò patentibus non nocet.* Et *l. error*, statim ibi sequenti §. *iuris*, sic idem Papinianus addit: *Iuris error nec feminis in compendiis prodest. Cæterum omnibus iuris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet.* Consentiunt iura mox citanda.

15 Iuxta hanc regulam, quamuis qui bona fide possedit aliquid alienum ignorantia facti tanto tempore, quantum ad id præscribendum est necessarium, illud verè præscribat, comparetque proinde dominium illius, quod prior dominus eo ipso amittit; qui tamen ignorantia iuris, etiã inuincibilis, quod esset suum, illud possideret, id non præscriberet: quoniam cum damno alterius, quòd amittat ea via dominium illius, iuris ignorantia ipsi non suffragatur: atque quamuis possessio illa in conscientiæ foro, seu quo ad culpam, sit bona fide, non est tamen bona fide ex dispositione iuris ciuilis ad præscribendum necessaria, vt hæc omnia copiosè explicauimus tractatu 2 disp. 64, eaque de causa in eis hoc loco non immoror. Doctrinam hanc probant, præter duo iura proximè citata ac relata, *l. iuris ignorantia. 1. ff. de iust. & iur.* quæ sic habet: *Ignorantia iuris in vsucapione negatur prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat.* Item *Lex nunquam. 2. in prin. ff. de vsucap.* vbi Paulus iurisconsultus ait: *Nunquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* Atque adhibet exemplum in eo, qui à pupillo absque tutoris autoritate ex iuris ignorantia, quòd illa necessaria esset, aliquid emit, quem ait vsucapere illud non posse. Ita *lex. 2. §. si a pupillo. ff. pro empt.* quo in loco decidit; eum qui à pupillo aliquid sine tutoris autoritate emit, si ignorauit illum pupillum esse, posse id vsucapere, quia ea ignorantia fuit facti: secùs autem si sciebat illum esse pupillum, ignorabatq; necessariam esse tutoris autoritatem: quoniam tunc ea ignorantia esset iuris, quæ vsucapionem impedit. Item *l. quemadmodum. C. de agric. & cens. lib. 11.* quo in loco de emptore contra legis prohibitionem sic dicitur: *Et hæredibus eius* (venditoris scilicet) *& contra hæredes emptoris venditionem damus, longi temporis præscriptione semota: malæ fidei namque possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur.* Idé habetur *reg. qui contra iure mercatur de reg. iur. lib. 6. c. 2. §. contractus de rebus Eccles. non alien. lib. 6.* & aliis iuribus, idemque affirmant glossæ plurimæ iuris canonici ac ciuilis. Si tamen ignorantia sit iuris valde dubii, tunc præscriptionem non impedit, etiam si in illa titulus requiratur, vt cum communi doctorum sententia disp. 64 citata est dictum, idque colligitur ex *c. cùm dilectus de consuet.* Ibidem etiam diximus falsum esse, quod Molina ibi relatus affirmat, minorem videlicet, rusticum, militem, & mulierem, in quibus error iuris toleratur, præscribere posse cum ignorantia iuris perspicui: quãuis enim illis error iuris toleretur, ne commoda seu compendia amittant, non tamen toleratur, vt cum aliorum iactura præscribãt res aliorum. Atque id apertè probant *l. iuris ignorantia. 2. & l. iuris error*, suprà relatæ. *ff. de iur. & fact. ign. & l. quamuis. C. eod. titu.* vbi habetur. *In lucro* (id est, vt cum alterius iactura lucrentur) *nec feminis ius ignorantibus subueniri solet.*

Iuxta eandem regulam, si hæredi instituto 16 non remaneat quarta pars bonorum defuncti, atque ex ignorantia iuris soluit legata integra, non potest ex illis, quod ad eam defuerit, repetere: quoniam ad id compendium retinendi sibi vsque ad quartam partem bonorum defuncti, extrahendique à legatis pro rata, quod vsq; ad illam integram defuerit, quod ius illi concedit, ignorantia iuris illi non suffragatur. Si verò ex facti ignorantia legata integra soluit, vt quia arbitratus fuit ditiorem esse hæreditatem, aut quia post legata soluta apparuerunt debita, solutisque debitis, non remanet sibi quarta pars bonorum defuncti, tunc repetit falcidiam ex legatis solutis: eo quòd ea ignorantia facti quo ad id suum compendium seu commodum sibi non nocet, sed id suffragatur. Id ostendimus *tractatu. 2. disp. 213. vers. octauo*, & constat ex *l. regula. §. si quis ius. ff. de iur. & fact. ign. ex. l. error. C. ad leg. fal.* & ex aliis iuribus.

Idem, propter eandem rationem, est dicendum de hærede grauato restituere hæreditatem, potenteque ex iuris dispositione extrahere ex illa ac retinere vsque ad quartam trebellianicam: si enim ex iuris ignorantia totum, quod grauatus est restituere, restituat, nec illam retineat, repetere illam non potest: secùs si ex facti ignorantia illam non retineret.

Iuxta eandem regulam, quando quis ex iuris 17 ignorantia repudiauerit hæreditatem ad se attinentem, aut intra tempus à iure statutum, vt adeatur, & vt alioquin eo tempore transacto ad proximè succedentem ea hæreditas transeat, illam non adiuit, tunc ita eo ipso hæreditas illa transit ad proximum succedentem, vt ei, qui illam ex tali ignorantia repudiauit, non subueniatur: secùs autem si ex ignorantia facti illam repudiauit aut non adiuit. Ita habetur *l. 1. ff. de iur. & fact. ign. l. 2. l. 3. l. quamuis, & l. vlt. C. eod. tit.* quæ de iuris ignorantia loquuntur, ac instaurationem eius, quod ita per ignorantiam factum aut omissum est, denegant. Eadem verò l. 1. ff. eod. titu. & alia iura, de facti ignorantia loquuntur, instaurationemque eius, quod ex illa fuit factum aut omissum, modò crassa & supina non sit, concedunt. Quæ autem ignorantia crassa & supina sit habenda, quæ non item, habetur *l. plurimũ. l. nec supina. & l. regula. §. sed facti. ff. de iur. & fact. ign.* Quantũ autem tempus ad adeundam hæreditatem concedatur, *tractatu 2 disp. 181* dictum est. Disp. verò 216 est dictum, qui tempus ad deliberãdum à iudice petiuit, si intra id tempus illam non repudiet, teneri tacitè illã adiisse,

vt

vt cogatur ſoluere debita & legata integra, ſi inuentarium non conficit.

18 Iuxta poſteriorem verò partem regulæ ſuprà propoſitæ, qui aliquid ſoluit, quod ſuum iam ſimpliciter erat, aut ad ſe iam omnino pertinebat, vel illud remiſit, ſi ex ignorantia id fecit, ſiue illa iuris eſſet ſiue facti, modò alter aduerſus eum illud non iam præſcripſiſſet, illud repetit, nec proinde talis ignorantia ei nocet. Ita habetur *l. iuris ignorantia, & l. error. ff. de iur. & fact. ign. l. ſi poſt diuiſionem. l. cum facta. l. ſi non tranſactionis. & l. non idcirco. C. eod. titu.*

De ignorantia in iudicio, dum ſermo de ordine iudiciorum fuerit, dicetur commodiùs.

19 Minori viginti-quinque annis, & militi, qui in ſeculari militia actu verſatur, (ſecùs de milite militiæ ſpiritualis) licèt non ſubueniatur in delictis, quæ ſunt contra ius naturale, aut quaſi; ſi in aliquo tamen, ius ciuile ignorando, ſibi ipſis præiudicent, etiam quo ad commoda & compendia, nedum quo ad damnum & pænam aliquam vitandam, eis ſubuenitur, indemneſque omnino in eis ſeruantur. Ita habetur *l. regula. ff. de iuris & facti ignor. l. 1 & 2. & l. quamuis. C. eod. titu. & l. 21. titu. 1. part. 1.* Quo in loco cum quodam gloſſa obſeruat Greg. Lopez, militem in his excuſari, etiam ſi non conſulat peritiores, cùm poſſit: quoniam id in eo eſt priuilegium.

Ruſticis, ſi rudes ſint, & in agris verſentur, etiam ſubuenitur: in caſibus tamen expreſſis à iure, *vt. l. ſi quis in graui. §. ſi quis ignorans. ff. ad Syllan. l. ſi quis id quod*, iuncta gloſſa ibi verb. *ruſticitatem. ff. de iuriſd. omn. iud. l. 2. C. de in ius vocand. l. vlt. C. de teſta. & l. 21. titu. 1. part. 1.* Quæ tamen ruſticos æquare militibus videtur. Lege quæ ibi Greg. Lopez tradit.

Mulieribus etiam ſubuenitur, ſed ſolùm in caſibus expreſsis à iure, vt conſtat *l. ſi emancipata*, & apertiùs *l. vlt. C. de iur. & fact. ign. l. error. & l. regula in prin. ff. eod. titu.*

Vtrùm lex humana generalis eſſe debeat, & vniuerſa vitia prohibere, omniumq; virtutum actus præcipere.

Diſp. 72.

SVMMARIVM.

1. Leges humanæ non prohibent omnia vitia.
2. Nec præcipiunt actus omnium virtutum.
3. In congregationibus hominum religioſorum vitia omnia, quæ alicuius ſunt momenti, prohibita eſſe cenſentur, vt in eis congregationibus pœnis condignis puniantur.

QVouſque lex humana generalis eſſe debeat, hoc eſt, non arctata quo ad perſonas, quibus præcipit aut prohibet, neq; ad tempus ne lex eſſe deſinat, ſolumque ſortiatur rationem præcepti preſsè ſumpti, vt à lege diſtinguitur, diſp. 46 explanatum fuit.

1 Leges verò humanas non prohibere omnia vitia, ex dictis ibidem conſtat. Quoniam aliqua permittunt, impunitaque relinquunt. Vt permittunt maritum interficere vxorem, adulterantèq; cum ea, in adulterio deprehenſos. Fornicationem item ſimplicem regulariter non puniunt, & periuria priuata, hoc eſt extra iudicia, & contractus, ſeu conuentiones publica autoritate factas, & ſimilia alia flagitia non puniunt neque curant, quæ pacem publicam non perturbant, cum proximiq; iniuria non committuntur, neq; notabiliter rempublicam fædant, bonoq; communi politico non multum expedit illa non committi. Præſertim cùm, attenta hominum fragilitate ac multitudine, ſi illa omnia in foro exteriori eſſent punienda, eſſet nimium in eo foro genus humanum vrgere, tribunaliaq; & carceres non ſufficerent ad ea omnia flagitia & peccata coërcenda ac punienda. Quare meritò diuino tribunali, ſi in hac vita contritione, ſacramentis, aliiſque operibus piis ac ſatisfactoriis expiata non fuerint, punienda relinquuntur.

Actus ſimiliter omnium virtutum non præ- 2
cipiunt leges humanæ. Quoniam id eſſet nimium grauare ac vrgere genus humanum. Et quoniam nec lex naturalis nec Deus actus omnes virtutum præcipiunt: quippe cùm plurimi illorum ſint opera ſupererogationis, ad conſilia, & non ad præcepta attinentia. Sed neque omnes actus virtutum, qui pro loco & tempore aliiſque circumſtantiis ſunt de iure naturali ſub culpa lethali aut veniali, præcipiunt leges humanæ: quoniam id quoque eſſet nimium humanum genus vrgere, neque id bono communi politico eſſet expediens. Interdum verò leges humanæ aliqua, quæ ſecluſa ea lege eſſent opera ſupererogationis, præcipiunt, vt tributa aliqua ſolui, & Eccleſia præcipit dies aliquos ieiunii, feſta aliqua ſeruari, eis diebus ſacrum audire, & ſimilia alia leges humanæ præcipiunt, quæ ſecluſis eis legibus opera eſſent ſupererogationis.

In congregationibus verò hominum ſelecto- 3
rum, diuino obſequio oblatorum, qui ad maximam perfectionem aſpirant, vitia omnia, quæ alicuius ſunt momenti, etiam ſi culpæ venialis ſolùm ſint, prohibita eſſe cenſentur, vt in eis congregationibus pœnis condignis coërceantur ac puniantur. Quàm plurima item, quæ in ſe opera ſunt ſupererogationis, in eis congregationibus præcipiuntur, interdum ſub culpa lethali, interdum ſub veniali, & interdum ſub nulla culpa, atque cum poteſtate ſuperiorum pœnitentiis ſalutaribus eos afficiendi, qui illa tranſgrediuntur, vt diſciplina regularis vigeat, pluſque ſubditi ac efficaciùs ad perfectionem promoueantur.

Hæc tria, quæ in hac diſputatione ſunt propoſita, pauciſque explanata, diſputat *diuus Th. 1. 2. q. 96. art. 1, 2, & 3.*

Vtrùm humana lex obliget in conſcientiæ foro: eáque de re hæretici confutantur.

Diſp. 73.

SVMMARIVM.

1. VT lex aliqua iuſta ſit, ac proinde in foro conſcientiæ obliget, quatuor neceſſaria ſunt.
2. Si leges humanæ iniuſtæ tales ſint, quæ ſine culpa ſeruari non poſſint, etiamſi illa venialis ſit, tunc non

non eſt illis parendum: ſi autem ſunt tales, quæ ſeruari poſſint ſine vlla culpa etiam veniali, tunc licèt nõ obligent, quia iniuſtæ ſunt, ſi tamen inde magnum malum oriatur, obligatio erit illas ſeruandi ex caritate ad vitandum id malum.

3. Hæretici aſſerunt non eſſe in eccleſia poteſtas condendi leges, quæ in conſcientia foro obligent: quod ex variis locis ſcripturæ oſtenditur.

4. Sed refutantur cum omnibus argumentis, & oſtenditur plenariam eſſe poteſtatem in eccleſia leges condendi, quæ in foro conſcientiæ obligent, idq; variis argumentis.

5. Repetuntur quædam ex antedictis.

6. Oſtenditur ex ſacra ſcriptura obediendum eſſe ſuperioribus ſacerdotibuſq;, & eorum poteſtas declaratur.

7. Confutatur idem error hæreticorum ex ſanctis Patribus, & Eccleſiæ traditione.

8. Refelluntur argumenta quibus hæretici errorem ſuum aſtruunt.

1 QVæſtio ſolùm excitatur de legibus humanis, quæ iniuſtæ non ſint. Leges quippe iniuſtæ, vt *Aug. 1. de lib. arb. c. 5. ait*, leges propriè non ſunt. Vt verò cum *diuo Th. 1. 2. q. 96. art. 4.* doctores communiter affirmant, vt lex aliqua iuſta ſit, ac proinde in foro conſcientiæ obliget, quatuor neceſſaria ſunt. Primum eſt ex parte finis, vt ſcilicet ad bonum commune ordinetur, in illudq; cedat. Vt enim Rex à Tyrãno, ex *Ariſt. 8. Ethic. c. 10.* in eo differt, quòd Rex cõmune reipublicæ bonum, tyrannus verò ſuam priuatam vtilitatem quærit: ſic lex iuſta à tyrãnica differt, quòd iuſta bonum reipublicæ intenditur, tyrannica verò ſola propria vtilitas, ſine boni cõmunis vtilitate, intenditur. Hanc autẽ conditionem diſp. 69, explanando cum Iſidoro iuſtæ legis cõditiones, dilucidiùs explanauimus. Secundum eſt ex parte agentis ſeu ferentis legem, nempe vt ad id autoritatem habeat: nemo enim imponere legem poteſt niſi in ſibi quo ad id ſubditũ, atque adeò niſi quo ad id poteſtatẽ in eum habeat. Qui autem poteſtatem ferendi legem habeant, diſp. 46 oſtenſum fuit. Tertium ex parte materiæ, vt neque vitium præcipiatur, neq; prohibeatur virtus, niſi fortè ob maius bonum, neque impoſſibile aliquid præcipiatur, modo diſp. 69 explanato. Et quartum ex parte formæ, vt ſcilicet lex æqualis proportione quadam ſit ſubditis, tum in honoribus diſtribuẽdis, tum etiam in iniungendis oneribus, habita proportione facultatum cuiuſque, & gradus cuiuſque in republica. Lege quæ circa legem iuſtam diſp. 69 citata dicta cum Iſidoro ſunt.

2 Inter leges autem humanas iniuſtas, atq; adeò quæ ex ſe non obligant in foro conſcientiæ, eſt diſtinguendum. Quoniam ſi tales ſint, quæ ſine culpa ſeruari non poſſint, etiam ſi illa venialis ſit, tunc illis nulla ratione eſt parendum. Atque in illis locum habet illud Act. 5: *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* Eiuſmodi autem leges diuus Th. art. 4. citato ait contrarias eſſe bono diuino, ſeu (vt Driedo de libert. Chriſt. lib. 1. c. 8. ait) præcepto diuino, pro tunc ſcilicet obligante, nihil impediente ea humana lege aut præcepto humano, damnóve, quod ex tranſgreſſione illius imminet. Vt ſi tyrannus lege aliqua proferre mendacium veniale præciperet, tali legi nulla ratione eſſet parendum, etiam ſi A lata eſſet ſub pœna mortis: quoniam ea humana lex præciperet contrarium legi diuinæ obliganti tunc ſub culpa veniali, nihil impediente ea lege humana, periculoſque amiſſionis vitæ, quod ex non obſeruatione illius immineret. Dixi ſuprà, pro tunc ſcilicet obligante nihil impediente ea lege humana & damno, quod ex tranſgreſſione illius imminet: quoniam attendi debent circumſtantiæ omnes concurrentes, euenireq; aliquando poteſt, vt ex non obſeruatione legis humanæ iniuſtæ tantum detrimentum immineat, vt cum eo lex diuina, non ſolùm poſitiua, ſed etiam naturalis, tunc non obliget. Verbi gratia, ſi tempore legis veteris tyrannus, non in B fidei & religionis contemptum, præciperet Hebræis die ſabbathi laborare ſub pœna mortis, aut grauis alterius mali, vtique lex tunc diuina de die ſabbathi in memoriam beneficii creationis ſeruanda non obligaret, ſeruatiq; proinde tunc deberet lex illa iniuſta illius tyranni ad vitam corporiſque incolumitatem ſeruandam. Si item proximus in extrema eſſet neceſsitate cibi, cui iure naturali ſub culpa lethali ſubuenire teneremur, & tyrannus lege ſua iniqua id, non in fidei ac religionis contemptum, prohiberet ſub pœna mortis, tunc culpa non eſſet illi non ſubuenire ob legem illam tyranni: quoniam lex illa alia naturalis non obligat ſubuenire proximo extremè indigenti cum periculo C vitę eius, qui illi eſſet ſubuenturus, quare ex lege illa iniuſta eius tyranni ei immineret, qui tunc illi vellet ſubuenire.

Hoc loco obſerua, interdum non ſolùm fas eſſe, ſed etiam longè melius eſſe non parére legi iniuſtę, aut præcepto iniuſto, ſub pœna mortis impoſito, vt fiat contrarium, quando non eſt de præcepto, ſed ſolùm de conſilio. Vt ſi ei, quę virginitatem aut cęlibatum ſeruare vellet, nullo voto ad id aſtricta ſub pœna mortis præciperetur nubere alicui, poſſet potiùs laudabiliter mori, vt virginitatem aut cęlibatum abſque vlla ad id obligatione ſeruaret, quàm tali præcepto in- D iuſto parêre.

Si autem leges humanæ iniuſtæ tales ſint, quę ſeruari poſsint ſine vlla culpa, etiam veniali, eorum quibus imponuntur, vt quia impoſitæ ſunt à non habente ad id poteſtatem, vel quia manifeſtè non ſunt latæ in publicum bonum, neque in vllius vtilitatem cedunt, vel quia æqualitatem non ſeruant, quod *diuus Th. art. 4.* citato appellat eas eſſe contra bonum ſolùm humanum, tunc licèt non obligent, quia iniuſtæ ſunt, poſſintque ea ex parte abſque vlla culpa ſeruari; ſi tamen inde magnum malum ſcandalumque oriatur, obligatio erit illas ſeruandi ex caritate ad vitandum id graue malum ac ſcandalum, vt E diuus Th. art. 4. citato & doctores communiter affirmant. Id quod deducitur ex illo Matth. 5: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum eo & alia duo.* Si enim hæc conſilia ſunt Euangelica ad iniurias pro Chriſto patienter ferendas in Dei gloriam, & in maius noſtrum ſpirituale emolumentum ac meritum, atque vt ita in bono malum vincamus, proximoſque noſtros patientia ac caritate noſtra ædificemus ac lucrifaciamus, eſtque in eis conſiliis

ad exaggerãdum, quàm prompti esse debeamus ad eas iniurias pro Christo tolerandas, ad nosque non vindicandum, per hyperbolem additum, *præbe ei & alteram, dimitte ei & pallium, vade cum eo & alia duo*; quanto quæso magis inde docemur, seruandas esse leges iniustas, quando non solùm id efficere possumus sine vllo nostro peccato, sed etiam id ita est necessarium ad grauia alia mala ac scandala vitanda? Idem confirmat illud 1 Petri 2: *Serui subditi estote dominis, non solùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, hoc est difficilibus & morosis, qui plus iusto grauant ac exigunt.

3 Explicato quæ leges humanæ iustæ sint, de quibus solis quæstio proposita excitatur, multi hæreticorum asseruerunt non esse in Ecclesia potestatem condendi leges, quæ in conscientiæ foro obligent. Ita affirmarunt Vualdenses seu pauperes de Lugduno, vt *Castrus aduersus hæreses verb. Ecclesia. hæres. 3.* & verb. *obedientia.* refert. Idem docuit Marsilius de Padua in libro, quem scripsit defensorium pacis, aduersus quem scripsit *Pighius lib. 5 Hierarchiæ Ecclesiasticæ.* Eodem errore fuit infectus Ioan. Vuiclef, vt ex articulo 38 illius in concilio Constantiensi sess. 8 damnato constat, quo asserebat decretales pontificum epistolas esse apocryphas, & stultos esse, qui illis dant operam. Fuit item infectus Ioan. Huss, vt constat ex articulo illius 15 in eodem Constantiensi concilio sess. 15 damnato. Eundẽ errorem affirmauit Ioan. de Vuesfalia, vt constat ex libello damnationis articulorum illius Maguntiæ anno 1479 factæ, quorum primus erat, non posse Ecclesiæ prælatos condere leges, quæ in conscientia obligarent, sed solùm exhortari ad Dei mandata seruanda. Hunc eundẽ errorem docent Lutherus, (vt constat ex illo articulo illius à Leone 10 damnato in bulla, quæ 5 tom. cõciliorum post Lateranense concilium habetur, & sic habet; *Certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse statuere articulos fidei, imò nec leges morum seu bonorum operum*) Caluinus, & alii Lutherani.

Ab hoc errore distat parum Gerson, (vir alioquin doctus & pius) qui lectione 4 de vita spirituali affirmat, solùm Deum posse ferre leges & præcepta, quorum transgressio adeò noxa sit, vt hominem ad pænam obliget æternam. Ductus, quòd solus Deus possit homini pænam infligere æternam. Potest quidem (ait ille) humana lex obligare transgressorem illius ad culpam lethalem, cæterùm id non efficiet quatenus humana est, sed quatenus cum diuina lege miscebitur, vt si legislator aliquis humanus lege sua præcipiat non furandum aut non adulterãdum, peccauit quidem lethaliter, qui eam legem fuerit transgressus, non tamen quatenus transgressus est legem humanam, sed quatenus transgressus est diuinam cum ea humana admixtam. Adhibet exemplum in medico, qui docens ægrotum cibum aliquem esse mortiferum, eiq; præcipiens ne illud comedat, nõ obligat ægrotum illum eo suo præcepto sub culpa lethali & sub pæna æterna, estò ille lethaliter peccet, pænamque incurreret æternam, quatenus simul transgreditur quintum decalogi præceptum, quod diuinum est.

Almain verò *q. de potestate Ecclesiæ. c. 12.* quamuis concedat, summum Pontificem, vt Christi vicarium, condere posse legem humanam, quæ sub culpa lethali obliget; negat tamen potestates laicas condere leges posse, quæ in conscientiæ foro sub culpa obligent lethali.

Quòd autem in Ecclesia potestas non sit ad leges condendas, quæ in conscientia obligent, probat primò Ioan. de Vuesfalia ex illo Matth. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis*: cùm ergo nõ dixerit Christus, mandata vestra, sed quæ ego mandaui; consequens est, vt in prælatis Ecclesiæ potestas non sit ad leges & mandata ferenda.

Secundò argumẽtantur hæretici ex illo Deut. 4: *Israël audi præcepta & iudicia, quæ ego doceo te, vt faciens ea, viuas. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et infrà c. 12: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas:* nefas ergo erat potestatibus veteris testamenti addere ac ferre præcepta alia, quæ populum Israëliticũ obligarent: multo ergo minùs fas erit potestatibus noui Testamẽti addere ac ferre præcepta, quæ populũ Christianũ obligẽt, præter ea quę scripturis noui Testamẽti tanquã Dei ac Christi mãdata cõtinẽtur.

Tertiò ex illo Isaiæ 33: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster*, quæ verba his æquipollent, Dominus solus est iudex noster, legifer & Rex noster, iuxta illud Iacobi 4: *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & saluare*: nullus ergo alius in Ecclesia Christi legem ferre potest, quæ in conscientia obliget.

Quartò ex illo Isaiæ 29: *Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem eius longè est à me, & timuerunt me mandato hominis & doctrinis*; *ideo ecce ego addam*, &c. Quo in loco in pœnam illis comminatur grauia mala. Eum verò locum ad sensum referens Christus Matth. 15 & Marc. 7 dixit Scribis & Pharisæis: *Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens, Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*: ergo humana mandata nullam vim habent homines obligandi in foro conscientiæ.

Quintò ex illo 2 ad Cor. 3: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Ad Gal. 4: *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.* Et c. 5: *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Quibus locis liberi asseruntur Christiani ab hominum mandatis.

Sextò, si Christus voluit liberos esse Christianos à cæremoniis Iudaicis, cæterisq; legibus positiuis veteris Testamenti: ergo etiam voluit eos esse liberos à cæremoniis, quas Pontifices tempore legis gratiæ introducerent, & à cæteris humanis legibus. Si enim Christiani leges positiuas habere debuerunt, meliùs illis fuisset illas diuinas veteris Testamenti habere, quàm humanas: præsertim adeò hodie multiplicatas.

Septimò, factum Regis Achaz & Vriæ Pontificis, qui 4. Reg. 16. addiderunt aliud altare templo Domini iuxta formam altaris Damasci, reprobatur tanquam inuentum humanum, idq; quia Deus id nõ iusserat, nihil impediente, quòd id nouum altare ad maius templi ornatum alioquin attineret. Et c. 17 sequenti refertur de iis, quos Rex Assyriorum transtulit de Babylone in Samariam, punitos illos à Deo fuisse missis leonibus

nibus, qui illos interficiebant, quod Deum noA
uis cæremoniis colerent, quas Deus non præceperat. Et c. 21 refertur in eo Manassem peccasse, quòd in templo Dei aras extruxerit, quas Deus non præceperat: ergo nefas est aliquid præcipere vltra id, quod Deus præcepit, ac proinde leges humanæ vim in foro cõscientiæ non habẽt.

Octauò ex illo 1 Corint. 7: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum:* cùm enim ibi Paulus non doceat, vt serui dominis suis in rebus externis non obediant, quandoquidem ad Ephes. 6 ait; *Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore:* neque doceat, vt qui liberi sunt, serui non fiant; quandoquidem eodem c. 7 citato dicat; *Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed etsi potes fieri liber, magis vtere*, id est, quamuis à seruitute possis liberari, melius tibi est vt seruias, seruilique conditione ad conseruandam humilitatem vtaris: consequens est, vt solùm prohibeat, seruire homini cum peccati timore, conscientiæque anxietate, vt Deo seruitur.

Nonò, conscientia ad solius Dei forũ spectat, qui renes & corda scrutatur: ergo homines suis legibus ac præceptis obligare in cõscientia non possunt: neque enim potestates inferiores obligare potest in foro superioris.

Confirmatur, quoniam nullus homo damnare potest alium ad inferos: ergo obligare nõ potest ad suam legem seruandam sub pœna mortis C
æternæ. Ridiculum quippe est, quemquam ad eam pœnam alium obligare, quam ipse infligere non possit.

Decimò, ad vitam æternam consequendam satis est seruare Dei præcepta, iuxta illud Christi Matt. 19: *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata.* Et interroganti, quæ, *dixit Christus, Non homicidium facies, non adulteraberis, non facies furtum, non falsum testimonium dices, honora patrẽ tuum & matrem tuam, diliges proximum tuum sicut te ipsum*, in quibus sola diuina præcepta Christus commemorauit: ergo seruare leges ac mandata humana necessarium non est ad vitam æternam consequendam, & subinde leges & man-D
data humana sub culpa lethali non obligant.

Confirmatur, quoniam Augustinus lib. 22 contra Faustum c. 27 definit præceptum esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, quæ vtique diuina est: transgressiones ergo legum humanarum peccata non sunt, ac proinde humanæ leges in conscientia non obligant.

Quod verò ad ciuiles leges attinet, quas neque Almainus, neque Gerson, neque Caluinus esse debere negant, quòd tamen in conscientia non obligent, probatur vndecimò in ordine. Quoniam obligare ad culpam in foro conscientiæ ad potestatem attinet spiritualem: quamuis autem ecclesiastica potestas spiritualis sit, ciuilis tamen potestas spiritualis non est. E

Duodecimò, potestas ciuilis non se extendit ad remittenda peccata, vt se extendit ecclesiastica potestas: ergo neque habet vim obligandi suis legibus sub reatu culpæ: absonum enim videtur, vt ligare is possit, qui soluere ac remittere non possit.

Decimo-tertiò, quoniam finis ciuilis potestatis est pax externa, bonusq; externus status secularis reipublicæ: ergo nihil quo ad culpam internam, ac pœnam alterius vitæ, in diuinoque tribunali disponit.

Decimo-quartò, potestas ciuilis de internis non iudicat: ergo neque interiùs suis legibus ac præceptis obligat.

Decimo-quintò, potestas ciuilis inferre nequit pœnam spiritualem: ergo neque ad illã suis legibus ac præceptis potest obligare.

Decimo-sextò, quoniam si ciuilis potestas suis legibus obligaret ad culpam, idẽ peccatum cõtra eas leges bis puniretur, semel in seculari foro, & iterũ in alio seculo in tribunali diuino.

Decimo-septimo, potiùs debemus trãsgredi grauissimã ciuilem legẽ, quàm leuissimam diuinam, vt de non mentiendo iocosè, quæ solùm B
obligat sub culpa veniali: ergo grauissima lex ciuilis non solùm non obligat sub culpa lethali, quoniam tum, cùm potiùs lethale peccatum sit cauendum, quàm veniale, potiùs transgredi deberemus eam leuissimam legem diuinã, quam grauissimam talem legem humanam, sed etiam sub nulla obligat culpa.

Decimo-octauò, aut obligatio legis ciuilis sub culpa in conscientiæ foro, est pro arbitrio principis, qui illã fert, quiq; vult illã sub culpa in conscientiæ foro obligare; aut, quòd ea lex sub culpa in cõscientiq foro obliget, oritur ex natura ipsa legis prçter principis, qui illã fert, volũtatẽ. Si des primũ, cũ seculares principes nunquam C
exprimãt se legibus suis velle obligare sub culpa in cõscientiq foro, neq; de ea re quicquã, dũ suas leges ferunt, cogitẽt, cõsequens profectò est, vt nulla lex ciuilis sub culpa in cõsciẽtiæ foro obliget. Si verò des secundũ, nẽpe obligationẽ illã ex natura ipsa legis oriri ac sequi prçter legislatoris voluntatẽ, inde sanè est cõsequens, principem nullam posse condere legem, quæ in foro conscientiæ non obliget subditos sub culpa lethali aut veniali: quod solùm difficillimum est creditu, sed etiam est contra praxim multarum religionum, in quibus multæ sunt leges, quę nec sub veniali culpa subditos obligant, vt sunt cõstitutiones ac regulæ omnes nostræ societatis.

Tract. 2 à disp. 21 copiosè ostendimus, duas esse D 4
potestates in orbe: laicã vnam ad finẽ naturalẽ, & ecclesiasticam ac spiritualẽ alteram ad finem supernaturalem. Ostendimus prætereà, potestatem summi Pontificis de iure esse diuino atque esse immediatè à Deo, tametsi electio personę in summũ Pontificem, ecclesię fuerit à Christo relicta. In hoc item tractatu 5 dis. 4 explanauimus, quanã ratione iurisdictio tota ecclesiæ in summo Pontifice resideat, & ab eo in alios deriuetur: tametsi efficere non possit vt nulli sint episcopi aut presbyteri; eo quòd de iure diuino ex Christi institutione sit, vt hi duo gradꝰ sub summo Pontifice in ecclesia sint. Quare potestates E
omnes aliæ spirituales Ecclesiæ à summo Pontifice in ea deriuantur, suntq; proinde non immediatè, sed mediatè à Deo, ab illo earum vnaquaque in suo ordine ac gradu remotiùs, vel minùs remotè, iurisdictionem habente.

Tractatu item 2 disp. 22 ostendimus potestates viri in vxorem, patris in filios, reipublicæ cuiusq; in potestates ipsius, esse de iure naturali, ac proinde esse à Deo per naturæ instinctum, ordinemq; rebus in hoc vniuerso earum creatione immediatè ab eo constitutum ac traditum. Potestates autem dominorũ in seruos, licèt simpliciter non sit de iure naturali; eo quòd ortum

non

non habeat ex ipsa rerum constitutione, ordineq; à Deo immediatè rebus indito, neq; futura fuisset in statu naturæ integræ; suppositio tamen titulo dominii ac seruitutis legitimè à dominis in ipsorum seruos comparato, sanè de iure est naturali, quòd domini præcipere illis possint moderatè atque intra limites tituli ac dominii in illos comparanti, & vt serui illis eorum humanis ac iustis præceptis suorũ dominorum parêre teneantur, vt disp. 2 citata, iuncta 27 sequenti, explanatum comprobatumq; fuit; estq; peccatum contra iustitiam eorum seruorum aduersus ipsorum dominos, si eis præceptis non pareant: sicut posito contractu emptionis & vẽditionis legitimo, iureq; eo contractu ac titulo ab emptore comparato ad mercem nondum sibi traditam, & à venditore ad pretium nondum similiter sibi traditum, de iure est naturali venditorem tradere emptori mercem, & emptorem tradere venditori pretium, estque peccatum lethale aut veniale, pro quantitate materię aduersus iustitiam commutatiuam, si vel venditor mercem non tradat, vel emptor non tradat pretium. Qua eadem ratione potestas dominorum in famulos mercede conductos ad illis imperandum ea, ad quæ conducti sunt, quamuis de iure naturali non sit; eo quòd ortum non habeat ex ipsismet rerum naturis, ordineq; à Deo rebus creatione indito, sed ex contractu locationis & condictionis libera vtriusq; voluntate inter ipsos celebrato; posito tamen eo cõtractu de iure naturali est, eum famulum parêre humanis præceptis talis domini, quæ fines eorum non egrediãtur, ad quæ is famulus nõ fuit mercede conductus, peccabitq; is famulus lethaliter aut venialiter cõtra iustitiã cõmutatiuã ea præcepta trãsgrediẽdo, quæ proinde, licèt humana præcepta sint, ipsum in cõscientiæ foro obligãt.

Eodem modo potestas Regum, & aliorũ supremorum moderatorũ in Aristocratiis ac Democratiis rerũpublicarum regiminibus, quãuis de iure naturali non sit; eo quòd ex prima rerũ constitutione, ordineq; à Deo rebus indito ea potestas in eis nõ oriatur, sed pro arbitrio ac beneplacito diuersarũ rerũpublicarũ instituti sint, vnusquisq; eorum cum maiori vel minori potestate ac iurisdictione à potestate & iurisdictione, quæ naturali iure in republica cõparatione omnium suarũ partium residet, in eis deriuata, nomineq; proinde ac loco totius reipublicę in eisdem reipublicæ partes illã exerceant; nihilominus, suppositio legitimo titulo, quo in Reges, & in alios supremos reipublicæ moderatores ea potestas à republica ipsa fuit transiata, sanè de iure naturali est, vt partes eius reipublicæ eius supremis legitimis ipsorum moderatoribus pareant quo ad leges ac præcepta humana, quę legitimè pro sua in eos potestate illis imposuerint, estq; ea potestas à Deo in illos mediatè deriuata, mediante scilicet republica, quæ ex potestate, quã naturali iure immediatè sibi à Deo in omnes partes suas cõmunicata habet, eã illis communicauit, quia totam non poterat se ipsam regere, sed necesse illi fuerit aliquod ex regiminibus monarchicis, Aristocratiis, aut Democratiis sibi deligere, vt disp. 22 citata & 23 sequenti copiosè explanatum fuit.

Eodẽ modo, suppositio legitimo titulo, quo in inferiores alios reipublicæ secularis moderatores potestas est deriuata, vel à republica ipsa, vel à supremis illius moderatoribus mediatè vel immediatè, sanè quamuis horum præcepta de iure naturali non sint, sed sint præcepta ac dispositiones humanæ; de iure tamen naturali est illis parêre, tanquam præceptis ac dispositionibus legitimorum ea in parte superiorum in sibi subditos, per potestatem à Deo in ipsos ad id exercent ac tenent, à quibus proximè aut remotè ea potestas seu iurisdictio in ipso deriuata est.

Ac sanè alienum omnino à recta ratione, impium, quin & stultũ, peruertensq; regimen totũ politicum ac Ecclesiasticũ, est affirmare, nullum subditũ in conscientiæ foro teneri seruare vllam humanã legẽ, vllumq; præceptũ humanũ, vt hęretici, aduersus quos disputamus, affirmant, sed posse, cessante scandalo, absq; vllo prorsus peccato trans̃gredi leges omnes humanas, omniaq; humana præcepta. Eo enim dato, non magis in foro cõscientiæ esset parendũ sententiis iudicũ, quã si latæ nõ fuissent: atq;, postquã latæ essent & executioni mandatæ, fas in cõscientię foro absq; vllo peccato esset facere occultã cõpensationẽ eorũ, quæ aliis adiudicata essent, si vel in pœnam aliquid à delinquente sententia iudicis esset oblatũ, vel nõ aliunde certò cõstaret id ad eũ pertinere, cui adiudicatũ est, quã ex iudicis sententia. Fas itẽ esset in cõscientia, nulli omnino legi, nulliq; mãdato principũ, aliorumq; inferiorũ superiorũ parêre, quãtũuis expediẽtissimo bono cõmuni pręciperent, quando seclusis eis legibus & mandatis, ex natura ipsa rei obligatio nulla subreatu culpæ in foro cõscientiæ esset illa eadẽ efficere. Quin & nullũ omnino esset scandalũ eis omnibus legibus ac mãdatis publicè aliis id cernentibus iã parêre: quandoquidẽ, si cõstat ea nihil omnino in foro cõscientię obligare, vt hęretici, cũ quibus disputamus, affirmant, vnusquisq; eis nõ parẽdo vtitur in cõscientię foro iure suo, aliis omnibus id intelligentibus ac scientibus, ac proinde id eis nullũ esse scãdalũ, occasióve ruinę spiritualis: quoniã estò alii idẽ eo exemplo permoti efficiãt, nõ peccant, neq; itẽ existimãt eum, qui id efficit, peccare, Deúmve offendere, cùm, iuxta horũ hæreticorũ errorẽ, intelligãt illũ suo vti iure. Quis autẽ (nisi stultus) nõ videat, subditũ legitimo suo superiori in iis nõ parêre, quæ ille pro potestate, quã in eum habet, illi pręcipit, cũ recta ratione pugnare, quæ cõtrarium perspicuè præscribit ac docet? id autẽ efficere, aut id omittere, cp cũ recta ratione manifestè pugnat, quis dubitat peccatũ ac culpã in foro cõscientię esse?

Iuxta hactenus summatim dicta, & disputationibus citatis copiosiùs explanata, sic de verbo ad verbũ *tractatu 2 disp. 27* diximus. Cùm legitimè omnes potestates laicæ, vel sint de iure naturali, vt potestas patris in filios, viri in vxorẽ, reipublicę in singulas suas partes, atq; adeò sint à Deo tãquam ab autore naturæ, vel descẽdant à iure naturali, cõstituanturq; iure positiuo, partim per potestatẽ iure naturali ad id immediatè cõcessam, vt sunt potestates omnes supremæ laicæ, & si quæ aliæ immediatè constituantur à toto corpore reipublicę; partim verò per potestatẽ à iure naturali mediatè ad id deriuatam, quales sunt potestates aliæ, quæ mediatè cõstituuntur à toto corpore reipublicæ, mediante videlicet regia, & aliis potestatibus ab ipsa creatis, & per potestatem ad id in commune reipublicæ bonum

illis concessam, consequens profectò est, vt legitimæ omnes laicæ potestates proximè vel remotè sint à Deo. Vnde licèt, quæ à regia, & aliis inferioribus legitimis potestatibus, ritè vel constituuntur vel præcipiuntur, sint de iure positiuo; quòd tamen illis, postquam fuerint constitutæ, pareatur, de iure esse naturali, lumine ipso naturalis intellectus ex naturis ipsis rerũ id ita docente ac præscribente, atque adeò est de iure diuino à Deo ipso, mediis naturis rerũ, ita constitutum. Quo fit, vt leges & præcepta, non iniusta, laicarum potestatum, de iure sint humano: quòd verò illis pareamus sit de iure diuino naturali. Vt enim Deus optimus maximus mundũ hunc vniuersum quo ad naturalia per causas secundas naturales gubernat, quarum quædã sunt ab eo immediatè, vt angeli, cæli, & astra, à quibus regimen & procreatio inferiorum pendet; quædam verò sunt mediatè, mediantibus videlicet aliis causis secundis; qua ratione, *attingere à fine vsque ad finem fortiter & disponere omnia suauiter* dicitur, influxum operationemq; causarum secundarum non excludendo; cùm tamen eius sapientię ac prouidętię, legiue ipsius sempiternæ, regimen totum huius vniuersi quo ad naturalia tribuatur: ita sanè ipse est, qui per potestates legitimas, à se proximè vel remotè derivatas ac constitutas, creaturas omnes libero arbitrio præditas ad fines suos, tum naturalẽ tum supernaturalem, dirigit ac gubernat. Quo fit, vt legitimę omnes potestates, quibus obedire tenemur, à Deo sint, Deiq; vices, vnaquęq; in suo ordine & gradu teneant, & vt dum illis obedimus, eatumq; præcepta seruamus, Deo pariter in illis obediamus, Deiq; præceptũ ac voluntatem exequamur. Vnde Paulus ad Rom. 3 de potestatibus secularibus, eisque laicis, agens, ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et paucis interiectis: *Dei minister est tibi in bonum: si autem malũ feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram,* (id est ad pœnam infligẽdam) *ei, qui malũ agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram* (id est pœnã vitandam) *sed etiam propter conscientiam* (id est, vt peccatũ vitetis.) *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes.* Ad Titum 3: *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* 1 Petri 2: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorũ: quia sic est voluntas Dei.* Et infrà: *Regem honorificate. Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Et Paulus ad Eph. 5: *Subiecti*, inquit, *inuicem in timore Christi. Mulieres viris subditæ sint, sicut Domino: sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Et Philip. 6: *Obedite parentibus vestris in Domino. Serui subditi estote dominis carnalibus cũ timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes. Sed vt serui Christi facientes voluntatẽ Dei ex animo cũ bona voluntate seruiẽtes, sicut Domino, & non hominibus.* Ex quibus constat seculares potestates à Deo esse, & vt Dei ministros A Deũ ipsum referre. Præterea dũ illis obedimus, Deo nos obedire, eiusq; præceptum & voluntatẽ seruare. Hinc vlteriùs facilè patet, quã stultus eorũ error fuerit, qui asseruerunt, regiũ regimẽ esse contra ius naturale, Regesq; omnes esse tyrannos, & eorũ regimen esse contra Christianã libertatẽ & legẽ euangelicã. Nihil enim, quod cum recta ratione cõsonat, & à iure naturali deriuatur, & cũ scripturis sacris omnino cõsentit, cõtra ius naturale esse potest. Præterea Melchisedec Rex fuit Salẽ, & sacerdos Dei altissimi. Ioseph procurator fuit Pharaonis Regis Ægypti. Dauid & Saul Reges à Deo sunt constituti. Et Deut. 17 Filiis Israël conceditur cõstituere sibi B Reges, regniq; leges eo loco præscribuntur. Itẽ Prouerb. 8 ait Deus; *Per me Reges regnant, & legũ conditores iusta decernunt.* Cùm verò nihil in euãgelio sit prohibitũ, quod naturali iure non prohibeatur: libertasque euangelii in eo sit posita, quòd à iugo veteris legis simus liberati, & quòd à seruitute peccati liberi facti simus iustitia, ridiculũ profectò, ineptum omnino est asserere, regiũ regimen cum euãgelio euangeliiq; libertate pugnare. Ex his, quæ tũ hac tum nouẽ aliis disputationibus præcedẽtibus dicta sunt, facilè cuiuis poterit esse manifestũ; nationes aliquas infideles esse, nihil omnino impedire, quominus inter homines earũ veri Reges sint, qui illis do- C minentur, legitimæq; aliæ potestates seculares. Nec itẽ impedire, quominus infideles ipsi legitimi sint earũ rerũ domini, quas tanquã priuatæ personæ, vt proprias, possidẽt. Etenim dominia iurisdictionis & proprietatis toti generi humano sunt cõmunia, eorumq; fundamentũ neq; est fides neque caritas, sed mediatè vel immediatè oriũtur ex ipsismet naturis rerũ, primaq; ipsarũ constitutione, dissoluta natura per peccatũ, factaq; ea de causa rerũ diuisione, vt explicatũ est. Hæc omnia habẽtur disp. illa 27 citata, quæ cõiuncta cum reliquis, quæ summatim ex aliis disputationibus ibi antecedentibus paulo antea à nobis relata sunt, pauciss imis illis additis, quę cũ D illis proximè inseruimus, sanè id sufficienter errorẽ hæreticorũ, aduersus quẽ disputamus, confutant, & fundamentũ à naturis ipsis rerũ petitũ, nõnullisq; scripturarũ locis apertissimè cõprobatum, cõtinent, vnde reliqua, quibus cundẽ errorem expugnabimus, vim habent, lucemq; nõ modicam illis afferunt. Quare boni pius lector cõsulat, si quæ disp. 27 citata à nobis fuerunt dicta, hoc loco in maiorẽ lucem transcripserimus.

Illud est addendũ, explicata in hoc *5 tractatu disp. 46. à §. primo autem loco*, &c. lege Dei æterna, 5 in eadem disp. §. eiusmodi quoq;, &c. nos explanasse quomodo leges omnes humanæ, præceptaq; omnia humana nõ iniusta, ab eadẽ lege Dei E æterna deriuarentur, ita vt transgressiones earundem legum humanarum, eorundemq; præceptorum humanorum, transgressiones sint eo ipso legis Dei æternæ, qua Deus cũcta gubernat, in suosq; fines dirigit. Cũ enim humanæ potestates, quæ illa præcipiũt, à Deo sint, ministri ea in parte illius, autoritate à Deo deriuata illa præcipientes, atq; cũ quãuis eæ leges eaq; præcepta humana sint, de iure tamẽ diuino naturali sit illis obedire; quod præceptum iuris naturalis ad quartum decalogi præceptum reducitur, vt disp. 56, dum de decalogi præceptis nobis erat sermo, fuit explicatum; sanè lex Dei æterna, qua

Deus

Deus cuncta gubernat atque ad suos fines dirigit, præcipit easdem humanas leges ac præcepta à subditis, quibus imponuntur, seruari, estque earum transgressio eo ipso transgressio simul legis æternæ. Quemadmodum autem præcepta iusta, à parentibus filiis imposita, humana perspicuè sunt; & tamen transgressio earum, quatenus simul est contra præceptum parentis humanum, & contra quartum decalogi præceptũ, quo Deus diuino naturali iure præcipit filios parentes honorare, eisq; obedire, & contra legem Dei æternam, quæ idem præcipit, non sunt tres culpæ, sed vna tantùm culpa; propterea quòd tria illa præcepta subordinata inter se sunt, præceptumq; decalogi iuris naturalis vim habet ex lege Dei æterna, qua Deus id præcipit ac vult, naturisq; ipsis rerum id indidit, & præceptum parentis humanum vim suam obligãdi ex quarto præcepto decalogi & ex lege Dei æterna habet, eisq; legibus innititur: ita transgressio quarumcunq; aliarum legum humanarum ac præceptorum humanorum non sunt tres culpæ ac tria peccata, sed vnũ tantùm: quia leges & præcepta alia humana similiter subordinãtur quarto præcepto decalogi ac legi æternæ, ab illisque suam vim subditos obligandi habent.

6 His omnibus explanatis, ex quibus perspicuè ac sufficienter error, aduersus quem disputamus, expugnatur, idẽ amplius corroboremus ac conuincamus. Atque in primis circa illud testimonium Pauli ad Rom. 13 suprà relatum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, nota peculiariter sequentia verba, quæ perspicuè obligationem in conscientia sub reatu culpæ denotant. *Non est potestas*, legitima scilicet, siue ea secularis sit siue Ecclesiastica, *nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, atque adeò peccat: nam resistere Dei ordinationi, peccatum procul dubio est, vt lumen ipsum rationis docet, nullusque negabit, nisi amens sit. Vnde Paulus continuò subiungit: *qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, ob culpam scilicet, quam ita resistendo committunt. *Si malum feceris*, leges scilicet & præcepta ciuilia transgrediendo. Neque enim eiusmodi potestates aliud puniunt quàm transgressiones legum ac præceptorum humanorum, siue simul diuina etiam sint, siue non. *Ideo*, quia scilicet veras culpas puniunt, *necessitate subditi estote*; parendo legibus ac præceptis humanis, *non solùm propter iram*, id est pœnam ob tales transgressiones vitandam, *sed etiam propter conscientiam*, vt scilicet verum peccatum carentem transgressionum vitetis.

Deut. 17: *Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Cùm autem non minor, sed maior potestas sit in sacerdotibus nouæ legis, quàm quondam fuerit in sacerdotibus veteris legis, sanè non minus peccatum in conscientiæ foro est non obedire legibus & imperio summi Pontificis vicarii Christi, quàm in lege veteri fuerit non obedire imperio summi sacerdotis. Porrò præcepta Pontificis Iudæorum verè erant imperia, & non admonitiones & cohortationes solùm, vt ex illis verbis cõstat; *Sacerdotis imperio*: in cõscientiaq; sub culpa obligabant: alioquin transgressio imperii Pontificis Iudæorum nõ adeò seuera mortis pœna statueretur punire: si namq; transgressores eius imperii non peccabant, vtiq; innocentes interfici ob eam transgresionem: quod cum iure naturali quintoq; decalogi præcepto pugnaret, de lege q; illa Deuteronomii diuina nulla ratione est censendũ. Neq; satisfacit responsio quorundam ex his hæreticis, quos impugnamus, peccari scilicet in foro conscientię ratione scandali ac superbiæ: nõ verò quando absq; scandalo & superbia seu contemtu interuenit legis humanæ trãsgresio. Non, inquã, satisfacit ea responsio: quoniam vt suprà fuit ostensum, si ex ipsamet rei natura præcepta humana non obligant in conscientia, sed absq; vlla culpa possunt non seruari, atq; id constat & est certum, vt hæretici, cũ quibus disputamus, contendunt & affirmant, planè nullum est scandalum eis non obedire: eo quòd eis non obediens iure vtatur suo, idq; aliis constet: quin potestates ipsæ publicæ peccarent, obedientiam exigendo, quæ illis non debetur, pœnamq; absq; culpa, maximè adeò graue, infligẽdo. Neq; sanè in eo loco Deuteronomii de alia superbia est sermo in non parẽdo imperio summi sacerdotis, quàm de ea, quæ in eo cernitur, quòd is subditus stare non vult imperio illius.

Matth. 16: *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Cùm autem dicat, *quodcunq; ligaueris*, vtiq; in eis verbis id omne comprehenditur, quod iuxta scripturæ sacræ vsum verbo ligare significatur: Matthęi verò 23 ligare accipitur pro imponere legem: *Alligant enim*, ait Christus, *onera grauia & importabilia, digito autem suo nolunt ea mouere*: quo fit, vt Christus illis verbis Matthæi 16 promiserit Petro, quicquid præcipiendo fidelibus imponeret, se id ratum in cœlis habiturum, tanquam per potestatem à se ad id ei collatũ impositum. Ex quo sequitur Petri & aliorum summorũ Pontificum, qui illi in cathedra erant successuri, leges ac præcepta in foro conscientiæ fideles obligare: alioquin quid quęso ratũ haberetur in cælis? Vnde Hierony. in illud Matth. 18 ad apostolos omnes dictũ; *Quodcunq; alligaueritis*, ait: *Potestatẽ tribuit apostolis, vt intelligant, qui à talibus damnãtur, humanam sententiam diuina sententia roborari.*

Lucæ 10: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Et ad Heb. 13: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim perui gilant tanquam pro animabus vestris rationem reddituri.* Quo in loco Chrysostomus peccatum esse affirmat eis non obedire.

Act. 15 Petrus & alii illius primi cõcilii Patres scripserunt gentibus ad fidem conuersis: *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, a suffocato & sanguine & fornicatione.* Quo in loco apostoli, cũ iã lex vetus quo ad cęremonialia omnia cessasset, nouã vtiq; legẽ condiderunt: quippe cũ de immolato, sanguine, & suffocato, nihil Christus præceperat: neq; hæc in se quicquã mali cõtineant, sed indifferentia sint, circa quę tamẽ hæretici, cũ quibus disputamus, affirmant nõ posse ecclesiã legẽ statuere. At profectò, cũ apostoli onus impositũ ab ipsis tunc illã appellent, vt cõstat ex illis verbis; *nihil contrà vobis imponere oneris*; liquet legẽ esse ab ipsis Spiritus sancti instinctu illis impositã, ipsosq; in conscientia obligantẽ: maximè cùm addant,

dant, *nisi hæc necessaria*, vt scilicet ea seruetis, ac proinde minimè libera vobis vt illa seruetis aut non seruetis, prout vos malueritis. Legemque Lucas illam appellat, tum in fine eius capitis de Paulo dicens; *Pertransiens ciuitates, præcipiebat eis custodire præcepta Apostolorum & seniorum*: tum etiam c. 16 sequenti, dicens; *Tradebãt eis custodire dogmata, quæ decreta erant ab Apostolis & senioribus, qui erant in Hierusalem*. Est verò satis inepta Caluini responsio, Apostolos scilicet ea lege nihil præcepisse de nouo, sed solùm id præcepisse, quòd iure diuino semper fuit præceptum, nempe ne cum infirmorũ scandalo illa aut alia similia efficerent. Quare, inquit, Christiani non tenebantur lata ea lege abstinere ab immolatis idolis, & à sanguine & suffocato, sed solùm ad non scandalizandũ. Sanè ante latam illam legẽ Christiani ex gentibus conuersi non peccauerunt non abstinendo à sanguine & suffocato, sicut nec peccauerunt non seruãdo alia legalia, neq; quæstio ad apostolos delata fuit de sanguine & suffocato & de immolatis idolis, sed num tenerentur seruare legalia: quare si lata nõ fuisset lex positiua & humana, sicut antea nõ peccarunt, nec postea peccassent: non secùs atq; nõ peccarunt legalia alia non seruando, nihil impediente murmure nonnullorum ex conuersis ex Iudæis, de quorũ numero erant pseudoapostoli, qui Galatas peruertebãt. Satis autẽ forma eius legis indicat, id onus ac præceptũ tunc eis ab apostolis imponi, dum dicitur; *imponere vobis*, tanquã expediens ad maiorẽ vnionẽ in ecclesia Christi conuersorum ex Iudæis & ex Gẽtibus in principio Christianæ Ecclesiæ: neq; id esse generale præceptum iuris naturalis vitandi pusillorum scandalum.

Primæ ad Cor. 11: *Laudo vos, quòd sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*. Primæ ad Thess. 4: *Scitis quæ præcepta dederim vobis*. Et infrà: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui spiritũ suum sanctum nobis dedit*. Secundæ ad Thess. 3: *Confidimus de vobis fratres in Domino, quoniam quæcunq; præcipimus, & facitis & facietis*. Et infrà: *Cùm essemus apud vos, denunciabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet*. Et inferiùs: *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolã hunc notate, & ne commisceamini cum illo*.

Prouerb. 6: *Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ*, &c. Sanè si nomine patris & matris in sensu literali patrẽ & matrem carnales intelligas, ea præcepta & leges humana sunt: si verò nomine patris Deum intelligas, & matris nomine intelligas ecclesiã in sensu metaphorico, lex matris lex humana etiam est.

Paulus ad Rom. 1 inter alia grauissima crimina, quæ Deum gentibus ob idololatriæ peccatum permisisse commemorat, ait; *Parentibus non obedientes*. Et Deut. 21: *Si genuerit homo filium contumacem & proterunum, qui non audierit patris & matris imperium, & coërcitus obedire contempserit, apprehendẽt eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicii, dicentq; ad eos: Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ, atque conuiuiis. Lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israël audiens pertimescat*. Certè ob cætera alia crimina, quæ ibi de eo commemorantur, ea pœna mortis acerba illi non imponitur, nisi accedat inobedientia illa humanis parentum præceptis superadditis: quare cùm adeò acerba mortis pœna non imponatur nisi ob culpam, eamque lethalem, consequens profectò est, vt illa humana parentum præcepta illum in conscientia obligent, idque sub culpa lethali. Eadem verò est ratio, imò & maior, vt præcepta humana potestatum Ecclesiasticarum & secularium, maximè si supremæ sint, obligare suos subditos in conscientia possint, etiam sub lethali culpa, quando de re graui, & quæ non leuiter bono communi expediat, lata sunt. Dixi, imò & maior: quoniam cùm potestas secularis ad altiorem finem, nempe ad reipublicæ ac politicum bonum imperet, qui finis præstãtior est, & quod bonum est præstantius, quàm sit finis æconomicus, bonumq; æconomicum, ad quod parentes imperant, potestasq; Ecclesiastica ad præstantiorem adhuc finem, ad præstantiusque adhuc bonum imperet, quàm secularis potestas, sanè arctiùs astringunt ea ex parte præcepta secularium & Ecclesiasticorum potestatũ, quàm præcepta parentum: atque quando non potest simul vtrisque obedire, potiùs est obediendum præceptis potestatum ciuilium & ecclesiasticarum, quàm præceptis parentum, quando id ita fines illi superiores exigunt, vt rectè *Alfonsus a Castro. 1. de leg. pœn. c. 4.* deducit ac ostendit.

Idem aduersariorum error confutatur ex Patrum & Ecclesiæ traditione. Nullum enim ferè est concilium, quod non aliquid vel præcipiat, vel interdicat sub anathematis aut depositionis pœna: quæ pœnæ nisi ob culpam lethalem inobedientiæ prælatis & ecclesiæ non incurruntur. Idemque habent Pontificum epistolæ in toto discursu ecclesiæ, tam quæ in corpore iuris canonici sunt insertæ, quàm plurimæ aliæ, in quibus multa, quæ de iure diuino non sunt, præcipiuntur aut prohibentur sub excommunicationis pœna, quæ non nisi ob lethalem culpam incurritur. 7

Legem verò ecclesiasticam ieiuniorum quadragesimæ, quatuor temporum, ac vigiliarum, quam hæretici maximè reprehendunt, humanamque esse confitentur, semper in Ecclesia habitam fuisse in cõscientiæ foro sub reatu culpæ obligasse (quod idem de aliis ecclesiasticis legibus eadem ratione est censendũ) ex sequentibus constat. Canon. 68 Apostolorum sic habet: *Si quis Episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel cantor, sanctã Paschæ quadragesimam non ieiunat, vel quartum diem, vel parasceuem, præterquã si propter imbecillitatẽ corporalem impediatur, deponatur: si autem sit laicus, segregetur*, id est excommunicetur. Gangrense concilium can. 19 eos excommunicari iubet, qui indicta ieiunia sine necessitate soluunt. Toletanum 8 concilium, can. 9. eos sacra communione in Paschate priuat, totoque anno à carnibus abstinere iubet, qui ieiunium quadragesimæ violauerint. Basilius 2 oratione de ieiunio: *Omnes*, inquit, *æqualiter & præceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt*. Et infrà: *Vide ne propter paruam edulcorum voluptatem damnum incurras, & te ipsum cr iminis desertoris reum statuas*. Chrysost. homil. 2 in Gen. ait quadragesimam inflectere omnium conscientiam, etiam Imperatorum, ad obedientiam. Ambro. serm. 25: *Non leue*, inquit, *peccatum est, indictam fidelibus*

bus quadrageſimam violare, & ieiunia conſecrata ventri voracitate diſſoluere. Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam de erroribus Montani; *Nos*, ait, *vnam quadrageſimam ſecundum traditionem apoſtolorum tempore nobis congruo ieiunamus. Non quo & per totum annum, excepta Penteceſte, ieiunare non liceat: ſed quòd aliud ſit neceſſitate, aliud voluntate munus offerre.* Aug. ſerm. 62 de tempore: *Aliis diebus ieiunare remedium eſt aut præmium: in quadrageſima non ieiunare peccatum eſt.* Leo ſerm. 3 de ieiunio decimi menſis: *Primum*, inquit, *eſt agere non indictum: impium eſt negligere prædicatum.* Denique Epiphanius hæreſi 75 & Aug. hæreſi 63 Ærium inter hæreticos commemorant, quòd diceret, ieiunandum quidē eſſe, cæterùm non ex præcepto Eccleſiæ, ſed quando cuique placet. *Neque ieiunium* (ait Ærius apud Epiphanium) *erit ordinatum, hæc enim Iudaica ſunt, & ſub iugo ſeruitutis: iuſto enim lex non eſt poſita. Sit verò volo ieiunare, qualemcunque eligam diem a me ipſo, & ieiunabo propter libertatem.* Hoc autem ipſum profectò eſt, quod Lutherani hodie dicere ſolent.

8 Supereſt reſpondeamus ad argumenta in contrarium propoſita. Ad minorem primi argumenti dicendū eſt, in eo quod dixit Chriſtus; *docentes vos ſeruare omnia, quæ mandaui vobis*, includi docere eos ſeruare mandata Eccleſiæ ſeu prælatorum, poteſtatum ſecularium, ac parentum & dominorum: ea enim omnia quarto decalogi præcepto cenſentur iuſſa ſeruari: quod Chriſtus ſeruare mandauit. Item ex multis aliis ſcripturæ teſtimoniis, iunctis rationibus ſuprà confectis, conſtat Chriſtum ea omnia iuſta humana præcepta, ſeruari præcepiſſe. Adde, conſequentiam eſſe nullam, ex eo enim, quòd præcepiſſet docere ſeruare mandata ipſius diuina, ſequitur, non eſſe poteſtatem in eccleſia ad præcepta humana condenda, quæ obligent ſubditos in conſcientia: maxime cùm ea præcepta diuinis præceptis, vt explanatum eſt, innitantur, & ex poteſtate à Chriſto ad id eis collata emanent.

Ad ſecundum dicendum eſt, illis in locis perſpicuè eſſe ſermonem de lege diuina, qua lex diuina eſt, cui addere aliquid tanquam legem diuinam, aut ab ea aliquid detrahere, nefas omnino eſt, & quam ad vnguem non ſeruare aliquid ex lege omittendo, aut in aliquo contra legem excedendo, nefas etiam omnino eſt: idque eſt quod Deut. 5 his verbis ſubjicitur: *Facite igitur & ſeruate, quæ præcepit Dominus Deus vobis. Non declinabitis neque ad dexteram neq; ad ſiniſtram, ſed per viam, qua præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis, vt viuatis, & bene ſit vobis.* Quod ergo ita additur ei, quod lege diuina præceptum eſt, aut ab eo detrahitur, vt legi aduerſetur ac repugnet, id ſolum eſt, quod prohibetur in locis in eo argumento citatis, vt ſi, cùm Deus præciperet in Paſchate comedi vnum agnum in ſingulis familiis, comederentur duo, aut ſolum dimidiū, aut aliquid aliud omitteretur ex cæremoniis, quas ſeruare in eo comedendo erat præceptum: vel (vt habetur c. illo 12 Deuteronomii citato) ſi ſacrificiū afferretur extra locum ad id à Deo electum, quod Deus prohibebat, vel maculatum in ſacrificium offerretur: vel ſeruarentur ritus, quibus gentes Deos ſuos colebant, vt offerendo filios aut filias, igneq; illos comburendo: quod eſt exemplum capite illo 12 antecedens proximè verba illa; *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquā, nec minuas.* Quemadmodum autem illis teſtimoniis ex Deuteronomio citatis non prohibetur votis ſe aſtringere Deo ad alia vltra legem, quæ ſunt ſupererogationes, neque illa, etiam non ex voto, efficere & addere ſupra ea quæ lege præcepta ſunt: ita neque poteſtatibus publicis prohibetur ſtatuere leges & præcepta extra leges aut vltra leges diuinas, de rebus quas pro loco & tempore expedire iudicarent. Sic Eſther 9 narrat ſcriptura Mardocheum ſcripſiſſe Iudæis; *vt quartam-decimam & quintam-decimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno ſolemni celebrarent honore.* Et infrà: *Suſceperuntq; Iudæi in ſolemnem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant.* Et paulo inferiùs: *Suſceperunt Iudæi ſuper ſe & ſemen ſuum, & ſuper cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolemnitate trāſigere.* Et Iudith vlt. *Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis ab Hebræis in numero Sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore vſque in præſentem diē.* Et 1. Mach. 4: *Statuit Iudas & fratres eius, & vniuerſa Eccleſia Iſraël, vt ageretur dies dedicationis altaris in tempo-ribus ſuis ab anno in annum per dies octo.* Quod feſtum Chriſtus ſua præſentia honorare dignatus eſt, vt Ioann. 10 habetur. Primi Reg. 30 Dauid nouam condidit legem, vt æqua pars ſpoliorum eſſet in bello deſcendentium in prælium & remanentium ad ſarcinas: *Et factum eſt hoc*, ait ſcriptura, *ex die illo conſtitutum & præfixum & quaſi lex in Iſraël.* Atque in Hebræo habetur, non *quaſi lex*, ſed *in præceptum atque iudicium.* Neque eſt dubitandum in veteri lege.

FINIS.

INDEX
RERVM ET MATERIARVM MEMORABILIVM, IN HIS QVATVOR POSTVMIS TRACTATIBVS LVD. MOLINÆ CONTENTARVM.

Abbas.

Abbates & alii superiores, habentes prioratus aliis in locis, quomodo se habebant, quando volebant conuenire reum aliquem, qui erat de eadem ciuitate aut diœcesi cum ipsis. 2868. e

Abigeatus crimen.

crimen Abigeatus & plagii quomodo puniatur. 1232. b

Abigeatus furtum quibus pœnis puniatur. 1144. c

Abigeatus pœna quæ sit in regno Castellæ. 1145. c

Abominatio templi Salomonis.

Abominatio futura in templo Salomonis à Daniele & Christo fuit prædicta 3131. b. per abominationem intelligitur à nonnullis exercitus Romanorum, quando ad obsidendam Ierusalem accederent. Ibid. d. sed potiùs sunt sacrilegia immania, quæ in templo facta sunt. Ibidem e & seqq.

Aborsus.

Aborsum procurans præter lethale peccatum, si fœtus sit animatus, est homicida. 1711. c.

Aborsus interdum fit, fœtu iam animato anima rationali; in quo solo interuenit homicidium: interdum fit fœtu nondũ animato rationali anima, in quo non fit homicidium, est tamen graue peccatum. 1835. c.

Aborsum causans in fœtu animato itã rationali anima pœna mortis punitur. si aborsus sequatur, est q; homicidium proditorium ratione infantis, qui ita interficitur. si à matre aut aliquo affine fiat, crimen parricidii est. 1836. a

qui fuit causa Aborsus, & dubium est an fœtus fuerit animatus rationali anima, irregularitatem quidem ex homicidio incurrit: & puniendus est pœna arbitraria. 1837. e

si fœtus nondum sit rationali anima animatus, tunc qui Aborsui causam dolo dedit, homicida quidẽ non est, nec inde irregularitatem incurrit; is tamen qui impediuit, ne ex coitu generatio sequeretur, tenetur instar homicidæ. 1838. e

Aborsum causatus per potionem, etiam quando fœtus non erat animatus rationali anima, aut alicui philtrum propinauit, & tunc mors est secuta sumentis: si eiusmodi potionem dans ignobilis fuerit, in metallum mittitur, si verò nobilis, in insulam relegatur. 1839. c.

Aborsum causatus, aut fœtum animatum alia ratione enecans, fit irregularis. 2181. d. si non constet, an fœtus esset animatus rationali anima, vel non, habendus esset tanquam irregularis, qui causa aborsus fuit. Ibid. e

Abrogare legem.

Abrogare legem quid sit. 3144. e

Abraham Patriarcha.

Deus Abrahamo per tres Angelos locutus est. 3089. e

Abrahamum gratuitò elegit Deus, vt ex eius semine Christus nasceretur. 3099. d. 3100. b. c. & seq.

Abraham pater credentium, vt ii qui sunt ex fide, & non ex carnali propagatione eius, reputentur illi in semine. 3107. c.

Abraham initium circumcisionis. 3014. d

Abrahamo licuit immolare filium, Deo id concedente ac iubente. 3155. e

Abraham septuaginta quinque annorum erat, quãdo illi à Deo facta fuit promissio. 3115. c

Abrahæ sinus dicitur locus, in quem omnes iusti morientes vsque ad Christi mortem descendebant. 3107. d

Abraham quamuis iam mundus esset à peccato originis, necessitate tamen præcepti tenebatur se & suos circumcidere. 3187. d.

Abrahami prompta obedientia est causa, cur Deus promiserit ipsi ex eius semine nasciturum Christum. 3100. d. 3107. b

Abraham decimas & spolia obtulit Melchisedeco. 3083. e

Abrahamo non fuit data lex à Deo, sed solùm præcepta quædam familiaria. 3102. b

Absoluere à peccatis.

simplex sacerdos in mortis articulo non potest à peccatis reseruatis & aliis lethalibus Absoluere, si adsit alius legitimus confessarius. 2158. d

Absoluendi a crimine hæreseos facultas, quæ episcopis a concilio Tridentino concessa est, num hodie derogata sit. 2823. c.

quando aliquis priuilegium habet Absoluendi à foro conscientiæ ab excommunicatione ob manuũ violentarum in ecclesiasticum iniectionem, aut quando id licet ex concessione bullæ cruciatæ, tunc qui in conscientia foro absoluere potest, non potest illud efficere nisi satisfacta prius parte, aut quando per ipsum non stat, quominus prius satisfaciat. 2169. c.

qui non possunt ob impedimentum aliquod accedere sedem Apostolicam, vt ab excommunicatione Absoluantur, possunt ab episcopo absolui. 2167. c

Accelerare mortem.

mortem alicuius ad mortem damnati Accelerans, irregularitatem incurrit, quando id in causa fuit, vt mors citius sequeretur. 2207. e

Accipere munera ad tacendum.

Accipiens munus ab aliquibus, quos comperit in adulterium incidisse, punitur pœna adulterii. 2358. e

Accipiens ignorantia crassa, quòd res ad eum non pertineret, à quo illam accipiebat, illam accepit

absque vllo dubio, cùm tamen meritò dubitare debuisset, tenetur postea inquirere an verè ad alium pertineat, vt integre eam illi restituat. 1549. c.

Accipiens aliquid à fure vt taceat, quando teneatur illud restituere, quando non. 1595. c

Accusare & accusari.

Accusans de falsæ monetæ crimine præmio afficitur, si id probetur: & licèt non probet, de calumnia non tenetur. 1318. e

Accusationem criminalem intentans, & post litem contestatam omnino deserens accusationem, non interueniente abolitione eius criminis, incidit in pœnam quinque librarum auri, si crimen de quo accusabat erat publicum, secùs, si erat priuatum. 2051. b

qui intentata accusatione circa aliquem de aliquo delicto, non ad pœnam pecuniariam ipsi applicãdam, sed ad quamcunque aliam pœnam, ab Accusatione desistit non interueniente criminis abolitione, incurrit infamiam. 2512. c

personæ Accusare prohibitæ admittuntur ad accusandum, quando suam suorumq; iniuriam prosequuntur. 2021. d

quando Accusatio pertinet ad aliquos præcisè quatenus actio, quam habebat defunctus, transit ad hæredes, tunc actio solum pertinet ad hæredes, quicunque illi sint. Ibid. e

quod Accusator in libello petat, vt reo pro aliquo delicto pœna sanguinis imponatur, si delictũ nõ est tale, vt pœna sanguinis mereatur, non est æquũ, vt circa tale delictum transactio sit valida. 2040. c

licèt superuentio Accusatoris cessare de iure communi efficiat processum iudicis ex suo officio via inquisitionis, hodie tamen multis in locis iudices ex suo officio procedũt ad inquirẽda quæcũq; delicta, licet priùs delinquens accusatus sit. 2059. a

qui in Iudicio non seruato ordine iuris accusatur, & interrogatur de aliquo crimine, quod verè commisit, potest absque mendacio affirmare, se id non commisisse. 2697. d

quando nullus de crimine aliquo intentat Accusationem, iudex in sæculari foro hodie iuxta consuetudinem Hispaniæ, siue crimen sit publicum siue priuatum, ex officio procedit ad inquisitionem & punitionem in commune bonum. 2057. d

quando aliquis est iniustè Accusatus, & accusans punitur pœna mortis, eo quòd iniquè ita accusauerat, si iniustè accusatus vindictam petit delicti in se commissi, præuia protestatione quòd non intendat iniustum accusatorem interfici, non incurrit irregularitatem, sed aduocatus eius: secus, si vindictam petat. 2212. d

si Accusatus negando crimen suum damnũ inferat famæ legitimè eum accusantis, tenetur illi restituere id damnum, vel se retractando si adhuc perseueret iudicium, modo tamen tutò id possit efficere sine longè suo maiori incommodo. 2695. d

Achaz rex.

Achaz rex non placuit Deo addens altari, quod in templo Domini erat, aliud altare ad formam altaris Damasci. 3250. e

Agere & actio diuersarum rerum.

Agere ciuiliter sumitur præsse & latè, item Agere criminaliter. Actio ciuiliter præsse sumpta nõ impedit actionem criminaliter latè & præsse sumptam. Agere ciuiliter ad pœnam pecuniariam impedit agere simul criminaliter ad pœnam corporalem, & è contra. 1204. d

Actio ob damnum ab animali alterius datum, & transit ad hæredes damnum passi, & aduersus hæredes domini animalis, si lis cum eo domino fuerat contestata. Hanc actionem intentare potest etiam is, cuia interierat non esse datum, vt commodatarius & similes. 1492. d

Actio aquæ pluuiæ, vide Aqua pluuia.

Actio arborũ cæsarum pœnalis perpetua est. 1295. d

Actio arborum cæsarum competit emphiteutæ perpetuò in duplum, quoad æstimationem dominii vtilis in eis arboribus, & domino directo, quoad æstimationẽ dominii directi. Vsufructuario cõpetit etiam similis actio vtilis, & quatenus cõpetat aut non competat aliis legitimis tẽporibus. 1297 a

quando Agitur non ad pœnam sed ad compensationem damnorum in bonis externis, iniustè datorum, si lis ante mortem erat contestata aduersus delinquentem, tunc eo defuncto actio transit ad hæredes illius. 1998. c

Actio ratione damni dati, quæ competit domino & hæredibus illius quoad damnum & quoad pœnã, si lis à Domino fuerat contestata, quatenus competat etiam vsufructuario, vsuario, possessori rei bona fide, depositario, conductori, & commodatario. 1284. b

Actio falsi criminis aduersus matrẽ ob partum suppositum non suspenditur ob detrimentum status filii impuberis. 1311. b. nec etiam eadem actio vllo tempore præscribitur. Ibid. d

pro solo furto formali & materiali simul datur Actio furti in foro exteriori, aut pro eo quod præsumitur tale. 1116. c

Actio furti ad pœnam ciuilem, & actio ad rem furto ablatã & ad damna subsecuta, quantã diuersitatẽ habeant, possunt etiam seorsum intentari aut etiã simul, incidenter vna ex aliâ eodẽ libello. 1203. a

Agi etiam potest ob furtũ criminaliter ad pœnã corporalem, sed tunc locum non habet actio ad pœnam ciuilem, & pro furto imponi nõ poterat iure communi pœna mortis nec mutilationis. Ibid. d

furti ratione Actio ad rem, fructus, & interesse etiã lucri cessantis aduersus furem hæredesq; illius competit, & vindicatio rei furto oblatæ competit aduersus quemcunque illius possessorem, & competit domino rei, hæredibusque illius. 1241. c

furti Actio ad pœnam non transit ad hæredes furis, nisi sit pœna pecuniaria, & lis contestata fuisset cũ fure ante illius mortem, non verò transit actio furti aduersus furem, & ad hæredes illius, in quem commissum est furtum, nisi is cum fure litem esset contestatus. 1442. a

furti Actio quousque competat aduersus commodatarium, conductorem, creditorem ac depositarium, vtentes re commodata, conducta, pignore, aut deposito præter licitum. 1243. c

furti Actio quousque competat aduersus dominum rei eã accipientẽ à cõmodatario, & quæ alia actio aduersus illos cõpetat: & quid si vi illũ eripiat. Ib. d

furti Actio vt cõpetat, necesse est patratũ fuisse furtum formaliter & materialiter simul. Ibid. a

Actio furti competit aduersus rei dominum clàm propria authoritate ejicientem à possessione eum, qui in illa erat. 1244. a

Item aduersus debitorem, qui pignus suum accipit clàm à creditore, & ad quid se extendat. 1244. b

Actio iniuriarum quoad pœnam tam ciuilẽ quàm criminalem multis modis tollitur omnino, ita vt deinceps intentari non valeat. 1989. b

Actio iniuriarum tollitur omnino, si offensus tacitè inin-

iniuriam remittat: & quid sit tacitè iniuriam remittere. 1991. e. eade actio tollitur præscriptione. 1992. b

personæ quibus Actio iniuriarum competit, ratione cõiũctionis vel alterius, & quibus no. 1702. c. d. e

Actio iniuriarum non durat nisi ad annum, & intra annum aduersus offensum præscribi debet. 1993. e. actio tamen ad damna in bonis externis ex iniuria resultantia non præscribitur anno, cùm sit actio longè diuersa. 1994. d

Actione iniuriarũ agens siue ciuiliter, siue criminaliter, exprimere in libello debet, aduersus quem in particulari agat, ipsum designando a quo iniuria sit affectus, deinde etiam exprimere, quam iniuriam & quando passus. 1967. b

Actio iniuriarũ cum ciuiliter intentatur, actor potest agere per suum procuratore, & reus similiter per suũ potest se defendere: quando autem agitur criminaliter, neque agens agere potest per suum procuratorem, neque reus se defendere potest per procuratorem, sed per seipsum tantum. 1973. a

Actione iniuriarum agere pertinet ad iniuriam passum. 1995. e

Actio iniuriarũ competit etiã aduersus causis iniuriarum, vt consulentes, mandantes, &c. 2674. c

Actio raptorũ bonorũ nõ solũ cõceditur, vi interueniente, quando illa secluſa concederetur actio furti, sed etiam quando non tantum sua interesset eius, ex quo res aufertur, vt secluſa vi, concedenda esset actio furti. 1254. c.

Actus seruitus ad quæ se extendat, comprehendit seruitutem itineris tanquam partem integrantem, etiam quoad ius. 1465. c

Adoptio.

Adoptio filiorum quid sit. 3206. b

Adoptio iustorũ tepore legis veteris, & tẽpore legis gratiæ quomodo distinguantur. 3206. e. & seq.

Adulter.

Adulter inuasus à marito adulteræ in facto deprehensus licitè illum interficere potest, si aliter non possit effugere. 1766. b

Adulter, qui indubitanter pater est filii spurii, quive sibi omnino persuadet, persuadereve omnino debet, eũ esse suũ filiũ, tenetur simul cũ adultera ad restitutionẽ eorum omnium damnorum. 2416. b

Adulter in conscientiæ foro, si indicia habeat sufficientia, quæ coram Deo ipsum omnino persuadeant, persuaderéve debeant, illum esse suum filium, vt suũ debet illũ reputare ad effectũ, vt restituere teneatur damna omnia inde subsecuta, atque ad illum educandum, ad soluendasq; expensas factas in illo educando. 2417. a

Adultera.

Adultera coniugata, & adulteratius cum ea, veteri lege mortis pœna puniebantur pro eo adulterio. Item bona adulteri ad fiscum attinebant, nisi haberet descendentes aut ascendentes, vsque ad tertium gradum: mulieris verò adulteræ bona in tres partes æquales diuidebantur. 2303 b. c

Adultera quando transibat ad secũdas nuptias, post adulterium tempore prioris matrimonii commissum, accusari non poterat, nisi prius accusato adultero. 2046. c

quando mulier Adulterata fuit, mortuoq; marito transiuit ad secũdas nuptias, tũc maritus secũdus non potest eã de priori adulterio accusare. 2355. a

Adultera, quando detegendo crimen suum impeditura non esset damna, quæ ex natiuitate spurii filii sequentur; quoniam in foro exteriori sola ea confessio sine alia legitima probatione, quòd ille sit spurius, nõ sufficit, vt excludatur à bonis, quorũ est incapax, no tenetur detegere crimen suũ, etiã soli filio suo spurio, nihil impediẽte, q; nulla alia via possit impedire ea dãna iniusta aliorum. 2396. c

Adultera quãdo haberet bona, de quibus libere posset disponere, si filius eius, quẽ ex adultero cõcepit, reputaretur illegitimus, nõ tenetur suũ crimẽ detegere, modo ex eis aliis bonis suis sufficienter dãna, quæ ex eo essent sequẽda, compensaret. 2397. c

Adultera quando alia via impedire non posset dãna, quæ ex natiuitate filii spurii sequuntur, atq; certum est, ex reuelatione sui criminis ea fore impedienda, non tenetur cum periculo vitæ propriæ aut alterius detegere crimẽ suum, sed potius debet permittere ea omnia damna. 2401. b

quando ex detectione criminis solum sequeretur infamia Adulteræ cum aliquo audientium scandalo, tenetur adultera crimen suum detegere in articulo mortis, si verisimile sit ea via damna impedituum iri, neque alia occurrat via, qua impediantur. 2402. e

quando legitimus successor priuandus esset successione in re tanta, quantum est regnum, non tenetur Adultera cũ periculo propriæ vitæ detegere crimẽ suum, si id profuturũ esset, vt spurius excluderetur, & vt admitteretur legitimus successor. 2402. d

Adultera nõ tenetur non solũ cũ periculo vitæ, sed etiã cũ iactura famæ, impedire damna in bonis externis, quæ ex suo adulterio aliis imminerent, aut ea resarcire, postquam secuta sunt. 2404. e

Adultera tenetur sub reatu culpæ lethalis, interitusq; æterni, manifestare crimen suum filio spurio, quãdo non occurrit alia via impediẽdi dãna, quæ sequi possent, & est verisimile fore impedienda ex detectione criminis filio spurio. 2406. e

Adultera quando integre non potest resarcire dãna, quæ ex suo adulterio aliis sequuntur, tenetur tamen restituere illa quantũ poterit, relinquẽdo dãnificatis de bonis, de quibus libere potest disponere, quantũ potuerit, & occultè accipiendo de bonis, quæ deuentura sunt ad spurium. 2414. a

quando nulli essent hæredes, quibus maritus deberet necessario relinquere bona sua, sed essent alii, quibus maritus verisimiliter relicturus fuisset bona sua, tenetur quidem adultera eis restituere dãna ipsis ex successione filii adulterini secuta. 2414. d

Adultera, aduersus quam maritus agit solum ad diuortium, præter dotem, amittit etiam marito tertiam partem quantitatis dotis de aliis suis bonis, si quæ alia bona vltra dotem habebat: atque si quid remanet, ad vxorem attinet. 1312. c

Adulteri quando non sunt visi à testibus commiscери, tunc, vt condemnari de adulterio possint, indicia, de quibus testes omni exceptione maiores deponunt, talia esse debent, vt prudentis iudicis arbitrio violentam suspicionem fornicationis inter illos efficiant. 2324. b

Adulteri quando dicantur deprehensi in flagranti delicto. 2379. a

Adulterium.

circa Adulterium licita est gratuita remissio, & licitum est cessare ab accusatione. 2047. b

circa Adulterium non est licita transactio, & quare. 2040. e

Adulterium triplex est, & quondam ex tribus speciebus sit grauius. 2301. b

quando Adulteriũ à marito committitur, siue cũ cõiugata, siue cũ nõ cõiugata, tunc criminalis actio

non datur vxori talis mariti aduersus eum ob adulterii iniuriam in ipsam commissam. 2301. d
Adulterium grauius est in vxore, quam viro. 2311. a
Adulterii crimen est mixti fori, ita vt quoscunque adulteros, etiamsi laici & coniugati non sint, punire possit indifferenter iudex secularis aut ecclesiasticus. 2318. b
vnica integra pœna adulterii puniuntur multa Adulteria ex interuallo commissa ab eodem adultero cum eadem aliena vxore. 2320. e
quando arbitrio prudentis iudicis præsumptio adulterii, quæ duobus saltem testibus probatur, adeò est vrgens, vt omnino persuadeat, tunc talis adulterii probatio est sufficiens, vt si ciuiliter agatur, concedatur viro diuortium, & vxor dotem amittat. 2323. d
Adulterium cõmittens cũ aliqua, quæ priùs meretrix fuit, ac postea ad bonã frugem se recepit, incurrit pœnas adulterii ordinarias: itẽ qui adulteratur cũ vna, quæ post matrimoniũ erat meretrix facta, nisi cõstet consentiente marito id fieri. 2326. e
inter Adulteria vtrimque commissa datur mutua iniuriarum fractæq; fidei matrimonialis compensatio. 2342. e
quando Adulteria vtrimq; cõmissa sunt ante reconciliationẽ inter coniuges factã, locus est cõpensationi; ita vt hic neuter diuortiũ facere queat, neq; in foro conscientiæ, neque in foro seculari, neq; ob id debitum alter alteri negare possit. 2346. e
si à pũcto Adulterii cõmissi elapsum est quinquẽniũ, nõ potest maritus vxorẽ adulterii accusare. 2353. c
Adulterium si commissum est consensu mariti, vel saltem eo non impediente, maritus non potest vxorem eius accusare. 2353. d
quãdo aliquis de Adulterio cũ certa muliere fuerat accusatus, & absolutus in eo iudicio fuit, tunc si vxor de eodem adulterio cum illo accusaretur, habebat exceptionem peremptoriam, quòd is, cum quo adulterata esse accusatur, iam erat de eo crimine absolutus. 2354. e
Adulterii pœna de iure communi puniebatur, qui sciens eam ducebat vxorem, quæ de adulterio publicè fuerat condemnata. 2358. e. Item qui comperiens aliquos iniisse in adulterium, aliquid accipiebat, ne illos accusaret. Ibid.
Adulterium quando latet, ita vt soli adulteri illud sciant, nulla debetur restitutio: nisi ex eo adulterio suscepta sit proles, vel aliud damnum ex eo sit secutum. 2709. b

Aedificans, ædificium.

Ædificans damni infecti cauere debet, si inde damnum imminet, esto qui eam cautionem petit, aliunde agat ad impediẽdum id ædificium. 1339. d
illicitè Aedificanti iuxta aliud ædificium non cauetur damni infecti, aut patienti illicitè ædificari iuxta suum ædificium. 1345. a
Aedificare in mari aut littore quousq; liceat. 1456. b
Aedificare licet vnicuique in suo solo, & in eo in altum se tollere vsque ad cælum, id solum non egrediendo, esto inde damnum vicino sequatur, nisi seruitus sit in contrarium, vel consuetudo loci aliud habeat. 1473. c
Aedificia aut immissa aut pendentia in vias publicas quousque prohibita, & diruenda, aut non reparanda. 1455. d
Aedificia siue de nouo fiant, siue diu facta sint, fas est de iure communi aperire in illis quascunque fenestras, etiam si inde pateant secreta vicinorum, nisi seruitus sit in contrarium. 1474. e
Aedificium attollere, & fenestram aperire, quãuis liceat cuiuis, si tamen ad æmulationem id faciat, impeditur, cogiturque factum destruere. 1477. e

Aethiopes.

Aethiopes baptizantur & circumciduntur. 3196. a
peccant lethaliter si circumcidantur spem in circumcisione ponendo. Ibid. a & c
Aethiopes in Hispania graui iugo premuntur. 3217. c

Ager.

Furtum circa immobilia licèt non committatur, quæ pœna statuta sit mouenti Agrorum terminos, aut limites oppidorum. 1211. b
mensor Agrorum fraudem faciens puniendus pœna iudicis arbitraria. 1314. c

Agger.

si damnum in Aggeribus timeatur, in quantam eius fundi mitti is debeat in possessionem, cui non cauetur. 1348. d
In flumine publico fieri possunt Aggeres ad tuendos proprios agros, modò aliis caueatur de damno infecto. 1367. e

Aggressor ad occidendum.

circumstantia æterni interitus iniusti Aggressoris non impedit aggressum, etiam verisimiliter in gratia existentem, quominus interficere possit ipsum aggressorem. 1762. a. etiam defendendo honorem bonáque externa. vide Iniustus.
intellectus ad verba D. Augustini & D. Thomæ, quòd scilicet mors iniusti Aggressoris intendi non debeat in vindictam iniustæ aggressionis. 1762. e
Aggressor iniustus, sicut pro necessaria vita defensione, ita & pro defensione rerum externarum, occidi potest tam à clericis quam a laicis. 1769. e
cùm constet interfectum fuisse Aggressorem, interfectoremq; non excessisse inculpatæ moderamen tutelæ, in sui suorumq; defensionem, interfector est soluendus. 1855. d
quando non constat an interfectus, aut damnum aliud passus, fuerit Aggressor, atque interfector obiecit, in suam se defensionem id fecisse, tunc attendendæ sunt coniecturæ & circumstantiæ concurrentes, quæ suadent interfectorem in suam defensionem occidisse. 1856. b. 1857. b
iniustum Aggressorem illicitè occidens, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, incurrit irregularitatem. 2199. c
quando occidens iniustum Aggressorem, vitare potuit simul mortem suam & aggressoris, & nihilominus in sui defensionem, ac cum moderamine inculpatæ tutelæ, illum interfecit. si occidens sit ecclesiasticus, irregularitatem incurrit. 2199. e
quando vt quis se defenderet ab iniusto Aggressore, à quo ei periculum immineret, quod aliter vitare non posset, quam se defendendo, vocaret aliquẽ in sui defensionem, tunc si ille eum aggressorem interficeret, is qui eum ita vocauit, non incurrit irregularitatem. 2202. e
in euentibus, in quibus licet interficere Aggressorem ad defensionem sui, non incurrit interfector irregularitatem. 2103. c

Aggressus ab alio ad occidendum.

Aggressus intendere potest mortem aggressoris iniusti, tanquam necessarium medium ad vitam propriam defendendam. 1756.
quando Aggressus persona esset, cuius vita multum reip. referret, teneretur sub reatu culpæ lethalis interficere aggressorem, si posset, vt vitam conseruaret. 1763. e. si aggressor esset talis, cuius vita multum reip. interesset, aggressus verò esset perso-

na

na cõmunis, tunc aggressus sub reatu culpæ lethalis teneretur potius mortem pati, quam in sui defensionem talem interficere iniustum aggressorem 1764.b si aggressor & aggressus pares sint, neq; ex aggressi morte longè maius detrimentum reip. sequeretur, tunc fas aggresso esset vel occidere aggressorem, vel eum non interficere, permitteregj potius se ab illo interfici, esset gj egregiæ caritatis actus. 1764. d

Aggressus sisit laicus, cui dedecus esset fugere, atque adeò qui licitè posset interficere aggressorem in defensionem sui proprii honoris, esto & mortem suam & illius vitare posset fugiendo, incurrit irregularitatem. 2200.b Agnus Paschalis.

Agnum Paschalem gentilis gustare non poterat, nisi circumcisus. 3099. b. d

Alapa inflicta.

quando alicui Alapa iniustè impingitur, tunc duplex fit ei iniuria, vna contraria iustitiæ commutatiuæ circa bona corporis vel externa, altera circa bona honoris & famæ, & tunc duplex actio intentari potest. 2529. c

si statutum pro Alapa non quidem statuat certam pœnam, sed dicat, pro vnaquaque alapa tantam subeat pœnam, tunc esto delinquens sine interpolatione multiplicet alapas, puniendus est distinctis pœnis eius statuti. 1982. b

Albertus Card. Austriæ.

Albertus Archidux Cardinalis, creatus fuit inquisitor generalis in Lusitania, ante annum quadragesimum. 2904. a

Alueus fluminis.

Alueus fluminis est locus publicus, dum aluei fluminis rationem seruat. 1366. b

Alueus per quem aqua ad molendinum extrahitur ex flumine publico, publicus locus efficitur, & ripæ vtrimque quo ad vsum. 1382. a Amens.

is, de quo nõ cõstat antea fuisse Amentẽ, præsumitur sanæ mentis: si verò constat antea amentẽ fuisse, talis præsumitur tempore delicti fuisse. 1950. e

licèt committenti delictum tempore Amentiæ nefas sit infligere pœnam, quæ pœna rationem haberet, potest tamen ei imponi pœna impropriè dicta, quæ tamen nec mors sit nec mutilatio. 1951. c

Amentes ordinari non possunt 2192. c

Amens inuincibili ignorantia iuris interficiens aut adulterans excusatur à pœna in foro exteriori. 3241. a *vide plura in furiosus, & Mens.*

America.

deteguntur in America adhuc quotidie noua terræ, ad quas Euangelium defertur. 3203. d

Amicabilis compositor.

Amicabiles compositores quomodo arbitri dici possint. 2920. a

Amphibologiæ.

Amphibologiarum varii modi in retractando crimine alteri imposito 2699. a. statim atque agnoscitur vsum esse amphibologiis ad restituendã famam, quando crimẽ verum fuit iniustè detectũ, inutiles ad id omnino redduntur, vel simpliciter, vel apud eos, qui id norunt. 2699. c

Angeli.

Angeli conceptibus inter se loquuntur. 3029. c. per Angelos Deus Abrahamo locutus. 3089. c

Animal.

damnum si idcirco ex Animalibus sequatur, quòd quis imperitus sit illa regere, aut non valeat cohibere, lege Aquilia resarciendum est. 1275. e

si vnum Animal aliud concitauit, & concitatum ea de causa damnum det, dominus concitantis tenetur, & non dominus concitati. 1491. c

Damnum ab Animali datum.

damna ab Animalibus, custodis aut domini culpa data, quousque soluenda. 1490. c

Damnum si Animal alienum absque cuiusquã culpa det, cogetur dominus animalis vel illud tradere pro damno, vel id damnum soluere, & quando de subtilitate iuris ea actio sit directa, & quando vtilis. 1490. d

damnum in persona hominis liberi si Animal alienum det, non competit actio pro eo damno: at bene pro damno vlterius secuto. 1491. b

Animal quod damnum dedit, si bona fide transeat in dominium alterius, nouus dominus tenetur de eo damno: & ad quid teneatur prior dominus, etiam quando sciens damnũ illud alienauit. Ibid. e

ob damnum datum ab Animali quando dominus non teneatur. 1493. a

damnum quando dedit Animal, & dominus interrogatus in iudicio, an suũ esset id animal, negãter respondisset tenetur soluere integrũ dãnũ. Ibid. b

damnum quando datum est ab Animali communi multis, quousque aduersus singulos & omnes actio competat. 1493. c

damnum ex Animali datum an in conscientiæ foro sit soluendum nulla exspectata sententia, nec intẽtata actione, aut tradendũ sit animal noxæ. Ib. c

si Animal vnius aggrediatur animali alterius, & inuasum animal interficiat, aut dãnũ aliud aggredièti inferat, dominus inuasi animalis nõ tenetur damnũ resarcire, quod animal eius dedit. 1755. b

mortuo Animali quod damnum dedit ante litem cõtestatã, dominus illius ad nihil tenetur, nec etiã ad carnes noxæ dandũ: si moriatur post litẽ contestatam, tenetur soluere integrũ damnũ. 1492. a

damnũ datum Animali reperto, damnũ dando in alieno prædio, à domino prædii, resarciẽdũ est quoad excessum, quod tale animal dedisset. 1273. b. Si autem missum de industria fuisset, vt id damnum daret, compensari in Hispania posset etiam duplum damni ab eo animali dati. 1274. a

dãna secuta Animali reperto in prædio alieno, ex eo quòd id animal excludatur, quousq; soluenda, & quatenus prohibitũ sit tale animal excludere. Ib. c

fas est Animalia ratione carentia occidere & vesci eorum carnibus: & refutatur error eorum, qui id negarunt. 1718. d. e. 1719. a. b. c. d

damnum datum à bestiis feris, quæ incautè ducuntur per viam, aut ligatæ tenentur, quousque resarciendum ac puniendum. 1270. c

S. Apollonia.

S. Apollonia carnifices præueniens se in flammas sibi præparatas coniecit. 1736. c Apostasis.

per Apostasiam dimissionemq; habitus clericalis non amittit clericus priuilegium. 2126. e Apostoli.

Apostoli acceperunt parem cum Petro potestatem in totum ecclesiæ corpus, sed illa cum vnoquoque ipsorum terminata est. 2719. c. Diœceses tamen ab Apostolis constitutæ perseuerare poterãt in modo electionis Episcoporum ipsis ab Apostolis constituto, interim dum aliud cathedra Petri quoad id non statuebat. Ibid. e

Apostoli post acceptum Spiritum sanctum non peccarunt seruando præcepta cæremonialia. 3175. b

Apostoli à morte Christi seruarunt licitè legalia. 3179. b. 3180. b

Apostoli conuersis ex gentibus prohibuerunt abstinere ab immolato, sanguine, & suffocato ad scã-

dalum euitandum, quod imminebat à conuersis ex Iudæis. 3197. b.c.d. 3258. e. & seq.
Apostoli per totum orbem Euangelium dissemina-runt. 3203. c. 3024. a
Appellare.
Appellare num liceat à sententia arbitri. 2947. a. 2954. c. 2978. c.
Aqua æstiua.
Aqua æstiua & aqua quotidiana quæ 1379. b
Aquam æstiuam qui non eduxerat præcedēte æsta-te, sed hac, quo interdicto gaudeat aduersus pro-hibentem. 1390. b
Aqua æstiua & quotidiana interdicta, & aquæduc-tus seruitus, in quibus aquis habeat locū. 1380. b
Aquam æstiuū qui eduxit saltem semel in die prio-re æstate, competit ei interdictum aliud aduersus ipsum prohibentem. 1389. d
Aqua hyberna.
Aqua hyberna quæ, & quod interdictum quoad eam competat. 1379. e
Aquam ob hiemalem simile interdictum competit, ac circa aquam æstiuam. 1390. d
Aquæductus seruitus.
Aquæductus latè quid. 1378. a
Aquæductus seruitus in quibus aliis locum habeat, & in quibus seruitus haustus aquæ. 1380. a
Aquæductus illa seruitus manet in prædio inter medio, tametsi impedita quoad vsum. 1386. e
Aquæductus seruitus, si ab vno prædio alteri prædio debeatur, ius ad eam seruitutem quo pacto sit in toto prædio dominātе, & in singulis eius partibus: atq; si seruitus quoad commoditatem diuidi pos-set, vt diuidi potest seruitus aquæductus, & præ-dium dominans inter multos, quoad partes diui-datur, quo pacto commoditas illa inter eas partes sit diuidenda. 1400. e
Aquæductus seruitus conceßa in aliquo prædio, quando in pactum non fuit deductum, qua parte concederetur, & qualis esse deberet, qua parte sit concedenda, & qualis. 1402. b
Aquæ pluuiæ actio.
actio Aquæ pluuiæ arcendæ presse quoad quæ com-petat: & quoad seruitutes, aut quasi seruitutes, confessoria actio, & negatoria vniuersalis actio, quid. 1360. b
actio Aquæ pluuiæ arcendæ non competit, si quis scies fieri opus, ex quo videbat aquam pluuiam nocere prædio suo, tacuit: secus si ignorans id damnum inde prouenturum. 1359. e
Aquæ pluuiæ arcēdæ actio non competit, neq; aliqua alia, vt ex prædio superiori non fluat aqua, quæ naturaliter in inferius fluit, esto inde detrimen-tum inferiori sequatur, quando non est seruitus in superiori, vt non ita fluat. 1361. a
actio Aquæ pluuiæ arcendæ non competit domi-no agri inferioris, si ob seruitutem, quam fundus superior ad id habet, aqua decurrat ex illo, & noceat. 1363. c
actio Aquæ pluuiæ arcendæ non competit aduersus opus factum in flumine, esto inde alis damnum oriatur, quando autoritate Principis vel simili factum est: sed tunc fieri debet in magnum com-modum publicum. 1369. c
actio Aquæ pluuiæ arcendæ non competit, si aliquid ad cultum vtiliorem agrorum pertinens fiat in vno prædio, vnde aqua alteri noceat. 1370. b
actione Aquæ pluuiæ arcendæ cogere potest dominus agri inferioris, in quem naturaliter fluunt aquæ ex superiori, dominum agri superioris, vt reducat rem in pristinum statū, quādo ob aliquid factū aut destructum in superiori aliter fluunt, aut qualitate diuersa affecta, ita vt plus noceant quā antea. 1362. b. Eadem actione potest dominus a-gri inferioris cogere dominū agri superioris, vt patiatur sumptibus inferioris reſici aggerem, aut aliud agri superioris, si sine notabili illius præ-iudicio id fieri potest, quando inde sequitur, vt aqua ex superiori fluat, aut aliter quam consue-uit, cum damno inferioris. Ibid. e
actio Aquæ pluuiæ arcendæ ei competit, quatenus eius id interest, si ex opere facto aqua noceat viæ prædio eius in alio debita. 1364. e
actio Aquæ pluuiæ arcendæ competit dominis agro-rum, etiam eorum qui trans flumen sunt, quādo ex aggeribus factis in ripa alicuius priuati, vnde nocet aliis agris, nisi tales aggeres facti sint a tēpo-re, de cuius initio non extat memoria. 1364. e
actio Aquæ pluuiæ arcendæ competit aduersus facientē opus in loco distante, vnde aqua nocet præ-dio alterius, ità aduersus vicinū, per cuius prædiū pertransit, si potest impedire, nec impediat. 1370. a
Actionis aquæ pluuiæ arcendæ post litem contestatā, si factū sit aliud opus, vnde nouum timeatur dā-num, noua actio erit intentanda. 1371. d
actio Aquæ pluuiæ arcendæ cōpetit vt destinatur o-pus, & cōpensetur dānū à lite contestata secutum, si in agro inferiori, in quē aquæ naturaliter fluūt, fiat aliquid, vnde in superiorē restagnent. 1361. e
Actio aquæ pluuiæ arcendæ vtilis competit vsufru-ctuario aduersus proprietariū, & aduersus domi-nū vicini prædii: & cōpetit aliis aduersus vsufru-ctuariū: qui, omisso vsufructuario, agere possunt aduersus proprietariū. 1373. e. item competit em-phyteutæ ac feudatario, etiam aduersus emphy-teutam & feudatarium. 1373. b. eadē actio com-petit aduersus fabricantē sepulchrū, si inde aqua noceat, etiāsi mortuū iā in illud intulerit. 1373. c
Aquæ pluuiæ arcendæ actio quatenus competat ad-uersus habentes commune prædium, vnde dam-num prouenit: & quatenus competat habentibus commune prædium, cui damnum sequitur. 1373. d. eadem actio quatenus competat aduersus eum qui opus fecit, vnde damnum prouenit, & postea prædium alienauit, & quatenus aduersus suc-cessorem. 1374. c
actione Aquæ pluuiæ arcendæ agi aduersus eum po-test, vt patiatur purgari, aut vt ipse purget fos-sam, quam seruitute habet in agro suo, si restag-net in vicinos agros, & vt soluat damna secuta à lite contestata. 1363. e
Actio pluuiæ aquæ arcendæ, quādo dominus prædii, qui patitur damnum, illud alienauit, quousq; ad successorem vel ad alienantem pertineat. 1374. e
Actione aquæ pluuiæ arcendæ si quis destruere ali-quid iubeatur, solum tenetur id efficere, quate-nus noceret, non plus. 1371. d
Aquæ pluuiæ nomine, quoad actionem attinet aquæ pluuiæ arcendæ, etiam fontium & fluuiorum a-qua intelligitur. 1359. c
actione Aquæ pluuiæ arcendæ vtili cogitur dominus agri inferioris permittere dominum agri supe-rioris purgare suis sumptibus vias, quibus aqua naturaliter descendebat in agrum inferiorem, quando restagnat in superiore ob vias in inferio-ri oppletas sine opere aliquo in eo facto. 1362. a
Actione aquæ pluuiæ arcendæ si opus sit destruendū, & dominus fundi illud fecit, aut tacitè vel ex-presse fieri mandauit, aut ratum habuit, sumpti-bus illius est destruendū, & solui debēt dāna, post litem contestatā secuta, neq; satis est, si cedat prædio:

dio: hæredesq; illius ad eadem tenentur. 1371. e
Aquæ priuatæ quæ. 1378.
Aquæ pluuiæ quæ: multiplices sunt. 1378. d

Aquam ducere, & aquæductus.

Aquæ certæ ducendæ per alienum fundum qui habebat seruitutem, si aquæ illi admisceat aliã, quæ cum priori mixta fluat, amittit ius ducendi, etiã priorem, à parte aquæ ductus à qua incipit fluere mixta. 1403. e
facultas educendi Aquam è loco publico, si prædio sit concessa, cũ domino prædii nõ exspirat: si verò persoñæ sit concessa, cũ ea persona exspirat. 1391. e
seruitus si sit in vno prædio, non naturalis, pacto acquisita, vt Aqua alterius prædii in ipsum deriuetur, intelligitur de consueta deriuari, non verò de incremento. 1361. c
Aquam in suo fundo ortam aut deriuatam, seruitute in contrarium non existente, retinere quis sibi potest etiam facto ad id opere, in suo fundo & non in alieno: nisi faciat animo nocendi vicino & non vtendi iure suo. 1370. e
Aquam publicam, ad prædia certo modo irriganda deputatã, nõ potest sibi quis plꝰ vsurpare, quã lege aut pacto sit introductũ; si quid plus faciat, cõpetit actio pluuiæ aquæ arcẽdæ aduersus illum. 1371. a
Aquæ receptæ in aliis prædiis priuatis, dominorum eorum prædiorum efficiuntur. 1378. d
Aquæ ducendæ ex aliquo prædio, aut per aliquod prædiũ multis commune, vt seruitus sit cõcessa, omnium consensus requiritur. 1397. d
Aquam deducendi ex aliquo prædio qui seruitutem habet, quando cõcedere illa aut partẽ illius alteri nõ possit & quãdo possit, & alia quoad eã rẽ. 1399. c
Aqua agri superioris si pacto, præscriptione, aut consuetudine loci, diuertatur aggeribus, aut fossis, vel alia ratione, ne descendat in inferiorem, non potest dominus agri superioris impedire eam seruitutem. 1363. b
Aquam extrahere de flumine publico cuique licitum, & quousque sit prohibitum. 1380. e
Aquã si quis ducebat ex flumine publico per fundũ interiectum, qui ad id seruitutẽ aquæ ductus habebat, & fluuius subito recedat, relicto alueo antiquo inter se & eum fundum, qui alueus ei fundo cedit, non potest eam educere per eum alueum, quia non habet seruitutem, quam habebat fundus, cui accessit. 1383. & seqq.
Aquæ ducendæ si seruitus pluribus concedatur, quãdo necessarius sit consensus aliorum, quando non item. Aqua posteriori semper censetur concessa sine præiudicio priorum. 1398. d
Aquæ ducendæ de nocte seruitus si vna concessione sit concessa, & alius aquæ ducendæ de die, duæ sunt distinctæ seruitutes, vnaq; amitti potest per non vsum illius, non amissa alia, cuius habetur vsus. 1404. b.

Aquam haurire.

Aquam qui intra annum computatum vsque ad punctum, in quo prohibetur, bona fide hausit de alieno fonte, si prohibeatur, competit ei aduersus prohibentem directum aut vtile interdictum de fonte nuncupatum, neque est necesse, vt probet se ad id ius habere. 1395. c
ex Aquæ deiectione damnum ortum, sine sufficienti præmonitione, aut alterius rei, quæ nocere possit in vestibus aut corpore, soluitur duplum, & in defectum eius, qui illud dedit, soluit id caput eius domus. 1269. e

Aquilia lex de damno resarciendo, vide Arbor & lex.

Arbiter.

Arbiter interdum sumitur latè pro existimatore, siue suarum siue aliarum rerum, interdum pro iudice siue ordinario siue delegato. 2909. d.
Arbiter aliquãdo sumitur presse pro eo, quem partes mutua inter se conuentione sibi eligunt, cuius iudicio stent. 2910. a
Arbiter presse sumptus quasdam habet partes subiectas. Ibid. d.
Arbitrorum definitio & proprietas ex Iureconsultis declarata. 2913. e
Arbitri iuris & arbitri compromissarii quomodo distinguantur. 2847. b
Arbitri compromissarii qui sint. 2922. a. qui sint Arbitri Iuris. Ibid. c
Arbitri testamentarii qui sint. 2924. a
ex sententia Arbitri damnatus non incurrit infamiam, licèt delictum sit tale, quòd si sententia à iudice ordinario esset circa illud lata, incurreretur infamia. 2508. d
Arbitri qui possint esse & non esse. 2989. d. e. & seq.
Arbitri quando inter se non conueniunt, tunc lege præcipiuntur inter se cõsentire, vel eligere vnum tertium, & ad id panis cogi possunt à iudice recusato. 2848. d
iurisdictio Arbitrorum est extraordinaria à lege introducta ad particularia aliqua cognoscenda. Ibid. b
Arbitri in quibus euentibus non statuantur, estò iudex vt suspectus recusetur, proposita illi causa in particulari. 2849. e
cum Arbitris iuris computantur arbitratores, qui non à partibus, sed à iudice eliguntur, vt iuxta ipsorum artem, quid de aliqua re sentiant, dicant, vt quoad dimẽsionem & mensuram, quoad valorem rei alicuius. 2923. b
neque Arbitri neque arbitratores quidquam scienter aut ex ignorantia crassa, & lata culpa in examinandis meritis & iure vtriusq; partis, tollere possũt de iure vnius partis, & tradere alteri, nisi id eis à partibus ipsis efficere cõcederetur. 2933. a
quando vna pars ad vitandos sumptus litiũ cõsentiret, vt Arbitri aut arbitratores sciẽter aliquid de ipsius tollerent, ac traderent alteri parti, tunc vtriq; liciè id faciunt, quantũ intelligunt cõtentã esse partem, de cuius iure tollunt, nec proinde ad vllam restitutionẽ eius dãni ei tenentur. 2935. a
nullus potest Arbiter esse aut iudex in propria causa, sed bene arbitrator. 2993. a
Arbitri licèt cõsentiunt in compromisso nudo, de iure ciuili communi cogi non possunt progredi vlteriùs in causa sibi commissa; si verò pæna apposita sit partibus cõsentientibus, cogi possunt in causa progredi. 2939. b
sententia Arbitrorum solam vim habet obligandi, quæ ex pacto & compromisso oritur, aut quã ius temporis progressu pacto dare voluerit. Ibid.
in foro conscientiæ tam Arbitri quam partes debitũ naturale contrahunt, si in causa non procedant, & ad arbitrium ferendum, licèt solo nudo pacto inter se compromiserint. 2940. b.
quamuis de iure communi, vt sententia Arbitri cẽseatur expressè emologata, necesse sit vt partes illi se subscribant, de iure tamen canonico satis est, si verbo aut quouis alio modo in eam sententiam consentiant. 2941. a
à sententia Arbitri non admittitur appellatio siue in compromisso fuerit pæna apposita

parti, quæ illius sententiæ non steterit, siue non, de iure tamen Lusitano, esto partes sub compromisso obligauerint se stare sententiæ, potest pars, quæ ea se sententia sensit grauatam, ab ea appellare, neq; ideo pœnam incurrit. 2947. a
quando post sententiam ab Arbitro latam appellandum est, ad quem iudicẽ appellandum sit. 2951. b
non est appellandum ad iudicem arbitro superiorem, si is diuersus à iudice partiũ sit. Ibid. e. appellandum est ad iudicẽ rei, qui ab arbitri sententia appellat, quoniã ille futurus est executor sententiæ arbitri, secus in Lusitania & Hispania olim fiebat. 2912. c. cum à sententia arbitri appellatũ est ad iudicẽ ordinarium, potest pars ea appellatione grauata vlterius ad aliũ iudicẽ appellare. 2954. c
licet Arbitri sententia iniustè arbitrum grauaret, si iuramento confirmatum fuit compromissum illi stare, quæcunque ea esset, sub reatu culpæ lethalis tenetur pars ea iniustè grauata illi stare, nisi prius iuramentum relaxetur. 2972. a
de iure ciuili non datur actio ad cogẽdum stare sententiæ Arbitri, quando compromissum iuramento fuit confirmatum. 2975. c. sed de iure canonico datur actio. 2974. a
à sententia Arbitrorum iuris appellandum est, perinde atque à sententia iudicum ordinariorum ac delegatorum. 2978. c
Arbiter non potest cogi in causa progredi, si post id munus ab ipso acceptatum partes ea de re contẽderint coràm iudice ordinario, vel si alium arbitrũ circa eandem causam sibi elegerint. 3001. b. itẽ si partes arbitrũ alium infamarint. Ibid. e. item si graues inimicitiæ oriãtur inter arbitrũ, & vtrũque aut alterũ litigantium, aut antecedentes post munus susceptum detectæ sint. 3002. d. itẽ si rationabile impedimentũ arbitro superueniat, vt causam ad exitum perducere nequeat. Ibid. e. item si comperiatur post munus acceptatum arbiter munere aut alia re corruptus esse. 3003. a
quando nullum fuit Arbitris tempus ex cõpromisso præscriptum, intra quod sententiam ferrent, tunc intra congruum tempus tenentur illam finire, id postulante saltem altera partium, & ad id à iudice ordinario cogi possunt. 3013. a
Arbiter seruare debet iudicii formam, quam iudices ordinarii seruant, nisi quatenus ei aliquid de illa remissum fuerit. 3014. d (efficiunt. 3015. d
acta coram Arbitro sidem coram iudice ordinario
Arbiter non potest punire mulcta ob contumaciam, condemnare tamen in expensis contumacem potest, in quas pars altera incurrit. 3016. c
Arbiter si in sua sententia non expressit, intra quantum tempus iudicatum solui deberet, tunc damnatus solum tenetur soluere intra quatuor menses à lata sententia. 3017. c. sed si terminum expressit, in quo suum arbitrium solui deberet, implendum est id tempus, alioquin pœna incurritur, si in compromisso fuit statuta. 3017. e

Arbitrium & arbitramentum.

Arbitriũ non potest se ad alia extendere, quã ad ea ad quæ cõpromisso arbitro est concessa facultas; at si ad aliud se extendat, inualidum est. 3015. e
Arbitramentum si intra dies decem nõ reclametur, & expresse esset emologatum, & à partibus receptum, non est locus reclamationi, sed mandandũ est executioni. 2983. a. vt pars altera arbitramẽtum, quo pars altera existimat se iniustè grauari, reuocet, reuocare debet ad iudicem ordinariũ, qui de ea causa cogniturus esset si partes non compromisissent in arbitratorem. 2984. a

Arbitratores.

Arbitratores solum sunt extra lites, quoad contractus & similia alia. 2911. b
Arbitratores & arbitri quomodo differant. 2912. a
Arbitratores & arbitri eatenus amicabiles compositores nuncupari possunt, quatenus vt partes fugiant lites, ex compromisso earundem partium in illis, quòd eorum definitioni stabunt, illas componunt amicabiliter. 2920, a
Arbitratores iurare possunt se verum arbitramentum laturos, & partes confirmare compromissum in arbitratorem. 2987. e
quando in Arbitratorem est compromissum, pœna ei apposita, qui arbitramento non steterit, tunc id non impedit, quo minus ab arbitramento possit peti, vt ad limites iustitiæ reducatur. 2896. e
Arbitrator quando nulla seruata iudicii forma proferre deberet arbitramentum, proferre arbitramentum posset etiam in diebus feriatis ad Dei honorem. Compromissum tamen etiam in arbitratorem fieri licita non posset in diebus ad honorem Dei feriatis, nisi ex iusta causa. 3015. a
si duo Arbitratores sunt electi ad aliquod arbitramentum ferendum, & in eo discordent, tunc præcipit index partes eligere tertium, vt id arbitramentum præualeat, in quo duo ex illis tribus conuenerint. 2985. d. si verò concordauerint ex eodẽ arbitramento, tunc si pars aliqua se senserit grauari, recursum habeat ad iudices ordinarios, proposita ratione cur se grauatã iniustè sentiat. Ib. e

Arbor.

Arborum cæsarum actio, vide Actio.

Arbores scindẽs alienas, aut aliud diruens vel ejiciẽs, simul cum damno quando lege Aquilia teneatur illud resarcire, quando non. 1269. a
Arborum nomine quid intelligatur, vt aduersus eũ, qui damnum eis infert, actio peculiaris competat arborum cæsarum. 1293. d
damnum in Arboribus si datum sit sine dolo, competit solum actio legis Aquiliæ: si verò scienter & clam, competit peculiaris actio arborum cæsarum ad duplum eius damni: & quatenus ea actio competat hæredibus damnum passi, & transeat in hæredes damnum dantis. 1294. c
damnum in Arboribus si datũ sit lucrifaciendi causa & ligna furandi, tunc non solum cõpetit actio legis Aquiliæ, sed etiam actio furti comparatione lignorum, atq; actio ad ligna exhibenda. 1295. d
damnum in Arboribus si vi sit illatũ, competit similiter actio de vi bonorũ raptorũ, aut de vi publica aut priuata, qualis fuerit illata. 1295. e
ob damnum in Arboribus, etiã si clam sit datum, agi potest vel ciuiliter ad pœnam pecuniariam, vel criminaliter ad pœnam corporalem, & quando mortis pœna imponatur. 1296. a
si plures in eadẽ Arbore dãnum dederint, aduersus singulos agi potest in solidũ ad totã pœnã. 1296. d
Arbor vna censetur, si duo germina coniungantur in eodem stipite, aut in eadem radice, & coniunctio appareat super terram: duæ verò, si coniunctio non appareat supra terram. 1296. e
damnum in Arboribus qui imperat, pœnis iisdẽ subiacet, ac si ipse illud esset executus. 1296. b
damnum si ex Arbore pendente super domum alienam ei domui proueniat, denunciatione domino arboris facta per iudicem succiditur radicitus: si id arboris dominus non efficiat, succiditur à domino domus, & ligna ad ipsum spectant. 1297. d
si radi-

si radices Arboris damnum inferant fundamentis alterius domus, succidiuntur radicitus. 1298. b

Arbor vnius si pendeat in prædium alterius, & in altitudine quindecim pedes excedat à terra, admonetur à iudice, vt excessum præcidat, alioquin præciditur à domino prædii. 1298. e

Arbor si pendeat ita in viam publicam, vt trãsitum impediat, impunè præscinditur quod transitum impediat. 1299. d

damnum ex Arboribus & aggeribus si timeatur, in quãtam partem eius fundi mitti is debeat in possessionem, cui non cauetur. 1348. d Arx.

ædificare aut tenere Arcem in finibus imperii sub quibus pœnis prohibitum. 1478. c

Arcem reficere quousque liceat. 1479. a Arma.

quando quis probabiliter præstitit Arma, quibus illata est mors, quã ipse nõ credebat inferẽdã, fit irregularis ex casu, nõ tamen ex voluntate. 1914. a

Artaxerxes.

anno vigesimo Artaxerxis Iudæi reædificarunt tẽplum reuersi è captiuitate Babylonica. 3129. c

Articulus mortis.

Articulus mortis & periculum mortis quomodò distinguantur. 2164. e Assassinus.

quicunque Christianũ aliquẽ per Assassinum interfici curat, esto mors non sequatur, aut defendit aliquem assasinorum, incurrit excõmunicationẽ, & depositionem à dignitate & beneficio. 1821. b.

Assasini nomine quinam intelliguntur: Christiani etiam Assasini sunt. 1821. e

pœne, quas assasini gentiles incurrunt, (christianis etiam cõpetunt, etiam ecclesiasticis, qui vel occidi per Assasinum fecerint aliquem, vel id mandauerint. etiam si mors non sit secuta. 1823. b

satis est, si probabilibus argumentis constet aliquos mortem aliquibus intentasse per Assasinum, vt tales delinquentes comprehensi puniantur, atque fugientes pro diffidatis haberi possint, liciteq; à quocunque possunt interfici. 1823. e

Si persona ecclesiastica aliquem per Assasinum occidi mandauit, tunc probato delicto eum in id incidisse, puniri potest a iudice ecclesiastico pœna mortis. 1824. c Atrocia delicta.

in iis Atrocioribus delictis, in quibus iura certã pœnam non expresserint attentanti, licet illa non cõsummarit, pœna pro attentatione talium delictorum est arbitraria, iudicis arbitrio relicta. 1811. b 1812. 1813. 1814. a. b

inter actus, quibus quis attentat crimen Atrox, pro quo pœna mortis sit statuta, ad illudq; patrandum conatur, quidam sunt proximiores, vt consummetur delictum, & quidam remotiores. 1810. b

in delictis quæ Atrocia non sunt, conatus criminis, pro quo est pœna statuta, arbitrio iudicis puniri debet, quando secutus non fuit effectus, pœna tamen mitiori, maiori tamen vel minori iuxta circunstantias occurrentes. 1814. d

in delictis Atrocibus consulens non est puniendus pœna ordinaria eius delicti, etiam delicto secuto, si delictum exequens non fuit permotus eo consilio, quia secluso eo consilio similiter patraturus erat idem crimen, licet eo consilio fuerit plus confirmatus. 1879. c Auditu aliquid cognoscere.

si graue peccatum occultum ex Auditu tantùm perceptum manifestaretur, culpa non incurreretur lethalis. 2606. b

qui peccatum graue occultum alterius solùm narrat ex Auditu, nisi ex modo narrandi maiorem innuat certitudinem, verè illum, de quo id dicitur, id peccatum commisisse, quàm dicendo id dici, non tenetur ad restitutionem famæ, licèt ei, qui ex ore eius habent, rem putẽt ita se habere 2606. c

sed quando ita narratur, vt persona fide digna referatur, quæ id asserti ue dixit, aut tales circunstantiæ addantur, vt res persuasibilis efficiatur audientibus, tunc tenetur narrans damnum famæ resercire. 2607. a

aliquid occultũ ex Auditu narrans, damnũq; aliquod famæ inferẽs, quatenus causa intusta est, vt de ea re dubitetur, restituere tenetur dãnũ, quod ea narratione intulit, si permaneat. 2607. e

S. Augustinus.

controuersia inter Augustinum & Hieronymum, circa modũ cessationis legalium. 3178. b. c. & seq. Augustini sentẽtia recipitur, scilicet post Christi mortem Apostolos etiã legalia seruasse. 5179. b. c. d

Aures.

furibus si aures in pœnam abscindantur, nõ est ea pœna mutilationis membri, neque iudices ob eam pœnam irregularitatem incurrunt. 1214. c. vide fur, & irregularis. Aurifex.

Aurifices falsi crimen incurrunt, qui auro aut argento metallum impurius miscent. 1312. b

Authentica, Bona damnatorum.

Authentica, Bona damnatorum C. De Bon. proscrip. quando locum habeat. 1787. e

Auxilium ad homicidium.

Auxiliũ triplex modis ad homicidiũ præstatur. 1910. d

quocunque modo ad homicidium Auxilium præstetur, si præuio ante id tractatu cum auxiliatre illud præstet, incidit in pœnã homicidii, & fit irregularis. Ibid. e

Auxiliãs ad homicidium quis intelligatur. Ibid. d

quando præuio nullo tractatu aliquis ad homicidiũ Auxiliũ tulit, antequã cõmittatur, tunc secuto eo tenetur pœna ordinaria eius homicidii, fitq; irregularis. 1911. e

quando aliquis Auxilium præberet ante delictum commissum, quod non adiuuaret ad homicidiũ, quia sine illo similiter exerceretur, tunc id auxilium præbens puniri non deberet pœna homicidii ordinaria, sed alia mitiori. 1912. c

si cõstet Auxiliũ nihil cooperatũ esse ad homicidiũ, quia cõstat homicidã nihil fuisse inde magis in suo proposito firmatum, tunc non incurrit irregularitatem. 1912. e

homicidæ præstans Auxilium crimine iam commisso, nullo præuio tractatu, non fit irregularis, & punitur pœna arbitraria. 1914. c

B Bancarii.

Bancarii fugientes cum pecuniis apud ipsos depositis incurrunt pœnam raptoris. 1225. b

Baptismus.

voluntatem habens suscipiendi Baptismum si amens effectus aut dormiens baptizetur, satisfacit præcepto. 3159. b

præceptum de Baptismo suscipiendo obligat ad actũ virtutis religionis. Ibid.

Baptismus ante passionẽ Christi institutus fuit vsque ad passionem Christi, sententia D. Thomæ, in consilio, non in præcepto. 3183. d

Baptismus non prius capit esse in præcepto, quàm Euangelium promulgatum fuit, ex sententia Scoti, sed refellitur. Ibid. e. & seqq.

præceptum Baptismi obligat hodie quoslibet etiam ignorantes. 3188. b

Baptismi præceptum fuit in præcepto statim à passione Christi. 3188. e 3189. a

Baptismus sacramentum regenerationis nuncupatur. 3207. e

Barbari.

Barbari possunt leges suis subditis imponere verbotenus. 3231. c

Bellum.

Bello, quod quis probabiliter ignorabat iniustũ, aut in quo dubius, de mandato superioris pugnauit, damna data quousque non restituenda. 1531. b

restituereне teneãtur damnũ, qui accedẽtes ad Bellum cum aliquibus animo impediendi damnum, quod illi inferre vellent aduersariis, & aduersarii eos videntes, & accedere ad illos alios aduuandos, terga verterunt cũ suo detrimento. 1601. c

Benedictio Abrahæ.

Benedictio Abrahamo facta in Christo fuit completa. 3087. b. & c. quando Abraham illam benedictionem acceperit. Ibid. c

Beneficium Ecclesiasticum.

quando prouisio Beneficii simul spectat ad Capitulũ & ad Episcopum, & per concursum fit suffragiis Episcopi & Capituli, tunc capitulum sede vacante confert eiusmodi beneficia. 2794. b

Berith.

Berith *verbum sonat Hebraicè pactum. 3103. c & testamentum. 3105. e*

Bilinguis.

Bilinguis & duplex lingua quid sit. 2590. e

Blasphemia.

Blasphemiæ prohibitio reducitur ad secundum præceptum decalogi. 3141. e

Blasphemi pœna lapidibus obrui. 3142. a

Bona temporalia.

quando Bona seipsum interficientis. vel ad interficiendum seipsum aggressi, fisco addicantur. 1784. e 1785. e. 1786. a. b

duo requiruntur, vt Bona in delicto deprehensi, aut lite cum eo contestata, seipsum interficientis, confiscentur. 1787. b

Bona honoris media sunt inter bona corporis, & bona externa. 2470. c

Bona temporalia, quæ Deus Israelitis promisit, si legem seruarent, latiùs ostenduntur. 3126. b. c. d

Bonorum externorum damnum, vide damnum.

Bulla.

Bulla cruciatæ quomodo in Hispaniis fiat 1647. c.

C

Caath.

Caath auus Moysis descendit in Ægyptum, quando Iacob cum omni familia eo descendebat, 3114. e

Cadauer.

Cadaueri, obfactã iniuriã, aut ossibus, aut eius sepulchro, aut etiam ob laceratã famã defuncti, conceditur hæredibus illius iniuriarũ actio. 1705. a

mortuo delinquente ante sententiam aut post illam latam, ante eam exsecutioni mandatam nefas est afficere pœna Cadauer: si verò iudex id efficiat, tenetur in syndicatu eius iniuriæ cadaueri illatæ. 2004. b

Caducus morbus.

Caducum morbum qui patiuntur, furiosi, amentes, phrenetici, lunatici, dæmoniaci, si semel quid horum patiantur antequam ordinentur, ordinandi non sunt, etiam si conualuerint; quod si ad aliquos ordines sint promoti, & aliquid tale patiantur, non sunt vlteriùs promouendi. 2192. c

Cæcus.

Cæcus altero tantùm oculo est irregularis. 2190. e

Cæremonia, præcepta Cæremonialia.

Cæremonia vnde deriuetur. 3119. a

Cæremonia & iudicialia præcepta quomodo à moralibus distinguantur. 3119. d

præcepta Cæremonialia & iudicialia non sunt moralia. 3119. c

quæ sint præcepta Cæremonialia. 3119. a

Deus Iudæis præcepta Cæremonialia dedit ob illorum ruditatem, atque vt earatione illos ab idololatria auocaret, & ob alias causas. 3120. e

præcepta Cæremonialia sunt de iure positiuo diuino, vt nullum eorum sit de lege naturali. 3118. e

Cæremonias instituere possunt Pontifices Romani. 3121. a

Cæremonialia præcepta veteris legis quatuor partes sub se continebant; sacrificia, & oblationes, sacramenta, sacra, & obseruantias. 3121. b

præcepta Cæremonialia, quæ in lege veteri erant in præcepto, ad tertium præceptum decalogi reducuntur. 3142. c

Cæremonialia præcepta veteris legis non conferebãt gratiam, ac proinde non iustificabant iustificatione, qua quis ex iniusto fiat iustus. 3171. c

Cæremonialia præcepta sunt tradita in lege scripta 3172. d

quædam præcepta Cæremonialia veteris legis vim habebant ad tollendam immunditiam corporalem ab ipsamet lege in quibusdam euentibus statutam: at nulla poterant mundare ab immunditia spirituali. 3173. c. 3174. a

Cæremonialia præcepta veteris legis cessarunt lege gratiæ aduenientе non solùm quatenus vmbræ erant futurorũ, sed simpliciter & omnino. 3177. d

Cæremonialia præcepta legis veteris non erant bona, quatenus a peccatis non expiabant, gratiamq; nõ conferebant, & comparatione longe meliorum, quæ in lege gratiæ erant futura. 3091. c. d

præcepta Cæremonialia veteris legis non possunt iterum statui ac seruari, ideoq; non solum mortua, sed & mortifera sunt, si hoc tempore seruentur. 3199. c

plura vide in Lex & Præceptum.

Caiani.

Caiani hæretici legẽ veterem blasphemabant. 3076. a

Calumniari.

Calumniari, est accusare aliquem de falso crimine scienter, seu ex intentione. 2511. a

Cambitores.

Cambitores, seu bancarii & eorum fautores, qui cum pecuniis apud ipsos depositis fugiũt, & mercatores, qui merces credito acceperunt, & similiter fugiunt, & qui hos omnes recipiunt, incurrũt pœnas raptoris in Hispania. 1225. b

Canere.

Canere cantilenas diffamatorias spectat ad libelli famosi crimen. 2635. e

Canis.

damnum ex eo secutum, quòd quis canem concitet in aliquem, vel ferocem canem soluat vt noceat, vel non retineat, est lege Aquilia resarciendum. 1275. c. quando idem dicendum de cane feroci inseruiente ad custodiam. Ibid. d

Capitulum Canonicorum.

Capitulum sede vacante, & loco illius prouisor vel vicarius illius, dispensare in iis potest, in quibus Episcopus dispensare potest, ratione episcopalis iurisdictionis. 2789. b. potest etiã excommunicare, & alia facere quæ ad correctionem pertinent. Ibid. e. Item statuta facere, quæ obligent

totam diœcesim in perpetuũ: item diœcesim visitare tenetur, vt episcopus. 2790. b. potest etiã monasteria monialium visitare, quæ sedi Apostolicæ immediatè sunt subiecta. 2791. a. potest etiam literas dimissorias subditis concedere, vt ab aliis episcopis ordines suscipere possint. 2787. d

Capitulũ non transit in priuilegium, quod Episcopis ratione dignitatis conceßum est. 2791. e

Capitulum non transit in prouisionem beneficiorum, quæ ad episcopum conferre spectat, at potest ea commendare prouidendo de idoneo œconomo. 2792. d

Capitulum transit in iurisdictionem, quæ episcopo competit vt episcopo. Ibid. b

Capitulum licèt non conferat beneficia, quæ ad episcopum pertinebat conferre, quãdo tamen ad episcopum deuoluitur conferre aliqua beneficia ob negligentiam vel delictum inferioris, tunc potest sede vacante Capitulum illa conferre. 2793. e

Capitulum sede vacante transit in iurisdictionẽ concedendi facultatem transeundi ad dignitatem ecclesiasticam in aliam diœcesim, & omnino transeundi ecclesiasticum in aliam diœcesim, sicut episcopo eadem iurisdictio competit. 2796. a

Capitulum sede vacante, bona episcopatus mobilia, quæ seruando seruari non possint, alienare potest, non autem alia vel mobilia vel immobilia, quæ seruando seruari possunt. Ibid. b

Captiuus.

Captiuus Christianus committeret furtum, si aliquid clã acciperet ab infideli, à quo bello iusto ex parte infidelium esset captus. 1188. b. Si verò inuitè ab infidelibus captus, licitè fugit, & licitè accipit competentem suorum obsequiorum compensationẽ ab eo, à quo detinetur etiã pacis tẽpore. 1188. c

Caput domus.

Caput domus quis sit qui ad dupli solutionem teneatur, sed quando constat, quis damnum id dederit, is soluit tale duplũ vel damnũ passo, vel capiti domus, qui illud soluerat loco illius. 1481. d

Cardinalis.

Cardinales infamiam remittere non possunt 2524. c

Cardinalium apprehensores, percussores, aut insecutores excommunicãtur excommunicatione summo Pontifici reseruata. 2172. b

si quis in Cardinaliũ odiũ insecutus fuerit, aut manus iniecerit in aliquẽ ecclesiasticũ de familia Cardinaliũ, aut ad id cooperatus fuerit, punitur seuerè arbitrio iudicis, nõ tamẽ excõmunicatur. 2173. e

qui Cardinalem occiderit, vel ad id iuuerit, quas pœnas subire debeat. 2174. a

Caritas Dei.

in quacunque lege à Deo lata, finis omnium præceptorum in ea contentorum est Caritas Dei, quæ non est sine proximi caritate. 3122. d. e

Caritas Dei est maximum & primum mandatum 3122. e

in Caritate Dei pendent lex & prophetæ. 3123. a

præceptum de Caritate Dei est præceptum quoddã naturale in se complectens præcepta omnia vniuersim, quæ sub culpa obligant lethali. 3123. d

ex præcepto Caritatis Dei tenemur nos opponere, quando honor Christi & Dei coram hominibus periclitatur. 3165. b

possumus aliquo actu merè naturali implere præceptum Caritatis erga Deum; qua id præceptum est naturale, ac proinde possumus illud implere sine modo caritatis supernaturalis. 3162. e

perfecta impletio Caritatis Dei relinquitur patriæ cœlesti. 3168. a.

Caritas duplex Deo debetur, naturalis & supernaturalis. 3162. b

Caritas propria.

actus Caritatis propriæ est sibi ipsi subuenire in necessariis, quæ prudentis arbitrio lethalis culpa esset illa tunc omittere. 3164. e

Caritas proximi.

Caritas naturalis triplex est, Dei, proximi ac nostri; habitus verò caritatis supernaturalis vnica est species infima, quæ imperat actum caritatis, quo diligimus proximum & nos, vt sit propter Deum 3161. d. e

actus Caritatis proximi est, illi subuenire in necessariis ad vitam & sanitatem tuendam, ad honorem & bona externa illi conseruanda. 3164. e

ad Caritatem proximi omnia præcepta reducuntur, quæ ad proximum spectant. 3122. b. c

ex Caritate supernaturali tenemur diligere Deum ad supernaturalem finem sempiternæ felicitatis obtinendum 3165. c. idq; magis obseruandum ante legem gratiæ, quam post eam latam. Ibid. e

quid intelligatur in præcepto Caritatis, nomine cordis, mentis, animæ, & virtutis. 3167. c. d

Carmen famosum.

Carmen famosum componens, si cõdemnetur actione ciuili aut criminali, testamentum condere nõ potest. 2680. c. Vide Libellus Famosus.

Carnes.

esus Carnium non fuit prohibitus ante diluuium. 1719. e. 3172. b. e

Castra.

Castris furta cõmissa quomodo puniantur. 1214. d

Castellanæ leges & iura.

Castellanæ leges circa quælibet inuenta, 1656. c. d. e

mens legũ partitarum Castellæ examinatur. 1788. a

vide Hispania & Lusitania.

Castigatio scholaris.

damnum ex immoderata Castigatione disciplinæ ortum lege Aquilia est resarciendum. 1268. e.

Casus diuersi.

Casus de inuene punito infra ætatem, & de alio qui ætatem mentiebatur. 1944. c

Casus de adultero interficiente maritum amasiæ. 1830. b. 1831. d. & alius ibidem de marito suam vxorem occidente.

Casus de quodam amente vulnerante aliũ. 1952. a & alius de amente vulnerante suspenso. Ibid.

Casus quo Abbas exigebat pœnã a patre pro homicidio commisso de filio illius impubere. 1796. b

Casus de tribus religiosis occidentibus Prouincialem suum. 2197. a

Casus de quodam clandestinas nuptias cum aliqua contrahente, & illa matrimonium negãte & ad secundas nuptras transeunte, illo ordines sacros suscipiente. 2343. b.

Casus de quodã coniugato religionẽ ingresso. Ibid. d

Casus quidam de religioso medicinam exercente. 2217. a. & seq.

Casus de Christiano captiuo Mahumeti sectam profitente, vt seruitutem fugeret. 2897. b

Cataphrygæ hæretici.

Cataphrygæ hæretici affirmabant Montanum suæ sectæ cum Prisca & Maximilla autorem spiritum sanctum esse. 3202. d

Cato Vticensis.

Cato Vticensis seipsum occidens non est laudandus vt magnanimus, sed vituperandus vt pusillanimis. 1735. d

Causa, concausa.

qui Causa est ininstæ dãni in aliquo scientiarũ aut artiũ, restituere ei tenetur, quantũ prudẽtis arbitrio

trio æstimabitur id damnum. 2719. c. qui alteri Causa est peccati, tenetur ad restitutionem damni ei in spiritualibus ita dati. 2719. e. qui causa fuit, vt alius per ignorantiam peccaret, aut vi vel metu causa fuit peccati alicuius, tenetur de iustitia causam peccati auferre, ignorantiam ab illo depellendo. 2720. c. qui alteri causa est peccati absq; ignorantia, ad nullam restitutionem ei tenetur, siue spiritualium damnorum, aut quorumcunque aliorum, licèt hortatione aut consilio peccati fuerit autor. 2722. e

Causa homicidii remota, est ò ea sit operam dãdo rei illicitæ, non incidit in irregularitatem interfecto aliquo. 2233. b

Causa proxima quid sit, & quid remota, in homicidiis. 2224. c

Cautio de damnis.

Cauere de damno ex ruina domus quousque oporteat. 1344. e

Censura ecclesiastica.

Censuræ quatuor ecclesiasticæ, excommunicatio, suspensio, interdictum, & cessatio à diuinis; irregularitas non est censura ecclesiastica. 2244. c

Cerarii.

Cerarii ceram adulterantes falsi crimen incurrunt. 1313. a

Cerdoniani hæretici.

Cerdoniani hæretici legem veterem retinebant, & alii eorum errores. 3075. e

Cerinthus hæresiarcha.

Cerinthus hæreticus voluit legem veterem seruandam vna cum Euangelica. 3175. d

Cessatio à diuinis.

Cessatio à diuinis est ex censuris ecclesiæ. 2244. e

Christiani.

Christiani non committunt furtum, qui iusto bello cum infidelibus aliquid ab eis belli tempore diripiunt. sed licitè id efficiunt: nisi diripiatur ab eis qui ex pacto inter nos versantur, aut si qui nostri ex pacto inter illos sunt. 1189. a

Christiani in triremibus Turcarum possunt remigare, etiam si Christianos Turcæ insequantur, non quidem eo fine, sed animo euadendi mortem paratam nisi remigent. 1752. e

Christiani assassini etiam sunt, & iisdem penis subjacent, quibus gentiles assassini. 1821. e. 1823. b

Christiani eo ipso quo baptismum suscipiunt, fidem Christi & legem Euangelicam profitentur, & tacitè se obstringunt ad in ea fide perseuerandum. 3113. c

Christus, Dei filius.

Christus non reuelauit peccatum Iudæ in vltima cœna, sed prophetico spiritu prædixit proditionem futuram. 2489. d

Christus, vt homo leges præscribere potest. 3023. d

Christus Rex pacis est. 3083. d. sacerdos in æternum. Ibid. c. in Melchisedec præfiguratus. Ibid. a. b. c. d. & 3084. a

Christus legi sabbathi non est subiectus. 3090. b. infirmum ad piscinam triginta annos iacentem sanat. Ibid. c. & 3091. a

Christus aduentu suo gentes sibi reconciliauit. 3097. c

Christus ex Iudæorum semine natus. 3098. a

Christi resurrectio. 3109. c. d. e

Christi morte consummata fuit iniquitas Iudæorum 3129. a. in Christo omnia vaticinia completa. 3129. b

Christus quare sanctus sanctorum dicatur. Ibid.

Christus a Prophetis Dux appellatus. Ibid. d

Christus quando occisus. 3130. a

Christus fecit morte sua nouum pactum cum populo suo. 3130. e. & seq.

Christi typus fuit Isaac. 3087. c.

Christus vt homo est propheta à Deo per Moysem promissus. 3089. d

Christus sacerdos secundùm ordinem Melchisedech. 3186. b

Christus legalia vsque ad mortem seruauit. 3187. a

Christus dicendo, Consummatum est, innuit cessationem legis veteris. 3195. b

Christus legem non soluit, sed adimpleuit. 3210. a

Christus non fuit statim à principio mundi incarnandus, sed lex naturæ & lex gratiæ tot sæculis præcedere debuit. 3201. c

Christus omnia præcepta veteris legis pro loco & tempore facto exactissimè, interim dum vixit, adimpleuit. 3209. e

Circumcelliones hæretici.

Circumcelliones hæretici, quemcunque hominem, seipsum interficientem voluntariè, martyrem affirmabant. 1733. a

Circumcisio.

Circumcisio non prodest gentibus ad salutẽ, nisi cum ea & totam legem veterem profiteantur. 3099. c

Circumcisio fuit Abrahamo præcepta ante legem scriptam. 3172. d

Circumcisio cessauit omnino post legem gratiæ 3177. e

Circumcisionis inefficacia erat ex meritis Passionis Christi futuris. 3085. a

Circumstantiæ.

Circumstantiis grauatur homicidium. 1799.

Ciuitas, aut congregatio ciuilis.

Ciuitas neque delinquere neq; puniri potest. 1932. a

Ciuitas aut quæuis alia vniuersitas sumpta materialiter, quoad personas, quibus constat, delinquere potest, rarò autem quoad omnes suas partes delinquit, præsertim in committendo. 1933.

Citatus.

Citatus peremptoriè in diem aliquem, ex æquitate est exspectandus in diem sequentem, siue sit citatus ad sententiam audiendam, siue ad aliquid aliud. 2879. c

Claudus.

Claudus qui per seipsum accedere potest ad altare, ibiq; exercere omnes motus, qui in Missa sunt necessarii, non est irregularis: secùs verò si contrà. 2191. d

Clericus.

Clericus mandans aliquem verberari, præcipiendo expresè mandatario, ne illũ mutilaret aut interficeret: mandatarius verò fines mandati excedens illum mutilauit aut interfecit, fit clericus irregularis. 1716. a

quando Clerici iure naturali tenentur denunciare potestatibus publicis crimina aliqua, vt damna reip. impediantur, non solùm non peccant denuntiando, sed neque vllam irregularitatem incurrunt secuta morte eorum aut mutilatione 1734. a

Clericis licitum est conqueri apud sæculares iudices de quibuscunque laicis malefactoribus, qui damnum ipsis intulerunt. 1738. b

Clerici qui de aliquorum iniuria conqueruntur, licet videant eos malefactores, de quibus conqueruntur, morte fore puniendos, ob criminis qualitatem, non peccant, neque irregularitatem incurrunt secuta morte illorum. Ibid. c

si dam-

Si damnum illatum non esset clerico conquerenti coram iudice sæculari, neque rebus suis, tunc licèt illatum esset suo consanguineo, peccaret se ita immiscendo causæ sanguinis, irregularitatemq; incurreret subsecuta morte. 1739. d

Clericis iudicium sanguinis exercere iure humano pontificio prohibitum est. 1736. a. Ex iurisdictione tamen temporali per alium, aut ex potestate Pontificis per se, id ipsum exercere ipsis permitti potest. 1737. d

Si crimen, de quo clerici conqueruntur, dignum non est morte aut mutilatione, iudexq; iniustè ad pœnam mortis aut mutilationis procedat, non peccant, qui ita conquesti sunt, neque incurrunt irregularitatem. 1738. d

Clerici non possunt esse duces in bello etiam iusto, estò propria manu non pugnent. 1740. a

An clerici ex commissione sæcularium potestatum cognoscere possint de causis criminalibus ad laicos puniendos infra pœnam sanguinis, remittendo crimina ad potestates laicas, quando fuerint digna pœna sanguinis. 1740. b

Clerici accusare non possunt criminaliter etiam suorum iniuriam prosequendo, siue pœna sanguinis veniat imponenda, siue non: conqueri tamen coram iudicibus possunt. 2025. d

Clericum iniustum aggressorem interficiens in defensionem bonorum externorum, excommunicationem non incurrit. 1770. d

Clericus exercens per annum ioculatoriam artem, eo ipso amittit priuilegia omnia ecclesiastica, efficiturq; infamis. 2127. e

Clerici si sine expressa protestatione conquererentur de delicto, & delictum esset tale, de quo præsumi posset, prosequendum ob illud esse ad pœnam sanguinis, tunc peccarent ita se immiscendo causæ sanguinis. 1739. a

Cognoscere an habitus, in quo reus, qui contendit se esse ecclesiasticum gaudentem priuilegio, clericalis sit, nec ne, & an habitus, in quo antea incedebat, clericalis sit, an non, spectat ad iudicem sæcularem. 2092. a

Clericus si suo episcopo inobediens fuerit, aut ei parauerit insidias, aut contumeliam intulerit, & conuincitur mox depositus traditur curiæ. 2095. d

Clericus non coniugatus publicè agens per se carnificem aut lanionem, & ter admonitus non destitit, incediq; habitu laicali, amittit priuilegium fori, donec respiscat. 2098. d & 2128. a. Clerici coniugati eo priuati sunt: & alii casus quibus clerici priuilegium fori amittant. Ibid. e

Clerici nomine qui intelligantur. 2105. a

Clericus habitu non incedens clerici, terq; admonitus vt clericalem habitum assumat; nec paruit, tunc interim, dum clericalem habitum deinceps non assumpserit, amittit priuilegium clericale; itaque injiciens tunc in eum manus violentas excommunicationem non incurrit. 2116. b

Clericus coniugatus si bigamus est, aut contraxit cum vna non virgine, eamq; carnaliter cognouit, vel cum virgine, & postquam adulterium illa commisit, eam carnalitèr cognouit, amittit omnia priuilegia. 2128. d

Si clericus non bigamus habitum clericalem & tonsuram non deferat, eo ipso priuilegia clericalia amittit. 2128. e

Clericus non baptizatus, cùm clericus non sit, non gaudet priuilegio canonis. 2129. c

Clericus conuictus de adulterio, licèt mortis pœna in suo tribunali ecclesiastico non puniatur, deponitur tamen, ab omnibusq; beneficio priuatur, in monasteriumq; detruditur, vt ibi toto tempore vitæ suæ pœnitentiam agat. 2367. d

Clericus ob solum simplex adulterium non degradatur etiam verbaliter, aut amittit clericale fori priuilegium. 2368. e

Clericus si stuprum committat cum virgine matura, etiam si illa consentiat, deponendus est; si autem vim adhibuerit, augenda est pœna acris: si cum virgine immatura stuprum committat, & illa integra maneat, puniri etiam debet pœna depositionis, & aliis pœnis subijci. 2433. d

Clericum, qui infamiam incurrit, famæ restituere ad summum Pontificem spectat, non ad Principem sæcularem. 2524. b

Cloaca.

Cloaca quid, & quotuplex fas est illam, estò priuata sit, reficere ac purgare, etiamsi ad id necesse sit aperire prædium alienum. Et quo interdicto subueniatur, si id non permittatur. 1396. c

si aliquid sit factum in Cloaca publica, aut immissum, quo vsus illius deterior reddatur, res in pristinum redigitur statum, & fieri impeditur, si fieri attentetur. 1397. c

Cogitatio.

Sola cogitatio furti faciendi non facit furem. 1114. a

Cogitationes peruersæ licèt in mente oriantur, & tamen voluntas deliberato consensi non acquieuerit, non incurritur peccatum. 2532. e

Colonus.

Colonus si inferat damnum arboribus in prædio conducto, agitur aduersus illum ad id damnum ex conducto aut actione arborum cæsarum. 1296. c

Commendatarii ordines.

Commendatarii laici non gaudent priuilegio religiosorum, quia simpliciter religiosi non sunt. 2107. c

Commendatarii ordinis D. Ioannis, si vnus manus violentas in alterum injiciat, absolui possunt per presbyterum priorem conuentus, in quibus religiosi alii absolui possunt à suis superioribus. 2149. e

Commodans.

Commodans rem commodatam vi à commodatario accipiens, locans à conductore, aut deponens à depositario, non puniuntur pœna legis, si quis in tantam, sed tenentur ad restitutionem, & pœna arbitraria puniuntur. 1132. d

Commodatarius.

Commodatarius, conductor, & depositarius, qui finito contractu rem petitam non restituunt, sed expectant definitiuam sententiam, in pœnam incidunt instar legis; Si quis in tantam. 1133. c

Commodatarius habens rem aliquam commodatam ad certum vsum, & ea vtitur ad alium, committit furtum. 1118. d

si res à quodam tertio auferatur furtò à Commodatario, ita vt commodatarius ad nihil commodanti teneatur, agere actione furti ad solum commodantem spectat, nisi absens sit aut impeditus: ad commodatarium verò spectat agere soleim ob emolumentum vsus, quo iniustè fuit priuatus: quando autem commodatarius tenetur commodanti de re commodata, quousque actio ad commodatarium & quousque ad commodantem spectet. Et quousque actio commodanti aduersus commodatarium competat. 1249. a

Communitas.

vt Communitas deliquisse dicatur, & proinde digna pœna censeri possit, necesse est, vt saltē quoad partes, quæ ipsam repræsentant, id agendo deliquerit. 1934. e

aliud est, Communitatem aliquam procuratorem aut mādatarium aliquem constituisse, qui omnia eius negotia exerceat; aliud verò constituisse rectores, qui ipsam repræsentent. 1935. e

Communitas quando deliquit per illos, qui illam repræsentant, tunc fas est illam punire quoad partes, quæ ita per se ipsas deliquerunt, puniriq; possunt etiam pœna mortis, & confiscationis bonorum. 1936. d

quando Communitas delinquere non censeatur commissionis peccato, nisi per modum communitatis, saltem qui illam repræsentant, nihilominus omissionis peccato potest communitas delinquere, si potuit id commissionis peccatum impedire. 1936. b

qui innocētes sunt ex Communitate, quia ipsi reuera in nulla culpa fuerunt, puniri non possunt pœna mortis, aut mutilationis corporalis. 1937. a

Communitas secularis si aliquid vsurpet nomine ciuitatis, vel mandet id fieri, vel ratū illud habeat, in pœnas incidit ipsa communitas de bonis communitatis soluendas, non verò si vnus illorum, autoritate propria, communitatis nomine id vsurpet. 1137. d

quando delictum est tale, vt propter illud punire liceat parentes in filiis, tunc fas est punire Communitatem delinquentem, etiam quoad innocentes, qui partes illius sunt, ciuitatē solo æquādo. 1937. b

sed si delictum non est tale, pro quo vnus in alio innocente puniri debeat, tunc si communitas vt communitas illud committat, neque sit aliquis in particulari, qui illud executioni mandauerit, puniri non debet ob id crimen pœnā mortis, sed arbitraria. 1938. a

Communitas non potest excommunicari, sed puniri interdicto. 1939. a

Compensatio.

Compensatio in foro conscientiæ, quibus conditionibus interuenientibus sit licita. 1180. e

si legitimè in foro conscientiæ Compensatio facta sit, & propter illam, is qui legitimè eam fecit, condemnetur in foro exteriori, non tenetur stare sententiæ, quæ in sola præsumptione fundatur, si sine scandalo possit. 1183. a

Compensatio legitimè in foro conscientiæ dominium comparat rerum, quas in compensationem accipit. Ibid. e

Compensatio quousque licita aut illicita famulis & iis, qui res aliorum agunt. 1184. c

sciens aliquid acceptum esse in Compensationem licitam, aut retineri licitè in compensationem, non tenetur id denuntiare, etiam si sub excommunicatione præceptum sit, vt denuntietur. 1187. b

Compensatio occulta licèt interdū licita in foro conscientiæ sit pro damno iniustè accepto, cur similiter licita non sit compensatio aliqua occulta pro iniuria præcisa à damno dato. 1512. a

illicitum est in Compensationem infamiæ, infamantem infamare, esto ille iniquè restituere nobis nolit famā, quam nobis iniustè abstulit. 2716. b. post illatam vtrimque iniustè infamiam, locum habet compensatio damni cum damno, nisi alter plus altero infamauerit. Ibid. c

Compensationi locus est in iniuriis & damnis mutuo illatis quo ad priuatas personas, non autem quo ad pœnas in commune bonum imponendas. 1778. b

quando agitur ad Compensationem damnorū in bonis externis, mortuo accusatore, transit actio ad hæredes ipsius, est o lis à defuncto non fuerit contestata. 2011. e

Compositio.

Compositio locum non habet authoritate summi Pontificis circa bona ecclesiastica, quorum restitutio facienda est ecclesiis aut pauperibus. 1647. a. quādo suspecta sit hæc compositio censenda, vt non liceret in foro conscientiæ. Ibid. e

Compositio locum non habet circa certa bona, quæ alicui debentur, illiq; aut hæredibus illius restitui possunt, sed solum circa ea, quæ pauperibus sunt distribuenda. 1647. b

Compositio fieri potest authoritate summi Pontificis circa bona quæ debentur priuatis, & quæ idcirco restituenda sunt pauperibus, quia ignoti illi sunt, quibus fieri debet restitutio, aut quia valde sunt remoti sine spe reuertēdi, aut aliis de causis. 1649. e

Compositio fieri potest etiam circa bona iniustè acquisita, quæ quamuis iusta de causa restitui non possunt iis, quibus debentur, restituenda tamen sunt pauperibus, aut insumenda in aliis operibus piis. 1650. e

Compositionem sperando quousq; peccent, qui differunt restituere aliqua, insumendo illa in opere pio. 1651. c

Compositione facta si compareat creditor, ad quē bona attinebant, illi sunt integre restituenda in exteriori & in conscientiæ foro. 1651. d

Compositio licèt fiat à debitore, qui executor est testamenti, vel ab hærede, circa bona incerta, inde etiā soluenda sunt delicta certa, quando non sunt sufficientia alia bona vnde soluantur. 1689. e

Comprehendere.

Comprehendens aliquem pro debito autoritate propria, quas pœnas incurrat. 1135. a

Compromissum, inter partes arbitros seligēres.

Compromissum, quo partes compromissarios arbitros eligunt, sibiq; mutuò promittunt illorum arbitrio stare, liberum est, vt fiat, aut non fiat ex parte ita compromittentium, item ex parte arbitrorum, antequam consentiant se arbitros esse. 2925. c

Compromissum inter compromissarios arbitros perficitur solo consensu exteriùs inuicem expresso aut nutibus. 2926. b. nisi constet apertè compromissum inter partes interuenisse, quo manifestè constet se intendisse obligare stare illorum arbitrio, non censetur tale compromissum esse factum, parteſq; teneri eam rem coram illis prosequi, eorumq; definitioni stare. 2927. a. interdum transire efficitur in contractum nominatum adiectione stipulationis ex vtraque parte. 2927. c

in Compromisso ea exprimi debent, ad quæ arbitrandum a compromittentibus in arbitris aut arbitratoribus facultas eis conceditur. 2928. e

in Compromissis apponi consueuerunt clausulæ, quòd arbitri procedant non seruata forma iudicii, sed summariè, sine figura iudicii, seruata tantùm æquitate. 2930. b

quando in aliquem vt in arbitrum Compromitteretur, nihilq; exprimeretur, vnde intelligeretur, vt prouideret non seruata iuris forma, illam omnino seruare teneretur in procedendo & arbitrando. 2930. e

quando aliqui dicerent se Compromittere in aliquem, vt in arbitrum & in arbitratorem, nihil aliud adjiciendo, nec exprimendo modū, quem in proce-

procedendo seruare deberet, nisi ex circumstantiis concurrentibus intelligerentur partes eius verbis aliud intendisse, relicta est ei optio, vt seruata iudicii forma vel non seruata procederet, prout vellet. 2930. d

quando partes in aliquos Compromittunt cum facultate vt procedant non seruata forma iuris, seruata tantum æquitate, & sine strepitu iudicii, arbitri tales audire debent, quæ partes proponere velint. 2931. c. quando autem partes non concederent solum facultatem arbitris, vt procederent non seruata forma iudicii, sed etiam compromisso eis præscriberent, vt eam formam non seruarent, tunc seruare non possunt. partibus aut earum altera inuitis, formam, quam ex forma compromissi intelligeretur, partes intendisse vt non seruaretur. 2932. c

inualidum est Compromissum, quo aliquid in aliquem compromittitur, eum astringendo, vt in iudicando aliquem consulat, eorumq; consilium sequatur. 2935. e

Compromissum, quo aliqui promittunt se stare arbitrorum sententiæ, pactum est nudum, interim dum a neutra parte quidquam est tributum alteri ratione eius pacti. 2938. a

quando Compromissum solo nutu fuit celebratum, neque pœna apposita neque stipulatione, ex iure cõmuni ciuili ex illo non oritur obligatio ciuilis illud seruandi, nisi ex altera parte traditione sit impletum, & sic transeat in pactũ vestitũ. 2937. b. ex eodem iure conceditur retinere, quod ex tali pacto nudo solutum acceptumq; est, ita vt ius ciuile actionem non concedat ad illud repetendum. Ibid. d

Compromissum ex nudo pacto obligat partes ad parendum præceptis arbitrorum rationabilibus concernentibus ad causæ expeditionem, nisi impedimentum iustum interueniat. 2941. e

quando Compromissum in arbitrum stipulatione fit, arbiter cogitur progredi in causa, & suam tempore congruo sententiam ferre. 2944. e. sed quando stipulatione vallatum est, & lata per arbitrum fuit sententia, de iure communi ciuili parti, quæ vult illi stare, in cuius q; fauorem lata est, conceditur actio aduersus alteram ei parere nolentem. 2945. e

renuntiari in Compromisso non potest petitio reductionis arbitri ad æqualitatem prudentis arbitrio. 2955. d

quando Compromissum pacto nudo fuit, tunc stando in solo iure communi, si secuta fuerit emologatio expressa sententia arbitrorum, mandanda est exequutioni, nihil impediente quòd damnatus velit soluere pœnam, & non stare sententiæ semel à se expressè emologatæ. 2957. a. sed si secuta fuerit emologatio sententiæ arbitrorum tacita solum lapsu decem dierum, in quibus ab ea non fuit reclamatum, tunc integrum est damnato ea sententia soluere pœnam, eaq; solutione non stare arbitrorum sententiæ, & impedire executionem. 2959. d. cùm emologat ataciteè est sententia non secùs ac si in compromisso adhibita non fuisset pœna, sententia mandanda est integra executioni. 2960. c

Compromissum quando stipulatione fuit vallatum, & apposita fuerit pœna contrauenienti sententiæ, tunc si apposita non fuit clausula, rata manente sententia, de iure communi, si is, qui ea fuit damnatus, expressè illam emologauit, victor agit ad sententiæ executionem, si victus eam implere moretur. 2961. d. sed quando secuta fuit emologatio tacita lapsu dierum decem aut quinque in regno Hispaniæ, in quibus ab ea non fuit reclamatum, tunc de iure regni Hispanici & Lusitanici non admittitur appellatio ab ea sententia, mandabiturq; executioni in Hispania, & de iure ciuili communi. 2962. b. at quando sententia ab arbitris est lata, & nec expressè nec taciteè emologata, sed reclamata esset ante dies decem elapsos, & in Hispania ante quinque, tunc in Hispania & Lusitania admitteretur appellatio ab illa ad iudices ordinarios. 2963. c

Compromissum aliquando iuramento confirmatur, sed vetitum est id propter frequentiam periurii. 2970. d. ideoq; quando compromissum iuramento comprobatum est, non tenentur partes, quæ iurarunt, id seruare. 2971. c

quando Compromissum stipulatione esset vallatum apposita pœna non stanti compromisso ac sententiæ, additaq; esset clausula, rato nihilominus manente compromisso; tunc secuta sententia & emologata expressè agitur solũ ad sententiæ executionem, si damnatus sit in mora eam adimplendi, & non ad pœnam. 2964. d.

quando Compromissum similiter & cũ eadem clausula esset celebratum, sequutaq; arbitrorum sententia, taciteè esset emologata, quia non esset reclamatum, nec ab ea appellatum, tunc de iure regni Hispanici & Lusitanici non admittetur appellatio a tali sententia, sed executioni mandabitur. 2965. b. sed quando secuta arbitrorum sententia nec taciteè aut expressè esset emologata, sed reclamata esset ante dies decem, tunc in Hispania & Lusitania admitteretur ea reclamatio & appellatio, & in Hispania nihilominus exequutioni ea sententia mandaretur. 2965. c. quædam circa hoc obseruanda. 2966. a & seqq.

quando in Compromisso iuramento cõfirmato, quòd sententiæ arbitri staretur, adiuncta fuit pœna ei compromisso & arbitri sententiæ non stanti, satis est partem, quæ stare nolit arbitri sententiæ, soluere pœnam, eaq; solutione pœnæ electa non teneri stare sententiæ, nihil impediente ea iuramenti confirmatione. 2974. b

si Compromissum iuramento est confirmatum, & sub iureiurando est promissum quòd stabitur sententiæ arbitri, tunc eo ipso censetur sub eodem iuramento virtute renuntiatum sub periurii reatu petitioni reductionis talis sententiæ, ad æqualitatem arbitrio prudentis. 2977. b

quando Compromissum est in aliquem arbitratorem, vt aliquid definiat in complementum alicuius contractus, ex quo actio de iure ciuili datur, tunc licèt compromissum in arbitrum celebratum sit pacto nudo, non solum de iure canonico, sed etiam de iure ciuili datur actio, vt id arbitramentum executioni mandetur. 2980. b. sed quando compromissum in simili arbitratore vallatum sit stipulatione, aut factum sit simul cum contractu principali societatis, tunc secuto postea iuramento non datur de iure ciuili communi actio ad illius executionem. 2980. a

si Compromissum esset factum in aliquem, quantum pro iniuria accepta esset soluendum, tunc secuto arbitramento, quod reducendum non sit ad limites iustitiæ arbitrio prudentis, datur actio de iure ciuili communi ad executionem talis arbitramenti. 2981. e

quando Compromittitur in duos, quorum alter non

poteſt eſſe arbiter nec arbitrator, arbitrium aut arbitramentum latum ab altero, qui eſſe poterat arbiter aut arbitrator, eſt nullum. 2990.c

in cauſis criminalibus Compromitti non poteſt. 2994. e. nec de cauſa pertinenti ad libertatem aut ingenuitatem alicuius. 2996.a. res ad aliquam communitatem ſpectantes compromitti non poſſunt. Ibid.c. nec cauſa matrimonii ad vinculum ipſum matrimonii ſpectans. 2997.c

quando in multos Compromittitur tanquam in arbitros, vel vt in arbitratores, neque aliud exprimitur, ſtandum eſt plurimorum ſententiæ: multo magis ſi id in compromiſſo exprimitur. 3004.b

quando in multos Compromiſſum eſt, vt ſententia à maiori illorum parte lata valida ſit, neceſſe eſt iure ciuili vt omnes, in quos ita fuit compromiſſum, præſentes ſint, quando ſententia profertur. 3004.c. ſed in iure canonico ſi maior arbitrorum pars adſit, & reliqui vocati vt adſint, abſque iuſto impedimento intereſſe noluerint, validum eſt arbitrium, quod maior pars eo modo in aliorum abſentia tulerit. 3005.a

Compromiſſum in tres quando fuit, & quando diſcordant, quorum ſententiæ ſit ſtandum. 3005.c & ſeqq.

ſi Compromiſſum fuit in duos, & additum in compromiſſo fuit, quod ſi illi diſcordent, eligant ipſi tertium nullum particulariter deſignando, compromiſſum eſt nullum. 3007.b

quando in multos ita Compromiſſum eſt, vt ſi non omnes poſſint, reliqui ſine illis procedant, tunc valeret arbitramentum eorum, qui procederent ſine aliis; ſi verò, vt omnes in eadem ſententia conueniant, tunc niſi omnes interſint, & eiuſdem ſint ſententiæ, inualidum eſt arbitramentum. 3008.e

ſi Compromittatur in aliquos cum clauſula, vt omnes aut multi vel vnus eorum cauſam expediat, tunc quilibet eorum ſolus poteſt eam cauſam expedire. 3009.b

Compromiſſum exſpirat morte cuiuſuis arbitrorum, ſi in multos fuerat compromiſſum, ſi nondum per eos arbitros erat lata ſententia definitiua: item ſuperueniente impedimento, vt iam non poſſit in cauſa progredi. 3010.a. item morte cuiuſuis compromittentium ante latam ſententiam definitiuam. 3010.d

ſi partes quæ Compromiſerunt, tranſactionem faciant circa compromiſſum, vel vna pars cedit alteri totum ſuum ius, exſpirat compromiſſum: item ſi partes inter ſe conueniant, vt à compromiſſo diſcedatur. 3011.b

quando in Compromiſſo locus deſignatus fuit, in quo arbitri de cauſa cognoſcere deberent; eo in loco eſt terminanda, ſecus ſi nihil tale expreſſum fuit. 3014.a

quando circa multa fuit Compromiſſum in aliquos arbitros, neque fuit expreſſum, vt ſimul & non diuiſim circa illa pronuntiarent, valida ſunt arbitria circa ſingula diuiſim. 3016.d

Concauſa.

aduerſus furti Concauſas competit furtiua condictio ad rem furto ablatam, vel ad illius æſtimationem, ad fructus & ad damna inde ſecuta. 1232.c

aduerſus furti Concauſas competit actio ad pœnam pecuniariam parti læſæ applicandam, vt vna tantum illi ab omnibus ſoluatur, quam præcipuè ſoluere tenetur cauſa furti principalis, niſi furtum comparatione illius ſit domeſticum, &c. 1233.c

rapinæ Concauſa aut furti in quo ſacrilegium, aut alia circumſtantia aggrauans interueniat, vt puniatur. 1236.a

furti Concauſa quando mitius puniatur quàm cauſa principalis. 1236.b

Concauſa damni vt reſtituere teneatur, neceſſe eſt vt damnum iniuſtè ex ea verè ſit ſequutum. 1599.a

Concauſa damni iniuſti reſtituere illud tenetur, in defectum cauſæ principalis, eſtò, ſi ipſe non influxiſſet, ſecuturus fuiſſet effectus. 1601.e

ſecuto effectu homicidii, Concauſæ incurrunt irregularitatem, ſi fuerunt concauſæ proximæ, non verò ſi fuerint cauſæ remotæ eius effectus. 2224.b

Conceptio.

Conceptionis cauſa quando datum eſt alicui poculum, illaq; præter ſpem mortua eſt; tunc dator non punitur pœna mortis, ſed arbitraria relegationis. 1839.e

Concubina.

Concubinæ publicæ clerici, religioſi, aut coniugati quæ ſit pœna. 2302.c

Concubitus.

quando Concubitus duplici de cauſa punitur, tunc etiam diſtinctis pœnis ſimul eſt puniendus, etiam ſi ſemel commiſſus ſit. 2321.b

Concupiſcentia.

Concupiſcentia furti & adulterii reducitur ad ſextum & ad ſeptimum præceptum decalogi. 3143.b

Confeſſarius.

reſtituere ſtatim quando debitor tenetur, non poteſt Confeſſarius inducias illi concedere ad reſtitutionem differendam, eumq; abſoluere. 1678.b

Confeſſarius qui interrogatur, num quis teneatur denuntiare in cauſa ſanguinis, num liceat accuſare in eadem cauſa, aut num id ſit melius, ſpectatis circumſtantiis omnibus, quando quis interrogat, denuntiare tenetur ſub reatu culpæ, irregularitatem non incurrit. 2208.c

Confeſſarius cui iudex confitetur ſe laturum non eſſe pœnam mortis in aliquem, vt legibus ſub lethalis culpæ reatu teneretur, poteſt illi dicere, abſque irregularitatis periculo, ſe non ſoluere, niſi firmiter ſtatuat, ſe nihil in officio ſuo prætermiſſurum. 2211.b

Confeſſio per tormenta.

Confeſſio criminis tormentis extorta non infamat confitentem, non intelligendo de confeſſione iuridicè extorta. 2660.b

Confeſſio ſacramentalis.

Confeſſionis ſecretum ſeruare ad virtutem pertinet religionis. 2488.b

Confiſcatio bonorum.

quando pro aliquo delicto ſtatuta eſt pœna Confiſcationis bonorum, tunc mortuo delinquente, ſiue lis conteſtata fuerit cum eo, ſiue non, datur actio aduerſus hæredes, vt ea bona fiſco adueniant. 2005.d

quando pœna Confiſcationis bonorum eſt à iure ſtatuta non principaliter, ſed acceſſoriè ſolùm ad aliam pœnam, merè criminalem; tunc mortuo delinquente exſtinguitur crimen, & quo ad pœnam merè criminalem, & quo ad pœnam confiſcationis bonorum illi acceſſoriam. 2006.e

in Confiſcatione bonorum, quæ acceſſoriè in conſequentiam alterius pœnæ criminalis confiſcantur, vt actio ad eam confiſcationem tranſeat aduerſus hæredes delinquentis defuncti, neceſſarium eſt, vt

vt præceſerit condemnatio delinquentis, dum ille viueret. 2007. e
quando acceſſoriè ad aliam pœnam criminalem incurreret quis Confiſcationem bonorum, ſi reus in iudicio confeſſus eſſet crimen aduerſus eum probatum; tunc ſi poſt eam confeſſionem aut probationem moreretur ante ſententiam datam, tenentur hæredes eam pœnam confiſcationis ſoluere. 2009. c
quando bona Confiſcanda eſſent, etiam acceſſoriè, & aliquis accuſatus eſſet de crimine, pro quo ea pœna eſſet imponenda; tunc, ſi is ex conſcientia criminis ſe ipſum interficeret, haberetur pro confeſſo, atque pro condemnato, eriperenturq; ea bona ab hæredibus. 2010. a
quando criminaliter proceditur in aliquo delicto, tunc ſi a lege ſit ſtatuta pœna aliqua Confiſcationis bonorum ipſo facto incurrenda, tranſit actio aduerſus hæredes quo ad eam confiſcationis pœnam: ſecus verò ſi nulla pœna confiſcationis ipſo facto erat incurrenda. 2010. c
quando bona omnia alicuius Confiſcantur, eo ipſo actiones omnes actiuæ rei aduerſus ſuos debitores tranſeunt ad fiſcum, & omnes actiones paſſiuæ creditorum aduerſus reum aduerſus fiſcum. 2080. e

Congregatio.

in Congregationibus hominum religioſorum vitia omnia, quæ alicuius ſunt momenti, prohibita eſſe cenſentur, vt in eis congregationibus pœnis condignis puniantur. 3246. c

Coniunctio.

varia iura reſultantia ex Coniunctionibus variis, quas habet homo tam cum perſonis priuatis, quàm cum corpore reipub. cuius eſt pars. 1700. d. 1701. b

Coniugata.

quando Coniugata paſſa eſt ſe ab alio cognoſci, arbitrata eum eſſe ſuum virum, tunc non habet locum actio nec ciuilis nec criminalis ob adulterium. 2352. a
Coniugata ſi vi oppreſſa fuit, inuitaq; eſt paſſa adulterium, tunc non competit marito actio eam de eodem accuſandi. 2352. d

Coniux.

datur actio rerũ amotarum, non furti, ſi vnus Coniux conſtante matrimonio aliquid de bonis alterius ſurripiat. 1120. b
quando alter Coniugum celebrauit matrimonium cum alia perſona, arbitrans priorem eſſe defunctam, tunc adulterii actio nulla competit, etiam viuente altera. 2352. b

Conqueri.

Conquerens in iudicio ſe eiectum ex aliqua re, cognoſci ante omnia de vi debet, eaq; comperta, reſtituendus ante omnia eſt in poſſeſſionem, eſtò ejiciens aut quidam tertius probare ſtatim velint, rem ad ſe pertinere. 1137. d

Conſanguinei.

Conſanguinei alicuius delinquentis, qui nihil cooperati ſunt ad id crimẽ, ſed ſolum poſt crimen commiſſum delinquentem occultauerunt, aut aliter auxiliati ſunt, vt euaderet pœnam, puniendi non ſunt, ſed bene occultatores graſſatorum. 1919. d
Conſanguinitatis gradus aliter ſupputat ius ciuile, aliter ius canonicum. 2024. b

Conſcientia.

Conſcientia appellatur naturalis facultas, quæ aliqua facienda aut vitanda indicat. 3061. d
Conſcientia multis modis accipitur. 3061. e & 3062. d

Conſenſus, conſentire.

is à cuius Conſenſu autoritatéve pendet, vt homicidium iniuſtum fiat, ſecuto eo homicidio irregularitatem incurrit & pœnam ordinariam, ſi ſit, qui talem ei pœnam inſtigat, & tenetur ad damna ſubſecuta. 1901. b
Conſentiens in homicidio quotupliciter capiatur. 1901. a
Conſentiens in necem alterius, illam cùm poſſet non impediẽdo, cum ex officio ad id tenebatur, pœnam ordinariam homicidii incurrit & irregularitatem, & tenetur ad damna ſubſecuta. 1902. b

Conſeruatores.

Conſeruatores iudices ſunt delegati. 2904. d. quid ſit eorum munus. Ibid. e
non poſſunt deputari in Conſeruatores, niſi Epiſcopi, vel obtinentes dignitates aut perſonatus in eccleſiis cathedralibus aut collegiatis; & qui conſeruatores eſſe non poſſint. 2906. a
Conſeruatores ſubdelegare non poſſunt vices ſuas, niſi ſit eis conceſſum expreſsè. 2906. d
non poſſunt aliqui ſibi inuicem eſſe Conſeruatores 2906. b. item nullus habere eum in ſuum Conſeruatorem poteſt, qui dominio ipſius fuerit ſubiectus. Ibid.
Conſeruatores exſpirant per mortem Pontificis, qui eos conceſſit, ipſo iure, quo ad negotia nondum cœpta, ſecus autem quando iam capta. 2907. c
Conſeruatores non poſſunt cognoſcere extra ciuitatem, in qua fuerunt deputati, de cauſis ad quas ſunt conſeruatores conceſſi. 2906. c
Conſeruatores academiæ Eborenſis & Conimbricenſis ſunt iudices ordinarii. 2907. e
qui Conſeruatores intelligantur in concilio Tridentino. 2907. e

Conſulere, conſilium.

furtum Conſulens, ſi id conſilium ad furtum fuit cooperatum, ſaltem quia fur eo conſilio fuit confirmatus, poteſt actione ciuili premi. Licet autem ad furtum id conſilium nihil fuerit cooperatum, conſulens puniri debet pœna arbitraria. 1236. b
Conſulens, vt mancipium hero aliquid furaretur, ad ſeq; furtum afferret, ſecuto furto ex conſenſu heri, vt iniquus ille conſulens puniretur, actio furti competit aduerſus eum hero. 1243. a
vt Conſulens reſtituere teneatur damnum conſilio ipſius datum, quam amplè vſurpetur. 1581. a
Conſulentium varia genera, & ex quanta culpa vnuſquiſque eorum teneatur, ſi ex conſilio ipſius damnum ſequatur, etiam accipienti id conſilium. 1581. c
Conſulere licet minus malum, etiam iniuſtum, eidem ipſi cui paratur maius, ſine obligatione reſtituendi: ſecus vt alteri inferatur. 1582. b
Conſulens eſtò à principio non perſuadeat malum, quod conſulit, ſi tamen poſtea is, cui conſilium eſt datum, inde moueatur ad damnum inferendum, tenetur conſulens illud reſtituere in defectum exſecutionis. 1582. d
qui ei, qui quinquaginta furari intendebat, conſilium dedit, vt furaretur potius centum, ſi dignoſci poſſit, quæ quinquaginta auxit propter id conſilium, tunc conſulens ſolum tenetur reſtituere, in defectum illius, quinquaginta. 1600. b
quando aliquis ad aliquod delictum Conſilium dedit, & de eo conſtat in foro exteriori, & tunc dubium eſt, an delinquens principalis, ſecluſo eo

consilio, commissurus fuisset id delictum an non, in foro exteriori non præsumitur fuisse commissurus, nisi datum ei esset tale consilium, ac proinde consulens pœna ordinaria eius delicti punitur. 1881.a

Consulens licet renocauerit consilium prauum, & dissuadere illi conetur tale delictum: si tamen is permotus eo consilio tale homicidium committat, tenetur consiliarius non solùm ad damna in defectum executoris, sed etiam pœna ordinaria eius delicti, etiam irregularitatis. 1881.e

si Consulens tunc persuadere illud nequiuit, & postea is, cui consuluit, illo permouetur consilio ad homicidium perpetrandum, tenetur ad damna subsecuta in defectum exsecutoris talis consilii. 1882.d

Consulens, vt restituere teneatur damnum ex consilio dato secutum, quis dicatur: comprehendit etiam suffragium ferentem ad id damnum. 1585.a

qui suo Consilio fuit concausa alicuius damni, non liberatur ab onere restituendi, esto faciat causam principalem concipere propositum restituendi, nisi illa opere id restituat. 1604.d

restituere tenetur integrum damnum in defectum illud dantis, qui ei, qui decreuerat post decem dies illud dare, Consuluit vt statim illud daret. 1601.b

quando multi concurrerunt Consilio inito ad vnius interfectionem, tunc omnes tenentur pœna homicidii ordinaria, omnesq; irregularitatem incurrunt ex homicidio voluntario, at maiorem ii qui manu propria interemerunt: nisi essent aliqui, qui id præcepissent executioni mandari. 1870.d

Consulens vt aliquis interficeretur, & res effectum sortita est, tunc esto, qui id consilium dedisset, non fuisset præsens, quando homicidium fuit patratum, incurret tamen pœnam homicidii ordinariam, & ex homicidio irregularitatem. 1874.c

ad Consilium spectat suasio, instigatio, suggestio, instructio, persuasio; & in quo consilium differat à mandato. 1875.c

quando pœna aliqua statuta est pro aliquo delicto, nihil de consulente exprimendo, tunc Consulens in pœnam incidit ordinariam pro tali delicto statutam, modo effectus eius delicti sequatur: pœna autem ordinaria homicidii consulens puniendus non est, nisi suo consilio permouerit homicidam ad facinus patrandum. 1877.a

quando pœna aliqua statuitur Consulenti delictum, si imponatur pro consilio, tanquam pro actione accessoria actui eius delicti, non incurrit pœnam illam, qui consilium dedit, nisi secutum sit delictum principale. 1880.c

Consulens vt manus violentæ in clericum injicerentur, vel aliquo modo ad id cooperatus, excommunicationem incurrit. 2121.c. non verò, si effectus non sequatur. Ibid.d

Consilia alicuius exercitus prodens parti contrariæ, peccat non solùm contra iustitiam, sed etiam ad restitutionem obligatur. 2474.a

quando aliquis ex longo interuallo dedit prauum Consilium, & postea delictũ fuit commissum, prudentis arbitrio, spectatis circumstantiis, est iudicandum, an exsecutor ex eo prauo consilio permotus fuit ad delictum patrandum. 1882.e

Consilia Euangelica.

Consilia diuersa sunt a legibus & a præceptis. 3052.d

Consilia Euangelica à Christo tradita. 3212.a

Consilia quædam etiam in veteri lege continebantur. 3124.d

Constitutio.

Constitutio, si prese sumatur, est idem quod lex. 3049.d. Constitutio duobus modis sumitur prese & late. Ibid.e. Interdum constitutio lata ab inferioribus a Principe, lex particularis populorum dicitur. 3050.b

Constitutiones quædam sunt inferioribus traditæ, quæ quatenus ex præscripto eas ferentium ad nullam culpam subditos obligant, vt eos magis à peccatis præseruent, rationem omnino legum non habent, sed solum ex parte, quatenus verè sunt superiorum, ea in re Dei locum tenentium. 3053.b

Consumere.

Consumens rem iniustè detentam, restituere ante alios illam tenetur. 1605.c

Consummatio sæculi.

Consummatio sæculi non prius futura est, quàm Euangelium in vniuersis nationibus ac locis promulgetur. 3203.c

Contractus.

cùm Contractus compromissi ex parte arbitrorum, ita vt partes audire & ferre arbitrium teneantur, consensu & acceptatione eorum completur, Prætor neminem ad id cogit: at postquam semel consentiunt, Prætor suam interponit autoritatem. 2927.d. si partes compromittant in aliquem & in aliquos, & illi simul consentiant se esse arbitros, tunc contractus est perfectus ex parte compromittentium & compromissariorum. 2928.a

qui bona fide ac cum probabili ignorantia Contractum celebrauit vsurarium, restituere tenetur. 3239.d,e. & 3240.a,b. & seqq.

Contrectatio.

Contrectans rem quo ad solam possessionem, alterum priuando possessione in qua erat, eo inuito, committit furtum aduersus eum, esto non sit dominus rei. 1119.a

Contritio.

Contritio erat in veteri lege & noua vltima dispositio ad gratiam, quam Deus meritis Christi conferebat in veteri lege, & confert in noua, iis qui bene dispositi erant. 3170.c

Contritus de peccatis tenetur illa confiteri necessitate præcepti confessionis. 3187.c

Controuersia.

Controuersia inter Apostolos Petrum & Paulum. 3178.c. 3180.b & seqq.

Controuersia inter Hieronymum & Augustinum, circa modum cessationis lethalium. 3178.b.c. & seqq.

Contumelia.

Contumelia quomodo differat a detractione. 2561.e

interdum sit aliquid absque iniustitia, quod præiudicat honori alterius, & tunc non spectat ad Contumeliam. 2562.b

Contumelia latè sumpta est peccatum lethale. 2563.c. ex circumstantiis tamen nonnunquam est culpa venialis. 2564.a

Contumelia latè sumpta, vt vitium totum iustitiæ commutatiuæ circa bona honoris contrariũ comprehendit, species infima est. Ibid.c. frequenter ex ira oritur. Ibid.e

Contumelias patienter ferre meritum est, quando aliud non exigit bonum aliorum, qui contumeliam inferunt. 2565.c. Sed quando ita expedit bono aliorum, consilium est resistere: maximè si fieri potest sine damno aliquo, & si quando iniuriam patiens non potest sufficienter honori suo consulere. 2566.b. fas est etiam, dum iniuria adhuc fit, &

vlteriùs

vlteriùs continuatur, tueri honorem proprium, impediendo ne contumelia vlteriùs progrediatur. Ibid. e

Contumelia sæpe interuenit in derisione, & illusione, & subsannatione, quatenus frequenter honor proximi iniustè læditur, licèt eis actibus læsio honoris non intendatur. 2569. e

Contumelia pro iniuria presè sumpta latiùs patet, quàm contumelia prout præcisè est contra bonum honoris. 2664. c

si quis verba ex se Contumeliosa in aliquem etiam iratus proferret, censeretur irrogasse contumeliã, ac proinde agi posset contra eum de iniuriis, nisi sufficienter probaret, se illa eo animo non dixisse. 2669. d. cum duo se mutuò contumelia affecerunt, vtrique competit aduersus alterum actio iniuriarum. 2670. b

Contumeliam inferens si non possit aliter ad æqualitatem satisfacere in bonis honoris, quàm petendo veniam, & offensus aliter non esset contentus, tenetur tunc is id præstare offenso, neque satis est, si satisfacere velit in bonis externis. 2707. d. nec debetur alia restitutio præcisè ob id, quod contumelia honori fuerit illata, præter hanc restitutionem. 2708. d

Contumeliosus actus quando est talis, vt nullũ damnum corporis aut bonorum externorũ relinquat, tunc licet is actus ante faciem contumeliam patientis fiat, si tamen cæteri factum esse ignorent, aut is ipse solus, qui eam est passus, in causa fuerit, vt alii sciant, nulla ei debetur restitutio. 2709. d

Contumelia vni facta quando quasi redundat in personas illi coniunctas affinitate aut amicitia, nulla consurgit obligatio quidquam restituendi personis ita coniunctis pro infamia. 2711. a

Conuentio.

Conuentio pro pœna incursa non est illicita ex natura rei, ante latam sententiam. Et, licèt sit fieri prohibita, nulla oritur obligatio restituendi ei, qui illam incurrit. 1625. d

ex transgressionibus legis, Conuentione permissis, damnum aliquod sequitur communitati, aut priuato, ad quem ea res spectat, circa quam facta est transgressio, tenerentur, tam qui illud dedit quàm conductor pœnarum, restituere illud ei, cui est datum. 1625. d

Conuitium.

Conuitium quid sit. 2567. e

Conuitium dicens alicui, aut aliquid quod famæ illius præiudicet, ex eo quod addat, saluo honore qui ei debetur, non ideo impeditur aduersus eũ actio iniuriarum, neque excusatur à pœna. 2666. d

Cooperari ad mortem iustam.

quicunque Cooperatur ad causam iustam sanguinis, siue ad sententiam aut capturam damnandi, siue ad executionem sententiæ, subsecuta morte ea via iustè puniti, irregularitatem incurrit. 2206. d

Cornua.

Cornua foribus alicuius coniugati affixa ad crimen libelli famosi pertinent. 2636 a

Corporis damna.

ad damna Corporis non datur actio iure ciuili, vt præcisè sunt damna corporis, præter actionem iniuriarum. 1975. a

Corporalis iniuria quando alicui esset facta, cogẽdo illum ministerium pretio æstimabile præstare, tũc talem iniuriã inferens, vltra damna in rebus externis inde secuta, teneretur illi restituere valorẽ ministerii, quod iniustè fecit illũ præstare. 2295. c

ob damnum Corporis irreparabile iniustè datum, vt debilitationem membri, ita vt aliquis eo non posset vti vt antea, restituere tenetur qui illud dedit, quantum arbitrio prudentis æstimabitur id damnum. 2296. c

Corporale damnum iniustè datum quando irreparabile non esset, sed sanaretur, perinde ac si datum non fuisset, tunc ex eo nulla oritur obligatio restituendi. 2298. 4

Correctores locorum.

Correctores in Hispania quomodo instituti. 2806. a

Correctores in Hispania sibi eligere possunt vicarios, quos Alcaldes maiores, *tum etiam* Tenientes de Corregidores *vocant. 2808. a. cessante iurisdictione Correctorum, cessat etiam iurisdictio vicariorum: aliquando tamen interim dum Rex certior fit, rata sunt ea omnia, quæ statuit vicarius. 2809. c*

in Hispania Correctores locorum & alii iudices ordinarii iudicant de omnibus causis criminalibus meri imperii in secundo & sequentibus gradibus; ab iis appellatur ad regia prætoria. 2758. a

Correctio iudicialis.

Correctio iudicialis respicit peccatum proximi, quatenus in damnum alterius ac boni communis. 2733. d

Correctio fraterna.

Correctio fraterna quid sit, & ad quarum virtutum actum spectet. 2737. b

Creaturæ.

Creaturæ irrationabiles tribus modis in maledictione spectari possunt. 2574. b. vt creaturarum maledictio sæpe in pœnam hominis redundet, præsertim si fiat per modum imperii, licitè tunc fit ab eo, qui talem pœnam iustè imponere potest. Ibid. c. Creaturæ irrationabiles maledici etiam possunt ad aliquid significandum, idq; per modum imperii, ac tunc, si is qui ita maledicit, ius habet ad destruendũ illam creaturam, licitè fit. 2575. a. Maledicuntur etiam per modum optantis, nec semper ex animo, sed solum exprimendo, idq; nonnunquam per hyperbolem. Ibid. c

Creditor.

Creditor vtens pignore, & depositarius re deposita, inuito domino ad alium vsum, committit furtum. 1128. e

Creditor vi aliquid vsurpans à debitore, tanquam sibi debitum aut in securitatem aut in recompensationem sui debiti, quæ pœnas incurrat. 1133. e

Creditore vi aliquid à debitore vsurpante, quantum pœnæ illius in Hispania extendantur. 1134. c

infecti damni ob non præstitam cautionem à Creditore ex re, quam in pignus habebat, si quis missus sit in possessionem ex secundo decreto, præfertur ei creditori, qui eo ipso amittit ius, quod in ea re habebat: quando autem creditor illam habebat hypothecatam, neque ab illo petita fuit cautio, sed à domino rei præfertur creditor, quo ad hypothecariam actionem, modo soluat expensas in ea re factas à missо in possessionem illius ex secundo decreto. 1254. d. e.

solutio facta à debitore Creditori sui creditoris, tunc in foro exteriori liberat debitorem comparatione sui creditoris, quando pro eodem debito ipse etiam debitor obligatus erat creditori sui creditoris. 1633. b

Creditoris condonatio liberat ab onere restituendi, modò condonare id possit, & condonatio sit libera,

& quot modis libera non censeatur. 1680.e
Creditoribus interfecti. si aliquando eueniat, vt propter eam iniustam mortem illi aliquid non recuperent eorum, quæ interfectus ipsis debebat, tenetur homicida ea damna restituere. 2268. c

Credulitas.

Credulitas & opinio est duplex, temeraria & rationabilis. 2540.e
Credulitas quomodo ab opinione distinguatur. 2540. a

Crimen.

Crimen occultandi aut recipiendi mancipium alienum est simul crimen Plagii. 1149. d
quando de Crimine aliquo agitur criminaliter, mortuo accusatore exspirat actio: si tamen crimen publicum sit, est integrum aliis accusare de illo de nouo, & præponuntur hæredes offensi, iiq; ad quos suorum iniuriam prosequi spectat. 2012. d
Crimina alia sunt publica, alia priuata. 2016. a
quæ sint Crimina publica & quæ priuata. 2017. a
quamuis accusatio de Crimine priuato spectet ad offensum, & non ad quemuis de populo, tamen deficiente legitimo accusatore, iudex ex suo officio, non solum in delictis publicis, sed etiam in priuatis, potest inquirere de delictis, quæ ad aures eius deuenerint. 2019. a
licet quilibet admittatur ad accusandū in Crimine publico, excipitur tamen, nisi sit persona accusare prohibita. 2021. b
Crimen capitale quid sit. 2038. d
Culpa lethalis non est, quando, post datum totum notabile aliquod damnum, vt post transitum exercitus per vineam alicuius, aliquis racemum de eadem vinea acciperet. 1177.

Custos gregis.

Custos armentorum tenetur soluere damnum, si animalia absque domini culpa damnum dederint de industria custodis. 1271. c. In defectum vero custodis, dominus animalium solum tenetur soluere damnum, vel tradere pro illo animalia noxa. Ad idem tenetur, si culpa leui custodis sit datum. Si verò nulla aut sanè leuissima pastoris culpa sit datum, custos ad nihil tenetur, dominus verò ad alterū duorū, quæ dicta sunt, tenetur. 1272. b. c. d. e
Custodes qui inuigilant circa aliquid iniustum, peccant, id, cuius habent curam, exequendo, & tenentur restituere damna ea vigilia aliis subsecuta, nisi inuincibili ignorantia, aut parendo in dubio, quod expellere possint superioribus: neque eos obligat iuramentum de ea re exequenda. 1613. c
Custodes, si id, cuius curam habent demandatam, illicitum non sit, & iurarunt certam formā circa id se seruaturos, peccatum periurii lethale incurrunt, nisi absque dubio intelligant, qui eos iuramento illo astrinxerunt, non intendisse in eo euentu eos obligare. 1614 a
Custodes, si dissimulatione aut negligentia ipsorum damna dentur circa ea, quorum curam habent, vt quia non soluuntur tributa debita, aut alia ratione, restituere illa tenetur illis, quibus subsecuta sunt, in defectum solum eorum, qui illa dederunt. 1615. c
Custodes si solum ea permittant, ex quibus nullum damnum sequitur, nec debetur aliquod tributū, sed solēm ea facientes subiacent pœnæ; tunc, qui hæc efficiunt, ad nullam restitutionem tenentur, neque tenentur soluere pœnam, quam incurrerūt, nisi post latam sententiam. 1616. a

Custodes finium.

Custodes publici, quando restituere non teneantur, quod acceperunt, vt aliquid fieri permitterent contra munus suum, illo iam opere impleto, & quando restituere teneantur. 1620. b
Custodes qui in confinibus regnorum donationes à transeuntibus extorquent, ne eos vexent, restituere illas eis tenentur. 1620. d
Custodes siluarum & aliis similes licitè posunt se abscondere, vt transgressores capiant leges transgredientes, neq; regulariter tenentur restituere dominis siluarum damna, quæ transgressores interim dant. 1621. a
Custodes si prohibiti sint facere conuentionem circa pœnam incursam, ante latam sententiam, peccant illam faciendo: si simul alios priuent emolumento, quod inde habere debebant, quousque restituere teneantur. 1623. a
Custodes siluarum cæduarum, qui conductas habēt pœnas, ob delicta circa eas commissa, restituere tenentur pretium, quod acceperunt, vt impunè possent cædere ligna, aut aliud prohibitum facere, pro quo pœna est statuta. 1625. b

D

Damnatus.

Damnatus à iudice competēte de crimine publico infamiam iuris incurrit, non verò damnatus à iudice incompetente. 2508. b
si aliquis de crimine aliquo Damnatur, ob quod lata sententia infamia incurritur, infamiam incurrit, quando, patefacto delicto via inquisitionis, aduersus reum intentata fuisset accusatio. 2510. d
de calumnia Damnatus, eo ipso infamiam incurrit. 2511. b
Damnatus, quòd prænuncator fuerit, eo ipso incurrit infamiam. 2512. d
Damnatus de rapina bonorum, de crimine publico est damnatus. 2513. c
Damnatus de furto, rapinis, iniuriis, infamiam incurrit. 2513. b
Damnatus iniustè de furto, vel de alio crimine, ob quod dicitur incurri infamiam, infamis est, si sententia non reuocetur. 2514. a
Damnatus de aliquo crimine, ex quo lata sententia infamia incurritur, vt eam infamiam incurrat, necesse est, vt damnetur propter factum propriū. 2518. d
qui Damnatur actione pro socio, vt aliquid socio soluat ratione doli præsumpti, incurrit infamiam. 2519. a
Damnatus quòd libello famoso se aliqua ratione immiscuerit, facere non potest testamentum, & si faciat, est ipso iure nullum. 2680. b

Damnum.

Damnum infectum quid sit. 1327. c. & plura in Infecti damni.
infecti Damni cautio vni præstita, quo ad vnā suam domum ruinosæ vicinam, nō se extendit ad aliam, si illam de nouo acquirat prope eandem domum ruinosam. 1339. b
Damnum in rebus externis indebitè, hoc est culpa saltem iuridica, datum, ex qua illud dans teneatur, quid. 1258. a
Damnum in rebus externis oritur interdum à damno dato in corpore, honore, aut fama. 1258. b. Interdum oritur a furto & rapina. Ibid. d
Damnum ex bello, vide Bellum.
Damnum in rebus externis qui iniustè dat, æstimationem illius, & lucrum vlterius cessans, ac damnum emergens, restituere tenetur. 1562. e
Damnum datum in bonis externis, ob rem effusam aut eiectam domo, caput domus soluit duplum ex quasi delicto. 1480. e

Damna secuta ex aduſtione, permixtione vino, tritico, etiam ſeminato, aut alteri rei, lege Aquilia reſarciuntur. 1274. e

Damna ex eo ſecuta, quòd quis animalia aliena fugauit, aut ita minatus eſt, vt detrimentum acciperent, aut ipſa inferrent, lege Aquilia reſarciendum eſt. 1275. e

Damnum ex crimine falſi iniuſtè datum in foro ciuili & conſcientiæ reſtituendum eſt. 1302. d

Damnum ſecutum dando operam rei illicitæ, ex qua natũ non erat ſequi, neq; in conſcientiæ neq; in exteriori foro obligatio eſt illud reſtituere. 1576. b

Damnum ſi ex re eiecta datũ eſt in corpore hominis liberi, morſq; eſt ſecuta illius, quantum caput domus aut qui eiecerit ſoluere teneatur, ratione eius mortis, & cui ſit ſoluendum: ſi verò mors non ſequatur, quid ſit ſoluendum. 1482. e

Damnum ex re eiecta ſi datum ſit, quanto tempore competat actio aduerſus caput domus, aut aduerſus eum qui illud dedit, tum quando damnum datum eſt in corpore, tum etiam quando datum eſt in aliis rebus, & num actio ad hæredes & aduerſus hæredes tranſeat. 1483. b

Damnum ſi ſequatur ex re appenſa aut appoſita, ita vt decidere poſſet, ad illud tenentur caput domus, aut qui in culpa eius damni fuerunt, ac ſi ex re eiecta eſſet ſecutum. 1483. e

Damnum datum in domo vicina ei, quæ exuritur, ne incendium excreſcat, nõ tenetur reſarcire is, in cuius commodum id cedit. 1259. c

Item id quod vi tempeſtatis eodem modo accidit. Ibid. e

Damnum quodcunque aliud datum mancipio, aut pecudi, & vnuerſim quodcunq; aliud damnũ quibuſcunque aliis rebus culpa datum reſarcitur lege Aquilia in maiori valore, quem ea res habuit triginta diebus vſq; ad punctũ talis dãni dati. 1276. d

Damnum datum ſi quis coram iudice neget, & conuincatur poſtea teſtibus, cogitur & damnum & pœnam legis Aquiliæ ſoluere duplum: ſecus ſi ſua confeſſione, etiam iuramento ei adhibito, conſtet. Minor in integrum reſtituitur, vt non ſoluat duplum. 1279. b

Damnum datum ſi ſit multis concurrentibus, nec cõſtet quiſnam ſit occaſio præcipua, qualiter ciuiliter competat actio legis Aquiliæ aduerſus omnes aut ſingulos. 1279. e

Damnum ſi ita datum eſt, quòd illud dans peccaret contra iuſtitiam, niſi firmum haberet propoſitum, quod in euentu ſi ſequeretur, reſtitueret, reſtituere illud tenetur in conſcientiæ foro nulla exſpectata ſententia, is qui dedit. ſi euenit: tranſitq; ea obligatio ad ipſius hæredes. 1288. a

Damnum iniuſtè dans, vltra æſtimationem damni, & lucri aliunde ceſſantis, aut damni emergentis, non tenetur reſtituere fructus, qui ex ea re fuiſſent alioquin percipiendi. 1564. e

Damna lucri ceſſantis, aut iacturæ in bonis externis, ſi quæ ſecuta fuerint ex infamia iniuſtè defuncto dum viueret illata, debentur hæredibus defuncti. 2701. d

Damnum ſi immineat domino prædii ex ædificio ab aliquo in eo ratione ſeruitutis debitæ facto, qui id ædificium fecit, cauere ſolum debet, non fideiuſſores præſtare. 1332. e

Damni imminentis domui alicui qui cauet, tenetur cauere de damno ſecuto rebus mobilibus, aut ſe mouentibus in ea repertis, modò ad certos quoſdam pertineant. 1344. e

pro Damno vitæ cõſurgit obligatio reſtituendi, vt in damno honoris & famæ. 1274. b

quando Damna quæ ex adulterio & ex filio ex eo concepto aliis ſequuntur, prudentis arbitrio ſunt maiora quam fama, quam amitteret adultera detegendo ſuum crimen, teneretur adultera illud manifeſtare, quando alia via damna reſarciri nõ poſſent. 2408. b. ſed quando infamia adulteræ, quæ ex reuelatione adulterii ſequeretur, præponderaret damnis, quæ aliis ex adulterio iniuſtè ſequerentur, non teneretur adultera reuelare crimen ſuum. 2409. e

Damni dati non in recõpenſationem, quod iure humano eiuſmodi omnes ſoluere interdum præcipiuntur, non tenentur illud ſoluere ante latam ſententiam. 1477. e

Damni dati in compenſationem ſoluere non tenentur ante latam ſententiam. 1498. b

Damnum ſi timetur ex opere facto in flumine publico aut in ripa publica, cautio in decennium præſtari debet, alioquin arbitrio iudicis. 1331. c

Damnũ ſi timeatur ex ædificio priuato facto in loco publico, cauendũ eſt tantũ de ædificio, non de ſolo, licèt ex ſolo damnum etiam immineat. 1331. e

Damnum timens, poſtulat decretum iudicis, vt de damno caueatur, aut relinquatur res, vnde timetur, ei, qui illud timet. Id decretum denuntiatur domino rei, vnde timetur. 1346. e

Damnum timens mitti iuſſus in poſſeſſionem ex primo decreto, ſi negligens non fuerit, & corruit id vnde damnum timebatur, mittitur in poſſeſſionem ſoli & remanentium, dum non ſoluitur damnum acceptum, & expenſæ, & non cauetur de damno, ſi quod ſequatur. 1347. d

Damnum timens quando mittitur ex primo decreto in poſſeſſionem rei, vnde id timet, etiam in ſoli poſſeſſionem mitti debet, eſtò ea res ſuperficiaria ſit. 1348. b

In damna data abſque culpa iuridica non competit actio legis Aquiliæ. 1258. d

Damnum ex eo quòd culpabili omiſſione detur, non indiget maiori culpa, vt pro illo competat actio legis Aquiliæ, quã ſi facto culpabili daretur. 1261. d

Damna ſecuta culpa Iudicum, collectorum tributorũ, & aliorum miniſtrorũ publicorum circa pignora & alia, reſarcire illa tenentur lege Aquilia. 1271. a

Damnum culpa datum eſt reſarciendum lege Aquilia, & in foro conſcientiæ, etiam quod inde vlteriùs euenit. 1278. d

Damnum dari poteſt culpa theologica lethali, interueniẽte ſola culpa leui aut leuiſſima iuridica. Fieri item poteſt, vt interueniat culpa iuridica lata cum proximi notabili detrimento, abſque culpa theologica lethali. 1288. e

Damnum datum culpa iuridica, abſque culpa theologica, idq; quod lex Aquilia inſuper ſolui ſtatuit, non in pœnam eſt ſtatutum, neque ſtatui potuit, ſed in commune reip. bonum. 1289. b

Damnum datum culpa iuridica, non theologica, nõ ſolum quo ad incrementum lege Aquilia ſtatutum, ſed etiam quo ad damnum ipſum non eſt obligatio reſtituendi in foro conſcientiæ ante latam ſententiam in foro exteriori. 1290. a

Damnum datum abſque culpa eius, qui iure humano illud præcipitur ſoluere, neque in conſcientiæ neque in exteriori foro tenentur illud ſoluere in aliis euentibus, quam in expreſſis à iure, & quatenus à iure comperitur expreſſum. 1497. a

Dam-

Damnum iniustè datum culpa theologica veniali restituendum est in foro conscientiæ, nulla exspectata sententia. 1290. e

Damnum datum ab alio, siue sine culpa, siue interueniente illius culpa, etiam theologica, alter restituere in foro conscientiæ non tenetur ex natura ipsa rei secluſa dispositione iuris humani. 1495. e

quando culpa theologica defuncti Damnum iniustè datum est, neque defunctus illud compensauit, hæredes illius tenentur id ei restituere, qui tale damnum est passus; & eo defuncto, hæredibus eius. Atque licèt lis ea de re contestata non fuerit cum defuncto, de iure canonico conceditur actio tam damnum id passo, quam hæredibus eius, aduersus hæredes eius, qui damnum intulit. 2000. d

Damnum maius requiritur ad lethalem culpam multorum, quorum quilibet accepit modicum quid, quam requiratur ad lethalem culpam vnius solum, qui dedisset totam latitudinem damni. 1177. d

Damnum ab infante aut stulto illatum resarciendum non est. 1260. a

Damnum si probetur fuisse culpabiliter ab aliquo datum statur, quo ad æstimationem eius, iuramento eius cui datum est, accedente iudicis arbitrio ac moderatione. 1276. e

Damnum dedisse si quis sit confessus, & postea probet nullum tale damnum fuisse datum, absoluitur. Si verò id damnum fuerit datum, estò probet se illud non dedisse, non absoluitur, nisi probet quis illud dederit. 1279. d

Damnum ex re aliqua si quis sibi caueri petat ab eo, quem credit illius dominum, si alius dicat, se esse dominum, tunc qui caueri petit, eligere debet, quem eorum maluerit, vt is solus caueat, sed sine fideiussoribus. 1332. c

Damnum, ex quo quis tenetur contractu, iurisve dispositione, estò nulla interueniat culpa theologica, restituendum est in foro conscientiæ, nulla exspectata sententia. 1291. b

Damnum si inquilino immineat ex domo conducta, aut ex alia locatoris, licèt cautionem de damno infecto petere non possit, quo iure & quando agere possit aduersus locatorem. Et alia ad id spectantia. 1343. b

Damnum secutum, de quo fuit cautum, quàm moderatè æstimandum vt soluatur. 1345. e

Damni si vnus caueat & alter non duorum, qui dominium eiusdem rei habet, is, cui non cauetur, mitti in possessionem debet partis eius dumtaxat, qui non cauet. 1348. e

Damnum quando est periculum ne ex vno crimine vlterius alteri sequatur, tunc qui committit id crimen, peccat simul exponendo se ea via periculo dandi id aliud damnum; & quousque ea circũstantia sit in confessionibus exprimenda. 1575. c

Damnum iniustè quando fuit datum, si lis ante mortem illius non fuit cum delinquente contestata, competit quidem tam ei qui damnum est passus, quam hæredibus illius actio, aduersus eum qui illud dedit, non tamen transit actio illa in hæredes damnum dantis, nisi hæredes ex eo delicto sint facti locupletiores. 1998. e

Daniel Propheta.

Danieli Prophetæ apparuit Gabriel Angelus, & eum instruxit de aduentu Messiæ, & redemptione generis humani à captiuitate diabolica. 3128. d

Dauid Rex.

Dauid & Saul fuerunt Reges à Deo statuti. 3256. a

Dauid legem statuit, vt æquæ pars spoliorum esset & eorum, qui ad bellum descenderant, & eorum qui ad sarcinas remanserant. 3262. d

Debitor.

Debitor vi eripiens pignus de manu creditoris, dominium illius amittit, in panam, creditori. 1133. d

Vide plura in Creditor.

Debitori quando competit actio aduersus furem, & quando competat creditori. 1245. c

Debitor qui lucrando in sæculo saltem suo labore satisfacere debitis potest, ingredi non potest religionem, neq; in ea potest recipi, nisi restituerit. 1683. b

Debitor si religiosus sit, non solutis debitis, tenetur, si qua via aliquid intra monasterium lucrari possit, illa soluere, neque impediri quoad id à prælato potest. 1684. c

Debitor qui sine iudicis autoritate domum moribundi intrat, & ibi, intuitu quòd infirmus ei aliquid debeat, bona aliqua occupat vel obsignat, eo ipso amittit debitum, & insuper soluit tantũdem, ac sibi deberi dicebat, & redditur infamis. 2674. d

Debitum coniugale.

vnus coniugum non ita amittit per adulterium ius petendi Debitum ab innocente, quasi non posset licitè vti actu coniugali cum eo, siue is coniux innocens id adulterium sciat, siue non. 2341. b

Coniux qui alteri coniugi Debitum negat, licèt iniuriã illi faciat ac lethaliter peccet, ad nullã tamẽ restitutionem tenetur. 2466. c.

Decalogus.

mandata Decalogi seruare ad vitam æternam sufficit, & in præceptis decalogi nullum est præceptum de seruando secreto. 2488. e

ex moralibus veteris legis præceptis tradidit Deus Decalogi præcepta, eaq; postea scripsit in duabus tabulis lapideis, quas ipse dolauerat. 3135. e

non omnes conueniunt in distinctione præceptorum Decalogi. 3137. c

præceptum de sabbathi obseruatione à Decalogi præceptis excludunt quidam. Ibid. d. sed immeritò. Ibid. e & seqq.

Decalogi præcepta inter se variè distinguuntur. 3138. c, d, & seqq.

Decalogi præceptorum numerus & ordo conueniens valde est & naturalis. 3139. e

diuersimodè autores sentiunt de distinctione præceptorum Decalogi in ipsis tabulis. 3140. e

in præceptis Decalogi continentur prima principia moralia, ex quibus deducuntur, tanquam principia in conclusionibus ex ipsis deductis. 3141. c

ad præcepta Decalogi reuocantur duo præcepta de caritate. Ibid.

ad primum præceptum Decalogi reducuntur ea, quæ in cultum tendunt idolorum aut dæmonis. Ibid. e

ad singula Decalogi præcepta reducuntur alia per modum eiusdem additionis. Ibid.

in præceptis Decalogi secundum aliquos locum habet dispensatio, diuina saltem potentia, idq; probatur. 3143. e

præcepta omnia Decalogi nec diuina quidem potentia dispensari possunt præter tertium, ea ex parte qua cæremoniale ac de iure positiuo est. 3153. d. & refelluntur argumenta & sententiæ contrariæ. 3154. b. Vide Deus & Dispensare.

Decalogi præcepta ad caritatem Dei ac proximi tanquam ad finem ordinantur. 3164. b.

Decimæ.

absolui qui Decimam non soluit, quando possit, & quando non possit. 1679. d

Decimas soluere ministris ecclesiæ Christianæ, iuris est humani in ecclesia, & simul iuris diuini in lege

lege veteri. 3199. b

Decurio.

Decuriones qui olim in vrbibus, & qui Regidores *in Hiſpania. 2527. d*

Defendere malefactores.

Defendere malefactores in iudicio quouſque ad pœnam liceat. 1588. d

Defendens aſſaſſinos incurrit excommunicationem, & priuationem beneficii, ſi quod habet. 1821. b

Defendere in bonam partem.

ſub reatu culpæ lethalis tenetur quis vitam & bona proximi in neceſſitate conſtituti Defendere, ſi abſque ſuo damno poteſt. 1779. e

ſi proximus aliter Defendi nequit ab iniuria, damno, periculóve, quæ illi parãtur, quam inuaſorem vel malefactorem denuntiando vel interficiendo, quid agendum. 1780. b, & 1781. c, d, & 1782. b, c, d.

in Defenſionem vitæ propriæ occidere licet iniuſtum aggreſſorem cum moderamine inculpatæ tutelæ. 1754. e

quando aliquis in ſui Defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ percutit inuaſorem eccleſiaſticum gaudentem priuilegio canonis, vel alio mõdo manus violentas in illum licitè injiciat, excommunicationem non incurrit. 2130. b

Defraudare.

ſi incertum eſſet ad quem attineret, quia aliquis in aliquo loco multos Defraudauit in pondere aut menſura, ignoraretq; ementes in particulari, & quantum vnumquemq; ita defraudauerit, tunc ſi coniectura ſit, plus minus perſeuerare eoſdem ementes, tunc optimus reſtituendi modus eſt, ſi tantundem addat menſuræ aut pondere, aut tantum de pretio minuat, quantum defraudauit prius. 1638. d. Vide Menſura, Pondus.

Defunctus.

Defunctus an poſſit ob quæcunque debita illius impediri ſepeliri, & quando hæredes aut vxor defuncti ob illa poſſint conueniri. 1705. c

Defunctus ſi legitimos deſcendentes aut aſcendentes relinqueret, ad illos vtique attineret accuſare vel remittere iniuriam defuncti. 2029. a

ſi Defunctus neque vxorem, neque aſcendentes, neque deſcendentes relinqueret, ſi hæredem aliquem extraneum inſtitueret, ille repræſentans perſonam defuncti præferetur in accuſando conſanguineis defuncti, atque etiam in remittendo. 2030. e

Defunctum de occulto peccato infamans, ſi notabilis ſit infamia, pertingere poſſet in culpam lethalem, non ſolum quãdo ea infamia redundaret in alias perſonas illi propinquas, ſed etiam ſi nihil omnino in alios redũdaret. 2600. a. Vide plura in Cadauer.

furantes veſtes, cum quibus Defuncti humati ſunt, ſi armati id faciant, morte plectuntur, ſin minus, vſque ad pœnam metalli damnantur. 2675. c. corpora aut oſſa defunctorum violantes, ſi humiliores ſunt, morte plectuntur: ſi honeſtiores, in perpetuum vel deportantur, vel in metallo damnantur. 2675. d

Defuncto ſi quæ alia iniuria fiat, ita vt ad infamiam illius pertineat, ad illius hæredes ſpectat nomine proprio intentare iniuriarũ actionem. 2677. b. ſi corpus defuncti ratione debiti à creditore ſepeliri impediatur, is creditor puniebatur pœna quinquaginta librarum auri, aut ſi ſoluendo non eſſet, in corpore pœna arbitraria iudicis. 2677. d

Degradatio & degradari.

Degradatio & depoſitio ab Epiſcopatu ſi fiebat, neceſſe erat vt ad cauſæ examen interuenirent duodecim Epiſcopi præter metropolitanum: ad deponendum preſbyterum, ſex Epiſcopi præter proprium aderant: ad deponendum diaconum, tres præter proprium Epiſcopi: ad clericum verò ſufficit propriius Epiſcopus: ſed hodie poteſt vnus Epiſcopus degradare ſacerdotem & reliquos. 2093. b

Degradari Eccleſiaſticus non debet pro crimine hæreſeos, ſi relapſus non fuerit, nec fuerit dogmatiſta. 2095. b

Degradantur Eccleſiaſtici actualiter in foro eccleſiaſtico ob grauiſſima quædam crimina, ſed vt amittant forum proprium, cenſeanturq; traditi foro ſæculari, fieri debet hæc degradatio coram iudice ſæculari. 2094. c

clericus ſi deprehenditur falſaſſe litteras Apoſtolicas, & de eo ſit conuictus, Degradari debet coràm iudice ſæculari, & eius foro puniendus relinqui. 2095. c

Degradari eccleſiaſtici poſſunt, & tradi foro ſæculari pro criminibus atrocibus & qualificatis. 2096. b

Degradatus realiter eccleſiaſticus ob ſua delicta, & verbaliter degradatus, poteſt in priſtinum gradum reſtitui à Pontifice, non verò à iudice degradante. 2098. b

Degradatus realiter amittit priuilegia õnia. 2129. b

Delegata poteſtas.

Delegata poteſtas quid ſit. 2811. d

Delegatio vt valida ſit, neceſſe eſt vt cauſa delegãbilis ab eo ſit, qui illam delegat. 2819. e

Delegatus.

Delegati iuriſdictio morte eam concedentis, aut aliter in eo iuriſdictione exſpirante, re integra in delegato exſpirat, niſi quo ad aliquam gratiam factam deputati ſint iudices aliqui executores illius. 2829. b

Delegatus formam ſibi præſcriptam excedere non debet, alioquin irritum erit, quòd contra mandatum ſibi datum fecerit. 2864. c

Delegati poteſtas exſpirat eo ipſo, quòd ſententiam definitiuam à ſe latam plenè per ſe vel per alium executioni mandauit. 2877. b

Delegatus à ſummo Pontifice.

Delegatus à ſummo Pontifice, vt aliquid inquirat, vel vt eccleſiam de prælato prouideat, ſubdelegare non poteſt. 2815. a

Delegatus ſummi Pontificis cogere quemcunq; poteſt, vt ſuſcipiat munus ſubdelegati. 2818. a

quando aliquis Delegatus eſt à ſummo Pontifice, ſi antequam recuſetur ſubdeleget cauſam in totum, valida eſt talis ſubdelegatio, neque ſubdelegatus poteſt recuſari, niſi ſit ſuſpectus. 2849. b. Vide Subdelegare.

Delegatus ſummi Pontificis eſſe non poteſt, niſi conſtitutus in dignitate vel perſonatu, vel canonicus Eccleſiæ cathedralis. 2866. a

Delegati à Sede Apoſtolica nullum præcipere poſſũt vocari ad ferendũ teſtimonium circa cauſam ipſam delegatã, niſi quãdo cauſa id exegerit. 2869. c

Delegatus ſummi Pontificis maior eſt in cauſa ſibi à ſummo Pontifice delegata omnibus aliis, & quæ ſit eius poteſtas. 2871. a. Poteſt tum per ordinarium loci, etiam ad id illũ compellendo, tum etiam per ſe ipſum mandare exequutioni ſententiam à ſe latam. 2872. e. poteſt ad exequutionem ſuæ ſententiæ inuocare auxilium brachii ſecularis. 2873. c

licèt Delegatus ſummi Pontificis circa cauſam aliquam, quando ſummus Pontifex nõ reliquit ordinario integrã ſuam iuriſdictionẽ, quo ad vſum

circa

virca eandem causam, sed eam causam tali delegatione censetur ad se auocare, sit superior ordinario. 2898. c

Delegatus à Principe sæculari vel alia potestate.

quando aliquis à principe esset Delegatus, vt per suam personam aliquid exequeretur, tunc subdelegare non posset. 2814. e

à Principe frequenter Delegantur causæ meri imperii capitales. 2821. d

Delegatus cuiusque principis potest per se etiam executioni mandare sententiam a se latam. 2873. c

Delegatus ab inferiore à Principe potest exequi sententiam de iure canonico a se latam, non solum quando id ei fuit à delegante expresse commissum, sed etiam quod causa fuit ei commissa, nisi delegans sibi sententiæ executionem reseruauerit. 2875. a. sed in iure ciuili non potest exsequi sententiam a se latam, sed executio ad iudicem ordinarium delegantem spectat. 2876. a

Delegatus ab alio ordinario, si delegatus sit ad vniuersitatem aliquam causarũ, licet subdelegare non possit vniuersitatem causarum, potest tamen subdelegare hanc vel illam causam. 2815. e

quando aliquis lege constituitur Delegatus, tunc quamdiu illa lex perseuerat, durat quoque iurisdictio ea lege concessa. 2828. b

si tres Delegati essent ad eandem causam à Principe, & duo subdelegarent duos alios in parte, qui cum tertio collega immediato à Principe procederent, tunc non est appellandum ad duos subdelegantes, sed ad Principem delegantem. 2855. e

qui Delegare possint, & quæ Delegari.

iudices ordinarii Delegare possunt: at delegatus subdelegare non potest, nisi delegatus alicuius supremæ potestatis. 2814. c

ordinarius in quibus euentibus potest Delegare, cogere potest sibi subditum, vt delegatus ipsius sit; at non eum qui sibi non est subditus. 2817. c

vt aliquis causam aliquam alteri valide Delegare possit, necesse est, vt causa sit talis, de quâ delegans ipse cognoscere possit, alioquin delegatio esset nulla. 2818. c

si Delegatus totam causam delegauit cum hac limitatione, vt subdelegatus, antequam sententiam ferat, teneatur ipsum vel alium consulere, tunc re nõ integra exspirat iurisdictio in subdelegante. 2834. e.

quando Delegatus ab ordinario esse cæperit æqualis aut maioris potestatis in eodẽ tribunali cum delegante, tunc exspirat delegatio in tali delegato. 2835. d

quando Delegatus non integre subdelegauit, sed reseruando sibi partem iurisdictionis, & appelletur à subdelegato, appellandum erit ad subdelegantem, si adhuc viuat, nec impeditus sit, & non ad primum delegantem. 2836. c

Delegatus si procedat ex Principis commissione appellatione posita, & nihilominus pars a sententia aduersus ipsam latam appellet, à Principeq; obtineat, vt iudices alii de appellatione cognoscant, tunc si secunda commissio sit ex certa scientia, is princeps eo ipso censetur admittere eam appellationem. 2838. e

multi ad aliquid Delegantur aliquando absque alia declaratione: si tunc aliquis eorum moriatur re adhuc integra, tota delegatio eo ipso exspirat, possunt etiam singuli subdelegare. 2854. e

multi etiam iudices Delegari possunt ad aliquam causam, sed cum clausula, vt si omnes inter se nequiuerint, saltem duo de ea cognoscant: tunc si vnus interesse non possit, sed velit subdelegare, non tenetur alter committere subdelegatum. sed potest solus ad cognitionem causæ procedere: vel si vnus ex tribus tunc recusetur, & alter moriatur, tunc nisi defunctus subdelegasset vices suas tertio remanenti minimè impedito, non posset valide procedere in causa, sed recurrendum tunc esset ad primum delegantem. 2857. a, b, & seqq.

multi etiam possunt Delegari ad aliquid cum clausula, vt vnus aut multi vel vnus eorum id exsequatur: atque tunc quilibet eorum solus poterit id exequi. 2858. d

cùm aliqua causa à summo Pontifice est alicui in particulari Delegata, tunc legati non possunt eam causam ad se vocare, nisi habeant speciale ad id mandatum a Pontifice. 2775. c

Delegatur etiam rectè causa, vt audiatur in loco, in quo delegans ipse poterat eam audire, estò dum eam delegat, sit extra locum suæ iurisdictionis. 2818. e

ea quæ ad merum ac mixtum imperium pertinent, nec iudicibus ciuitatum competebant, sed solis præsidibus prouinciarum, Delegari non possunt, sed solum ea quæ iudicibus ordinariis ciuitatum competebant. 2820. b.

causæ meri ac mixti imperii, quæ ordinariis infra summum Pontificem competunt, possunt Delegari. 2822. a

quando lege aut priuilegio conceditur, vt habens tale munus possit nudum aliquod ministerium exercere, ita quòd id priuilegium sit illi muneri adiunctum, eo ipso poterit id Delegare, nisi in concessione, ne id deleget, expressum sit. Ibid. e

quando conceditur exercere ministerium aliquod, non annectendo id muneri alicui, quasi id munus sequatur, tunc is, cui id conceditur, non potest Delegare vsum eius ministerii alicui alteri. 2824. e

quando res Delegata dicatur esse non integra ad effectum, vt perpetuata sit iurisdictio in delegato. neque esse in eo desinat, estò esse desinat in delegante, & alia dubia circa id ipsum. 2826. e

si quis Delegauit medium causæ, tunc in primis neutra partium recusare potest eum subdelegatum, nisi iusta de causa: si de consensu partium is subdelegatus sit datus, appellari ex illo non potest. 2838. a

causa quando Delegatur termino temporis præscripto intra quod decidatur, tunc eo termino transacto, estò indecisa adhuc sit, exspirat eius delegati iurisdictio. 2878. b. si causa ita commissa sit, & malitia partis alterius litigantium impeditus delegatus fuerit, tunc punire eum debet, qui eo modo malitiose deliquit, & causam alteri committere, qui illam intra fixum terminum finiat. 2878. e

Delicta.

Delicta atrocia non sunt omnia æqualia, neq; idem genus pœnæ etiam mortis pro omnibus est statutum. sed quædam sunt longè grauiora quàm alia, tum ex obiecto, tum ex circumstantiis. 1809. e

quando pro singulis Delictis specie distinctis pœnæ sunt statutæ vel certæ vel arbitrariæ, tunc siue delicta eiusmodi distincta ex interuallo committantur, siue etiam simul vnico actu, incurruntur pœnæ distincta pro illis statutæ, & delinquens omnibus

bus eis est puniendus. 1977. a
quando multa Delicta, pro quibus pœna est statuta, aut est imponenda, si singula fiant seorsim, aut quædam eorum ex interuallo vnum post aliud, tunc si ad vnum finem ex intentione illa exercētis aut ex se ordinentur, nec fiant ex interuallo, sed vno impetu, vtique non sunt puniendæ distinctis pœnis, tanquam delicta distincta, sed vnica finis secuti. 1977. e
quando multa Delicta, etiam eiusdem speciei, committuntur ex interuallo vnum post aliud, ita vt vere in genere mortis sint distincta numero, puniuntur distinctis pœnis. 1982. d.
communiter Delicta plura eiusdem speciei commissa ex interuallo vnum post aliud puniantur, quando simul puniendæ occurrunt. 1983. c
quæ delicta morte delinquentis non extinguantur. 2003. a
in Delictis, quæ iniuriam aut damnum inferunt alicui priuato, duo sunt considerandæ. 2056, b
quando idem Delictum commissum fuit simul à clerico & a laico, spectat ad iudicem ecclesiasticum cognoscere ea de causa aduersus clericū, & ad secularem aduersus laicum, eumq; punire quisque debet iuxta modum procedendi sui fori. 2101. b

denuntiationes matrimoniales.

Denuntiationes præuias ante matrimonium remittere etiam potest vicarius. 2783. c

Depositarius & depositum.

si res furto auferatur a quodam tertio a Depositario, actio regulariter aduersus furem, non ad depositariū, sed ad eum qui deposuit, pertinet: & quādo ad depositarium spectet. 1250. c
qui damnatur actione directa Depositi, quæ ex deposito competit aduersus depositarium, si dolus interuenit, depositarius ita damnatus infamiam incurrit. 2520. e
Depositum non reddere est sæpe de iure naturali, spectata circumstantia, quod deponens eo abuti velit. 3069. e

Deportatio in insulam.

Deportatio annexam habebat olim pœnam confiscationis bonorum, nisi deportatus haberet affines vsque ad tertium gradum. 1129. d
Deportationis pœna eur modo adhuc in Lusitania in vsu sit. 1301. e

Decisio.

Decisio quid sit. 2569. b
Decisio quando est circa opera virtutum, est graue delictum, tum ex obiecto, tum quia homines a virtutibus deterrentur. 2570. b

Deprehensus.

Deprehensus in delicto, pro quo lata sententia, aut facta transactione, pactóve non gratuito circa illud, infamia incurritur, non incurrit infamiā ante latam sententiam. 2518. b

Detractio.

Detractio pars est vitii contra iustitiam commutatiuam circa bonum famæ. 2582. e.
Detrahendo amicitiam perturbantes, non solùm si in sua detractione eum effectum intendant, sed etiam illum non intendant, sint tamen illius causa voluntaria, duplici peccant peccato. 2582. c
Detractio de rebus venialibus non est semper culpa venialis, nec semper de rebus lethalibus lethalis. 2595. b
septem modis Detrahitur proximo, primis tribus directè, quatuor postremis indirectè. 2597, e
qui causa est Detractionis, qua alius de quadā tertio detrahit, eam consulendo, vel ad eam excitando, lethaliter peccat, si detractio pertingat ad culpam lethalem. 2627. b. qui verò in detractione solum delectatur, quamuis ad restitutionem non teneatur, peccat lethaliter, si detractio sit de culpa lethali. 2628. a
qui non impedit Detractionem, licet non sit causa, neque in eam non consentit, peccat dupliciter. Ibid. c
vt peccet quis lethaliter Detractioni se non opponēdo, tria requiruntur. 2630. b

Detegere crimen.

Detegere crimen & secretum, vide in Manifestare.

Detrimentum.

Detrimentum graue quod dicatur in dilatione restitutionis. 1668. e & seq.

Deus.

bono iure Deus reseruauit sibi dominium vitæ & membrorum hominis. 1695. c
Deus, vt supremus Dominus, leges præscribere potest. 3023. c
quomodo Deus leges hominibus instatu innocentiæ & post peditam innocentiam & legem scriptam dederit. 3033. c. d. & seq.
discrimen inter artem Diuinam & diuinam prouidentiam. 3040. d. rerum, quæ sub diuinam cadunt prouidentiam, quædam sunt mente præditæ, quædam mente carent. 3040. e. mente præditis statuuntur leges quoad finem felicitatis naturalis ac supernaturalis, quas integrum illis sit seruare aut non seruare. 3041. b. mente carentibus præscripsit Deus leges particulares libera sua voluntate, quoad executionem in tempore determinatas, quibus naturæ necessitate ad particulares suos fines dirigūntur. 3042. b
vires, instinctus, totúmque hoc corporeum vniuersum, Deus mirè sua prouidentia ordinat, leges quoque ad id a Deo illis statutæ dicuntur. 3042. d
quamuis Deus particularibus suis legibus æternis circa creaturas libero arbitrio minimè præditas agat, & illas dirigat, omnes tamen creaturæ ad illas non perueniunt, sed interdum ex concursu aliarum causarum quædam eis frustrantur. 3044. c
dispensauit Deus cum Israelitis exspolando Egyptios. 3144. c
Deus posuit in visceribus nostris sapientiam, tum quoad speculabilia, tum etiam quoad moralia. 3061. c
Deus semper in veteri Testamento intelligitur hominibus locutus per Angelos. 3088. b. d
Deus semper operatur licitè etiam sabbathi die. 3090. b
beneficia quæ Deus Iudæis contulit, contulit non ob merita eorum, sed ex sola sua misericordia, & vt promissa sua Abrahamo, Isaac, & Iacob facta impleret, & ex gratuita etiam misericordia, elegit Abraham, vt ex eius semine Christus nasceretur. 3099. d
Deus in Abrahamo elegit sibi peculiarem populum, ex quo Christus nasceretur. 3102. b
Dei visio beatitudo summa. 3110. e
Deus promisit in veteri lege nunquam se Israelitas deserturum. 3127. e
Promisit Deus Iudæis vltra terram promissionis etiam æternam hereditatem per Christum venturam

rum obtinendam, interimq; omnes ad inferos descensuros, in locum iustis deputatum. 3108. a. b. quamuis promissio Iudæis facta de æterna Dei hæreditate ipsis conferenda post mortem promittentis, si legem seruarent, proprissimè testamenti rationem habeat ex parte Dei, ea tamen Dei voluntas mutabilis non fuit vsque ad mortem testatoris, sed omnino immutabilis ex parte Dei. 3111. c

Deus in lege veteri non prohibuit leges & præcepta noua condere præter ea quæ ipse tradidisset. 3252. c

Deus dirigit omnes creaturas libero arbitrio præditas, per potestates legitimas à se proximè vel remotè deriuatas, ad fines suos, tum naturalem tum supernaturalem. 3255. b. c

quomodo intelligatur Deus voluisse nihil addi præceptis suis in lege veteri. 3261. d

Deus nunquam prohibuit carnium vsum. 1719. e

Deus particulares aliquos amicos in laboribus & aduersitatibus exercuit in lege veteri, in qua pollicitus erat bonorum temporalium abundantiam, vt eos ad maiorem perfectionem eueheret. 3132. e

Deus dispensauit cum Samson vt seipsum interficeret vna cum Philistæis. 3144. b

scientia triplex est in Deo. 3147. a

Deus dispensauit cum Osea propheta, vt fornicaretur. 3144. b

Deus dispensauit cum Abrahamo in homicidio proprii filii. Ibid.

dispensauit Deus cum Machabæis, vt sabbatho pugnarent. Ibid. c

Deus non potest condere legem iniquam. 3147. d

si Deus efficere potest, vt ab aliquo licitè nunquam sibi cultus exhibeatur, id quidem non erit dispẽsando in eo præcepto, sed condonando quod eo præcepto sibi erat debitum. 3153. a

Deum coli ab hominibus est de iure naturali. 3213. b

Digiti.

cui desunt Digiti, quibus sacra Eucharistia tenetur, vt index aut pollex, aut cui deest horum digitorum pars, aut qui in iisdem est mutilatus, irregulares sunt. 2190. a. Is etiam, qui potens quidem est debitè tractare sacram Eucharistiã, attamen vitium habet, ob quod, propter indecentiam, scandalum in eo sensu sit eum ministrare in altari. Ibid. b. c

Dispensatio.

Dispensare in lege quid sit. 3145. a

Dispensare interdum sumitur pressè, interdum latè 3145. e

Dispensatio præceptorum decalogi, vide Decalogus.

Dispẽsandum non est cum irregulari ex homicidio voluntario, etiamsi sit occultum, vt ad sacros ordines promoueri possit. 2236. e

Episcopus non potest Dispensare cum irregulari ex homicidio voluntario omnino occulto, vt ad sacros ordines promoueri possit. 2238. a. & e

Pontifex Dispensare potest cum omni irregulari ex homicidio voluntario. 2240. a

si quis irregularis factus ex nece presbyteri, & in precibus oblatis dispensanti solum proposuit se hominem interfecisse, indeq; esse irregularem, non exprimendo illum esse presbyterum, sicq; dispensationem obtinuit, Dispensatio valida est. 2242. c

confessarius non potest Dispensare in irregularitate, quæ nullam rationem pœnæ habeat. 2245. c

Dispensari posse in irregularitate, quæ merè in pœnam præcedentis culpæ est statuta, consent aliqui. 2247. d

Diuortium.

quando vxor ob mariti adulterium Diuortium ab eo faceret, vltra dotem & dona sua paraphernalia soluendæ sunt ei arrhæ, cum nulla sit causa, cur eas amittat. 2341. d.

Doctores.

Doctores iuris, & concionatores, quando non intendunt mouere iustitiæ ministros ad interficiẽdum aliquẽ in particulari, sed solum ad munus suum debitè exsequendum, non incurrunt irregularitatem. 2210. d

Domesticum furtum.

Domesticum furtum quid. 1159. e

res Domestico furto ablatæ non possent vsucapi aduersus verum dominum, nisi post triginta annos. 1160. a

Domesticum furtum quando vxor aduersus maritum committat, & quæ actio aduersus eam à marito intentari possit. 1160. c

Domesticum furtum si macipium committit, à domino moderatè puniri potest, & quæ actio in illud competat. 1162. b

Domestica furta famulorum aut aliorum mercede conductorum, liberti aut patroni, si modica sint, moderatè ea punit paterfamilias, & datur actio in factum ad rem, & ad damna secuta, non verò furti ad vllam pœnam. 1162. c

Domesticum furtum vxoris, liberorum, aut mancipii, etiamsi magnæ quantitatis sit, locum non habet pro eo actio furti ad pœnam. 1163. c

Domestico furto rem ablatam, si quis sciens emat, aut alio titulo comparet, tenetur illam restituere domino. 1164. a

ad furtum Domesticum si aliquis non domesticus cooperetur, competit aduersus illum actio furti. 1164. e

Domestici si aliquid accipiant ex præsumpta voluntate domini, nullum committunt furtum: si verò acciperent domino quidem inuito, non tamen quoad rem, sed quoad modum, est solum culpa venialis. 1165. a

Domesticum furtum vt ad culpam pertingat lethalem, maior quantitas est necessaria, quam in aliis furtis. Neque in omnibus domesticis sufficit eadem quantitas. 1165. c

Domesticum furtum qui commisit, nisi sibi omnino persuadeat domino non inuito se non restituere, restituere tenetur, aut ab eo remissionem obtinere. 1166. c

Dominus rei alicuius.

Domino proprio mancipio persuadente vt fugeret, & se absconderet in prædio alicuius, vt in eo quæsitum & inuentum dominus prædii soluere cogeretur solidos centum, tunc non solum ille, in cuius prædio fuerit repertum, nihil cogitur soluere, sed etiam dominus mancipii illud in pœnam delicti amittit fisco. 1148. e

Dominus rei vendicare eam potest ex quocunque, apud quem illam reperierit, nullo ei persoluto pretio, est ò ille pretio eam comparauerit, neq; tentor potest eam illi denegare, si sciat dominum illius esse, sed agere de euictione poterit aduersus venditorem. 1533. d. Non verò quando, agendo aliquis vtiliter negotium domini rei, illam emit modico pretio, ne dominus illam amitteret. Nam tunc ei solui debet, pretium à se pro illa datum.

datum. 1534. a
quando aliquod dominium temporale datum est Ecclesiis perticularibus, tum in causis ciuilibus & criminalibus non est appellandum ad Principem regni, sed ad superiores potestates illius ecclesiæ; nisi aliter in donatione expressum sit. 2758. d

Domus.

Domus in qua falsa moneta cusa, cedit fisco, etiamsi dominus eius id ignorauerit. 1317. e
quando damnum ex ruina Domus alicui obuenire potest, iudex ex officio tenetur præcipere dirui eam, vnde id damnum imminet, aut ita fulciri, vt id periculum cesset. 1329. a
damnum ex ruina Domus, neque quæ id est passus in re sua caueri sibi de eo petierat, dominus domus collapsæ ad nihil ei tenetur, si illi relinquat rudera, quæ damnum dederunt, neque tenetur illa extrahere. 1327. e. Sed si id damnum passus negligens non fuit in petendo vt sibi caueretur, sed legitimè impeditus absens reip. causa id non petiit, aut petiit, & antequam intimaretur parti, domus corruit, tunc tenetur dominus domus extrahere rudera, & soluere damnum datum. 1328. c
eiusdem Domus si vnus habeat vsumfructum & alter proprietatem, & ea domus minetur ruinam, neuter cogere potest alterum cauere de damno, quod in ea domo sibi imminet ex tali ruina. 1336. a
damni infecti duobus habentibus eandem Domum pro indiuiso, singulis cauetur de dimidio damni. 1340. b

Domus caput.

caput Domus quis sit, qui ad dupli solutionem teneatur. 1481. d

Dormire.

si is qui Dormit, expertus non erat, dormiendo exponere se periculo interficiendi, atque dormiendo interficiat, tunc talis pœna nulla est digna: si verò expertus erat se dormiendo efficere aliqua periculosa, neque adhibuit cautelam, tũc secuto homicidio, tenetur pœna extraordinaria pro culpæ quantitate. 1956. a

Dos.

Dotem amittit adultera, quando maritus agit aduersus illam ad diuortium, & simul alia bona. 1312. c

Dubitatio de crimine.

Dubitatio de aliquo circa aliquod sinistrum, etiãsi si temeritas adsit, quando ad limites suspicionis non pertingit, regulariter non est culpa lethalis: & quid sit dubitatio de qua hic agitur. 2556. d. & 2557. b

Duellum.

inuitans & inuitatus ad Duellum peccant lethaliter ad illud progrediendo, & pœnas quas decreto Concilii Trid. incurrant. 1774. c. d. e
Duellum in duobus euentibus licitum est, & tunc nulla pœna incurritur. 1775. e. 1777. a. b
propria vtriusque sponte Duellum committitur, neuter eorum tenetur alteri restituere damnũ, quod in eo illi dederit. 2261. b
si vnus alterum ad Duellum prouocat, & alter descendit solum prouocatus, prouocans tenetur ad restitutionem damnorum alteri secutorum, prouocatus item si illum occidat aut vulneret. 2261. e

Duplex lingua.

Duplex lingua quid sit. 2590. e

E

Ebion hæreticus.

Ebion hereticus voluit legem veterem seruandam vna cum Euangelica. 3175. d

Ebrius, inebriare se.

si quis se inebriauit, vt Ebrius occideret, secutáque ex ebrietate sit interfectio, tunc puniendus est pœna homicidii ordinaria. 1953. d
si quis sine sua culpa in Ebrietatem incidit, ex eáq; sit secutum homicidium, tunc neque ob ebrietatem neque ob homicidium vlla pœna dignus est. 1953. e. sed quando quis se culpabiliter inebriauit, & erat expertus se ebrietate efficere periculosum aliquid ad homicidium, tunc si aliquem interficiat, puniendus est pœna homicidii arbitraria. Ibid.
si quis se inebriauit culpabiliter, tamen nondum expertus erat se ebrietate efficere periculosum quid ad homicidium, tunc si aliquem interficiat, non est puniendus, ne pœna quidem homicidii extraordinaria. 1954. d
quando aliquis absque sua culpa in Ebrietatem incideret, aut alia ratione vsum rationis amitteret, & tunc ita affectus aliquem mutilet aut interficiat, non incurrit irregularitatem. 2196. e
quãdo aliquis esset expertus exponere se in Ebrietate periculo interficiendi aut mutilandi, tunc si propria voluntate se inebriaret, & ebrius aliquem interficeret, irregularitatem incurreret; item si animo interficiendi se inebriaret, atque ebrius aliquem interficeret. 2197. a. quando aliquis non erat expertus ebrietate se exponere periculo interficiendi, est'o sua culpa se inebriet, & ita aliquem interficiat, non incurrit irregularitatem. Ibid. d
si quis se inebriaret expertus in Ebrietate delicta, pro quibus pœna est statuta, se committere, tunc si constaret animo ea delicta patranda se inebriasse, pœnam ordinariam incurreret: si verò id non constaret, pœnam arbitrariam incurreret. 3241. b. c

Ecclesia.

Ecclesiæ administratores si vi aliquid vsurpent nomine ecclesiæ, ecclesia in nullam pœnam incidit, sed administratores illi de suo soluere tenentur, etiam de reditibus propriis, alioqui luunt in corpore. 1136. c
Ecclesiæ tota iurisdictio ampliori quodam modo residet in summo Pontifice, quam iurisdictio tota ciuilis residet in Rege. 2751. e
Ecclesiæ iurisdictio tota est in summo Pontifice, ab eoque in alias deriuatur ecclesiasticas potestates. 2748.
Ecclesiæ Romanæ patrimonium dominii temporalis datum fuit a Constantino exemptum ab omni principis seculari. 2759. a
in Ecclesia arbitrium fieri non potest, nec in ea potest alius iudex iudicare. 3015. c
nullus status Ecclesiæ militatis perfectior esse potest, quam sit status legis gratiæ. 3202. b

Ecclesiastica persona.

Ecclesiastici furatis quomodo iure ecclesiastico puniatur. 1220. e
Ecclesiastici si rapinam committant quomodo canonico iure puniantur. 1227. c
Ecclesiasticum mutilans aut vulnerans, si religiosus non sit etiam nouitius, neque initiatus ordinibus

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

sacris, non gaudet hodie priuilegio fori, ac proinde non secus atque alii laici puniendus a iudice sæculari, pro hoc crimine atque similibus ad sæculare forum attinentibus. 2087.b

Ecclesiastici, qui exempti sunt omnino a foro sæculari, homicidium committentes aut crimen falsæ monetæ, Sodomiam aut aliud simile, subsunt iudicio fori ecclesiastici. 2088. e

Ecclesiasticus quando post sententiam latam à iudice sæculari exceptionem opponit quòd clericus sit, atque obtinet vt remittatur ad iudicem suum ecclesiasticum, tunc ad actoris petitionem condemnari à iudice ecclesiastico debet in expensis ab actore factis in prosecutione litis coram iudice sæculari. 2091. e

Ecclesiastici non possunt renuntiare priuilegio & exemptioni à sæculari foro, neque si renuntient, valet renuntiatio. 2089.b

quando Ecclesiasticus, qui erat captus, est remittendus à iudice sæculari ad ecclesiasticum, debet remitti cum custodibus expensis eiusdem clerici: si autem pauper sit, remitti debet expensis iudicis ecclesiastici. 2091. d

Ecclesiasticum percutiens aut mutilans excommunicationem incurrit. 2104. d. & eam incurrere possunt omnes, cuiuscunque demum conditionis sint. Ibid. e

Ecclesiastici licet in sui percussionem consentiant, nihilominus si percussio iniuriosa sit statui ecclesiastico, percutiens incidit in excommunicationem. 2112. b

Ecclesiasticus iubens aliquem per Assassinum interfici, eo ipso cum sit diffidatus, & virtute sit degradatus, absque alia degradatione puniri potest a brachio sæculari. 2098. c

Ecclesiasticus si manus violentas sibi ipsi inferat, statui suo iniuriosas, vt lethaliter peccet, excommunicationem incurrit. 2112. e

Ecclesiastici duo si seipsos iocose percutiant, aut simili modo laicus Ecclesiasticum percutiat, licet aliquid iræ interueniat, modo tamen non interueniat culpa lethalis, non incurrunt excommunicationem. 2116. c

Ecclesiasticus ter admonitus non desinens gestare arma amittit priuilegium canonis, ac proinde manus violentas in eum injiciens, sciens illum esse Ecclesiasticum, non incidit in excommunicationem. 2127. b. Idem immiscens se enormitatibus, esto agnoscendo eum esse ecclesiasticum percutiatur, percutiens non incurrit excommunicationem. Ibid. c

Ecclesiasticus si aliquid aggrediatur, quod iure ei non licet, tunc licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ in eum manus injicere. 2130. d

Ecclesiasticus si aliqua iniustè occupata deferat ex loco, vnde ea iniustè vsurpauit, licitum est statim illa ab eo vi extrahere, quando non vellet pacificè ea reddere. 2130. e

Ecclesiasticus si solo verbo pudicitiam mulieris tentaret, atque ad euadendum non esset necesse mulieri manus violentas in illum injicere, aut esto facto eius pudicitiam tentauerit, si tamen illa commodè euadere posset, manus violentas in eum non injiciendo, tunc excommunicationem ea mulier incurrit, si injiciat. 2131. c

si quis extremè indigeat equo, cui Ecclesiasticus insidet, ad euadendum inuasorem, illeq; non velit concedere, tunc potest libere manus violentas in illum injicere, quantum satis est ad euadendum. 2131. d

quando in Episcopo est facultas absoluendi in aliquo casu, & in Prælato religiosi exempti non est talis facultas, tunc si Prælatus concedere irrationabiliter non vellet eam facultatem, vt is subditus ab Episcopo absolueretur, posset ab eo absolui: secus autem si rationabiliter non vellet eam facultatem concedere. 2154. b

Ecclesiastici in necessitate propria manu pugnare possunt ad se ipsos defendendos, vel ad obtinendam victoriam, quæ reipubl. interesset. 2204. a

Ecclesiastici in bello iusto pugnantes, & manu propria interficientes, irregularitatem incurrunt. 2204. c

Ecclesiastici compromittere possunt in laicum, etiam sine facultate superioris, in eis quæ sunt temporalia. 2994. a

inter potestates Ecclesiasticas sunt etiam potestates ordinariæ: item in religionibus. 2767. a

Educere aquam.

Educere aquam, vide Aquæductus.

Effractio domuum.

furtum commissum cum effractione & perforatione ostii, sed sine vi illata personæ, quomodo puniatur. 1221. b. Vide Furtum.

Eleazarus miles.

Eleazari militis fortitudo se ipsum in apertam mortem præcipitantis. 1736. a. e

Eleazarus miles se ipsum in periculum vitæ conjiciens excusatur. 3156. b

Eleemosyna.

Eleemosyna sine restitutione ac pœnitentia, quando alienum detinetur, ad salutem non sufficit. 1517. e

Eleemosyna in quo sensu sit præsidium maximum contra peccata, & ad vitam æternam consequendam. 1519. d

Eleemosyna quando ab vno fit per alium, quòd instrumentum, per quod fit, in peccato sit lethali, non impedit, quòd satisfactoria ei sit, qui illam fieri præcepit. 1643. e

Emere, Emptor.

Emere quæ præsumuntur furtiua, præsertim furto domestico, sub quibus pœnis prohibitum in Hispaniis. 1164. d

Emptor medius rei alienæ, quando postea scit rem fuisse alienam, ad quid teneatur ex iustitia, vel ex caritate, aut non teneatur, tam comparatione domini, quam comparatione talis venditoris, aut posterioris emptoris. 1535. e

Emptio rei alienæ valida est, & emptor transfert dominium pretii in venditorem, licèt non comparet dominium rei emptæ. Tenetur verò ei venditor de euictione. 1536. c

quando Emptor rei furto ablatæ rem restitueret furi, vt recuperaret suum pretium, credens absque dubio id sibi licere, ad nullam restitutionem tenetur, licèt dominus rem suam amittat. 1540. c

Emptio rei vnius æstimatæ alia, aut rei vitiosæ, quando vitium dedit causam contractui, cur nihilominus sit nulla, venditorq; non comparet dominium pretii. 1537. b

Emptor rei alienæ, si illam vendat maiori pretio, quam illam emerit, non tenetur restituere incrementum illud domino rei; eo quòd non sit fructus rei, sed suæ industriæ. 1537. c

Emens à fure bona fide rem, quam postea scit esse alienam, reddere potest furi, vt recuperet suum pretium, aut vt consulat honori furis, quando id fieri potest sine periculo detrimenti alicuius talis domini. 1539. c

Emens rem furto ablatam de iustitia & cum restituendi onere tenetur illam reddere domino, nihil impediente quòd pretium amittat, quando, si illam reddat furi, amittit illam dominus, aut periculum est, ne illam amittat. 1540. b

Emens rem alienam ex ignorantia crassa, quòd esset aliena, tenetur illam restituere cum omnibus fructibus inde perceptis. 1546. b

Emens cum dubio an res sit aliena, si postea comperiatur alienam fuisse, tenetur ad restitutionem vna cum fructibus inde perceptis, & quos dominus interea percipere potuisset: nisi animo id examinandi ac restituendi illam acciperet: si facta diligentia maneat res dubia, pro quantitate dubii est pars restituenda. 1546. c

Emens a mancipiis, famulis, a filiis familias, & ab aliis suspectis an res sit ipsorum, vel de mandato aut permissu dominorum illam alienent, quousque indicandi sint, aut non sint, teneri restituere. 1549. d

Emptor & venditor ob moram iniustam tradendi mercem, aut pretium, non tenetur ad lucrum cessans aut damnum emergens extrinseca, sed solum ad intrinseca: tenentur tamen ad fructus ex re empta aut vendita pereeptis, & qui percipi potuerunt tempore moræ. 1551. b

Emologatio.

Emologatio sententiæ in compromisso, vide Compromissum.

Episcopi.

Episcopi reseruare sibi possunt lethale peccatum commissum ob vsurpationem bonorum incertorum, aut ob dilationem restitutionis illorum. 1644. e

Episcopi non possunt concedere compositionem, circa bona, quæ debentur priuatis, & iusta de causa restituenda sunt pauperibus, aut insumenda sunt in aliis pijs operibus. 1651. b

Episcopis concessum est ab excommunicatione absoluere, quæ incurritur ob manuum violentarum iniectionem in clericum, quando iniuria ob quam est incursa est leuis. 2147. e

quando clerici aliqui simul viuunt, si vnus ipsorum alterum violenter percutiat, absolui ab Episcopo potest, modo percussio non sit atrox. 2155. a

cum irregulari ex quocunque homicidio dispensare poterat Episcopus ante Concil. Tridentinum, vt obtinere ad suam sustentationem posset beneficium simplex, non verò beneficium curatum, item vt retineret beneficium simplex. 2243. d

quando in Episcopo est facultas absoluendi in aliquo casu, & non est in Prælato monasterii exempti, tunc saltem de consensu Prælati absoluere potest Episcopus religiosum exemptum suæ diœcesis. 2153. b

Episcopus antequam excommunicatos absoluat, quos potest absoluere, debet satisfacere absoluendus ecclesiastico iniuriam passo, si ad aliquam satisfactionem ei efficiendam teneatur, & commode posset illam efficere. 2168. a

Episcopus directe non remittit infamiam: indirectè verò in casu in quo dispensare potest, vt nihil impediente delicto, ob quod in causa est infamia. 2524. d

Episcopus in sua diœcesi integrã habet iurisdictionem sub summo Pontifice. 2752. b

Episcopus non potest Parochos iurisdictione in suos parochianos priuare. 2752. c

Episcopi in ecclesiastico foro ea omnia habent, quæ sunt imperii, præterquam in primo gradu mixti ac meri imperii. 2760. b

Episcopi in sua diœcesi possunt vel per se vel per vicarium generalem iudicare, & quamcunque aliam iurisdictionem exercere in quacunque diœceseos parte: Archiepiscopus verò non nisi in sua ciuitate, vel in alio loco vnde fuit appellatum. 2782. d

Episcopali sede vacante iurisdictio transit ad capitulum cathedralis ecclesiæ, nisi Pontifex de alio prouideat, vel potest capitulum aliquem vicarium generalem constituere. 2786. a. 2787. c

Episcopali sede vacante agitari non potest causa de attinentibus ad solum prælatum, aut de communibus prælato cum capitulo, etiamsi ecclesia sit rea: sed neque continuari potest causa antea capta. 2797. c. & tunc debet capitulum vocare aliunde Episcopum ad confirmandũ, & ad oleum consecrandum, & alia efficienda, quæ potestatem ordinis episcopalis requirunt. 2798. a

ad Episcopos spectat curare, vt subditi in sacra doctrina instituantur, ac proinde sunt iudices ordinarii. 2881. e

Episcopis in suis diœcesibus à sede Apostolica est concessum procedere in crimina hæreseos aduersus ab ipsis exemptos, authoritate summi Pontificis. 2882. b

Episcopi sine inquisitoribus, & inquisitores sine Episcopis procedere de iure communi possunt aduersus hæreticos, eos inquirendo, in ius illos vocando, & alia efficere. 2891. a

Episcopi sine inquisitoribus, & inquisitores sine Episcopo procedere non possunt ad includendum aliquem in duriori carcere, qui magis deseruire videatur ad pœnam & afflictionem, quam ad debitam rei eius custodiam. 2891. e

contra Episcopos hæreticos neque priuati inquisitores neque etiam generalis inquisitor procedere possunt, nec inquirere nisi horum aliquid eis expresse a Pontifice concedatur. 2900. d

Epistola ad Hebræos.

Epistola D: Pauli ad Hebræos asseritur contra Lutherum & Erasmum esse canonica. 3104. e & seqq.

Equi.

Equorum cursu quando sit damnum illatum, resarciendum, quando non. 1267. e

Euangelium.

post sufficientem Euangelii prædicationem orbi factam, licitum non est alicui aliqua ex causa seruare legalia: nec excusantur a peccato, qui adhuc ea seruant animo ea vt legalia seruandi. 3196. a. b. c. d

Euangelium fuit prædicatum tempore Apostolorum in vniuerso orbe, 3203. c. vide Apostolus, Lex gratiæ.

Examinatio.

Examinatio bonitatis alicuius personæ bono fine, nullum est peccatum. 2557. d

Excessus.

Excessum habens in membris, qui notabilem deformitatem non inducat, irregularis non est. 2191. e

Excommunicatio.

ob furtum quando Excommunicatio est lata, nisi intra certum tempus restituatur, & domesticus aut aliter coniunctus furatus est, quando ea excommunicatio censenda sit eum ligare, aut non. 1166. a

Excommunicatio vt furtum intra tantum tempus restituatur, ortum habet à correctione media inter fraternam seu paternam, ac iudicialem, & quid præcedere ante denuntiationem debeat. 1185. b

Excommunicatio, si feratur vt aliquid intra tantũ tẽpus restituatur, nõ ligat eum qui illud in compensationem licitam occultè accepit. 1185. d

Excommunicatio bullæ cœnæ Domini explicatur. 2176. d

Excommunicatio aliquid delegantis, si res non sit integra, non impedit iurisdictionem delegati, siue delegatio fuerit facta in totum, siue in parte. 2853. a

Excommunicatio non incurritur, nisi sit expresse enodatum, facienti talẽ speciem actus impositam esse pœnam excommunicationis. 2183. b

qui sub Excommunicationis pœna ipso facto incurrenda iussus est aliquid intra certum tempus soluere, licèt a peccato & excommunicatione excusetur, si per impotentiam id non possit soluere, eandem pœnam excommunicationis incurrit, si postea eodem præcepto pendente id non impleat, cùm primùm implere illud potuit. 3019. b

si sub Excommunicatione impositum esset præceptũ aliquod, quod non impleretur, nisi qui id efficeret, sciens propter hoc ipsum id faceret, tunc si non seruaret hunc modum, vtique eam excommunicationem incurreret. 3160. c

qui inuincibiliter ignorat legem aut statutum ecclesiasticũ, quo aliquid præcipitur sub pœna Excõmunicationis, non incurrit excommunicationem illam, esto id, quod sub ea pœna prohibetur, malum alioquin in se sit, & is committat id sciens esse malum. 3236. e

Excommunicatio non incurritur nisi propter inobedientiam ecclesiæ: & requiritur vt prius admoneatur saltem lege ecclesiastica lata ac promulgata ea de re. 3237. a. b

Excommunicatus.

Excommunicatus ob manus violentas in clericum iniectas licèt absolui nequeat, nisi satisfacta prius parte offensa, non censetur tamen absolui, licèt pars offensa actionem iniuriarum intra annum illi non intentet. 1993. b

qui excommunicatum vi de ecclesia ejicit, excommunicationem non incurrit. 2141. e

Excommunicatus si impubes sit, absolui ab episcopo potest, esto lethaliter percutiendo peccauerit: item mulieres cuiuscunque ætatis. 2148. d

omnis Excommunicatus potest in articulo vel periculo mortis a quocunque sacerdote absolui, si adesse nullus possit, qui ex officio id facere possit. 2157. a

si Excommunicatus ob manuum violentarum in ecclesiasticum iniectionem, prudentis arbitrio, legitimum impedimentum habeat ad accedendum ad sedem Apostolicam: tunc is, esto enormiter violentas manus in ecclesiasticum iniecerit, si tamen confiteri velit, & absolui ab excommunicatione, absolui potest ab episcopo. 2165. b

Excommunicatus ex alia causa præter percussionem ecclesiastici, excommunicatione summo Pontifici reseruata, absolui potest ab Episcopo, dum laborat legitimo impedimento, satisfactis priùs parte. 2170. b

Excommunicati ob manuum iniectionem in Cardinales, publicari debent vt excommunicati per ecclesias omnes loci, in quo facinus fuit commissum, omnibus festis & dominicis. 2172. d. & quãdo hi fuerint absoluendi, priùs idoneos fideijussores dare debent, aut saltem iuratoriam cautionem quòd parebunt pœnitentiæ ipsis iniungendæ. Ibid. e. Damna & infamiæ quas iidem incurrunt. 2173. b

Excommunicatus non potest esse arbiter nec arbitrator. 2991. b

Excommunicantur omnes illi, qui illos, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, & inde recedunt, sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, aut capiunt, item id mandantes, non verò consulentes. 2177. e

Excommunicantur omnes illi, qui per se vel per alios, personas ecclesiasticas quascunque, vel sæculares ad Romanam curiam super causis negotiisq; recurrentes, & eadem ibidem procurantes, negotiorúmque aduocatos occidunt, vel aliquo ladunt aut ad id cooperantur. 2179. d

Executor.

Executor damni quousque ante alios restituere teneatur. 1606. c

Exercitus.

ab exercitu ignominiosè demissus ob delictum in exercitu commissum, etiamsi dux esset, infamiam incurrit. 2503. d

Ezechiel Propheta.

Ezechielis Prophetæ locus quidam diuersimodè explicatur. 3092. e

F

Fabri.

Fabri ferrarii adiuuantes ad furtum per claues, tenentur ad restitutionem. 1590. b

Facies.

Facie deformes enormiter, etiam gibbosi, sunt irregulares. 2191. c

Falsi crimen.

Falsi crimen quot modis committatur. 1301. b

pœna statuta pro Falsi crimine, quando alia mitior aut grauior non comperitur statuta. Ibid. d

Falsi crimen publicum est. Ibid. e

quinis de crimine Falsi accusare potest. Ibid.

Falsi crimen vt incurratur, requiritur dolus, nec satis est per errorem esse factum, etiam ex lata culpa. 1302. b

Falsi crimen incurrit, qui se aut alium subditum sibi, aut cui ipse subditus est, scribit hæredem in testamento alterius, irritumq; est, quod ita in suum commodum scribit. 1303. a

Falsi crimen non incurrit, qui ei, qui in ipsius est potestate, hæreditatem scribit aut legatum, quando totum ad eum spectat cui scribitur. 1304. e

Falsi crimen incurrit pater, qui filio sibi subdito scribit hæreditatem aut legatum, licèt solum vsusfructus ad ipsum pertineat, dum ille sub ipsius fuerit potestate. 1305. b. non verò is, qui alterum scribit hæredem, aut legatarium, & se substitutum illi fidei commissarium. 1306. a

Falsi crimen itẽ incurrit, quando è duobus, qui sub pote-

poteſtate ſunt teſtatoris, vnus alteri ſcribit legatum, quando per mortem teſtatoris vnus eorum recaſurus eſt in poteſtatem alterius. 1306. b

Falſi crimen in præcedentibus euentibus nõ incurritur, ſi teſtator propria manu ſubſcribat, ſe id illi relinquere in particulari. 1307. a

Falſi crimen non incurrit filius mancipatus, & valida eſt diſpoſitio, ſi in teſtamento parentum in id totum ſe ſcribat hæredem, in quo ab inteſtato erat is ſucceſſurus. 1307. e

Falſi crimen incurreret patronus, aut conſanguineus patroni, ſi in id ſe ſcriberent hæredes, in quo ab inteſtato fuiſſent ſucceſſuri. 1308. e

Falſi criminis pœnæ venia quibus condonetur ob præſumptam ignorantiam, aut minorem ætatem, quibus non, & diſpoſitio nihilominus eſt nulla. 1308. b

Falſi ſi non incurrat pœnam, qui in teſtamento ſe filio teſtatoris impuberi tutorem ſcripſit, quid inde incurrat. 1308. e

Falſi crimen incurrit prohibens aliquem teſtari. 1309. b. item qui eandem rem vendit duobus, & meretur deportationis pœnam. Ibid. c

in crimine Falſi, quando aliquis in vna & eadem cauſa protulit ex interuallo multos falſos teſtes, falſarius non eſt puniendus totidem pœnis, quot ſunt ea crimina. 1985. a

Falſi crimen, etiam quia confector falſi inſtrumenti, incurrit, qui falsè ſe hæredem aut legatarium ſcripſit, & tenetur ad reſtitutionem damnorum inde ſecutorum. 1309. a

in crimine Falſi valida eſt tranſactio, vt in criminibus capitalibus. 2050. e

Imponentes aliquibus Falſum crimen notabile, & qui ad mortem euadendam, quæ iniuſtè eis infligeretur, alios falsò in æquale aut in ferè æquale diſcrimen adducunt, peccant lethaliter. 2656. d. ſed qui alteri crimen impoſuiſſet, ob quod periculum vitæ ac iacturam talem famæ incurreret, vt morti ſimilis aut ferè ſimilis eſſet, tenetur is illud retractare cum periculo tormentorum ac vitæ, quando ſpes eſſet ea retractatione reparanda eſſe damna, ſecus ſi non eſſet talis ſpes. 2658. d. ſi verò crimen non eſt tale, vt ex illo ei mors vel aliud damnum in corpore aut fama vel diuitiis immineret, tunc imponens tenetur ſe retractare ſi ita poſſet ea damna reſarcire. 2659. e

Falſum iudicium & omnis detractionis & mendacii ſpecies reducitur ad octauum præceptum decalogi. 3143. a

Falſum quid proximo imponens tenetur ſe retractare, quando aliter famam ei reſtituere non poteſt, neque ipſe maiorem infamiam inde contrahit, tenetúrque iuramento confirmare, id non eſſe verum quod dixerat. 2687. c. cui crimen falſum impoſitum eſt, ſufficienter fit ei reſtitutio famæ iniuſtè ab eo ablatæ, dicendo ſe fuiſſe mentitum, ſi inde alii deponant exiſtimationem, quam de illo conceperant. 2688. e

Fama, pro reputatione.

quid ſit bona Fama. 2469. d

Famam lædere & Famam reſtituere, vide Lædere & Reſtituere.

Famam alicuius lædens peccat contra iuſtitiam commutatiuam, & etiam qui id attentauit facere. 2490. d

Fama latiſſimè ſumpta eſt exiſtimatio de aliquo, maximè exterius manifeſtata. 2491. b

Fama, vt eſt perſonæ, eſt ſtatus illæſæ dignitatis, legibus & moribus comprobatus. 2491. c

non ſolùm committitur peccatum contra iuſtitiam commutatiuam circa bonum Famæ, quando verbo aut facto alióve ſigno intenditur læſio famæ alicuius, ſed etiam quando non intenditur, niſi ignorantia probabilis excuſet. 2582. a

damnum Famæ alterius inferri poteſt ſine peccato, quando ita eſt neceſſarium ad eruendum eum a peccato, cuius famæ damnum infertur, aut ad impediendum peccatum illius. 2584. a. item quando nequitia eius ita eſt neceſſarium ad malum impediendum, quod reip. aut priuato alicui imminet. Ibid. c. Item quando ad liberandum innocentem neceſſarium eſſet reuelare crimen occultum eius, qui verè nocuit. 2585. c. item quando licita eſt accuſatio de peccato alieno occulto, aut quis licitè poteſt de illo teſtificari, aut denuntiare a iudice interrogatus vel non interrogatus. Ibid. d. item in pœnam iuſtam delicti ab eo commiſſi. Ibid. e. item quando ita expedit bono communi, aut etiam bono eius, qui infamatur. 2586. a

vitium iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum Famæ contrarium licèt ex ſuo genere culpa ſit lethalis, ex circumſtantiis tamen poterit eſſe ſolùm culpa venialis. 2594. d

vitium totum iuſtitiæ commutatiuæ circa bonum Famæ contrarium, ſpecies eſt infima. 2597. c

vt lethalis culpa iniuſtitiæ contra Famam alterius committatur, neceſſe non eſt, quòd ita fama eo peccato lædatur, vt ille famam amittat ſed ſatis eſt, quòd notabiliter exiſtimatio, quæ de illo habetur, prudentis arbitrio, vel in vno ſolo lædatur, aut lædi attentetur, licèt effectus non ſequatur. 2605. b

Familia.

Familiæ minùs perfectæ ſunt clericorum, viduorum, & aliorum qui nunquam matrimonio iuncti ſunt. 1700. e

Famoſum carmen.

Famoſum carmen componens ſi condemnetur actione ciuili aut criminali, teſtamentum condere non poteſt. 2660. c Vide libellus famoſus.

Famulus.

Famuli vſurariorum participant de furto. 1590. a

Famuli quando reſtituere teneantur, qui impedire poſſunt furta quæ heris ſuis fiunt, nec impediunt, quando non item. 1597. e

Famulo libero ſi iniuria fiat, non conceditur agere iniuriarum domino, ſed ſolùm ipſi iniuriam paſſo. 1703. d. vide Liber.

Famuli conductitii non tenentur mortem dominorum ſuorum impedire, cum periculo vitæ propriæ, ſed peccabunt contra caritatem atque honeſtatem moralem. 1907. d

Femina.

Feminæ raptores vis publicæ crimen incurrunt, & in quas pœnas incidant. 1129. a

Femina mamillam abſcindens, eo quòd membrum

Fera.

eſt, ſit irregularis. 2188. b

Fera beſtia damnum inferente ducta per viam, quouſque reſarciendum. 1270. c

Fera fugiens ſi damnum det, ſe accipiens in naturalem libertatem, ad nihil tenetur qui erat dominus illius, eſtò illam poſtea capiat. 1491. e

Festus dies.

Festis diebus potest arbitrator arbitramentum ferre. 3015. a

Festi dies ad cessandum ab opere in ecclesia instituti. 3166. e

Fideijussor.

Fideijussorem dans, se nullam alteri iniuriam illaturum, aut duo ea de re sibi inuicem dantes fideijussores, atque vnus eorum, qui fideijussorem dedit, si inuasius ab eo, illum interfecisset excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, fideijussor ad nihil tenetur. 1862. a

Fideles.

Fideles legis gratia grauiores persecutiones sustinuerunt, quam fideles legis veteris sint passi. 3210. d

Filius.

Filium aut famulum corrumpens ad quid teneatur. 1150. e

Filius rem domesticam furatus quomodo restituere debeat & puniri. 1161. b. Vide Domesticum furtum, & Fur.

Filio sub patris potestate existenti si sit facta iniuria, ad patrem & non ad filium pertinet ea actio iniuriarum. 1704. b

quando pater, sub cuius potestate est filius iniuriam passus, & ad quem actio iniuriarum spectat, absens est, aut aliter impeditus, tunc re cognita per iudicem, admittitur filius ad eam actionem intentandam & prosequendam. 1704. c

Filius patri venenum intentans, licèt venenum non noceat, tenetur crimine parricidii. 1815. e

Filius conscius alterum fratrem parricidium velle committere aduersus patrem, neque illud impediuit, cum posset, tunc secuto parricidio punitur pœna exilii, at extraneus conscius parricidii, vel ad id adiuuans parricidio secuto, punitur pœna, qua filius parricida punitur. 1833. d

Filius conscius mortis, quam aliquis extraneus patri parat, nec reuelat aut impedit, puniendus est pœna exilii. 1908. a

Filius licèt repudiet patris interfecti hæreditatem, potest tamen accusare mortem patris, & præferendus est hæredi scripto, aut ab intestato, volenti accusare, eiusq; remissio præfertur remissioni veri hæredis. 2031. c

Filius defuncti, aut alius cui iure sanguinis competebat accusare interfectorem, si remissionem concedat, aut ipsum accuset, eo ipso non adit hæreditatem defuncti. 2033. a

Fili familias, qui post pubertatis annos manus violentas in ecclesiasticum injiciunt, absolui ab episcopo possunt, quando pater carere eorum opera nequit, interea dum absentes sunt. 2166. e

Filius imponens sibi crimen patris, ob quod pater morte erat plectendus, vt vitam patris conseruaret, & in se mortem patris transferret, peccat lethaliter. 2656. a

Filii non admittuntur ad probandum verum esse, quod in præiudicium honoris parentum dixerunt, etiam ad euadendam pœnam iniuriæ contra illos illatam: nec vlli descendentis contra ascendentes. 2671. c

Filius esse potest arbiter & arbitrator in re patris. 2990. a

Fiscus.

restitui in foro conscientiæ Fisco, & non delinquenti, aut hæredibus illius, ea debent, quæ tempore latæ confiscationis delinquenti debebantur, sub onere id iterum fisco restituendi. 1630. c

Flagellum.

Flagellorum pœna inter pœnas sanguinis est computanda, & proinde circa furtum, ob quod pœna flagellorum incurritur, transigere licet. 2038. e

Flumen.

Fluminum publicorum, viarum, ac littorum communis vsus est; ipsa tamen loca publica sunt, & non priuata. 1331. d

Flumen presse quid sit. 1365. c

Flumen publicum quid. Ibid. d

in Flumine quid fieri dicatur, & quid in ripa. 1366. c

quæ flumina sint nauigabilia, quæ non item. Ibid.

in flumine nauigabili neque in eius ripa fieri potest aliquid, quo nauigatio aut nauium statio deterior reddatur. Ibid. e

in Flumine publico nihil fieri potest, ob quod cursum mutet, quem in æstate solet tenere, noceatq; ea ratione alienis agris: si autem factum sit restauretur. 1367. c

in Flumine publico aut in eius ripa fieri poßunt aggeres, ad tuendos proprios agros, modo aliis caueatur de damno infecto. Ibid. e

Fluminis publici, ob cursum mutatum ex aggeribus factis, damnum aliis prouenient, non præscribitur ea quasi seruitus minori spatio, quam de cuius initio extet memoria. 1369. a

in Flumine publico quousque instrumenta, quæ a quis mouentur, conficere liceat, etiam cum detrimento prius structorum, 1382. d

Fons.

Fontium aqua etiam intelligitur nomine aquæ pluuiæ, quoad actionem attinet aquæ pluuiæ arcendæ. 1359. e

Fouea, Fossa.

damnum secutum ex Foueis & laqueis ad capiendas feras, quando lege Aquilia resarciendum, quando non. 1270. a

seruitutis iure Fossam existentem in agro superiori, ne aqua ex illo deriuetur in inferiorem, si restagnet in agrum, in quo est, quod sit repleta, dominus agri inferioris tenetur eam purgare. 1363. c

Fossa flumini publico si fiat, per quam tanta pars fluat, quæ fluminis, & non riui, rationem subeat, locus publicus efficitur. 1366. c

Fornicatio.

Fornicatio cum sponsa per verba de futuro licèt non sit adulterium propriè, eo quod non sit contra matrimonium iam contractum, tamen fornicatio hæc cum sponsa per verba de futuro est circunstantia necessario confitenda. 2333. d

cum per adulterium vnius matrimonium non dissoluatur, eaq; de causa licèt diuortium ab innocente legitimè esset factum, nihilominus Fornicatio, quam is innocens post tale diuortium commisisset, verè esset adulterium contra fidem matrimonii adhuc manentis. 2311. e

Copula fornicaria vxoris ante matrimonium contractum, si post matrimonium contractum sciatur, non est sufficiens causa expellendi vxorem, debitumq; negandi. 2344. c

copula Fornicaria est sufficiens, vt sponsus per verba de futuro possit licitè non velle implere sponsionem siue pactum eorum sponsalium. 2344. e
Fornicatio etiam simplex reducitur ad sextum præceptum decalogi. 3142. d
Fornicatio simplex in se in iure diuino naturali est mala ac prohibita. 3197. a

Fructus.

Si furto auferantur fructus ex agro locato colono pro certa pensione, quam colonus soluat, ad solum colonum pertinet actio aduersus furem: si pro quota fructuum, quam soluat domino agri, illum colat, actio pertinet ad vtrumque pro rata. 1252. a
Fructus industriæ qui. Fructus rei qui. 1527. b
Fructus rei qui naturales, qui industriales, & qui ciuiles à iurisperitis dicantur. 1528. b
Fructus rei licèt iurisconsulti non reputent partus ancillarum, à theologis tamen ad restitutionis negotium inter fructus rei computantur. 1528. d

Frumentum.

Frumentum num possit licitè in penuria ex vna prouincia in aliam conuehi. 3219. e. & seq.

Fundamentum.

Fundamentis domus alienæ si arbor noceat, succidatur radicitus. 1298. b

Fur.

Furatus leue quid, cum animo furandi amplius quod ad lethalem culpam sufficeret, lethaliter peccauit. 1158. a
Fur nocturnus impunè occiditur, non diurnus, nisi telo se defendat. 1142. a
Furem interficere non pugnat cum quinto decalogi præcepto, licitumq; publica autoritate esse potest, maximè præcedente lege, quæ id statuat. 1200. d
Fur ad quid cogatur in exteriori foro non in pœnam, sed quia ad id tenetur ex natura rei, in foroq; conscientiæ, nulla exspectata sententia. 1202. b
Fur simplex de iure communi occidi aut mutilari non potest etiam pro tertio aut quarto furto. 1207. a
Fur simplex aliquibus tamen legibus & consuetudinibus pro tertio furto interfici potest, & qualia ea furta debeant esse. 1207. d
Fur grassator & latro in quo differant de iure communi, & quæ pœnæ de eodem iure sint illis impositæ. 1208. b
Furibus si aures in pœnam abscindantur, non est ea pœna mutilationis membri, neque iudices ob eam pœnam irregularitatem incurrunt. 1214. c
Furem reperiri abscissis auribus, licèt sufficiens sit, vt interrogetur de causa abscissionis, & nisi aliâ probet, vt subiiciatur tormentis, vt confiteatur duo priora furta, ac suspendatur de eo tertio; non tamen est sufficiens coniectura, vt probatum censeatur, furtum commissum post illas abscissas esse tertium. 1215. d
Furibus, eorum sociis, & aliis quousque pœna commutetur in pœnam remigandi in triremibus. 1218. c
Furem interficiens quando à pœna mortis eximatur. 1219. a
Fur conueniri potest in loco, in quo delictum commisit, & in quo repertus fuerit cum re furto ablata. 1242. c
Fur inuasus à domino rei, in furto deprehensus, licitè illum potest interficere, si aliter non pateat effugium. 1766. c.
Fur diurnus & nocturnus. 1771. b
Fur qualiter licitè interficiatur, & si cum re aliena fugiat, quando iaculo à longè occidi queat. 1770. e. 1771. d
Fur vt interficiatur, quanti valoris res sit oportet. 1771. d
quòd si simul actu vnico, minimè interpolato, quis furetur res multorum, aut aliquid quod ad multos attineat, peccata sunt distincta numero, pro diuersitate numerica eorum, qui id damnum iniustè sunt perpessi furq; distinctis pœnis est puniendus. 1980. e
Furatus aliquid ab eo qui priuilegio fori gaudet, etiam si id illi adhæreat, non incidit in excommunicationem. 2111. e

Furtum.

Furti actio, vide Actio.
Furtum latè sumptum. 3. 1114. a
Furtum latè sumptum rapinam includit. 1114. c
Furtum presè sumptum quid includat. 1114. d
Furtum vnde deriuetur. 1115. e
Furtum presè sumptum est contrectatio fraudulosa lucrifaciendi causa. 1116. a
Furtum committitur, si inuentum retineatur ab inuenienti, & quando id præsumitur. 1117. b
Furti non punitur, qui inuentum sibi retinet, quando dominus eius rei eam habebat pro derelicto, esto inueniens id ignoraret. Ibid.
Furtum non est, sed aliud delictum, si vnus coniux altero defuncto aliquid subtrahat de hæreditate defuncti aut de communibus bonis, & quæ actio aduersus eum competat. 1120. a
Furti definitio duplex. 1122. a. c
Furtum faciens de domo, quæ incendium patitur, incidit in pœnam de vi publica, nisi furetur ligna. 1127. e
Furtum manifestum & occultum. 1142. c
Furtum, rapina, damnumq; datum, peccata sunt ex suo genere lethalia. 1151. d
Furtum quot modis sacrilegii rationem sortiatur, specie distinctam a furto in ratione furti. 1143. b
Furti quæ quantitas sufficiens ad culpam lethalem comparatione eorum, qui non pingues habent facultates. 1152. a
Furti actio num detur de vna gallina, & similibus rebus. 1156. c
Furtum vt sit culpa lethalis, maior quantitas requiritur comparatione opulenti, quam comparatione pauperis. 1157. a
Furtum de re modici valoris non est culpa lethalis, si tamen coniunctum habeat damnum notabile, erit lethalis, cum onere restituendi sub lethali culpa latitudinem totius valoris. 1157. c
Furtum rei minimæ, ob tristitiam inde eius qui id passus est, quando sit culpa lethalis. 1158. b
Furtum de quacunque re leui, si verè sit furtũ, culpa est venialis, & quousque obligatio sit illud restituendi sub culpa veniali. 1157. b
Furtum domesticum quando filius familias committat, & quando restituere illud in conscientiæ foro teneatur, & quomodo puniendus sit. 1161. b
Furtum notabile per minima quot modis contingat. 1172. c
Furtum per minima ab eodem homine quando ad culpam lethalem perueniat, tenetur qui ita furatus est, ad illius restitutionem sub reatu culpæ lethalis.

thalis. 1172. e
Furto si ablata sit aut retineatur quantitas, quæ ita ad culpam lethalem sufficiat, vt quæcunque minor ad eam non sufficiat, si restituatur quæcunque pars illius, reliquum retinetur sine culpa lethali cum sola veniali. 1174. d
Furtum per minima à diuersis maiorem summam requirit, vt pertingat ad culpam lethalem, quã si fieret ab eodem; & maiorem, si decursu temporis, & sine animo inde ditandi, quam si fieret breuiori tempore, & cum animo ea via ditandi. 1175. d
Furtum notabile per minima à diuersis fit factum sit vni, quando singuli sub lethali culpa restituere teneantur vel totum, vel vnusquisque suum minimum, quando non item; atque si excommunicatio lata sit non restituentibus id damnum, quando singuli ea innodentur. 1176. e
Furtum non committit, qui rem suam clam ab eo accipit, qui illam iniustè retinebat; peccat tamen, nisi concurrãt cõditiones requisitæ ad licitam cõpensationem, & quæ curare teneatur. 1178. e
Furtum aliquo modo committit, qui rem suam clã ab ea accipit, qui iustè illam retinebat, teneturq́, illi restituere valorem vsus, quo eum iniustè priuauit, & impedire ne damna alia sequantur. 1179. c
Furtum quando quis aggressus est committere, neque est furatus, quæ actio aduersus illum competat, & qua pœna sit puniendus. 1212. b
Furtum ex naufragio quomodo hodie in Hispania puniatur, & similiter furtum ex rebus è ponte cadentibus aut aliter pereuntibus. 1216. b
Furtum aut vis circa animalia aut alia ad culturã attinentia quomodo puniatur. 1217. a
Furti pœna punitur, & ad restitutionem tenetur, quicunque oneroso aut gratuito titulo, vel in custodiam acceperit aliquid à mancipiis. 1217. b
Furtum tum manifestum tum occultum quibus pœnis ciuilibus seu pecuniariis iure communi puniatur. 1202. d
Furtum cum effractione, sed sine vi illata personæ, qui puniatur in iure communi. 1221. b
Furtum & perforatio ædium, ad faciendum quodcunque aliud maleficium, quomodo in Hispania puniatur. 1221. c. & quomodo in Lusitania. 1222. a
Furtum cum sacrilegio quibus pœnis iure communi cæsareo puniatur. 1227. d
pro vnico Furto magnæ quantitatis, quod tribus æquipolleat, aggrauari debet pœna, sed non debet fur suspendi, vbi lex & consuetudo non fuerint in contrarium, vt in Hispania non sunt. 1210. d
si res furto ablata est ex œconomo, tutore, curatoréve, actio aduersus furem ad hos quidem spectat, sed non nomine proprio neque in suum commodum, sed eius cuius bona administrant, quando autem dominus rei eam ab ipsis exigeret, quia culpa ipsorum amissa, tunc soluere eam non tenerentur, nisi cedente domino ipsis actiones aduersus furem. 1251. b
si auferantur Furto fructus ex agro locato colono pro certa pensione, quam colonus soluat, ad solum colonum pertinet actio aduersus furem. Si pro quota fructuum, quam soluat domino agri, illũ colat, actio pertinet ad vtrũque pro rata. 1252. a
Furtum eiusdem numero rei si à tribus simul commissum sit, quæ condictio furtiua aduersus omnes ac singulos competat, & quæ actio furti ad pœnam ciuilem ac criminalem. 1281. e
ad Furtum datum per ministros suos in nauigio, cauponi, aut stabulo, tenentur nauta, caupo, & stabularius, & ea actio transit ad hæredes damnum passi, non verò aduersus hæredes nautæ, cauponis, aut stabularii. 1484. d
Furtum in septimo præcepto decalogi sumitur latissimè, vt comprehendit omnem vsurpationem iniustam rerum alienarum. 3142. e

Furiosus.

Furiosus, si dum iudicio carebat, aliquem interfecerit, nulla omnino pœna est puniendus. 1950. c
Furiosus non potest esse arbiter. 2989. d
Furiosus non potest ordinari, aut si iam aliquos ordines acceperit, in iis progredi non potest. 2192. e
Vide Amens, & Mens.

G

Gaudere priuilegio.

Gaudere priuilegio Canonis clericalis, vide Clericus, Iniuria, Irregularis, Manus violenta.

Genus.

quando nota aliqua Generis, quæ non modicum infamaret, esset occulta, neque resultaret ex sententia publica, qua aliquis antecessorum damnatus esset de crimine, ob quod ea nota in pœnam redundaret, tunc culpa est lethalis illam detegere. 2626. a

Gentilis, Gentes.

Gentibus integrum erat ad legem scriptam transire, eamq́ profiteri se ipsos circumcidendo. 3099. a
Gentibus integrum erat aliquas cærimonias Iudæorum amplecti, non tamen ad illam se astringendo: sed phase cum eis celebrare non poterant, nisi circumciderentur. 3099. d
conuersi recenter ab Apostolis ex Gentibus non tenebantur legem Moysi seruare, sed Christi amplecti. 3177. a. 3179. a. 3180. d
Gentilis aliquis si visis Christi miraculis in illum crederet, teneretur baptizari. 3191. b. 3192. a

Gibbosus.

Gibbosi sunt irregulares. 2191. c

Græci.

error Græcorum est, existimare restitutionem ad salutem non esse necessariam. 1513. d

Grassator.

Grassator fur, & latio, quomodo differant de iure communi, & quæ pœnæ de eodem iure sint illis impositæ. 1208. b
Vide Assassinus, occultare, Receptatores.

Gratia & indultum.

quãdo Gratia facta est illi, cui facultas aliquid faciendi est concessa, vt id circa ipsum ab alio fiat, tunc gratia non exspirat morte concedentis: si verò gratia solum est mandatum, vt id circa ipsum in particulari fiat, non est gratia facta, sed in futurum illi facienda, & ideo re integra exspirat morte concedentis. 2831. a
Gratia iam facta neque re integra exspirat, neque per consequens potestas delegata executorum ad illam ad effectum perducendam; at gratia nondum facta re integra exspirat. 2829. c
si alicui concedatur facultas aliquid faciendi, vt Gratia eius cui talis facultas cõceditur, tũc morte concedentis re integra non exspirat ea gratia: si verò alicui concedatur facultas, non vt gratia eius, cui talis facultas conceditur, sed vt gratia, quæ

quæ per eum aliis fiat in futurum, tunc morte concedentis ea gratia re integra non exſpirat. 2830. d

ſi Gratia concedatur limitando certum tẽpus, tunc morte concedentis exſpirat, & antea, ſi illã antea reuocauerit. 2832. d. ſi abſolutè concedatur, non exſpirat morte concedentis. Ibid. e

Gratia ſi à ſummo Pontifice concedatur limitando, ſcilicet quamdiu fuerit Sedis Apoſtolicæ voluntas, tunc morte concedentis non exſpirat. 2833. b

Gratiæ ſtatus.

tenemur aliquoties in vita reponere nos in Gratia, & Deum diligere ex caritate ſupernaturali, & atteri certè de peccatis. 3166. c

Gratia Dei.

Gratia in lege noua copioſiùs iuſtificat, quàm vniquam antea iuſtificauerit. 3200. e

H

Hæreſis.

Hæreſeos crimen morte non exſtinguitur, quoad pœnas illi debitas. 1785. b

Hæreſeos crimen morte delinquentis non exſtinguitur. 2003. c

abſoluere à crimine Hæreſeos num epiſcopi hodie poſſint. 2823. c

Hæretici.

Hæretici olim legem veterem improbabant, & in Deum & Chriſtum blaſphemi erant. 3075. d

Hæretici ſunt qui dicunt illicitum eſſe comedere carnes, etiam alias ab immolato, ſanguine, & ſuffocato. 3197. e

Hæretici dicunt non eſſe in Eccleſia poteſtatem cõdendi leges, quæ in foro conſcientiæ obligẽt, quod ex Scriptura probant. 3249. b. & ſeq. ſed refutãtur. 3250. b. c. & ſeq. 3254. a. 3260. c

Haurire aquam.

Haurire aquam de alieno fundo, vide Aquam haurire.

Hermaphroditus.

Hermaphroditus, ſi magis in ſexum femineum propendeat quã virilem, nõ poteſt ordinari. 2193. d

Hebdomades.

Hebdomades in Scriptura ſacra pro annis ſumuntur. 3128. e

Hebdomades Danielis.

Hebdomades Danielis fuerũt annorum lunarium, non ſolarium. 3128. e. Variè de illis diſputatur. Ibid. & ſeqq.

Hæreditas.

Hæreditatis expilatæ crimen diſiunctum eſt à furto. 1119. c

expilatæ Hæreditatis actio competit priuigno aduerſus vitricum, ſi ex hæreditate aliquid ſubtrahant. 1120. b

expilatores Hæreditatis incurrunt lata ſententia infamiam. 2514. a

Hæres.

Hæredibus quando ſit reſtitutio facienda, nec ſatisfiat, ſi in operibus piis inſumatur. 1631. b

Hæredes extranei ſi remittant iniuriã defuncto datam, neceſſe eſt vt omnes remittant. 2031. a

Hæres interfecti hodie, licèt poſt intentatam accuſationem aduerſus interfectorem cum eo tranſigat, vel illi gratis parcat, non amittit hæreditatem fiſco. 2068. c

Hæredes interfecti, ad quos ſpectat proſequi iniuriam loco interfecti, ſi remittant homicidii compenſationem, vel pretio vel gratis, tunc ad nullam reſtitutionem tenetur homicida in foro conſcientiæ ratione damni vitæ, quod interfecto iniuſtè dedit. 2281. d

quando aliquis, qui, dum vixit, infamauit aliquẽ, eam infamiam illi non reſtituit, obligatio eam reſtituendi tranſit ad Hæredes ipſius. 2701. e

Hæredi inſtituto ſi non remaneat quarta pars bonorum defuncti, atque ex ignorantia iuris ſoluit legata integra, non poteſt ex illis, quod ad eam defuerit, repetere. 3244. b

quando quis ex iuris ignoratione repudiauerit Hæreditatem ad ſe pertinentem, aut intra tempus à iure ſtatutum vt adeatur, illam non adiuit, tũc ita eo ipſo illa hæreditas tranſit ad proximũ ſucceſſorem, vt ei, qui illam ex ignorantia tali repudiauit, non ſubueniatur. 3244. d

S. Hieronymus.

controuerſia inter Hieronymum & Auguſtinum circa modum ceſſationis legaliũ. 3178. b. c. & ſeq.

Hieroſolyma.

Hieroſolyma poſt XL. annos à morte Chriſti vaſtata fuit & deſolata. 3130. d

Hiſpaniæ & Caſtellæ iura.

inuenta in Hiſpania quibus applicentur poſt factã diligentiam. 1117. e. & 1118. a

furum pœna in regno Caſtellæ. 1212. b

furibus hodie in Hiſpania imponitur pro primo furto pœna remigandi in triremibus, & pro ſecundo pœna flagellorũ ac remigãdi in triremib⁹. 1216. a

furtum in Curia regia aut in regio caſtro morte plectitur in Hiſpania, ſed ea lex mitigata eſt. 1216. e

raptores quomodo in Hiſpania puniantur. 1223. e

quæ pœna ſit in Hiſpania deprauatoribus fluminum 1367. a

furtum cũ ſacrilegio quomodo in Hiſpania puniatur. 1227. e. & quomodo in Luſitania. 1228. e

ædificia in Hiſpania attolli non poſſunt cum damno, vt multum ſecreta domorum vicinarum pateant. 1474. d

in Hiſpania vetitum eſt quocunque in loco arcem facere, etiamſi intuitu faciendi domum ad habitationem propriam id fiat. 1478. e

in Hiſpania & Luſitania ſi liberi ſint extra auorũ poteſtatem, non attinet ad auos de illorũ iniuria nomine proprio agere, ſed ad ſolum patrem. 1702. d

Hiſpaniæ ius circa adulterium, quãdo adultera & is, qui cum ea adulteratus eſt, traduntur marito, vt in illos pœnam mortis exerceat. 1733. b

duella in Caſtella & Luſitania quomodo defendantur. 1775. b

ius Caſtellæ circa homicidia. 1793. d

in Caſtella homicida ex propoſito gaudet immunitate eccleſiæ. 1800. e

proditorie aliquem aggrediens quomodo in Hiſpania puniatur. 1802. e

in Hiſpania & Luſitania vetitum eſt venenum vendere. 1819. d

parricida in Hiſpania adhuc culeo inſutus in mare projicitur. 1831. c

in Hiſpania quæ pœna impoſita percutientibus, comprehendentibus, aut occidentibus miniſtros publicos. 1840. c. & ſeq. vſque ad finem.

quomodo in Hiſpania & Luſitania grauentur homicidia, percuſſiones, atque attentationes ad eaſdem. 1843. b. & ſeq. (1917. b

quid in Hiſpania circa occultatores malefactorum. iniuriæ quæ irrogãtur heris in Hiſpania à famulis de termi-

terminatæ sunt pœnæ statutæ. 1966. b
in Hispania potest Iudex ob quodcunque delictũ, quod sine querela alicuius, qui eo offensus accusare velit, ad ipsius notitiam deuenerit, ex suo officio procedere ad eius inquisitionem, & eo deprehenso punire. 1990. c
in Hispania nullus præter maritum potest adulteram accusare, nisi ipso consentiente. 2069. a. 2307. a. & quid ea in re statutum sit in Lusitania. Ibid. e
quid circa remissiones particulares à principio factas in Hispania sit dispositum. 2075. e. item quid circa remissiones delictorum generales & particulares, & circa crimina quædam, quæ sub iurisdictionem de la hermandad cadunt. 2077. b
si, qui in Hispania & Lusitania mortis causam iniustam accepit, hæredes habeat, qui ex iuris dispositione succedere debeant, velit nolit ipse, in omnibus ipsius bonis externis ac iuribus, tunc si is homicidæ remittat eam obligationem, liber in foro conscientiæ homicida manet ab illa faciendo, licitéq; qui eam mortis causam accepit, efficere potest eam remissionem. 2285. e. sed si causam mortis accipiens hæredes ascendentes aut descendentes reliquerit, tunc si eam obligationem homicidæ remitteret, neque valor eius obligationis excederet quintum vel tertium, homicida liber in conscientiæ foro maneret ab ea obligatione, modò testator ille non efficeret legata alia, quæ cum remissione illa quintum aut tertium illud excederent. 2286. a
in Hispania pœna statuta est coniugato, qui publicam habet concubinam. 2301. e
in Hispania bona tam adulteri quam adulteræ per sententiam iudicis sunt in potestate mariti adulteræ, poteritq; sibi aut cuiquam alteri applicare omnia illorum bona vel partem ipsorum, vt sibi placuerit. 2304. c
ius Hispaniæ & ius commune differunt inter se circa pœnas adulterorum. 2305. b
in Hispania solus maritus potest accusare adulteros, & non alius, nisi ex præscripto illius, neque vnum potest accusare absque alio, si vterque superstit. 2307. a
quod in Hispania sit ius, in amittenda dote, si aduersus vxorem maritus agat ciuiliter. 2313. a. & seq. 2314. 2315.
quid circa Lenones communes in Hispania sit statutum. 2364. e
quamuis in Hispania iudex sæcularis non possit procedere ad inquirendum & puniendum adulterium, nisi accusante marito adulteræ, id non impedit iudicem ecclesiasticum, quominus procedere possit ad inquirendum clericum sibi subiectum 2368. a
in Hispania si maritus & vxor annos pubertatis excedant, etiamsi matrimonium nondum consummauerint, marituſq; vxorem in adulterio deprehendat, vbicunque id sit, potest vtrumque interficere, modò tamen non interficiat vnum sine altero. 2373. b
Maritus in Hispania interficere non potest impunè quemcunque adulterum, etiam non vilem, nisi repertos in adulterio, atque in ipso delicto. 2379. a
maritus in Hispania & Lusitania clericum cũ sua vxore in adulterio repertum interficere potest, neque ea de causa excommunicationem incurrit, licet id scienter fecerit. 2382. c
Pater non potest in Hispania adulterum iacentem cum filia impunè occidere, sed incurreret pœnam aliquam arbitrariam. 2382. d
pœnæ quæ sunt in Hispania & Lusitania statutæ pro stupro latè sumpto, quatenus cedit in iniuriam eorum, cum quibus stupratæ aut etiam stupratores habitant. 2499. d
vis pudicitiæ in Hispania alicuius honestæ illatæ non solum punitur pœna mortis, sed etiam pœnis aliis statutis pro raptu: imò sola attentatio inferendi vim, si ad proximum actum fuit deuentum, neq; stetit per eum qui vim inferre attentauit, punitur iisdem pœnis, non verò vis cuicunque mulieri illata. 2452. c
in Hispania vidua luxuriosè viuens siue in anno luctus, siue extra eum annum, amittit hæredibus mariti defuncti medietatem lucrorum, quæ ad ipsam ex eo matrimonio pertinuerunt. 2499. c
qui in Hispania sub homagio aliquid promittit alteri, nec eidem implet, cum possit ac debeat, infamis est ipso facto. 2504. e
in Hispania si quis appellasset à sententia arbitri, ob quam, si lata esset à iudice ordinario, incurreret infamiam, tunc si confirmaretur a iudice, ad quem appellasset, incurreret infamiam. 2509. a
si quis in Hispania verè adulteram vocaret adulteram, aut viro eius adulterium vxoris improperet, tenetur actione iniuriarum, & punitur pro quantitate iniuriæ spectatis circumstantiis. 2670. e
regni Hispaniæ iurisdictio est in Rege, & à Rege in alios deriuatur: si tamen ius ad regnum nemo haberet, tunc totum ius ad ipsam remp. deuoluitur: vel etiam, si rex in tyrannidem inclinaret, vel aliquid moliretur reip. non expedions. 2746. b
nobiles in Hispania, qui iurisdictionem suorum oppidorum habent, facultatem habent creandi Iudices, qui iurisdictionem loco ipsorum exerceat, quæ ad ipsos spectat, & cuius sunt domini. 2798. e. eiusmodi iudices variè creantur. 2799. b. hi iudices si ab antecessore in maioratu creati erant, non in diutius tempus, quam in consuetum, tunc morte antecessoris in maioratu non exspirant eorum munera, neque amoueri possunt a successore, sine iusta causa. 2801. 2802. a. sed mortuo antecessore in maioratu, ea omnia officia vacant ad effectum, vt successor in maioratu possit de iis disponere, & aliis ea conferre. 2803. e
in Hispania neque iudex ordinarius neq; delegatus desinunt esse iudices in causa circa quam recusantur, sed in causis ciuilibus adsumunt adiunctum, quem ipsi eligunt; in criminalibus verò quos lex illis præscribit. 2843. a
in Hispania ex compromisso nudo inter arbitros debitum ciuile oritur, daturq; actio. 2941. d
in Hispania etiam si solo pacto nudo compromissum celebratum fuerit, competit parti, in cuius fauorem sententia ab arbitris lata est, actio aduersus alteram parère nolentem, modò sententia manifestè iniqua non sit. 2946. c
in Hispania sententiæ latæ per arbitros statim executioni mandantur. 2947. e
quando in Hispania lex aliqua promulgatur, additur clausula quòd à tricesimo promulgationis die seruanda sit. 3226. e. secus si terminus non apponitur. 3227. a

Historiographus.
Historiographis aliquid plus scribere licet, quod ad infamiam aliquorum, de quibus scribunt, spectat. 2587. b
Historiographi occulta aliorum peccata in suis historiis scribentes peccant, licet illi, de quibus scribunt, sint defuncti. 2600. b
Histriones.
Histriones & scenici, qui se pretio locant ad scenam, infamiam ipso facto incurrunt. 2501. c
Homagium.
Homagium includit aliquando iuramentum, aliquando non. 2504. e
Homicida.
Homicidæ lege diuina gladio puniendi. 1795. c
Homicida non semper interficitur, sed ad æqualitatem sæpe punitur meliore pœna, vt deportationis, exsilii, vna cum pecuniaria pœna satis magna, quæ etiam exsilium aut aliam similem corporalem pœnam ad æqualitatem compenset. 1796. e
Homicidæ proditorie occidentis pœna esse debet qualificata de iure communi, iudicis arbitrio. 1802. b
Homicidam ignoranter recipiens, nullam incurrit pœnam excusante eum ignorantia inuincibili. 1915. e
Homicida restitutionem damnorum corporis facere debet, petendo suppliciter veniam, vel pœnitentia arbitraria mortem defuncti restituere debet: sed illa non sufficiunt. 2276. e
quando Homicida aliquid restituere debet pro damno vitæ, non est necessarium eam restitutionem fieri in pecunia, quando ita iudex non tulerit sententiam, sed satis est, si ad æqualitatem, modo quo fieri possit, id damnum compensetur. 2278. d
si Homicida ea morte iniusta causa fuisset, vt pro interfecto non fierent tot preces, quot ipse fuisset præcepturus fieri, nisi ea morte fuisset præuentus; tunc homicida cogendus est id compensare aut propriis suis orationibus aut eleemosynis, quibus fieri iubeat orationes pro anima a se iniustè interfecti. 2282. a
quando neque Homicida punitur pœna talionis, neq; hæredes interfecti mortem ei condonant, tunc compensare poterit illam mortem rebus spiritualibus, vt tot sacrificia vel alia pia opera pro illo fiant, quot arbitrio prudentis, spectata qualitate interfecti, satis esse iudicabuntur ad compensandum damnum vitæ iniustè ei datum, attento valore & efficacia, quæ sunt in sacrificiis ad satisfaciendum pro defunctis. 2282. c
si Homicida non restituerit damna in bonis externis etiam lucri cessantis, dum viueret, eis quibus ea tenetur restituere, tenentur hæredes illius de bonis homicidæ ea restituere vel iis in quos ea damna redundarunt, vel hæredibus illorum, si illi defuncti sint. 2287. b
si Homicida dum vixit, non restituit damnum corporale, quod iniustè illi intulit, quando ipse pœnam talionis pro eo delicto non subiit, tenentur hæredes illius de bonis ab eo relictis tribuere in sacrificia aut in alias satisfactiones pro anima iniustè interfecti, quantum homicida ipse, si viueret, dare teneretur. 2287. d.
Vide Interficiens.
Homicidium.
Homicidii latè sumpti definitio, eiusq; varia diuisio. 1711. b.d.
Homicidium casuale quid, & voluntarium quid, & quando quis homicida voluntarius aut casualis sit reputandus ex duabus clarè ostenditur. 1711. e
Homicidii voluntarii & casualis diuisiones aliæ traduntur. 1717. a. e.
Homicidium duplex, alterum casu factum, alterum dolo. Casu factum absolui potest, aut aliqua pœna mitiori mitigari. 1790. a
Homicidium dolo factum puniendum: at nobiles homicidæ deportandi in insulam more veteri. 1791. c
Homicidium dolosum non respicit personam, licèt mutilam, licèt monstruosam, licèt humilis conditionis: manet semper homicidium, & eadem pœna puniendum. 1794. b
quando tale statutum esset, vt vniuersim Homicidium voluntarium pecuniaria tantum pœna puniretur, tunc possunt potestates supremæ illud reuocare, & eo non vti: at iudices inferiores id saltem sequi debent. 1795. e
Homicidium commissum ex proposito est per circunstantiam istam grauius. 1799. c
Homicidium ex proposito commissum punitur quidem eadem pœna homicidii, sed est grauius: & talis homicida non gaudet immunitate ecclesiæ. 1800. b
Homidium proditorie factum quando dicatur, vel Hispanice loquendo aleuosè. *1801. b*
Homicidium ex insidiis factum non defenditur immunitate ecclesiæ. 1800. e
quando quis præstitit aliquid ad Homicidium præuium, quod verè illius causa fuit, attamen ignorante præstitore, petentem velle id ad illud patrandum, tunc si probabiliter id ignorarit, non fit irregularis, nec aliqua pœna puniri debet, sed absolui. 1913. c
pro Homicidio casuali non imponitur pœna homicidii ordinaria, sed extraordinaria. 1957. a
si in Homicidio casuali nulla interueniat culpa, nulla pro eo imponenda est pœna: si verò culpa interuenit, puniendus est homicida pœna arbitraria. Ibid. d
exempla Homicidii casualis, in quo nulla interuenit culpa. 1958. e. & alia exempla, quando pœna arbitraria punitur. 1959. e
quando ex facto ipso & circumstantiis non constat Homicidium fuisse casuale, præsumitur dolo factum. 1960 d
ex Homicidio voluntario semper incurritur irregularitas atque indispensabilis, tã a causa principali aut executiua illius, quam à quacunque illius concausa. 2223. c.
ex Homicidio ea ex parte, qua est solum contra caritatem, non incurritur irregularitas. 2223. d
quando in Homicidio casuali cernitur culpa lethalis aut venialis homicidii, tunc talis homicida fit irregularis. 2226. b & 2227. e
quando Homicidium casuale secutum absque vlla culpa lethali vel veniali homicidii, & occidens non dedit operam rei illicitæ, non incurritur irregularitas. 2227. b. & 2229. c. sed quando occidens dedit operam rei illicitæ, ex qua id homicidium sit secutum, irregularitatem incurrit. Ibid. c. & 2231. c
per Homicidium intelligitur omne homicidium dolosum. 2239. c
Vide interficere.
quando aliquis in pœnam Homicidii mortis pœna esset damnatus, non teneretur in conscientiæ foro

aliquid aliud ei restituere, pro damno vitæ, quod iniustè dedit. 2279.d

Homo.

Homo dominus est sui honoris & famæ. 2470.c. 2643.d

Homo non est dominus vitæ ac membrorum suorum: ideo peccat contra caritatem propriam, sed & contra iustitiam, illis abutendo. 1694. a. 2471.d

Homo habet liberum vsum vitæ membrorumq; suorum, illaq; ad varias functiones obligare potest; & periculis exponere recta ratione id postulante. 1595.e. 1696.d.e

Homo ingenuus cui fugere sit dedecori, ab alio inuasus, non tenetur fugere, estò fugiendo suam & aggressoris vitam possit conseruare, sed honorem defendendo, aggressorem potest interficere. 1773.d

Homo cogi potest admittere secari membrum, aliúdve ei medicamentum applicari gratia curationis, per illum sub cuius cura vel obedientia viuit; vel per publicam potestatem, si bono communi expediat. 1698.e & 1699.a

Homo si non esset dominus famæ propriæ, non liceret ei se ipsum infamare: quod tamen est ei licitum, vt quando alterius famam cum sui ignominia restituit. 2471.e

Homo non est dominus famæ & existimationis, quam alii de ipso habent. 2617.c

omnes Homines, etiam sancti in peccata venialia saltem cadunt. 3080.c

Honor.

Honor quid sit, & quomodo differat à reuerentia, quæ alteri exhibetur. 2467.d

Honor exhibetur tum verbis tum scriptis. 2468.c

Honor exhibetur tum viuis, tum defunctis, præsentibus & absentibus: nec solum ratione virtutis, sed etiam ratione alterius boni. 2469.b

Honor & fama bona sunt intrinseca, non secùs ac diuitiæ: & ideo felicitas non est in honore, quoniam illa intrinseca est. 2471.b

omne quod iniustè Honori alicuius præiudicet, spectat ad vitium in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum honoris contrarium, siue fiat signo aut facto, siue absenti, siue præsenti: quod vitium contumelia dicitur latissimè sumpta. 2560.a

committitur etiam peccatum contra iustitiam commutatiuam circa bonum Honoris, quando læsio honoris non intenditur, & tamen inde ea sequitur, nisi probabilis ignorantia excuset. 2560.e

grauius est vitium ex suo genere, vitium contrarium iustitiæ commutatiuæ circa Honorem, quam circa bonum famæ contrarium. 2593.c. Plura vide in Fama, & Ladere.

Hussitæ.

Hussitæ docent non esse in Ecclesia potestatem condendi leges, quæ in conscientia foro obligent. 3249.c.

I

Iacob.

IAcob centum triginta annorum erat, quando descendit in Ægyptum. 3115.d

Ianitor.

Ianitor, qui prætextu sui officii manus violentas injicit in ecclesiasticum, estò sciat se eas in ecclesiasticum injicere, absolui ab Episcopo potest, non solùm quando percussio est lenis, sed etiam quando est mediocris. 2155.e

Idolotyta.

Idolotytis vesci potius licitum, quàm famæ perire. 3198.a

Ieiunium.

Ieiunium quadragesimale semper in ecclesia in conscientiæ foro sub reatu culpæ obligauit. 3260.d

cui Ieiunium per pœnitentiam iniunctum est, non implet illud præceptum à confessario impositum, si, quia ei cibus denegaretur, inuitus omnino ieiunaret. 3160.b

Ignorantia.

Ignoranter accipiens rem illicitam ab alio, quomodo debeat restituere. 1549.c

Ignorantia inuincibilis quando cadere potest in ius naturale. 1748.b

Ignorantia, quod irregularitas incurratur ob hoc aut ob illud, estò inuincibilis sit, non excusat ab incurrenda ea irregularitate. 2235.c

quando Ignorans iurat se legem ignorasse, sufficit id iuramentum vt absoluatur. 3232.d.e.

Ignorantia inuincibilis legis antecedens efficit legis transgressionem inuoluntariam; ita etiam ignorantia inuincibilis eiusdem legis comitans efficit eandem transgressionem omnino non voluntariam. 3237.e

in foro exteriori Ignorantia iuris non præsumitur, maximè quæ crassa non sit, quæq; a culpa & pœna excuset, sed potius contraria scientia præsumitur. 3238.b.c

in commodis seu compendiis Ignorantia iuris etiam inuincibilis obest, seu non excusat nec adiuuat. In damnis verò ignorãtia iuris non obest, sed excusat ac adiuuat. 3242.e

Illicita res.

quando res Illicita est apta, vt inde damnum sequatur facile interuenit lata culpa, vt ob eam, saltem in pœnam, vt in exteriori foro obligatio iniungi posset illud restituendi. 1577.b

Impediens.

restituere non tenetur, qui absque vi aut fraude Impedit alium ab assecutione eius boni, quod ei non debebatur, suadendo ei, a cuius voluntate pendebat illud conferre, vt illud ei non conferat, & aliquando meritoriè potest id ita impedire. 1570.b

Impediens aliquem ab assecutione eius boni, quod ei non debebatur, non tenetur restituere, etiamsi ex odio & praua intentione contra caritatem id efficeret: si tamen iniustè id impediret, non solum id, sed etiam simul totum aliud damnum tenetur restituere. 1571.d

Impediens aliquem, ne consequeretur quod sibi erat debitum ex iustitia, quantum id damnum æstimabitur, attento iure, quod solus impeditus aut simul cum aliis habebat, & attenta certitudine aut probabilitate, quod id alioquin consecuturus fuisset. 1573.c

restituere non tenentur tanquam concausæ indirectæ eorum damna ab aliis data, qui solum ex caritate ea Impedire tenetur, etiamsi ex odio ea impedire omittant. 1594.e

restituere non tenetur damnum alteri illatum, qui, cùm solum ex caritate illud tenetur Impedire, vellet q; id impedire, illud ei dissuasit sine vi aut fraude, estò ex odio id efficeret damnum patientis. 1597.b

Impedire homicidium qui potuit, attamen ad id non tene-

tenebatur ex iustitia, peccat lethaliter, attamen non incurrit irregularitatem. 1904.c

ii, qui ex officio Impedire homicidia non tenentur, si commodè sine suo detrimento illa impedire possint, saltem ea detegendo, vt impediantur, quando aliter impediri non possent, & ea via possent, peccant in conscientia foro contra caritatem, nisi illa impediant. 1905.d

euentus, in quibus, qui impedire potuit aliquid delictum, nec impediuit, saltem illud reuelando, puniri debet pœna eius delicti ordinaria. 1906.a

quando aliquis crederet, aliquem nomine ipsius iniectarum manus violentas in clericum, si id non Impediret, cùm posset, estò post delictum ab alio commissum ratum illud non haberet, incideret in excommunicationem. 2120.e

Impedire qui non potuit manuum violentam iniectionem, nec impediuit, non incurrit in foro conscientiæ excommunicationem, nisi ex iustitia ad id teneretur. 2122.a

Imperare.

Imperans damnum in arbore iisdem pœnis tenetur, quibus executor. 1296.b

Imperator.

ad Imperatores solos spectabat leges Romæ condere, imperio ad eos solos translato. 3030.c

Imperium.

Imperium duplex, merum & mixtum. 2753.a

Imperium, vt pars est iurisdictionis, quid sit. 2753.b

Imperium merum quid sit, & quid imperium mixtum. 2754.c

Imperii meri sunt sex gradus, itidem in imperio mixto, & in iurisdictione presse sumpta. 2755.d. & 2756.d

Impotentia.

Impotentiæ nomine in restitutione quid intelligatur. 1668.e

Imprecationes.

Imprecationes mali pœnæ, quæ peccatoribus fiunt, in sacra Scriptura quomodo intelligendæ sint. 2579.c

Improperium.

Improperium quid sit. 2568.e

Impubes.

Impubes, qui pubertati non est proximus, licèt ad falsam monetam iuuerit, nullam incurrit pœnam. 1318.b

Impubes si desponsata sit per verba de præsenti cum pubere, & in tali ætate habuit veram copulam fornicariam cum quodam tertio, non puniendi sunt ambo pœna adulterii ordinaria, sed alia arbitraria. 2330.b

Impubes non potest accusari iniuriarum. 1673.e

Impubes aut infans neque compromissum neque alium tractatum validè celebrare potest. 2999.d

Vide Minor.

Incendium.

furtum faciens de domo, quæ Incendium patitur, incidit in pœnam de vi publica, nisi furetur ligna. 1127.e

Incendiarii non sunt ipso iure excommunicati, sed sub excommunicatione ferendæ sententiæ inhibitum est id crimen; & num intelligatur de incendiariis loci sacri. 1191.b

Incerta bona.

Incerta bona quæ. 1635.a

Incerta bona antequam alteri, quàm proprio domino, restituantur, aut circa illa Pontificis autoritate compositio fiat, quæ diligentia adhibenda, & cuius sumptibus. 1635.c

Incertorum bonorum ne quis se fingat dominum, vt ei tradantur, qua cautela vtendum. 1636.b

Incerta bona qui, non facta prius competenti diligentia, insumpsit in opere pio, aut illa lata sua culpa tradidit ei, qui se finxit verum dominum, comparente postea vero domino, tenetur integrè ea illi restituere. Ibid. c

Incertorum bonorum duo sunt genera. 1637.c

Incertum, ad quem ex ritibus paucis aliquid pertineat, & certum quod ad illorum aliquem pertineat, quomodo omnibus restituendum. Ibid.e

Incertorum, omnino post factam diligentiam competentem, ad quem pertineat, restitutio facienda est pauperibus, aut ea insumenda in aliis bonis operibus. 1639.b

Incerta quando, post competentem diligentiam ad inueniendum dominum, restituta sunt pauperibus, si postea compareat dominus; tunc, qui illa restituit, non tenetur ea iterum restituere ei. 1642.a

Incertorum restitutio quibus pauperibus fieri debeat: & num si is, qui facere eam debet, pauper sit, possit sibi etiam partem aut totum applicare. 1642.e

Incertorum restitutio fieri potest pauperibus sine autoritate Episcopi. Et in quibus euentibus possit Episcopus se in ea intromittere, aut eam facere. 1644.c

Indicium.

Indicia adulterii, vnde sæpe præsumptio grauis oriri posset, non sunt sæpe vera, sed excusari possunt: ideo in his indiciis prudentis arbitrio iudicis est standum. 2225.a

Indultum.

Indultum Pontificis non concedit facultatem absoluendi in irregularitate, quæ mere in pœnam culpæ præcedentis est statuta, tollendi ve eam inhabilitatem in sacros ordines suscipiendos, aut ad eos exercendos. 2249.b

Vide Gratia.

Infans.

Infans inuincibili ignorantia iuris interficiens aut aliud flagitium committens excusatur à pœna in foro exteriori. 3241.a

Infamare, Infamis.

Infamare se ipsum, vide Se ipsum infamare.

Infamare se ipsum licèt pro adipiscenda vita æterna. 2472.a

Infamans aliquem circa bona aliqua, tam generis quàm alia, peccat & ad restitutionem tenetur. 2469.e

Infamis infamia iuris & infamia facti excluditur ab omni dignitate obtinenda. 2526.e

quando dignitas est annexa alteri rei, cuius Infamis incapax non esset propter infamiam, tunc neque per infamiam iuris amitteretur illa dignitas. 2528.d

Infamis officia publica aut beneficia Ecclesiastica non adit. 2528.e

Infamatus publicè de aliquo crimine dicitur, de quo licèt notorium non sit eum id crimen commisisse, neque iuris neque facti notorietate, est tamen publica fama id eum commisisse, ex verisimilibus coniecturis habens ortum. 2610.d. aliud est esse Infamatum in domo publica, aliud in populo & ciuitate. Ibid.e

Infamatus de vno crimine illicitè infamatur de alio etiam eiusdem speciei, potestq́, in eo interuenire culpa lethalis : aliquando verò nulla inde infamia oritur, & culpa tantùm venialis. 2612. e

quando aliquis infamatus est de aliquo crimine in aliquo loco, absque culpa lethali, narrari potest id crimen aliis in eodem loco qui id nesciunt; modò iustè fuerit infamatus. 2613. e. secùs si iniustè fuerit infamatus. 2614. d. si extensio damni, quæ fieret post crimen iam factum eo modo publicum iniustè, prudentis arbitrio esset incrementi damni exigui, attento quòd ille iam esset infamatus de eo crimine, tunc culpa non esset lethalis ita detegere crimen nescientibus. 2615. a. si quis verò vlteriùs detexit post factum publicum, existimabat eum, quo cum loquebatur, illud scire, tunc non peccat lethaliter id detegendo, neque tenetur ad restitutionem. Ibid. b

qui verè commisit aliquod crimen, de quo iam Infamatus est, dignus ob illud in se est, de quo illud concipiatur, & proinde ea laboret infamia. 2615. c

Infamis esse potest arbiter. 2990. a

Infamia.

Infamia personæ est læsio status, dignitatis, seu conditionis personæ alicuius, qua iuris humani dispositione infamis habetur ac redditur. 2492. d

Infamiam qui incurrant. 2495. e. & seqq.

Infamiam iure canonico ipso facto incurrit, qui in aliquod graue peccatum incidit. 2505. e

Infamiam subit, qui ictibus aut alia pœna publica delicto commerita a magistratu est punitus, non præcedente sententia, at præcedente delicto. 2516. a

Infamiam abolere, non solùm efficiendo vt concepta non fuerit, sed etiam illam ab aliorum cordibus amouendo, non est in alicuius potestate. 2522. e

Infamia iuris aut facti si sit notoria, inualida est electio ad dignitatem; & infamis, qui ita se curat eligi, puniendus est & peccat. 2528. a

quando quis iam esset in dignitate cõstitutus, & tum Infamiam incurreret, tunc si infamia sit iuris, amittit dignitatem; si verò infamia sit facti, non ideo amittit dignitatem. Ibid. b

Infamiam iuris aut facti remittere, quo ad ea ad quæ impedit, Princeps, qui non habet superiorem, potest, & respubl. quæ non agnoscit superiorem, & item Princeps qui alteri feudatarius est. 2523. b

quando Infamia alicuius in aliquo loco solùm esset rumor publicus de aliquo delicto publico ex verisimilibus coniecturis, aut suspicio non firma, tunc qui ita detegeret id delictum, vt illud certum efficeret, peccaret contra iustitiam, cum onere restituendi. 2619. e

si temporis longinquitate abolita est infamia alicuius de aliquo delicto, de quo non fuit in iudicio damnatus, sanè suscitare de nouo infamiam illam iam abolitam iniuria est in eum, qui temporis decursu recuperatam iam habebat famam. 2622. b

quando Infamia non redundat in alios, qui ex delicto alterius infames maneant, tunc remittente iniustè infamato obligationem restituendi, deobligatus manet is infamans ab obligatione restituendi famam, nihil impediente quòd ea infamia redundet in damnum aliorum. 2713. b

Infectum damnum.

Infectum damnum quid sit. 1327. c

Infectum damnum vt sit soluendum, si sequatur, peti debet coram iudice pro tribunali sedente, vt de eo caueatur, nec sufficit peti extra iudicium. Et obligatio tunc est in foro conscientiæ, licèt stipulatio aut promissio probari non possint. 1329. e

Infecti damni qui sibi caueri petit, toties de calumnia iurare debet, quoties id petit. Et quid de procuratore, quando per procuratorem id petit. 1330. a

Infecti damni si procurator alicuius ei, cuius est procurator, caueri petat, cauendum ei est, modo procurator de rato caueat. Ibid. c

Infecti damni intra quantum tempus & vsque ad quem terminum caueri debeat, Iudex, causa cognita, statuere debet. Ibid. e

Infecti damni ex ædificio publico, aut ex loco publico, non cauetur. 1332. a

Infecti damni cauet, qui vias publicas priuata autoritate in suum commodum munit. Ibid. b

Infecti damni qui cauet nomine proprio, non dat fideiussores: qui verò nomine alieno, dat fideiussores. Ibid. c

Infecti damni si caueri petatur ex re, circa quam duo contendunt, possidens eam cauere debet, alioquin is, qui sibi caueri petit, in possessionem mittitur ex primo & secundo decreto. Ibid. d

Infecti damni si caueri petatur ex re pertinente ad diuersos, satis est si proprietarius caueat sine fideiussoribus: quo dato, cæteri cauere debent sine fideiussoribus pro rata dominii vtilis aut iuris, quod in re habent. 1333. a

Infecti damni non tenetur præstare fideiussores, sed satis est si promittendo caueat, qui rem possidet, quam bona fide a non domino comparauit. 1335. b

Infecti damni si vsque ad certum diem sit cautum, & ante eum diem corruit id, vnde damnum timebatur, & quæsauit aliquid, quo post eum diem decidit, soluendum est id damnum. Ibid. c

Infecti damni vicissim cauere debent, qui habent res, vnde vicissim damnum timetur. Ibid. d

Infecti damni cautio locum non habet ex solo suapte natura ruinoso, sed bene si timeatur ex ædificio in eo superposito. Ibid.

Infecti damni cauere debet, etiam qui habet aliquid solidum, quando ex remotiori ædificio imminet damnum, quod id solidum sustinere non potest. Ibid. e

Infecti damni ex eadem domo cauere tenetur proprietarius vsufructuario habenti proximum aliud prædium, quando ex solo imminet periculum ei prædio. 1337. a

Infecti damni neuter alteri cauet, si habeant dominium pro indiuiso eiusdem ædificii, quod minatur ruinam, licèt alter eorum proximum habeat aliud prædium, quod inde periclitetur. Ibid. c

Infecti damni non valet cautio, neque soluere tenentur damnum vnus alteri, quando conuenerunt, vt communis paries destrueretur, & reædificaretur, etiam si habeant proxima prædia, quibus id noceat. 1338. d

Infecti damni cautionem petere potest, quicunque ius aliquod habet in re, cui damnum timetur, quo ad id præcisè damni, quod sibi potest prouenire. 1339. e

Infecti damni cauendo multis, qui ius habent in re,

cui

cui damnum timetur, non plus illis cauere debet, quàm vni soli, qui integrum dominium rei illius haberet, quia singulis cauere debet quo ad suum partiale damnum. Ibid.

Infecti damni cauendum non est ei, de quo constat à non domino comparasse id, cui damnum immi-net, neque cautio bona fide ei antea præstita est valida. 1340. e

Infecti damni si duobus, habentibus commune id cui damnum timetur, cautum sit, si post ea vnus com-paret partem alterius, transit in illum cautio eius partis præstita, si cautum fuerat ei & succes-soribus. 1341. a

Infecti damni qui ex vna causa cauit, si ex alia dam-num oriatur, tunc tenetur ille resarcire damnum. 1345. a

Infecti damni qui cauit ex eo opere, quod facere in-tendebat, si ipse id non fecit, nec mandauit, nec fa-ctum sit ab eo, quem ipse prohibere potuerit, non tenetur de damno inde sequuto. Ibid. b

Infecti damni qui cauit ob aliquod suum prædium, si aliquid in eo efficiat vtendo iure suo, vnde de-trimentum vicino prædio proueniat, non tenetur de eo damno. Ibid.

Infecti damni qui cauit ob vitium rei suæ, si sequa-tur damnum, non ex eo vitio, sed casu fortuito, non tenetur de eo damno, nisi ob id vitium ex eo fortuito casu sit secutum. Ibid. d

Infecti damni si caueri coram iudice sit petitum, & dum iudex deliberat, damnum sequatur, compe-tit actio in factum aduersus dominum rei, vnde damnum prouenit, vt illud resarciat. 1346. e

Infecti damni denuntiatio vt caueat, qualis sufficiat, & quot modis fieri possit. 1347. b

Infecti dani denuntiatione facta vt caueatur intra certũ terminum, nec præstita cautione, qui timet damnum mittitur à iudice in rei possessionem rei illius ex primo detreto. Ibid. d

Infecti damni si multi domini diuersorum prædio-rum, aut vnius prædii, caueri sibi postulent ratio-ne alterius prædii, siue simul siue vnus post alium id petant, omnes simul & æqualiter mitti ex pri-mo decreto debent in possessionem eius prædii. 1349. a

Infecti damni quia non est cautum, eo ipso quòd quis mittitur in possessionem rei alicuius ex primo de-creto, incipit illa habere rationem quasi pignoris prætorii, & neque ex lata culpa tenetur, si illam non reficiat, nisi fortè quando dominus est absens. Ibid. b

Infecti damni quia non est cautum, missus in posses-sionem ex primo decreto non possidet eam rem, sed solùm legitimè illam tenet, ac possessio perseue-rat apud illum alium. 1350. b

Infecti damni quia non est cautum, missus in posses-sionem si animo illam non deserendi recedat, eam non amittit: secùs si animo illam deserendi. Ibid. c

Infecti damni qui cauit, si post cautionem id prædium alienauit, & ex illo secutum est damnũ, qui cauit tenetur ad illud. Non verò nouus suc-cessor, nisi ab illo etiam petita & præstita fuerit cautio. Ibid. d

Infecti damni cautio si offeratur misso in possessio-nem ex primo decreto, tenetur eam admittere, modò ei soluantur damnum secutum & expensæ vtiles factæ, & caueatur de damno futuro. Ibid. e

Infecti damni ob non præstitam cautionem iusso mit-ti in possessionem ex primo decreto, si resistatur, quæ actiones ad interesse ei competant. 1351. b

Infecti damni ob non præstitam cautionem iusso mitti in possessionem ex primo decreto, si resist-atur tertius aliquis, quando actiones aduersus illum competant. Ibid. e

Infecti damni ob non præstitam cautionem missus in possessionem ex primo decreto, à quo iudice & quando mitti debeat ex secundo decreto. Mi-nori & absenti reip. causa restitutio in integrum aduersus eam missionem conceditur. 1352. b

Infecti damni ob non præstitam cautionem missus in possessionem ex secundo decreto comparat eo ipso possessionem ciuilem & naturalem, præscribere-q; cum titulo incipit rem illam, si erat alicuius ter-tii. Ibid. d

Infecti damni ob non præstitam cautionem missus in possessionem ex secundo decreto, si inde expellatur, aut regrediens ad eam rem non admittatur, quæ actiones aduersus repugnantem competant. 1353. d

Infecti damni ob non præstitam cautionem si multi simul aut successiuè vnus post alterum petant mitti in possessionem ex secundo decreto, mittendi sunt, non æqualiter, sed iuxta proportionem dam-ni, quod quisque timet ex illa re, ad damnũ quod alii timent. Ibid. e

Infecti damni ob non præstitam cautionem si aliqui missi sunt in possessionem rei alicuius ex secundo decreto, & alius superueniat, qui petat sibi ex ea-dem re cauere, ad illos spectat ei cauere. 1354. a

Infecti damni ob non præstitam cautionem si quis missus sit in possessionem alicuius prædii ex secun-do decreto, & qui illud ea ratione amisit, habeat aliud prædium vicinum, ratione cuius petat sibi caueri, non tenetur præstare ei cautionem. Ibid. b

Infidelis.

Infidelis in Hispania si cum virgine aut vidua Chri-stiana habeat accessum, lapidibus necatur: vidua verò prima vice amittit dimidium bonorum suo-rum patri, aut matri, aut auis, alioquin ad fiscum Regis pertineant; pro secunda vice omnia sua bo-na eisdem, & ipsa interficitur. 2423. a

Infirmi.

Infirmorum curatores, cùm opere ipso non dent ope-ram rei illicitæ, neque aliquid efficiunt scientes aut timentes id nociturum, vel mortem culpabi-liter acceleratum, non incurrunt irregularitatem. 2215. e

Ingenuus.

Ingenuus, cui fugere sit dedecori, ab alio inuasus, non tenetur fugere, sed honorem defendendo ag-gressorem potest interficere. 1773. d

Iniuria.

Iniuriarum actio, vide Actio.

priuati Iniuriam passi, quamuis licitè exigere de malefactoribus pœnam coram potestatibus publi-cis possint; non tamen priuati possunt sua autori-tate illam decernere ac sumere. Secluſa tamen dispositione in contrarium iuris humani, transi-gere possunt, & accipere aliquid pro iure, quod habent ad pœnam exigendam. 1507. e

in peccatis contra iustitiam Iniuria & offensa distin-cta est à damno: atque cum æqualitate damni esse potest maior iniuria & offensa in vno peccato, quam in alio. 1506. a

Iniuriæ quantitas ac qualitas quomodo attenditur. 1702. a

quando aliquis ab aliquo Iniuriam accipit, & ami-cus eius interficit iniuriantem, aut vulnerat, si ip-so inscio fiat, neque deinde ratum habuit; aut est o agnouerit id fieri velle, ipse non consensit, sed co-

natus est impedire, nullam pœnã incurrit. 1892. d
Iniuria interdum latè, interdum presse vsurpatur, latius patet quam contumelia. 1962. c. 2529. d. 2664. b
ex Iniuria latissimè sumpta variæ actiones oriuntur: ex iniuria verò pro contumelia iniustè illata oritur actio peculiaris, quæ iniuriarum nuncupatur. 1963. b
Iniuria presse sumpta pro contumelia in tota sua latitudine diuiditur in atrocem & in non atrocem: & quot modis atrox iniuria fiat. 1964. d
Iniuriam passo integrum est vel agere ciuiliter ad pœnam pecuniariam, vel agere criminaliter, vt tanta pœna corporalis ei imponatur, quanta fuit iniuria, pensata quantitate iniuriæ & circumstantiis concurrentibus. 1965. e
Iniuriam passus quando agit ciuiliter ad pœnam pecuniariam pro quantitate iniuriæ, tunc pœna illa applicatur ipsi iniuriam passo. 1967. b
Iniuriam passus si agat ciuiliter, exprimere in libello poterit, quanti iniuriam ipsi æstimet, salua iudicis taxatione. 1967. c. vel potest eam æstimare in se, spectatis omnibus circumstantiis concurrentibus, quanta summa pecuniæ sit æquum vt compensetur. 1968. b
quando Iniuriam passus potius eligit agere criminaliter probato ab eo crimine, imponitur ei qui iniuriam intulit pœna corporalis, aut etiam pecuniaria, arbitraria pro iniuriæ quantitate. Ibid. d
pro Iniuria infra homicidium potest iudex procedere vsque ad pœnam mortis, si ita postulet grauitas delicti: pro delicto autem, pro quo in aliquo loco esset consuetum non imponi mortis pœnam, nefas esset iudici pœnam mortis imponere, nisi adessent circumstantiæ aggrauantes. 1971. d
Iniuriam passo cùm integrum sit intentare actionem iniuriarum vel ciuilem vel criminalem, quam ipse malucrit, intentata vna earum, non permittitur ei eam deserere, sed vna electa cessat omnino altera. 1972. b
Iniuriarum actor quando ageret ciuiliter ad pœnam pecuniariam, & iudex tempore sententiæ cerneret, reum soluendo non esse, commutare debet pœnam pecuniariam in corporalem. Ibid. c
Iniuria quando est ita leuis, quod indigna esset pœna corporali, & solum digna pecuniaria, tunc damnandus non est iniuriam inferens pœna corporali, sed pecuniaria. Ibid. e
Iniuriam passus siue agat ciuiliter ad pœnam pecuniariam in vindictam iniuriæ, siue criminaliter, vltra eam actionem competit ei actio ad petendam recuperationem omnium damnorum in bonis externis, quæ ex ea iniuria sint ei sequuta. 1973. d
in Iniuriis agi potest tum ad interesse pro damno accepto ex tali iniuria in bonis externis, tum etiam ad pœnam pro iniuria accepta. 1987. e
si Iniuria offensus expresse aut tacite remittat eam, ac proinde neque ei ciuilis actio ad pœnam, neque criminalis deinceps permittitur; tamen si ex ea iniuria damnum aliquod in bonis suis externis fuit sequutum, non censetur illud remisisse. 1991. d
Iniuriam inferens, si timeat malum aliquod ab offenso ea de causa sibi inferendum, potest ab eo petere fidei iussoriam cautionem, quòd nihil mali ipsi inferet, implorãdo iudicis officium, vt illum compellat eam sibi præstare. 1994. e
prosequi Iniuriam suorum illi dicuntur, qui si rei illi essent criminaliter, quorum iudicium volunt prosequi, cogi non possint ferre aduersus illos testimonium; & qui sunt in quarto gradu consanguinitatis sunt cum eis coniuncti. 2022. e
Iniuriam suorum prosequi dicuntur socer aut socrus respectu generi aut nurus, & è contra; vitricus ac nouerca respectu priuigni, & è contra; vxor etiam respectu mariti, & è contra. 2024. e
ad Iniuriam suorum prosequendam solum admittuntur proximiores in gradu, quando ipsi accusare volunt, alioquin admittuntur, qui post illos sunt proximiores: & satis est solos proximiores in gradu remittere delictum. 2027. a
Iniuria enormis, interueniens in violenta manuum iniectione in priuilegio canonis gaudentem, potissimùm æstimatur ex facto. 2143. d
Iniuria enormis interdum presse accipitur, vt distinguatur à leui, sed etiam à mediocri. 2145. d
pro Iniuria aduersus pudicitiam, quando non interuenit vis completa per copulam, sed infra copulam fuit illata, competit actio iniuriarum ciuilis aut criminalis. 2453. a
Iniuria circa bona honoris & famæ interdum fit solo actu interno eius, qui illam re ipsa infert. 2530. b
Iniuria irrogatur, si gestibus, aut veste ad id induta, vel quauis alia ratione, aliquis alterum imitetur, aliquid fœdum in illo denotando, vel ridiculum, quo honor eius lædatur, & potest aduersus eiusmodi intentari actio iniuriarum. 2672. e
omnis Iniuria corporalis proximo illata, & animus illam inferendi, reducitur ad quintum præceptum decalogi. 3142. c

Iniustitia.

Iniustitia circa bona externa fit multis modis. 1113. a
Iniustitiæ quæ committantur in propriam personam, aut personas nobis coniunctas. 1783. a

Innocens.

ciuis Innocens à tyranno postulatus ad occidendum cogi potest à repub. vt se tyranno tradat. 1735. c. 1752. d
Innocentem occidi posse, etiam pro salute reip. totius, ait communis doctorum opinio. 1749. d
ciuitas ciuem Innocentem ab iniusta morte defendere tenetur. 1753. e
si Innocente inuito vsus est homicida ense illius ad necem alterius, indeq; iudicium resultauit quòd innocens alterum interfecerit, eaq; de causa periculis subiacuit, tenetur homicida omnia damna restituere innocenti. 2289. c
si homicida eo animo occidisset alterum, vt id homicidium Innocenti intentaretur, tenetur homicida innocenti ad omnia damna, quæ illi ea de causa obuenerint. 2290. a
quando homicida alterum occidit, non quidem animo nocendi Innocenti, tamen sperans hoc illi imputandum, animatus aggressuq; facilius est id maleficium patrare, grauissimè peccat contra caritatem innocentis, non tamen contra iustitiam, nec tenetur ad restitutionem damnorum. Ibid. b
si homicida, intelligendo postea suum homicidium imputatum Innocenti inimico suo, gauisus sit ex odio, quo illum prosequebatur, id illi infortunium euenisse, non peccat contra iustitiam, nec tenetur restituere. Ibid. d

Inquisitio, Inquisitores fidei.

crimina religiosorum, ad sanctæ Inquisitionis tribunal spectantia, punienda sunt non per ipsorum prælatos, sed per inquisitores aut Episcopos.

pos. 2761. e
Inquisitores hæreticæ prauitatis sunt iudices delegati summi Pontificis ad fidei causas. 2881. c
Inquisitores fidei, tam supremus quam inferiores, immediatè habent suam potestatem a summo Pontifice. 2884. d
Inquisitor perpetuus generalis in Hispania, qui à Rege eligitur, & à summo Pontifice confirmatur, habet iurisdictionem delegatam instar ordinariæ, & in multis cum illa conuenientem. 2885. c
Senatores supremi tribunalis Inquisitionis sunt iudices immediatè delegati à summo Pontifice ab eo immediatè suam iurisdictionem habentes. Ibid. e
Inquisitores subdelegare vnum aut multos possunt, qui vel simul coniunctim procedant in iisdem causis, vel diuisim in distinctis locis sui districti. 2888. e
de iure communi quando multi sunt constituti Inquisitores in eodem districto simul ac diuisim procedere possunt contra eos, ad quos iurisdictio eorum se extendit. 2890. b
si existentibus Inquisitores in eadem prouincia ipsorum, summus Pontifex causam aliquam fidei alicui particulariter deleget, vt de ea cognoscat, tunc censetur ea causa commissa ad summum Pontificem auocata, nec proinde possunt illi alii inquisitores de ea cognoscere. 2890. c
Inquisitio Hispanica quid particulare habeat. 2892. e
quando Inquisitores & ordinarii in aliquod discordant, tunc de iure communi causa ab inquisitoribus & ordinario bene instructa remitti debet ad summum Pontificem: secùs in Hispaniis. 2894. a. quando ferenda est sententia definitiua, aut interlocutoria, non potest vnus sine alio validè procedere sententiam absolutoriam pronuntiando; quia delictum non sufficienter probatum inuenitur. 2895. d. sed quando sententia non est omnino absolutoria, sed in pœnam reus abiurare præcipitur, aut pœna alia ei imponitur stando in solo iure communi, non potest inquisitor sine ordinario, aut ordinarius sine inquisitore procedere in eam sententiam ferendam. 2896. c
tam Inquisitores quàm ordinarii iurisdictionem habent, non solum in clericos seculares, sed etiam in quoscunque religiosos, vt contra eos procedant ac eos puniant, quando de fidei negotio agitur. 2900. a
quando vnus Inquisitorum hæreticus reperiretur, Episcopus aut alius inquisitor potest aduersus eum procedere, cumq; comprehendere. 2902. c
Inquisitores ad minimum quadraginta annorum esse debent. 2903. c. 2904. a

Insequi aliquem.

Insequens alium vt ei noceat, aut includens in aliquo loco, infert iniuriam, iniuriarumq; actio aduersus eum competit. 2673. d

Instrumenta.

Instrumenta mortis vendens aut conficiens, nesciens ad id emi aut peti, irregularitatem non incurrit. 2207. b

Intellectus.

actus intellectus, quibus temerariè concipimus sinistrum quid de proximo, habent se instar actuum externorum, comparatione actuum voluntatis, quibus illos imperamus, & sunt contra iustitiam commutatiuam. 2531. c
potest quis ex parte Intellectus, concurrente consensu voluntatis in existimando de aliquo quod famæ illius præiudicet, se habere, vt dubitet primò de bonitate aut de aliqua bona qualitate illius, neutri parti adhuc inclinando. 2547. a. potest tamen esse ita affectus, vt assentiatur alteri parti, non tamen firmiter, sed adhuc hæsitans: vel ita vt sine hæsitatione vlla alteri parti assentiatur. Ibid. d. & 2548. c

Interdicere aqua & igni.

Interdictionis aquæ & ignis pœna aboleuit, & eius loco venit deportatio in insulas. 1129. c

Interdictum.

Interdictum est vna ex censuris Ecclesiæ. 2244. c

Interficere, interficiens.

Interficiens se ipsum vel alium peccat contra quintum præceptum decalogi, etiam concessa ad id ab interfecto facultate. 1695. b
fas est Interficere eum, qui nos interficere decreuit, quando aliter non patet via euadendi mortem, & graue periculum mortis, quod nequitia illius ex eo decreto nobis imminet. 1760.
Interficiens vnũ pro altero ob defectum doli censetur secundùm aliquos a pœna mortis immunis, sed alia pœna arbitraria puniendus. 1846. d. potior verò opinio est, pœna homicidii ordinaria puniendum esse. 1847. b
si Interfector non ex intentione interfecit aliquem tertium, si fuit inuasus, & culpa caruit, illum alium interficiendo, tunc neque ad illam pœnam tenetur: sed autor rixæ puniendus est pœna arbitraria: si verò interfector fuit inuasor, tunc semper aliqua arbitraria est puniendus, & ad omnia damna secuta tenetur. 1852. b
Interfector quando confitetur, se homicidium illud commisisse, sed addit in suam defensionem illud commisisse, tunc si de eo homicidio bene constet, homicida puniri debet pœna ordinaria: at si tantum constet ex confessione rei, aliquid de pœna minuendum est. 1859. d
quando in defensione nulla culpa interuenit Interfector, ea defensione iniusti aggressoris, nullam pœnam ob eam occisionem incurrit. 1854. e
Interfector si antea delictum negauit sed postea sufficienter conuincitur: tunc si dicat se illud commisisse in sui defensionem, vel absolui potest, vel pœna minui. 1860. b
quando Interfector non ex dolo sed ex leui culpa aggressorem interfecit, ea culpa ex eadem circumstantia multum alleuiatur. 1861. e
quando aliquis non se ipsum agens, actus omnino ab alio, Interficeret aliquem præter suam voluntatem, non incurreret irregularitatem. 2198. b
ii qui sua culpa ad eum statum deuenerunt, vt ad conseruandam suam vitam necesse sit eis Interficere eos, qui ipsis mortem parabant, licitè tunc ad propriam vitam defendendam, possunt interficere inuasores. 2201. d
Interficiens cum moderamine inculpatæ tutelæ simul ex odio suum aggressorem, in euentu, in quo, si odium non interueniret, irregularitatem non incurreret, neque eam incurrit ex odio interueniente. 2223. c

Interfectus si erat mancipium, tenetur iniustus interfector eius pro damno vitæ illius restituere domino illius valorem mancipii. 2273. a
si aliquis alium Interficit, idq; delictum alteri imputatur, si id ille non intendit vt scilicet imputaretur; sed solum intendit id damnũ inferre alteri in propriam vindictam, tunc si innocens aliquid cogatur soluere, id restituere illi tenetur homicida in foro conscientiæ. 2288. e
iure antiquo concessum fuit Interficere adulterum deprehensum in adulterio, deinde marito facta potestas, vt maritus interficere quoq; posset suam vxorem in adulterio deprehensam: postea tamen solùm permissum est interficere adulterum in domo mariti in adulterio cum sua vxore deprehensum, non verò alibi, nec etiam quemuis adulterum, sed vilem & infamem. 2371. a. Vide adulter, & Maritus.
quando constaret Interfectum decessisse in culpa lethali, tunc nulla esset obligatio restituendi bonum quodcunq;, quod ad hæredes illius non esset transferibile.
in iniusta Interfectione tria spectanda sunt. 1849. e

Interpretari legem.

Interpretari legem quid sit. 3145. b

Inuasus ab alio.

Inuasus dans damnum sine sua culpa inuasori aut alicui tertio non tenetur resarcire. Iniustus tamen aggressor tenetur de illo lege Aquilia tertio illi. 1266. b. Si interuenit leuis culpa inuasi in eo dando inuasori, non tenetur illi resarcire: si verò interueniat in eo dando cuidam tertio, nec inuasor illud restituat, tenetur inuasus resarcire. 1267. a
Inuasus excedens moderamen inculpatæ tutelæ, si aggressorem interfecit, interfector tenetur solùm de excessu. 1860. c
Inuasus occidens absque moderamine inculpatæ tutelæ suum iniustum aggressorem, deberet ad iudicium vocare eos, qui damnum ita ab eo acceperunt, vt autoritate iudicis obtineret absolutionem ab obligatione restituendi data dãna, quando illi, quibus essent data, libere remittere non vellent. 2258. b. Interfector tamen potest facere compensationem, non aliud soluendo, quam quod æquus iudex in eo euentu soluere præciperet. Ibid. e

Inuentum.

furtum committitur, si Inuentum retineatur ab inuenienti, & quando id præsumitur. 1117. b. sed non est furtum, qui Inuentum sibi retinet, quando dominus eius rei eam habebat pro derelicto, estò inueniens id ignoraret. Ibid. vide Lusitania.
Inuenta quomodo post diligentiam competentem sint restituenda. 1340. a
lethaliter peccat qui Inuentam memoriam peccatorum alicuius legit, idq; contra iustitiam circa famam illius, pro qualitate eorum quæ in ea continerentur. 2637. c

Inundatio.

licet se tueri ab Inundatione, etiam cum aliorum præiudicio. 1367. c

S. Ioannes Baptista.

Ioannes Baptista, licèt in vtero sanctificatus, tenebatur ad circumcisionem. 3187. c
à Ioannis Baptistæ tempore regnum cælorum vim est passum. 3193. b
Ioannes Baptista fidem Christi habuit, dum in ventre matris est sanctificatus. 3193. d
Ioannes Baptista Elias fuit. 3193. e

S. Iob.

Iob impatientia excusatur. 2577. c

Irregularis, irregularitas.

Irregulares sunt omnes, qui concurrerunt ad idem homicidium, quando dubium est, quis illorum interfecerit. 1282. e
Irregularitatem vterque incurrit, si vnus lethaliter prius percussit, & postea alius interfecit. Erit autem in vtroque ea irregularitas ex homicidio voluntario, si vterque interficere intendit. 1283. e
Irregularitas ex aborsu. 1817. e
Irregularitas quid sit. 2780. b
Irregularitas solùm ob homicidium ac mutilationem incurritur. 2180. d
vt irregularitas incurratur, necesse est mortem aut mutilationem actu completo esse secutam. 2181. a etiam vt mutilator vel occisor id post baptismum suum fecerit. Ibid. b
Irregularitas non incurritur nisi in euentu expresè iure expresso. 2182. a
quando Irregularitas post susceptos ordines ex corporis vitio consurgit, absque culpa corporis eo modo vitiati, solum impedit eos actus ordinis, ad quos corpore vitiatus habet impotentiam. 2193. e
circa Irregularitatem ob vitium corporis solus Summus Pontifex dispensat. Episcopi etiam dispensant in omni irregularitate ex delicto occulto prouenient. 2195. c
quando vitari non potest mutilatio proprii membri, non incurritur Irregularitas. 2202. c
in euentu, in quo aliquis præuia protestatione non incidit in Irregularitatem, si de delinquente coram iudice sæculari cõqueratur, & mors delinquentis inde sequatur, incurrit irregularitatem aduocatus, qui eam causam patrocinatur. 2212. c
Irregularitas omnis ex quacunque causa contracta impedit tum suscipere de nouo ordines aliquos, tum etiam ministrare in antea suspectis, idq; sub reatu culpæ lethalis. 2238. e
licet Irregulari ex homicidio occulto, etiamsi voluntarium fuerit, celebrare, antequam cum eo dispensetur, quando, nisi celebraret, esset suspicio, id ipsum homicidium commisisse, modo de peccato doleat & confiteatur. 2243. a
Irregularis qualicunque de causa incapax est beneficii Ecclesiastici de nouo obtinendi, dum ita est irregularis, estq; proinde collatio nulla. 2234. b
Irregularitas triplex est. 2244. e
Irregularitas, quæ simul contrahitur in pœnam culpæ & propter indecentiam, dispensari non poterit virtute indultorum. 2245. e

Irritare legem.

Irritare legem aut votum quid sit. 3144. d

Isaac.

Isaac à patre immolatus. 3155. e
Vide Abraham.

Iter.

Iter vt est seruitus, & via, vt est seruitus, in quo differant, dicanturq; priuata. 1447. e
Itineris seruitus ad quæ se extendat. 1464. e

Iubere.

Iubens tacitè vel expresse quis censeatur, vt, damno secuto inde, restituere illud teneatur. 1578. c

Israelitæ, Iudæi.

Israelitæ iustè Ægyptios exspoliarunt. 1122. d
Iudæorum lex grauior, quàm lex Gentium. 3097. e

tamen

tamen longè maius beneficium acceperunt quàm gentes, & maiora illis auxilia collata, ad illam implendam meritis Christi, cuius fidem expressius profitebantur, quàm in lege naturæ fieret. 3098. a

Iudæorum priuilegia eis à Deo collata. Ibid. & seqq.

Iudæi populus electus. 3098. b

Iudæi tenebantur totam legem scriptam seruare, quâ circumcisione fuerant professi, neque synagogam deferentes ad legem naturæ transire poterant. 3099. a

Iudaicus populus fuit spiritualis resp. ecclesiæ ac politica sub vno rectore illius Moyse. 3119. b

Israelitæ sub lege existentes puero comparantur sub pædagogo constituto. 3125. e

Israelitæ promissione bonorum temporalium inducì debebant ad obseruationem legis. Ibid.

Iudæi ex quo Christum occiderunt, fuerunt desolati & abiecti, sed ad hanc vsque diem dispersi sunt sine Rege ac duce. 3128. b. c

Iudæi sæpius conati sunt templum post Christi mortem reædificare, sed diuinitus prohibiti sunt. 3130. d

licitum erat solis conuersis ex Iudæis legalia seruare a morte Christi vsque ad sufficientem Euangelii promulgationem. 3178. e. 3179. d

Iudæi ante passionem Christi, visis tot miraculis eiusdem, tenebantur in illum credere, & proinde fieri Christiani, sed id esse non poterant nisi suscipiendo baptismum. 3191. a. e

Iudæus aliquis ignorans post Christi passionem inuincibiliter baptismum, si circumcideret paruulum suum, paruulus ille iustificaretur. Ibid. c

Iudæi ante passionem Christi seruare tenebantur præcepta illius. 3191. c

Israelitis data potestas constituendi sibi Reges. 3256. b

Israelitæ Ægyptios exspoliantes non fecerunt id ex dispensatione Dei in præcepto furti. 3156. c

Iudas traditor.

Iudæ peccatum in vltima cœna Christus non reuelauit, sed vt propheta prædixit. 2489. d

Iudex.

Iudex qui appellantem percutit, comprehendit, aut ignominia afficit, licèt sine armis id efficiat, crimen vis publicæ incurrit. 1128. c

Iudices de la hermandad in quæ furta inquirere possint, & quibus pœnis ea puniantur. 1217. d

Iudex, dum pro tribunali sederet, si non præcepit cauerì damni infecti, aut post ea requisitus non instit mitti in possessionem ex primo & secundo decreto, & reliqua necessaria præstari, actio in factum ad interesse competit aduersus illum, quæ ad hæredes transit. 1346. c

Iudex si absque dolo culpabiliter sententiam iniustam ferat, ex quasi delicto tenetur. 1480. d

Iudex, quando est pœna arbitraria, neque est lege taxata, vt sit infra mortẽ, potest imponere mortis pœnam, si ex circumstantiis dignum prudentis arbitrio id delictum tantâ pœna sit. 1810. d

Iudices in pœnis arbitrariis pro delictis imponendis præ oculis habere debent Deum, non excedendo latitudinem iustæ pœnæ, vel aliqua passione permoti reos grauare. 1970. b

Iudicis processus ex suo officio ad inquirenda crimina de iure communi est extraordinarius, in defectum alterius qui accuset; processus verò ad querelam & accusationem alterius est remedium ordinarium. 2058. c

multis in locis hodie est in vsu, vt admisceatur processus Iudicis ex suo officio via inquisitionis cum processu via accusationis, quando se offert aliquis qui accuset. 2059. d

non spectat ad Iudicem à principe deputatum crimina remittere, quorum remissio petitur, sed ad solum Principem. 2077. e

Iudex Ecclesiasticus & sæcularis.

non solùm post sententiam, quæ in rem transierit iudicatam, latam a iudice sæculari, sed etiam a principio causæ, aut in eius progressu, imprimis ad Iudicem Ecclesiasticum talis rei, & non ad iudicem sæcularem, spectat cognoscere de ea exceptione, sententiamq; circa eam ferre, num scilicet talis reus sit de numero Ecclesiasticorum exemptorum. 2089. e

quando Iudex sæcularis aliquem reum comprehendit, qui ecclesiasticum se esse dicit de numero priuilegio fori gaudentium, si notorium sit eum talem esse, tradendus tunc est statim iudici ecclesiastico, antequam vlteriùs procedatur: secus verò si non sit notorium. 2090. d

Iudex sæcularis quando procedit criminaliter aduersus ecclesiasticum nondum captum, & is accedit ad suum iudicem ecclesiasticum, vt dicat se esse personam exemptam, petitq; ab eo, vt censuris compellat iudicem sæcularem inhiberi à cognitione eius causæ, statutum est in Hispania, vt, si crimen tale sit, pro quo, si ille esset laicus, capiendus esset à iudice sæculari, debeat is reus detineri à iudice ecclesiastico, alioquin posset à sæculari comprehendi. 2091. b

Iudices ecclesiastici in suo tribunali imponere non possunt pœnam sanguinis aut mutilationis: pœnam tamen flagellorum imponere possunt. 2092. c

Iudices sæculares licitè possunt mittere in carcerem personas ecclesiasticas, de mandato ecclesiasticorum potestatum. 2134. a

quando Iudex, ad quem spectat sententiam mortis ferre, interrogat, ad quid, quo ad aliquod delictum à malefactore aliquo commissum, teneatur, non incurrit irregularitatem. 2209. d

Iudex, etiam ecclesiasticus, fit irregularis, qui ita reum aliquem in carcerem includit, vt breui sit illi mortem illaturus. 2213. d

Iudici interroganti rem aliquam licet detegere, licèt delinquenti promiseris pacto te non reuelaturum, si videlicet ante semiplena de delinquente infamia fuerit. 2476. b

Iudex si instigatorem accusatoris in sententia calliditatis argueret, non incurrit instigator infamiã iuris, sed pudorem potius, & proinde solam infamiam facti. 2511. c

quatuor sunt gradus ex parte intellectus in Iudice comparatione sententiæ ferendæ, qui omnes sunt infra euidentem cognitionem, sub cognitione id etiam comprehendendo, quòd euidens est sensu. 2538. d. 2540. b

officium Iudicis mercenarium quid sit. 2753. b

officium Iudicis nobile quid sit. Ibid. e

Iudex latissimè sumptus quomodo diuidatur. 2764. b

Nefas est Iudicibus secularibus creare vicarios generales, qui iudices ordinarii secum sint, ex eodemq; tribunali loco ipsorum iudicent, nisi in casu necessitatis. 2806. e

quando aliqui sunt constituti iudices ab iis,

qui principes non sunt aut suprema potestas, tunc si quis ex tacito vel expresso legis consensu aut principis committat alicui vices suas, Iudicem quidem efficit ordinarium, suum tamen vicarium. 2813. c.

Iudex recusatus.

quando Iudex recusatur, & tamen causa in libello oblata est nulla, poterit iudex, cui offertur, illa spreta, progredi vlteriùs in lite. 2844. d

Iudex quando est recusatus, oblata illi causa recusationis, & processit nihilominus vlteriùs, non interposita appellatione a recusante ob id grauamen; tunc inualidus est processus ab eo iudice post eam recusationem factus. 2845. b

proposita de iure canonico recusatione Iudici exprimendo causam, & iudex illam admittat, tunc procedendum non est ad electionem arbitrorum. 2846. a

Iudex recusatus, expressa coram illo causa recusationis, non solùm iurisdictionem minimè suspectam habet, sed etiam eam impeditam non habet ad compellendos arbitros electos, vt id munus suscipiant. 2847. a

Iudex recusatus potest arbitros inter se discordantes vel tardantes cogere, vt perficiant rem, ad quam arbitri constituti sunt, & potest certum temporis terminum illis præscribere, intra quem rem totam teneantur absoluere. 2848. e

Iudices circa vnam & eandem rem pro altera tantum parte litigantium ferre debent sententiam. 2923. d

Iudex delegatus.

Iudex delegatus quando constituitur, & quando ordinarius, quid sit discriminis. 2852. c

Iudex delegatus de iure Cæsareo recusari potest à litigatoribus ante litem contestatam, præsertim suspectus. 2840. c

Iudicem delegatum, vt sibi suspectum, recusans, necesse non habet de iure ciuili causam proferre, ob quam suspectam eam habeat, & multo minus eam probare, sed satis est dicere, se illũ suspectum habere. 2841. b

Iudicis delegati facta recusatione, si ei fiat, ipsem et delegatus cogere debet litigantes, vt arbitros ante triduum eligant, qui causam definiant. 2842. a

Iudicem delegatum recusans, quando degit in loco distanti ab eo in quo iudex, tunc recusare eum potest coram iudice ordinario loci, in quo ipse residet. Ibid. d

quòd si Iudices delegati discordent in sententia & pares sint, neutra sententia prævalet, sed recurritur ad delegantem: secùs porrò in iudicibus ordinariis. 2861. b

Iudex delegatus ostendere se debet habere eam delegatam iurisdictionem, alioquin nullus tenetur ei parere, etiam in executione latæ à se sententiæ. 2863. e

Iudex delegatus vt quis esse possit, vigesimũ annum ætatis impleuerit necesse est. 2864. c

siue actor & reus sint eiusdem ciuitatis siue diuersarum, Iudex delegatus non potest nec debet de causa cognoscere extra eam ciuitatem, in qua sit concessus, sine expresso partium consensu. 2868. b

in Iudicem delegatum compromitti potest causa, quæ coram illo agitur, vt eam vt arbiter definiat, & longè potiùs, vt aliquid vt arbitrator definiat. 2992. c

Iudex ordinarius.

Iudex ordinarius quid sit. 2764. d. Iudices ordinarii sunt non solùm supremus a quo alii deriuantur, sed etiam qui a supremo deriuantur. Ibid. e. item qui inter aliquos alicuius professionis ab eis qui eius professionis sunt eliguntur, vt de iis rebus præcipuè iudicent, quæ ad eam professionem spectant, quod fieri non potest absque Regis mandato aut approbatione. 2765. c

quando aliquis concessione Principis ex eodem tribunali tanquam Iudex ordinarius est, vicarius eius iudicis sæcularis ordinarii, cui merum ac mixtum imperium competit, etiam ad pœnam mortis imponendam, tunc proferre potest sententiam mortis, dum iurisdictio in correctore perseuerat. 2810. a

quando a Iudice ordinario, cui merum ac mixtum imperium competit, ob necessitatem morti aut iustæ absentiæ substitutus eligitur, qui ad tempus tanquam Iudex ordinarius ibidem iudicet, tunc omnia potest exsequi præter pœnam mortis. 2810. d

Princeps quando constituat Iudicem ordinarium & quando delegatum. 2812. e

Iudex ordinarius si causam deleget, & reseruet sibi sententiam; non aliter potest sententiam sibi reseruare, nisi ter eam causam audiat. 2837. a

Iudex ordinarius quando recusatur, tunc eligit arbitros, qui de causa suspicionis cognoscant. 2850. d. & ille potest causam etiam alteri delegare. 2851. b

Iudex ordinarius quando est recusatus, & causam alteri delegauit, appellandum est ad iudicem ordinarium recusatum à tali delegato; non quidem vt ipse de ea cognoscat in gradu appellationis, sed vt deputet delegatum, quem neutra pars recuset. 2852. c

quando multi Iudices ordinarii concurrunt ad aliquid, non vt singuli, sed vt vniuersitas, tunc non satis est maiorem partem non conuenire in vno, quàm sint singulæ partes, quæ conueniunt in aliis: sed necesse est in primis, vt duæ saltem partes è tribus sint ad id congregatæ ex iis, quæ interesse possunt. 2860. c

Iudices ordinarii si discordent & pares sint, quibusdam reum absoluentibus, quibusdam condemnantibus, statur sententiæ absoluentium. 2862. b

Iudex ordinarius non solùm potest cogere partes, quæ coram ipso circa id litigant, vt in ipsum circa eandem causam compromittant, qui vt iudex arbiter illam definiat, sed etiam quamuis partes sua sponte compromittere eo modo in illum vellent, inualidum esset compromissum. 2991. c

Iudex ordinarius debet sententiam arbitri & arbitramentum arbitratoris mandare executioni, non verò ipsi. 3019. c

Iudicialia præcepta.

præcepta Iudicialia veteris legis de iure sunt diuino positiuo. 3198. c. quomodo differant à cæremonialibus. Ibid. d. cessarunt morte Christi. Ibid.

licèt omnia præcepta Iudicialia spectantia præcipuè

cipuè ad regimen Christi morte cessarint, non prohibet aliqua horum vel in Ecclesia Christiana vel in rebus publicis seruari, non quidem tanquam præcepta in veteri lege, sed tanquam congrua in se vt seruari possint. 3199. a. in quatuor partes distinguuntur, iuxta quadruplicem ordinem qui in republica cernitur. Ibid. d

Iudicia.

præcepta & obseruationes præceptorum vocantur in Scriptura Iudicia Dei. 3124. e

Iudicare.

aliud est Iudicare probabilitatem, quæ est ex iudiciis, aliud est iudicare aliquem id fecisse, aut velle facere. 2554. b

Iulia lex.

crimen legis Iuliæ de residuis quando committatur. 1144. a

Iulianus Apostata.

Iulianus Imp. concessit Iudæis facultatem reædificandi templum, sed igne è terra prodeunte deterriti sunt. 3130. d

Iurisdictio.

Iurisdictio quid sit, vnde deriuetur, à iurisdictione publicæ potestates formaliter habent, quòd sint publicæ potestates. 2740. b

Iurisdictio delegata, cùm non radicetur in delegato, exspirat in delegato, si delegans re adhuc integra moriatur, aut quauis alia ratione amittat iurisdictionem. 2826. c

Iurisdictionis nomine quid comprehendatur. 2743. b

Iurisdictio ordinaria non exspirat morte eius, qui illã concessit, aut aliter exspirante iurisdictione in concedente, etiam si is, cui collata fuit, nihil eius exercuerit. 2825. e

Iurisdictionis alia definitio plenior, quæ omnes eius partes complectitur. Ibid. d

Iurisdictio quæ Regum donatione est in aliis, à Regibus deriuatur. 2746. e

Iurisdictio tota est de iure communi in supremo Principe. 2747. b

Iurisdictio externa diuisa est in imperium & in iurisdictionem presse sumptam. 2753. a

Iurisdictio presse sumpta quid sit. 2753. b

cùm multæ causæ alicui delegantur, si citatio circa omnes sit facta, perpetuatur Iurisdictio circa omnes; si verò circa vnam tantùm causam sit facta citatio, solùm circa illam perpetuatur iurisdictio. 2827. d

Ius naturale & Ius gentium.

Ius quot modis dicatur quis habere ad aliquid. 1569. d

sæpe fit vt multa, quæ in se sunt Iuris naturalis, non solùm à multis ignorentur, verùm vt etiam circa aliqua docti & timorati errent, idq; variis ex causis. 3068. e. item vt id, quod sine aliis circunstantiis in se spectatum est de iure naturali, accedente circunstantia aliqua non sit de iure naturali, imò contrarium sit de lege naturali. 3069. d

Ius naturale, tam obiectiuè sumptum, quàm sumptum pro lege naturali, est simpliciter idem apud omnes. 3067. e

Ius gentium, & ius humanum, & naturale. 3070. c. & 3071. b & seqq.

tres gradus eorum quæ sunt de Iure naturali. 3072. b

Ius gentium presse sumptum non est ius naturale, nec comprehendit sub se ius naturale, sed est ius positiuum humanum: sed quando latè sumitur, vt apud iurisconsultos, tunc multa comprehendit sub se, quæ sunt de iure naturali, & multa quæ sunt de iure positiuo humano. 3220. e & seqq.

Ius gentium duplex est. 3221. a

quid nomine Iuris gentium intelligatur. Ibid. b

Iusti.

Iusti veteris legis fuere verè & propriè Dei filii adoptiui. 3205. b. c. d. & seqq.

Iusti veteris legis, præter legem terroribus illis ipsis datam, acceperunt donum fidei & gratiæ gratum facientis, per quam ius ad vitam æternam habuerunt. 3206. e

Iustitia.

Iustitia est in Principe & aliis reipub. gubernatoribus architectonicè. 3027. c. item inest subditis mandantibus executioni, quæ ab aliis decernuntur. Ibid. d

obseruationes præceptorum & consiliorum, etiam præcepta ipsa & consilia, in Scriptura appellantur Iustitiæ & iustificationes, quatenus iustos nos efficiunt, meritis Christi cooperantibus. 3124. d

Iustificatio.

Iustificatio per gratiam gratum facientem duplex est. 3170. b

Iustificatio legis veteris, vide Lex vetus.

Lædere famam.

quando in Læsione propriæ famæ peccatum interuenit contra caritatem, & non contra iustitiam, id non attinet ad vitium iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium, sed ad vitium propriæ caritati contrarium. 2587. c

si, qui famam proximi iniustè materialiter Læsit, post ita læsam, posset resarcire illam sine suo detrimento, sanè teneretur illi præstare, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia. 2682. c

si is, qui famam alterius ex ignorantia vel negligentia notabiliter Læsit, vt si ignorantia à parte culpæ non excusaret, sufficeret ad culpam lethalem, restituere damnum illud integrè posset sine graui suo detrimento, tenetur id efficere sub culpa lethali, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia. 2683. b

qui indirectè famam accusatoris Læsit, quamuis non teneatur eam illi restituere, suum retractando dictum, & sese infamando, tenetur tamen illi restituere famam per verba quædam sobria. 2696. e

cùm fama alicuius iniustè Læditur detegendo crimen alicuius verum, tunc fama est restituenda, non retractando: sed si amphibologia aliqua ea existimatio à detegente id crimen, iniustè mentibus audientium effecta, euelli à mentibus illorum possit, ea est vtendum. 2698. b

famam alterius Lædens, simul restituere tenetur omnia alia damna inde secuta. 2685. d

si ex Læsione iniusta famæ, damna alia in bonis externis lucri cessantis aut iacturæ alicuius iniustè infamato sunt secuta; tunc si is, qui damnum famæ iniustè dedit, ea damna dum viueret, non restituit, tenentur hæredes illius ei illa restituere, aut eius hæredibus. 2702. b

quando iniustè facto aliquo aut dicto contumelioso honor alicuius Læditur, tenetur lædens restituere illi quantum id damnum permanens prudentis arbitrio æstimabitur, attenta qualitate per-

persona & aliis circumstantiis. 2704.d
qui mutuam famam Læserunt, tenentur sibi inuicem famam restituere non curando compensationem; idq; de caritate, non de iustitia. 2717.a sed quando vterque famam non vult restituere, tunc iniustè infamatus, qui damnum in fama alteri non dedisset, posset in pecunia compensare damnum famæ, in quo est. 2717.b

Læsæ maiestatis crimen.

Læsæ maiestatis crimen morte non extinguitur quo ad pœnas illi debitas. 1785.b
Læsæ maiestatis crimen quando quis scit in Principe vel remp. parari nec detegit, puniri debet pœna eius delicti ordinaria. 1906. b
Læsæ maiestatis crimen morte delinquentis non extinguitur. 2003. b

Laicus.

Laicus injicere potest manus in ecclesiasticum, absque licentia iudicis ecclesiastici, vt eum præsentet suo prælato, quando is est debitor ac fugit, quando minister sæcularis iustitiæ inuenit eum in flagrãti delicto. 2134. e
Laicus, aut is qui sacerdos non est, absoluere in articulo mortis non potest. 2161. b
in Laicos causæ spirituales compromitti non possunt, nisi de licentia summi Pontificis, at bene in laicum & clericum simul. 2993. b.

Latro.

Latro, fur, græssator quomodo differant. 1208. b
Vide Assassinus, Occultare.
Latro in cruce saluatus. 3086. b

Legatum, Legatus.

si res Legata in singulari furto ablata sit post mortem testatoris, legatario competit aduersus furem condictio furtiua & furti actio. Si verò ante mortem testatoris sit ablata, legatario solum competit rei vendicatio illius, aut actio ad æstimationem: hæredibus verò condictio furtiua. 1253. d
possunt actores causarum vocare reos in prima instãtia coram Legatis, prætermisso alio iudice ordinario. 2772. b
ad Legatos quoscunque potest appellari, prætermissis mediis. 2774. a

Legati Apostolici.

Legati Sedis Apostolicæ quidam sunt nati, & quidam non nati; & qui nati, & qui non nati. 2146. c
Legatis à latere concessum est absoluere ab excommunicatione in causa ob percussionem clerici, vbique locorum, etiam extra prouinciam suam. 2146. e
Legati Sedis Apostolicæ, qui à latere non sunt, non possunt alios ab excommunicatione absoluere, nisi qui sunt suæ prouinciæ. 2147. a
Legati nati aliter ab excommunicatione absoluere non possunt, quam alii ordinarii. 2147. b
Legati vel nati, vel à latere, vel non a latere, non possunt ab alia excommunicatione, quam ea quæ incurritur ob manuum violentarum iniectionem in clericum, absoluere. 2147. c
Legati Apostolici in ecclesiastico foro ea omnia habent, quæ sunt imperii, præterquam in primo gradu meri ac mixti imperii. 2760. b
Legatos Apostolicos aut nuntios qui impediant, ne terras ipsorum ingrediantur, excommunicantur, sed excommunicatio Pontifici summo non est reseruata. 2176. c
Legati Apostolici omnes non sunt iudices: ii tamen immunes seruandi, vt nihil mali aut iniuriæ accipiant, qui verò eos impedit vti legatione sua, ipso facto excommunicatur. 2768. d
Legati Apostolici computantur inter iudices ordinarios. 2769. e
Legati Apostolici triplices quomodo inter se differant. 2769. e
Legati Apostolici sunt triplices, alii legati à latere, alii legati missi, alii legati nati. 2769. b
Legati Apostolici ea exercere possunt, quæ summus Pontifex, exceptis iis quæ summo Pontifici reseruata sunt. 2771. c
Legati Apostolici concurrunt tanquam iudices ordinarii in iis prouinciis ad quas mittuntur, cum reliquis illis iudicibus ordinariis. Ibid. e
Legati Apostolici audire possunt causas in qualibet parte prouinciæ suæ, etiam expediendo in vno loco causas alterius prouinciæ. 2773. d
Legati à latere habent iurisdictionem in exemptos, reliqui legati non habent. 2774. c
Legati Apostolici interim dum munus suum exspirat, efficere possunt statutum perpetuum. 2774. e
Legati Apostolici si delegent aliquam causam ante suum discessum, si delegatus ante eorum egressum a prouincia non expediuit citationem circa eam causam, exspirat potestas delegata, quo ad causas. 2775. a
legatio Legatorum natorum solum morte ipsorum exspirat, aut amissione dignitatis, cui id legationis munus est annexum: legatio verò aliorum legatorum multis modis exspirat. 2775. e
aduersus Legatos Apostolicos hæreticos procedere non possunt inquisitores hæreticæ prauitatis, nec ordinarii, nisi de expressa Sedis Apostolicæ licentia. Possunt tamen inquirere, seq; informare, vt Pontificem certum reddant. 2901. e

Lenones & Lenæ.

Lenones sunt quintuplices. 2356. c
Leno aut lena circa adulterium mulieris coniugatæ vel stuprum virginis aut viduæ honestæ cooperans, siue pretio accepto siue non, tunc secuto effectu talis adulterii aut stupri, de iure communi in Hispania mortis pœna punitur. 2361. a
Lenones secuto adulterio vel stupro hodie non puniuntur pœna mortis, sed alia arbitraria. 2362. b
Lenonem aut lenam ad aliquam mulierem mittens, esto res effectum non habeat, vel epistolam mittit, iniuriam grauem tali feminæ irrogauit, propter quam iniuriam actione intentata, puniri debet pœna arbitraria. 2364. a
Lenones publicas habentes meretrices, quarum curam ipsi habent pœna exsilii extra id oppidum puniuntur, & similiter illæ meretrices. 2364. c
Lenones qui in domibus suis meretrices tenent, & simul ipsi aliud munus exerceant, vt cauponam, atque tanquam administras eiusmodi mulieres ad id habeant, & simul copiam sui corporis faciant iis, qui cauponam accedunt, diuersas pœnas incurrunt, pro personarum qualitate, quæ ibidem sunt. 2366. a
Lenones qui quouis modo cooperantur, vt mulier aliqua cum alio fornicetur, id suadendo, vel quouis alio modo, ipso iure sunt infames, etiam ante latam aduersus eos sententiam. Ibid. e
Lenones & lenæ infamiam ipso facto incurrunt. 2501. b

Legislator.

Legislatores spectare debent, num omnes leges vel singulæ vel a se ferendæ vel ab aliis latæ seruari queant.

queant. 3210.e
Legislator quando voluit, vt lex ipsius non obligaret ante lapsum certi temporis à puncto promulgationis illius, perspicuum est tunc eam ante id tempus elapsum non obligare: eo quod lex nõ maiorẽ habeat vim, quã legislator velit eam habere. 3224.d
Sed quando expressit, a quo puncto velit suam legem obligare, statim ab eo puncto obligat, etiam ignorantes, tametsi ignorantes inuincibili ignorantia excusentur, & per consequens etiam à pœna transgressionis eius legis. Ibid.e
quando non expressit tempus à quo lex sua obligare inciperet, si sit inferior principe, etiam si sit lex concilii prouincialis, statim a publicatione incipit obligare. 3225.a. Sed quãdo est supremus princeps, vel res libera, tunc de iure Cesareo lex illius non obligat in curia & prouincia, in qua curia residet, nisi post duos menses à publicatione illius. Ibid. d
Legislatores humani rerumpublicarum sæcularium non eas solum condunt leges, quæ ad iustitiam virtutem cardinalem spectant, sed etiam eas, quæ ad alias virtutes spectant. 3025.e

Leprosus.

Leprosus, ita vt aliis lepra pateat, irregularis est. 2192.a

Lex Aquilia.

actio Legis Aquiliæ competit damno dato etiam leuissima causa. 1260. b
Lex Aquilia, quo ad excessum vltra damnum culpa datum, pœnalis est, neque quo ad illum obligat, nisi quando post latam sententiam exigitur: neque transit aduersus hæredes, nisi lis fuerit contestata cum eo, qui damnum dedit: neque competit hæredibus damnum passi, nisi fuerit contestatus litem, aut illam præparauerit. 1276.e
Lex Aquilia, quo ad damnum culpa theologica datum, non est pœnalis, transitq; aduersus hæredes eius, qui damnum ita dedit, & ad hæredes, qui damnum est passus. 1277. d

Lex Iulia.

crimen Legis Iuliæ de residuis quomodo puniatur. 1232.a

Lex in genere.

iniqua est Lex, quæ vniuersim solam pecuniariam pœnam statuit pro homicidio voluntario. 1795. a
Lex vnde deriuetur. 3022. a
Leges condere potest Deus, Christus, & summus Pontifex. 2023. c. d. & seqq. Item ii, quos Deus constituit Reges aut rectores reipub. alicuius temporalis. 3024. b
Legem condere, qua resp. in commune ipsius bonum gubernetur, ad eos pertinet, quibus à rep. in sui regiminis constitutione, aut post ea, fuerit concessum. 3023. a
Leges quædam habent finem naturalem, aliæ supernaturalem. 3024 e
Leges ferre ad naturalem cuiusque hominis felicitatem moralem partim ad Deum, tanquam ad naturæ autorem, partim ad supremos reipubl. cuiusque moderatores spectat. 3025. b
imperium, quo Leges intellectu per politicam prudentiam fabricatæ subditis imperantur, est vlterior actus intellectus ab eadem prudentia vlteriùs elicitus, in quo ratio legis consistat. 3029. b
vt aliquid Lex sit, & non præceptum præsè sumptum, necesse est vt permanenter sit latum. 3032. d. item vt omnibus, non vni aut alteri, imponatur. Ibid. e
Leges condere ad finem supernaturalem ad Deum solum spectat, per se ipsum immediatè vel per suos ministros. 3033. b
Legibus resp. melius gubernatur, quàm prudentia præpositorum sine legibus. 3213. d
Lex sumitur pro quacunque singulari lege lata ab eo, qui ad id potestatem habet, vel pro collectione multarum legum, quæ ad vnum finem ordinantur. 3048. d
Lex vna particularis non potest imperare, vetare, permittere, punire; at bene lex, quæ multarum legum est collectio. 3050. c
Leges interdum nonnulla permittunt ex rationabili causa, quæ, cum mala in se contra ius naturæ sint, ipsæ tamen nec ea prohibent, nec puniunt, nec punire iinunt. 3051. a
inter vires legis computatur, Legem vnam interpretari aliam, aut eam limitare, vel abrogare, vel tollere omnino vel ex parte. 3052. d. item præmia aliquid efficientibus præponere, & pœnas malefactoribus. 3051. e. & ea lex rationem præcepti propriè non habet comparatione eorum, quibus ea præmia proponuntur. sed comparatione eorum, qui præcipiuntur præmiis alios in eis euentibus afficere. 3052. b
ad Legem integram ad finem aliquem non solum pertinet dare præcepta obligantia sub culpa, sed etiam ad eam pertinet dare alia, quæ ad eorum obseruationem possint inducere, & consilia aliqua, quæ ad maiorem perfectionem comparatione finis integri eius legis spectant. 3124. b
discrimen inter Legem irritare & abrogare, dispensare in lege & interpretari legem. 3144. d. 3145. & seqq.
conditiones quæ requiruntur ad Legem humanam ex Isidoro. 3215. c
Lex quomodo possit esse iniusta. 3215. e
si bonum commune reip. postulet, vt Lex aliqua feratur, quamuis illa redundet in bonum particulare Principis, aut aliquorum de republi. id non impedit legem illam esse iustam. 3219. c
Lex obligat etiam eos, qui à culpa transgressionis illius ignorantia inuincibili, quod promulgata sit, excusantur. 3224. b
de Legis essentia est non esse scriptam, tametsi ante publicationem in scriptis redigi soleat, vt melius de illa constet. 3231. b
quando Lege promulgata præsumptio est, peccantem habita loci distantia ignorasse legem latam, excusatur à culpa & omnino à pœna. 3231. e
quando iam plena præsumptio est aduersus aliquem, quòd scienter legem aliquam fuerit transgressus, contenditur ex ignorantia inuincibili eius legis fuisse factam transgressionem illius. 3233. c
quamuis vt quis teneatur seruare legem promulgatam non requiratur scientia, quòd lata ac promulgata sit, requiritur tamen notitia illius, quæ à fide digni sit habita. 3234. b
quando constat legem aliquam esse promulgatam, attamen eam esse talem, de qua meritò dubitatur, an sit recipienda, vel simpliciter vel communiter, non tenentur particulares, statim ac sciunt illam esse promulgatam, eam seruare, sed possunt exspectare num recipiatur. 3234. c. d
si ignorantia Legis verè sit inuincibilis, ignorantia legis in conscientia foro loquendo excusat ab omni

culpa & à tota pœna transgredientem. 3234. e. & seqq.
quando Lex ad pœnam incurrendam exigit delinquentem dolum aut scientiam ad pœnam incurrendam, tunc ignorantia crassa ac supina, etiamsi iuris sit, à tali pœna excusatur. 3242. b
vt Lex aliqua iusta sit, ac proinde in foro conscientiæ obliget, quatuor necessaria sunt. 3247. b

Lex Dei.

Lex Dei in Scripturis sanctis vocatur Voluntas Dei. 3031. a
Lex Dei æterna & incommutabilis, in ipsomet Deo existens, quid sit. 3039. e
Lex Dei æterna vna est, nec ad alia se extendit. 3049. c
Lex diuina quomodo definiatur. 3057. e

Lex humana.

Lex scripta prudentia consiliariorum Regis fabricata Regisq; imperium significans, accedente Regis voluntate, & à populo accepta, vim habet legis integræ ac perfectæ. 3029. e
Lex humana ciuilis actus est prudentiæ politicæ, vel internus, si adhuc mente cõtineatur; vel externus, si scripta sit, aut voce prolata, concurrente ad id voluntate libera legislatoris. 3030. a
Lex humana duplex, vna ciuilis supremorum principum, rerumq; publicarum: altera ius canonicum a summis Pontificibus (Christi autoritate reip. Ecclesiæ ad finem spiritualem ac supernaturalem latum: quæ ambæ à lege Dei incommutabili & æterna descendunt. 3046. d. & 3047. e. & seqq.
Leges ciuiles lupanaria publica permittunt ad maiora mala vitanda. 3047. b. 3031. a
Leges humanæ ciuiles & canonicæ, si non sint iniquæ, sed rationabiles, a lege Dei incommutabili & æterna deriuantur. 3047. e
Lex humana alia ad finem spiritualem, alia ad finem politicum humani conuictus ordinata. 3049. a
Leges ciuiles pœnales, quatenus pœnas statuunt, non habent rationem præceptorum propriè loquendo, comparatione malefactorum, sed comparatione potestatum, quibus eas malefactoribus infligere præcipiunt. 3051. d
Legis humanæ definitio secundum D. Thomam: & quomodo eam Molina definiat. 3054. 3055. 3056. 3057.
Lex positiua ab arbitrio legislatoris pendet. 3059. d
Leges humanæ aut diuinæ positiuæ efficiunt aliquid ad virtutem aliquam attinere tanquam necessarium, & efficiunt contrarium attinere ad vitium contrarium, quæ tamen secluso eas legibus, non eo modo ad eam virtutem, aut, ad id contrarium, vitium attinerent. 3066. d
Leges ciuiles non debent esse intolerabiles. 3093. e
Lex meræ humana non deriuatur per consequentiã necessariam à lege naturali: sed multæ leges deriuantur à naturalibus per arbitramentum ac dispositionem humanam, non tamen necessariam. 3212. d. e. & seqq.
Lex omnis humana positiua debet esse rationi consentanea, bonoq; communi reip. accommodata. 3213. c
Lex humana debet esse honesta, & quomodo. 3215. d
disciplinæ conuenire, & quomodo. Ibid.
possibilis. Ibid. & 3216.
iusta. Ibid. e
secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem. 3217. b
loco temporiq; conueniens. 3217. d
necessaria, vtilis. 3218. e
manifesta, ne aliquid propter obscuritatem in captionem contineat. 3219. a
nullo proprio priuato commodo sed pro communi ciuium vtilitate conscripta. 3219. b
Lex humana non prius ius habet obligandi subditos, quam promulgata sit. 3222. d
vt Lex humana integram suam completã rationem legis comparatione omnium quibus fertur habeat, necesse non est promulgationem coram singulis fieri, sed satis est coram aliquibus toti collectioni subditorum eam legem ferri, siue solemniori siue minùs solemni promulgatione, vt omnes eo ipso astringat. 3222. e. & seqq.
Leges humanæ non prohibent omnia vitia. 3245. e
Leges humanæ non præcipiunt actus omnium virtutum. 3246. b
si Leges humanæ iniustæ tales sunt, quæ sine culpa seruari non possint, etiamsi illa venialis sit, tunc non est illis parendum: si verò tales sint, quæ seruari possint sine vlla culpa etiam veniali, tunc licèt non obligent, quia iniustæ sunt, obligatio erit illas seruandi ex caritate ad vitandum id malum. 3247. e. 3248. d. e
Legum humanarum transgressio, transgressio legis Dei est. 3256. e

Lex naturalis.

in statu innocentiæ quædam hominibus Leges erant datæ. 3033. b. at dissoluto eo statu est data lex naturalis. Ibid.
distinctio Legis naturalis, legis status innocentiæ, legis status naturæ post peccatum, legis gratiæ, & legis humanæ. 3045. d. e. & 3046. a. b.
Lex naturalis est proprie & vere lex diuina 3036. a. & à lege Dei æterna deriuatur, & præceptum eius est præceptum legis Dei æternæ. Ibid. e
Lex naturalis tribus modis ita appellatur. 3059. b. indita est mentibus nostris naturaliter, quæ triplici statu in nobis spectatur: primò est facultas ipsa naturalis intellectus nobis indita, secundum quam ad imaginem Dei conditi sumus, quæ appellatur Synderesis, vel conscientia. 3060. c. secundò, quando iam actu in nobis est quoad iudicia principiorum ac conclusionum moralium. 3063. b. tertiò, quando in nobis est quoad habitum ex iudiciis actualibus legis naturalis in nobis relictum. Ibid. d
quamuis Lex naturalis sit nobis indita quoad vim intellectus, ostendens nobis bona moralia sequenda & mala vitanda, possumus tamen facilè multa ex iis ignorare, multa alia non certò cognoscere, & in varios errores incidere. 3064. b
Leges naturalis & diuina omnes vniuersim astringunt, etiam amentes & pueros; sed ignorantes eas inuincibiliter, quòd rationis vsum non habeant, excusantur à culpa illas non implendo. 3065. a
Lex naturalis vna lex dicitur vnitate finis ac ordinis ad eum finem. 3066. a
Lex naturalis mutationem non suscipit. 3070. b
vltra legem naturalem tradita fuit homini Lex supernaturalis, tum in statu innocentiæ, tum etiam post lapsum, deinde etiam tradita est lex naturalis redacta ad summam præceptorum decalogi. 3075. a
Lex naturalis nulla ratione potest ab hominum cordibus

dibus aboleri, prout est intellectus potentia, potest tamen aliquando aboleri per obliuionem & contrarium errorem. 3075. c
Lex naturæ omnibus gentibus sufficiebat ad bene viuendum. 3097. b. e
præcepta moralia ad Legem naturæ pertinent. 3133. e

Lex scripta & vetus.

Lex scripta per Moysem Israelitis fuit data. 3034. a
Lex scripta quid contineret. Ibid.
Lege scripta etiam iudicialia præcepta continentur. Ibid. c
Leges quædam Moysi datæ antequam ad montem Sinai peruenirent, aliæ in monte, aliæ etiam postea. 3034. e
Lex scripta propriè dicitur illa, quæ in duabus tabulis à Deo populo tradita est. 3035. a
Legis veteris sacrificia & cæremoniæ non habebant vim conferendi gratiam. 3086. c
Lex vetus solis Iudæis data fuit. 3096. d
hæreditas vitæ æternæ & iustificatio ad illam necessaria non sunt ex Lege veteri, sed ex Christo est hæreditas vitæ æternæ, & iustificatio ex meritis Christi. 3086. d
Lex vetus bona est, licèt fuerit imperfecta comparatione legis gratiæ ac finis vltimi, ad quem vtraque ordinabatur. 3079. d. imperfectio illa in eo sita est, quòd nouam legem adumbrabat, & ad illam tanquam ad longe perfectiorem disponebat. 3084. e. per angelos Dei ministros tradita est: at lex gratiæ per filium Dei. 3088. b
Lex vetus bona & sancta, & licèt aliqui eam transgressi iram promeruerint, non ideo tamen mala est, sed illa transgressio venit ex naturali inclinatione ad peccatum. 3092. d. e
Lex vetus nihil prodest, sine gratia per Christum. 3093. c
Lex vetus fuit perfecta attentis circumstantiis & fine ad quem illam fecit Deus, licèt non fuerit perfecta comparatione legis gratiæ, & comparatione iustificationis. 3094. b
Lex vetus fuit conuenienter tempore Moysis data, iuxta diuinæ ordinem prouidentiæ. 3102. a
ad Legem veterem pertinuit, vltra præcepta, tradere quæ ad notitiam Dei & ad beneficia ab eo collata attinebant: item præmia proponere, si legem Dei seruarent, & pœnam, si negligerent. 3124. b. c. 3125. c
expediens fuit in Lege veteri bona temporalia promitterere obseruantibus præcepta & legem datam. 3125. d
in veteri Lege nullum opus moraliter bonum iustificabat, iustificatione scilicet, qua quis ex iniusto fiat iustus, sicut neque in noua lege iustificat. 3170. c
vt opera bona moraliter facta in gratia sunt meritoria augmenti gratiæ in noua lege, sic etiam erant in Lege veteri. 3170. d
Lex vetus cessauit lege noua aduenientè Christi: quia erat vmbra nouæ legis. 3175. d
Lex vetus vmbra legis gratiæ. 3177. b
Legalia licitè seruari non possunt à prædicatione Euangelii vsque ad mundi finem. 3179. a
Lex vetus & circumcisio fuit vsque ad passionem Christi in præcepto; in morte verò & resurrectione eius cessauit, & exinde lex noua cœpit esse in præcepto, ex sententia D. Thomæ. 3178. d. 3183. e. 3185. c
Legis veteris cessatio quando inceperit. 3195. c
Lex vetus, quo ad præcepta moralia, est in æternum; quo ad cæremonialia verò ac iudicialia est in æternum, non secundum se, sed quo ad veritatem, quarum erant figuræ. 3196. e
quamuis vetus Lex in seruitutem generaret, quatenus vi solius legis homines non iustificabantur, tamen meritis Christi adhuc futuris ac fide in illum, implicita saltem, homines multi, tum legis veteris tum etiam legis naturæ, iustificati fuerunt & adoptati in filios Dei. 3207. b
Lex vetus grauior fuit quam noua, propter multitudinem præceptorum eius legis, atque ob dolorem circumcisionis. 3049. a. 3210. c

Lex gratiæ vel euangelica.

Lex gratiæ cœpit ab eo tempore, quo Deus filium suum hominem factum in mundum mittere dignatus est. 3038. b
Lege gratiæ veniente cessare debebant Ecclesiæ synagogæ ac legis naturæ, & in vnam Ecclesiam transire. Ibid. c
Lex gratiæ vnde dicatur. Ibid. d. quando & à quo promulgata & diuulgata. 3039. c
in Lege gratiæ, persoluto iam pretio redemptionis nostræ, maiora auxilia gratiæ dantur meritis Christi, quàm olim tempore legis naturæ & scriptæ. 3085. e. iisdem meritis ianua cœli aperta, iusti eo ipso quòd ex hac vita migrant, & puri sunt, præmium vitæ æternæ consequuntur. 3086. b
Lex baptismi, legesq; alia à Christo ante passionem latæ, statim à morte Christi habuerunt vim præcepti, neque aliaad id fuit necessaria promulgatio, quàm quæ à Christo ipso, dum viueret, facta illarum fuit. 3189. a
Legis gratiæ promulgatio facta est in die Pentecostes. 3188. d. 3190. a
Lex Euangelica & gratiæ omnibus gentibus prædicanda ostenditur ex veteri Testamento. 3096. e
in Lege gratiæ homines non erant inducendi bonorum temporalium prosperitate, sed præmio cælesti, & comminatione interitus sempiterni. 3133. b
Lex gratiæ appellatur lex fidei, quæ iustificat quoad caritatem & gratiam, quæ ex ea fide vltimò ad eam dispositis confertur. 3201. a
Lex gratiæ licèt quo ad præcepta non iustificet, sacramenta tamen nouæ legis iustificant, quòd veteris legis sacramenta non poterant; gratia verò est, quæ in lege noua longè copiosius iustificat, quam vnquam antea iustificauerit. 3200. Non fuit tradenda statim à principio mundi, nec verbum diuinum statim à mundi principio incarnandum, sed tot sæculis præcedere debuit lex naturæ & lex scripta. 3201. c. perseueratura est vsque ad finem mundi, nec vlla alia post illam futura est. 3201. d. 3202. a
tempus Legis gratiæ dicitur nouissima hora. 3202. a
quamuis Lex noua & vetus ad eundem finem vltimum sempiternæ felicitatis fuerint ordinatæ, simpliciter tamen diuersa sunt, quatenus pro ratione diuersi status Ecclesiæ tempore legis veteris ac nouæ diuersa alia præcepta lege vtraque lata sunt, in seq; com-

prehendunt. 3204.e
Lex noua, legis veteris finem, qui illi communis erat cum lege noua, impleuit, per iustitiam scilicet omnes ad vitam æternam perducendo. 3208. e. item finem illi peculiarem, erat adumbrare scilicet ea, quæ in noua lege erant futura. 3209.e
Lex noua quoad illa, in quibus cum veteri omnino communicabat, vt quoad præcepta moralia, simpliciter in illa continebatur: quo ad reliqua continebatur tanquam perfectum in minus perfecto: quo ad fidem continebatur implicitè. 3210.b
in Lege gratiæ Christus de his disposuit, quæ ad gratiam conferendam & ad illam conseruandam, quasi ab eis gratiæ conseruatio penderet, erant necessaria. 3211.c. tradidit Christus item alia ad legitimum præceptorum quorundam moralium intellectum, ad consilia perfectionemq; Christianam attinentia. 3212.a
Leges euangelicæ cæperunt à puncto mortis Christi obligare totum orbem, etiam ante solemniorem promulgationem legis euangelicæ factam in die Pentecostes, & omnes homines astricti fuere illas seruare a puncto mortis Christi. 3223.d

Lex Pontificia.

Statim ac Lex aliqua in curia summi Pontificis est promulgata, obligat omnes de curia & de prouincia, in qua curia residet, tametsi ignorantes eam inuincibiliter excusentur a culpa & a pœna transgressionis illius. 3126.b
quando Lex summi Pontificis aliquid irritum ex iusta causa redderet, quod alioquin in se erat licitum, & quod irritum redundaret in iniuriam subditorum, dum fieret bona mente eam legem ignorando, tunc ea lex in curia promulgata non obligat commorantes in aliis prouinciis, quousque in vnaquaque earum promulgatione aut alia ratione communis scientia de ea lege habeatur, recipiq; in vnaquaque seu executioni mandari ea lex incipiat. 3227.e
quando Lex summi Pontificis reuocaret priuilegium audiendi confessiones aliquibus concessum, non conferetur ea lex vis reuocare tale priuilegiu, vt irritas faceret confessiones, quas habentes id priuilegium audirent, antequam notitia eius reuocationis ad eos perueniret, vel notitia eius reuocationis iam communiter haberetur eo in loco, in quo eas audiunt. 3228.b
Leges aliæ summi Pontificis, quæ tempus non præscribunt, a quo obligare incipiant, statim a publicatione in curia facta obligant totam ecclesiam: ignorantes tamen eas inuincibiliter excusantur a culpa & a pœna transgressionis illarum. 3228.c

Libellus famosus.

Libellum famosum componens aut edens restituere tenetur lesionem famæ inde sequutum. 2626.e
Libellus famosus quid sit. 2632.e
in culpam Libelli famosi incidens, culpam incurrit lethalem contra iustitiam, si infamia, quæ inde sequitur, erat grauis. 2636.b
Libellum famosum componens, edens, reperiens nec lacerans sed manifestans, pœna capitis plectitur: maximè si is libellus aliquid continet, quod si probaretur commississe eum, quem is libellus de ea re infamat, puniretur pœna capitis. 2679.b. Libellū famosum reperiens & manifestans puniendus est solum pœna, qua punitur autor talis libelli, quando de alio autore non constat: quando verò constat de alio autore, puniendus solum erit pœna mitiori arbitraria. 2679.d

Liber homo, libertus.

Liberum hominem inuitum celans ac vinciens crimen plagii incurrit. 1147.b
Vide Ingenuus.
Libero famulo si fiat iniuria, non conceditur actio iniuriarum domino eius, sed solum ipsi iniuriā passo. 1703. d
Libertus esse potest arbiter & arbitrator. 2990.a

Ligna.

Ligna subministrantes, quibus cremandi cremantur, incurrunt irregularitatem, si re ipsa illis, antequā morerentur, cremati sunt. 2207.d

Limbus patrum.

Limbus locus erat sub terra, ad quem animæ iustorum descendebant ante Christi mortem. 3108.b.c. d. 3109.a.b. & seq. 3110.d. e
Limbus patrum ante Christi mortem vocabatur à gentibus campi Elysii. 3108.c

Litteræ.

Litteras alicuius iniquè aperiens, & ea via secretum alicuius discens, arctius tenetur illud seruare, quam si sine præuia quoad id iniustitia cognouit. 2475.b
per Litteras priuatas alicui detrahere aliud est, quàm detrahere libellis famosis. 2632.d
Litteras alienas aperire semper est peccatum, nisi adsit consensus saltem rationabiliter præsumptus eius ad quem mittuntur, vel eius qui mittit, vel nisi adsit rationabilis causa. 2637.e
Litteræ hostium tempore belli aperiri possunt: item quotiescunque pro bono communi id expediret. 2638.e
si ex iniusta Litterarum apertione damnum aliquod sequatur, tenetur aperiens illud resarcire. Ibid.c. priuatus quilibet potest legere litteras alienas, quibus iniuste sibi timet damnum parari. 2639.b
quando in Litteris Apostolicis executores earum conceduntur cum clausula, vt quando & quoties opus fuerit eas publicari efficiant, tunc anno elapso postquam tales litteræ exsequutioni sint mandatæ, non cessat eorum executorum iurisdictio. 2877.d

Locare.

si quis Locans se alteri aliquid furatus sit, aut aliquid conductum mobile habebat, quando & quæ actiones competant ei etiam in suum commodum, & quando & quæ actiones competant domino eius rei, & quando agere aduersus illos poterit. 1246.d

Locus.

in Loco publico autoritate publica licet ædificare priuatum ædificium, aliquidq; destruere, modò non cedat in damnum alterius. 1331.d
Loca sacra quæ muros etiam publicos comprehendunt: quæ prohibita sint fieri in locis sacris, & quo remedio subueniatur. 1446.a
Locus publicus variè vsurpatur, & inter alia pro loco vsui communi, aut saltem singulorum de populo deputato. 1447.b
Loca publica particularium oppidorum, deputata vsibus eorum qui sunt de eo oppido, vel aliquorum qui sunt de eo oppido, vel ad sumptus communitatis, propria sunt quo ad dominium eius oppidi. 1452.a

Loca ea publica, quæ quoad dominium ad supremũ principem spectant, licèt ab oppidis facta sint publica ex rebus priuatis, alienare non possunt validè oppida aut rectores eorum absque principis facultate. 1452. d

Loca publica, quæ quoad dominium ad supremum principem spectant, præscribi vllo tempore non possunt. 1454. a

Loco in publico deputato omnium vsui, aut eorum qui sunt de aliquo populo, si aliquid fiat, aut immittatur, quo interdicto subueniatur. 1455. a

Loco in publico vt in mari qui piscari prohibet, aut ludere in campo publico, spectare in publico theatro, competit aduersus eum iniuriarum actio. 1456. c

Loco in publico quoad vsum, si aliquid fiat, quo alius commoditate ex eo loco sibi proueniente priuetur, competit ei interdictum. Ibid. d

Loco in publico si quis prius ita illicitè ædificauit, vt aduersus eum interdictum competeret, si alter quoque ædificet in loco publico cum præiudicio prioris, denegatur priori interdictum ob similem suam culpam præteritam. 1457. c

Loco in publico quod ædificatum est nemine contradicente, quando non sit destruendum, sed imponendum sit salarium ob publicum solum: quãdo verò sit destruendum. 1457. d

S. Lucia.

S. Lucia amissa virginitate nihilominus virgo permansit, quia consensum non dedit. 1734. c

Lucretia Romana.

Lucretia sei ipsam interficiens non est laudanda vt magnanima, sed vituperanda vt pusillanimis. 1735. d

Lucrum.

Lucrum cum re aliena, quando est fructus industriæ, neque fur neque alii tenentur restituere. 1530. e

Ludus.

damnum è Ludo aut ex impulsione prouenies quando & à quo Lege Aquilia resarciendum. 1268. a

Ludus si sit pernicios⁹, nihilq; fiat dolo, animo interficiendi aut vulnerandi, neque transgressio vlla fiat eorum, quæ eo in ludo permittũtur, tunc vulnerans aut interficiens ad nullam pœnam tenetur. 1947. b

Ludus quando non est omnino permissus, tunc si inde læsio sequatur, & deinde mors, homicida talis non punitur pœna homicidii ordinaria, nisi mors dolosè sub eo velamine sit intenta. 1948. a

Lunatici.

Lunatici, si quid semel morbi eiusmodi patiuntur, ordinari non possunt. 2192. c

Lusitanica iura.

circa Inuenta quid statutum iurè Lusitano. 1117. c

furum pœna in Lusitania. 1219, b

in Lusitania rem furto ablatam emens punitur pœna furis, estò ostendat, à quo eam emit, & alii euentus circa id ipsum. 1219. e

Raptorum pœna in Lusitania. 1226. e

in Castella & Lusitania diuersimodè puniuntur damna data in aliorum prædiis, pecudibus, aut armentis de industria. 1271. c

circa ædificia quid in Lusitania sit statutum. 1475. c

Lusitaniæ leges circa animalia inuenta. 1652. a. & seqq.

ius Lusitanicum circa homicidia. 1793. a

in Lusitania solus maritus adulterè potest ipsam & adulterum accusare de crimine adulterii, & nullus alius; idem sit in Hispania. 2017. e

in Lusitania potest quiuis accusare de crimine hæresios, læsæ maiestatis, grassatoris, & aliis criminibus, quæ licèt sint publica, multa priuata continent. 2018. c

in Lusitania omnes, qui de iure eius regni possunt prosequi suorum iniuriam, admittuntur simul ad accusandum vna non vxore aut marito iniustè interfecti vel interfectæ. 2028. a

in Lusitania, quando aliquis delicto priuato vulnus accepit, si non fuerit inflictum de proposito, tunc parte læsa parcente, iudex ex officio non potest vlterius procedere. 2020. e

in Lusitania ad supremos senatores spectat accipere petitiones, quibus remissiones delictorum petuntur, eas⁹q; expedire cum regis approbatione. 2077. d

in Lusitania adulter & adultera pœna mortis puniũtur iudicis authoritate per ministros publicos infligenda. 2307. à. & nullus adulteros ibi accusare potest nisi maritus. Ibid. c

quamuis in Lusitania venia data à marito adulteræ non impediat, quominus prosequi posset adulteri accusationem, & quominus iudex ex suo officio progrediatur ad eundem in commune bonum reip. puniendum; tamen meritò est statutũ, vt eo ipso, quòd maritus adulteræ parcit, imponi adultero non possit pœna mortis, 2307. e. varia alia statuta in Lusitania circa pœnam adulterii. 2308. b

in Lusitania maritus impunè interficere potest vxorem & adulterum in adulterio repertos, nisi adulter sit persona nobilis, & alia statuta circa id. 2372. c

in Lusitania quæ sit pœna statuta pro communibus lenociniis. 2363. b. 2365. e

qui in Lusitania accessum carnalem habuerit ad virginem ipsa consentiente, tenetur ducere eam vxorẽ, si ipsa voluerit, nisi conditionis sit stupratæ stuprante melioris: & si illam non ducat vxorem, vel si nubere illi non velit illa, condemnandus est, vt illi tantum soluat in dotem, quantum iudex assignauerit. 2430. b

in Lusitania raptus ancillæ aut meretricis punitur pœna mortis. 2450. a

in Lusitania quænam pœna statuta raptoribus virginum, viduarum, & honestarum mulierum, & eam trahentibus è domo patris aut tutoris. 2451. b

vis illata cuicunque mulieri à quocunque in Lusitania punitur pœna mortis. 2452. d

in Lusitania eadem pœna punitur, qui libellum famosum repertum manifestauerit, eáve de re fuerit locutus, qua præcipitur puniri compositor vel editor. 2680. d

tota iurisdictio reip. Lusitanæ consistit in ipsomet Rege Lusitaniæ. 2747. d

in Lusitania arbitramentum arbitratorum reuocari non potest, nisi pars altera alleget se esse eo grauatam in sexta parte cùm minimum iusti valoris. 2986. d

in Lusitania legem condere solùm ad Regem spectat. 3030. d

Lusitania & Aragonia alias leges habent à Castella & Hispanis. 3226. e

Vide Hispanicæ leges.

Lutherani.

Lutherani dicunt epistolam ad Hebræos non esse canonicam, 3105. e

Lutherani & Caluinistæ dicunt in ecclesia non esse potestatem condendi leges, quæ in conscientia foro obligent. 3249. c

M

Machabæi.

Machabæi pugnare in Sabbato potuerunt per legitimam sabbati obseruationis interpretationem. 3156. e

Magister.

Magistri in operibus mechanicis aut artibus liberalibus procedere possunt ad verbera, sed non atrocia, & tantum in eos, in quo licitum est. 1710. b

Magister, quando intuitu disciplinæ manus violentas in discipulum clericum injicit, excommunicationem non incurrit. 2135. d

Magistri possunt clericos correctionis gratia percutere etiam per tertiam personam. 2138. c

Mahometus.

Mahometus multa ex prioribus hæreticis hausit, quæ suis erroribus immisceret. 3077. a

Mahometanorum errores. 3077. b. c. d

crimen læsæ Maiestatis.

Vide Læsæ maiestatis crimen.

Maledictio.

Maledictio sit tribus modis. 2571. d. verbis expressa si in alicuius præsentia fiat, honorig illius iniustè præiudicet, ad contumeliam spectat. 2572. c. ex parte mali, quod maledicendo quis exoptat ei, cui maledicit, si illicitè id ei exoptet, ad odium solum spectat: vel ad iniustitiam, si via iniusta ex parte eius, qui id desiderat, illud ei exoptet. Ibid. e. ex suo genere est culpa lethalis: ex circunstantiis porrò fieri potest venialis. 2573. a

aliud est post Maledictionem in aliquem coniectam, continuò non velle, vt tale quid ei eueniat, aliud verò non velle, etiam quando conjicitur, vt id eueniat; quod postremum excusat maledicentem a culpa lethali, quando maledictio non præiudicat honori notabiliter. 2573. e

Maledicere creaturis blasphemum est, vt sunt opera & effectus Dei. 2579. e

Maledicere creaturis irrationabilibus, secundùm se consideratis, non est culpa lethalis, at venialis. 2580. b

Malefactores.

Malefactores licitè occiduntur propria authoritate in licitam defensionem, siue propriam siue cuiusuis alterius, secus in vindictam ac pœnam iustam pro delicto. 1728. c

Malefactores occidere licet, contra quorundam opinionem. 1721. c. d. 1723. b. & seqq.

Malefactoris occisio non nisi grauissima de causa cuilibet priuato concedi à Principe vel lege debet. 1730. e

Malefactores puniri debent de iure naturali, vt iustitia conseruetur & bonum reip. commune. 3213. a

Manasses Rex.

Manasses Rex peccauit, quòd aras in templo Domini struxerat, quas Deus non præceperat. 3251. a

Mancipium.

Mancipium vim publicam aut priuatam inferens, quibus pœnis subiaceat, tam ipse quàm dominus eius, si domino sciente aut ratum postea habente vim intulerit. 1130. d

Mancipium suum quod in fuga erat vendens in crimen plagii incidit, 1146. c

Mancipium fugitiuum celans aut suscipiens, estò postea contendat suum esse, incidit in crimen plagii. 1146. e

Mancipio fugiente dominum suum, potest dominus adire iudicem, qui tradere ei tenetur mandatũ in scriptis, vt inuestigetur in domibus aut prædiis, in quibus dominus mancipii suspicatus fuerit illud latêre. 1147. d

furti pœna punitur, quicunque oneroso vel gratuito titulo, vel in custodiam acceperit aliquid à Mancipio. 1217. b

Mancipium si damnum inferat alicuius arboribus inscio domino, dominus vel soluit damnum ac pœnam, vel mancipium pœnæ dat. 1296. c

damnum in Mancipio ex eo secutum, quòd quis illi suasit, vt se exponeret alicui periculo, vel aliter fuerit causa, lege Aquilia resarcitur. 1275. b

damnum occisionis Mancipii alieni culpa saltem leuissima, aut pecudis alienæ, resarcitur lege Aquilia solutione supremi valoris, quem ea res habuit intra annum retro, vsque ad punctum occisionis. 1276. a

damnum datum Mancipio ex vulnere lethali vnius, superueniente dein vulnere alterius, quo mortuum fuerit, qualiter lege Aquilia resarciendum sit. 1283. a

damnum si datum sit vulnere in Mancipio, quãdo vulnus non erat lethale, & mancipium ex mala curatione aut aliunde interiit, non tenetur, qui vulnus inflixit, de mancipio occiso, sed solum de vulnerato. 1284. b

damnum datum à Mancipio non tenetur restituere dominus, nisi culpa mancipii sit datum, vel inde mancipium vel dominus sint facti locupletiores. 1486. d

Mancipium, quod deliquit, si dominus manumisit, non competit aduersus ipsum noxialis actio, sed aduersus nouum dominum, aut aduersus mancipium sui iuris effectum. 1488. b

Mancipium si delictum commisit sciente domino, nec prohibente, non liberatur tradendo illud noxæ, sed tenetur soluere damnum & pœnam, estò mancipium alienauerit, aut mortuum fuerit. 1487. c

Mancipium statim ac à domino noxæ datur, dominus amittit dominium illius, & illud is comparat, cui noxæ datur, si tamen mancipium comparato aliunde pecunia, damnum & pœnam soluat, sit liberum. 1487. d

Mancipium, quod ob delictum quæreretur ad pœnam mortis, occultare aut adiuuare ad fugam posset dominus, quando contrarium in bonum publicum non esset iussum. 1488. c

Mancipii defensionem si suscipiat dominus, defendere illud tenetur in loco, in quo deliquit: si moriatur mancipium ante latam sententiam, ad nihil tenetur dominus. 1488. e

Mancipium multis commune si delinquat, quousque noxialis actio aduersus singulos aut omnes competat. 1489. b

Mancipii ex culpa non transit noxialis actio ad hæ-

heredes domini, nisi ad ipsos mancipium deueniat. Ibid.

damna culpa Mancipii sed absque domini culpa data, an dominus soluere teneatur ante latam sententiam, aut tradere mancipium noxæ. Ibid. c

Mancipio si sit facta iniuria, quæ in domini despectum fiat, vel si sit alia aliqua grauis, conditione mancipii attenta, ad dominum & non ad mancipium pertinet agere iniuriarum. 1703. a

Mancipium vnius si alteri seruiat, iniuriaq; afficiatur mancipium in contemptum eius, cui seruit, quique eius dominus non est, competit tunc & domino mancipii actio iniuriarum, & illi cui seruiebat, in cuius contemptum id factum est. 1703. d

quando Mancipium videt dominum interfici vel percuti, potensq; illud impedire, etiam cum periculo vitæ, efficere id prætermittit, punitur morte, nisi dominus ei pepercerit. 1906. d

dominus qui scit suum Mancipium velle aliquem interficere, nec impedit, si intuitu domini id homicidium fieret, tunc dominus omnes pœnas incurrit & tenetur ad damna secuta, incurritq; irregularitatem, secus si non fiat domini intuitu. 1908. d

dominus potest in carcerem conjicere & vincula priuata seruos. 1709. a

Mancipium, si multum distet ab eo, qui potestatem habeat ad ipsum absoluendum, & vel in domini fraudem manus in ecclesiasticum iniecit, vt se à domini seruitio subtraheret, vel sine causa domini illas iniecit, & ex eo, quòd id mancipium ad eum accedat, qui potestatem ad ipsum absoluendum habet, dominus illius pateretur graue damnum, absolui tunc potest ab Episcopo. 2166. b

Mancipium si stuprum commiserit cum domina sua, sumpto stupro latè, domina ipsa capitis pœna punitur, & mancipium comburitur. 2422. d

Mancipium quando iniuriam intulit, rationeq; eius iniuriæ, quæ absque culpa domini illata fuit, iniuriarum actio competit, tunc si iniuria sufficienter compensetur punitione corporali mancipii, infra mortem aut mutilationem, tenetur tunc dominus tradere id mancipium, vt iudicis arbitrio puniatur. 2678. b

Mandans, Mandare.

Mandans si expressè aut tacitè reuocauit mandatum, & de reuocatione mandatario constabat, si damnum mandatarius det exequendo mandatum, solus mandatarius tenetur illud restituere: nisi in mandato admixtum esset aliquid consilii, vnde mandatarius ad executionem motus fuerit. 1583. a

Mandans damnum quousque ante alios restituere teneatur. 1605. e

Mandantes alios interfici, non quidem per assassinos, sed per quoscunque alios, non incurrunt excommunicationem, neque sunt diffidati, nec iuste possunt diffidari. 1824. e

Mandans delictum eadem obligatione tenetur, qua consulens. 1881. c

Mandans homicidium, illo secuto, tenetur pœna homicidii ordinaria. 1884. d

Mandans homicidium si intendat illud formaliter, tunc secuto homicidio mandans & mandatarius incurrunt irregularitatem ex homicidio voluntario, & tenentur pœna homicidii ordinaria: secus, si non intenditur. 1885. b

quando Mandans superior est ea in re mandatarii, licèt id quod mandatarius executioni mandati in re esset illicitum, obedientia id sibi præcipientis excusat eum à culpa. 1888. b

Mandans homicidium, secuto delicto, tenetur ex delicto ipso, & non anteaquam sequatur, tametsi quando sequitur, teneatur ex eo delicto ob mandatũ, seu quatenꝰ ex eo mãdato est secutũ. 1886. e

Mandans fieri delictum, ad quod ipsemet concurrere non potest, vt adulterium, tenetur de mandato mandatarius, quoad iniuriam eo abusu vxoris mandatam fieri marito. 1894. d

Mandans expressè vel tacitè alicui vt manus violentas in eum injiciat, qui priuilegio gaudet, incidit in excommunicationem canonis perinde ac executor ipse, modò tamen reuera fuerit cõcausa talis iniectionis: secùs si mandatum reuocauit, antequam executioni mandaretur. 2118. c

Mandatarius.

Mandatarius si vsque ad mortem inferendam fuit progressus, interfecto, quando inuasus ab illo fuit, ignorante eum sibi esse inimicum, vterque incurrit pœnam homicidæ proditorìe. 1825. b

Mandatarius quando non interficit, attamen proditorìe vulnerauit, tunc tam ipse quam mandans de iure regni Hispanici sunt interficiendi, non tamen sunt eis confiscanda bona. 1826. d

quando Mandatarius certò sciebat, illicitum esse exequi quod mandabatur, aut ita erat dubium, vt non posset meritò committere se scientiæ præcipientis, sed potens facere diligentiam ad id sciẽdum, executioni illud mandauit, neque à culpa neque a pœna excusatur. 1892. a

quandocunque Mandatarius subditus ratione mãdantis exequitur id, quod scit esse malum, tunc non excusatur à pœna neque ab onere reſarciendi damna data; secùs quando sibi non constat esse malum. 1891. d

Mandatarius cui mandatum est manus violentas injicere in Ecclesiasticum, si reuocationem ignorauerit, atque mandatum executus est, tam ipse quam mandans, excommunicationem incurrunt, mandans eo modo incurrit etiam post mortem suam. 2119. b

Mandatum.

quando Mandatum esset intrinsecè malum, aut licèt malum intrinsecè non esset, non tamen tantum malum non implendo mandatum imminebat, vt excusaret a culpa illud exequentem, si delictum a mandatario ita commissum leue sit, non punitur mandatarius ob hoc delictum: sed bene mandans, & competit aduersus eum actio legis Aquiliæ. 1890. b

Mandatum aut consilium quando est de re illicita, ex qua sequi potest homicidium, minimè à mandante aut consulente intentum, tunc si homicidium sequatur etiam eius, cui mandatum aut consilium datum est, mandans aut consulens incurrit irregularitatem ex tali homicidio, ipsorum comparatione casuali. 1686. c

Mandatum licet longè antea fuerit traditum, vt mandatarius aliquem interficeret, si mandatarius id exequatur, neq; de mandati reuocatione constet, censetur delictum commissum ex anteriori mandato, mandansq; proinde tenetur lege homicidii eius ordinaria. 1887. c

quando Mandatum esset intrinsecè malum, tunc ferenda potius est mors propria, quam id executioni mãdandæ, secùs quando nõ esset intrinsecè ma-

lum. 1889. c
qui Mandati actione directa damnatur, vt aliquid mandanti soluat, dolo ex parte mandatarii intercueniente in eo, ratione cuius soluere mandanti id teneatur, infamiam incurrit. 2520. b
Mandatum de non reuelando secreto continetur sub octauo. 2489. a

Manichæi.

Manichæorum errores. 3076. b. c
Manichæus decoriatus est à Rege Persarum. 3076. e
argumenta quibus Manichæi probabant legem veterem non esse bonam. 3078. c. & illa refelluntur. 3089. e
Manichæi refutantur asserentes promissionem aduentus Spiritus sancti non fuisse Apostolis impletam, sed per Spiritus sancti aduentum futuram aliam legem. 3202. d. rejiciunt actus Apostolorum. Ibid. affirmant Manichæum esse Spiritum sanctum. Ibid. e

Manifestum, Manifestare.

Manifestum furtum, vide furtum.

Manifestare delictum & secretum.

peccatur etiam contra iustitiam, qui Manifestat id quod publicũ est, si nempe illa manifestatio causasit damni iniusti in bonis alterius. 2474. c
licet virtutes alicuius Manifestare, licèt pacto promissum sit eas non reuelare. 2476. e
Manifestari etiam' potest secretum, quando is, cuius est secretum, aliter eruì à peccato non potest, quam detegendo peccatum secretum illius. 2482. c
Manifestare crimen alienum ex auditu, vide Auditus.
quando Manifestatur crimen alicuius occultum, non detecta persona eius, qui eo crimine laborat, si verisimile non sit, deuentum iri in notitiam personæ, quæ eo laborat, tum non est culpa lethalis. 2598. c
quando de vita & moribus alicuius inquiritur ad magnum aliquod emolumentum, tunc nefas est Manifestare peccata eius occulta, de quibus ad eũ finem inquiritur. 2586. c. quãdo aliquid ita relinqueretur aliquibus, dummodo tales vel tales habeant conditiones, ita vt si eas conditiones non habuerint, ius ad id non habeant, tunc licet ista delicta, licèt paucis nota, Manifestare. 2587. a
non infertur vlla iniuria ex eo, quòd de illo, qui maiorem habet famam quàm par sit, proferatur iudicium verum ea de re ex iis, quæ in illo apparent, non Manifestando crimen illius occultum, nisi id ex mala intentione fiat. 2596. c
quando generalibus verbis ita peccatum alicuius occultum Manifestatur, vt non magis ex iis verbis concipi possit, illum quoad id laborare culpa lethali quàm veniali, tunc illa detractio est solùm venialis. Ibid. d
quando liceat licitè aliorum defectus Manifestare. 2597. a
quando crimen Manifestatur occultum personæ alicuius, non detecta quidem persona, sed detecta qualitate illius, ex qua licèt persona agnosci non possit, infamia tamen in alios redundaret, posset interdum culpa esse lethalis. 2599. a
Manifestare delictum graue alicuius occultum, vni tantùm, qui id non reuelabit, est culpa lethalis. 2601. b. c. d. e
licèt ex iusta & rationabili causa crimen Manifestare alterius vni aut multis, quantum ea iusta causa postulauerit. 2602. b
Manifestare crimen graue occultum filiorum aut famulorum, paruæ culpæ expositum, modo fiat iis, qui medelam adhibere possunt. 2602. c
multum extenuat & excusat culpam, Manifestare occultum graue crimen alicuius, non animo nocendi aut diffamandi, sed aliqua bona de causa. 2604. b
culpa lethalis est ex suo genere Manifestare alienum graue crimen occultum vni tantum, licèt is nemini dicturus sit. 2604. c
quando crimen est verè commissum, & iam publicum est per iniustitiam eorum, qui illud reuelatione sua iniusta publicum fecerant, tunc non est culpa lethalis illud Manifestare iis in loco, vbi publicum est iam effectum, qui non sciebant. 2618. a
quando aliquis infamatus est de aliqua re in aliquo loco, non per sententiam latam ea de re à publicis potestatibus, tunc contra iustitiam est, & cum restituendi onere, Manifestare id in loco, in quo ille de ea re non est infamatus. 2620. c
non est peccatum contra iustitiam neque contra veritatem Manifestare vitium eius, qui de illo publica sententia condemnatus est in vno loco, in aliis ad quæ ex eo loco est aliquod commercium. 2623. d. quando tamen locus, in quo is degit, qui in alio publica sententia fuit punitus, adeò distat à loco in quo ille laborat infamia, lethalis culpa est detegere ibi peccatum illius. 2624. c
cùm aliquis casu absque sua culpa nouit crimen alicuius secretum, potest illud Manifestare ad euadenda tormenta, etiamsi ex ista manifestatione alterius vita periclitaretur. 2648. c
siue in iudicio siue extra iudicium crimen alicuius iniustè Manifestetur, atque is qui illud commisit, vt se defendat, affirmet, vel manifestantem non dicere verum, vel se tale aliquid non fecisse, vnde indirectè affirmet illum non dicere verum, tenetur illi ad restitutionem, si eam læserit. 2696. b *Vide Secretum.*

Manus violentas injicere.

Manuum violentarum iniectione quid intelligatur, vt excommunicatio incurratur. 2110. b
Manus violenta & iniuriosa ecclesiastico statui duobus modis est talis, vno ex sese, altero ex dispositione iuris humani; vtrouis modo manus iniectionem iniuriosam esse statui ecclesiastico, sufficiens est ad sacrilegii peccatum & excommunicationem incurrendam. 2113. a
vt ob Manuum violentarum iniectionem in aliquem eorum, qui priuilegio gaudent, incurratur hæc excommunicatio, necesse est, vt illa fiat illicitè, deinde vt ea iniectio sit culpa lethalis, etiam quando actus interior, quo manus violenta injicitur, est culpa lethalis, incurritur hæc excommunicatio, etsi exteriori actu modica violentia inferatur. 2115. b
quando is, cuius intuitu Manus violenta in clericum essent iectæ, ante talem iniectionem, iis qui eas iniecerunt verbis aut signis indicasset, gratam eam sibi fore, tunc illud esset tacitè mandatum: & ita incurrit excommunicationem. 2221. b
quando qui Manus violentas iniecit, inuincibiliter ignorabat eum esse de numero gaudentium

tium priuilegio, non incurrit excommunicationem. 2122. e

Manus violentas in clericum injiciens si vincibiliter ignorabat eum esse de numero gaudentium priuilegio, tunc si ea ignorantia adeo erat crassa, vt non excusaret à culpa sacrilegii lethali, manus injiciens incurreret excommunicationem: si verò ignorantia illa excusaret a culpa sacrilegii lethali, tunc non incurreret excommunicationem. 2124. c

quando aliquis Manus violentas injicit in ecclesiasticum turpiter inuentum cum sua vxore aut affine, licèt sacrilegium committat eum authoritate propria percutiendo, non incurrit tamen excommunicationem. 2132. a

Manuum violentarum leuis iniectio esse potest, non solum quando culpa, quæ in tali iniectione cernitur, est venialis, sed etiam quando est lethalis. 2142. e

quando is, qui Manus violentas in ecclesiasticum iniecit, ab eo in mortis periculo absoluitur, qui solum pro tunc rationeq; talis periculi ad id habet facultatem; in primis ita absoluens, si commodè fieri possit, iniungere debet absoluendo, vt prius satisfaciat parti, si ea de causa aliquid illi satisfacere tenebitur. 2161. c

Manus violentas in Ecclesiasticum injiciens quando occultus est, nec scitur eum id feciſſe, potest Episcopus absoluere in foro conscientiæ illa de causa excommunicatum, etiamsi percussio enormis fuerit. 2168. e

Marcionitæ hæretici.

Marcionitæ hæretici asserunt legem veterem fuisse malam. 3076. a

B. Maria Virgo.

B. Virgo Maria immunis fuit a peccato. 3080. c

B. Virgo non suis meritis electa fuit, vt esset mater Dei, sed ex Dei misericordia, & ex meritis Christi filii sui futuri, quamquam cooperante ipsa libere ad sua merita præparauit se & se reddidit dignam. 3101. a

B. Virgo Maria omnium prima fidem Christi habuit, credens angelo nuntianti. 3193. c

Maritus.

Maritus si de damno dato in bonis vxoris, aut vxor in bonis mariti, conuincatur, solum soluunt simplex damnum, sine vlla prorsus pœna. 1279. d

Maritus iniuriam patitur ex adulterio quod fit cum sua vxore, & è contra vxor ex adulterio mariti; parentes ex stupro filiæ familias in potestate sua existentis. 1701. d

Maritus punire potest vxorem. 1710. c

Maritus vxorem & cum illa adulterantem in facto deprehensos interficiens lethaliter peccat, licèt impunè authoritate legum id fiat, cum responsione ad contraria argumenta. 1732. b

Maritus adulteræ & pater præferuntur cæteris in accusando de adulterio, & maritus patri. 2043. e

Maritus & pater debent adulteram accusare intra sexaginta dies vtiles. 2044. c

Marito olim fas non erat vxorem adulteram accusare, sed facere diuortium, & deinde accusare. 2044. a

Maritus, si in sua vxoris fraudem manus violentas in ecclesiasticum iniecit, absolui ab Episcopo potest. 2166. e

Maritus adulteræ quando interficit adulterum & adulteram ex propria autoritate, non lucratur bona adulterorum, quos ita interfecit, sed solum quando lata priùs sententia, adulteri iudicis autoritate constituuntur in potestate ipsius, vt de iis & ipsorum bonis faciat quod voluerit. 2306. a

Maritus adulteræ non poterit vnum eorum adulterorum interficere, & non interficere alterum; sed aut vtrumque, aut neutrum. 2305. a

Maritus si parcat vxori adulteræ, ante vel post sententiam, modo remissio fiat coram iudice eius causæ, & de ea re fiat instrumentum subsignatum, continuò dimittenda ea est omnino libera, nisi ob aliud crimen in vinculis sit detinenda. 2307. d

si Maritus agat solum ciuiliter aduersus suam vxorem adulteram ad diuortium, ea vxor amittit dotem marito, & omnia bona. 2311. b

Maritus tenetur alere vxorem, a qua diuortium fecit, non tamen tenetur tam splendidè alere, ac si non peccasset, & in dote & bonis non esset punita. 2315. e

quando agit Maritus ciuiliter de adulterio ad diuortium, & simul vt amittat bona, quæ amittere tenetur, tunc agendum est coram iudice ecclesiastico, ad quem pertinet diuortium concedere aut negare. 2316. c

Maritus quando aliquem suspectum haberet, machinari adulterium cum sua vxore, terq; illum in scriptis admoniisset, ne cum illa loqueretur, posteaq; illos inueniret simul in aliquo loco, tunc illa est præsumptio iuris illos adulterium commisisse, ac proinde tunc pœna adulterii puniri possent. 2326. c

Maritus & vxor pares sunt, vt si vnus eorum adulterium in alterius iniuriam committat, amittat ius petendi debitum ab altero, qui innocens quo ad simile crimen comparatione eius sit, quòd debitum non tenetur illi reddere. 2340. d

Maritus si sciat vxorem commisisse adulterium, & eam carnaliter cognoscat, censetur illi ignoscere adulteria illucusque commissa, nec potest prosequi accusationem, si iam aliquam aduersus illam circa ea adulteria intentauerat. 2248. c. nec ob eadem adulteria accusare illam ciuiliter potest ad diuortium. 2349. b

Maritus si commiserit adulterium in iniuriam vxoris, non impedit eum agere criminaliter ad vxorem adulteram puniendam, idq; siue adulterium vxoris sequatur siue illud præcedat. 2350. e.

Maritus si libellum repudii vxori dedit, dum ambo infideles erant, nondum ad fidem conuersi, illaq; alteri nupserat, si ambo ad fidem conuertantur, tenetur maritus vxorem ad matrimonium admittere. 2352. c

Maritus si cæpit accusare adulterum vel adulteram & destitit, animo deinceps non prosequendi accusationem, postea accusationem prosequi volens, aut eam intentare, repellitur exceptione, quòd iam ab accusatione destiterat. 2354. d

Maritus si circa propriam vxorem lenocinium exerceat, pœnam criminalem pro adulterio statutam incurrit stando in iure communi. 2356. d

Maritus non dimittens vxorem in adulterio deprehensam faciendo ab ea diuortium, pœna adulteri plectebatur. 2357. e

Ma-

Maritus si ob lucrum aliquod vxori suadet adulterium, illudq; permittit, lenocinium circa propriam vxorem committit, & mortis pœna puniendus est. 2358.c

Maritus de iure communi impunè potest interficere eum, quem suspectum habet de adulterio cum sua vxore, etiamsi illos non repererit in delicto flagranti, scilicet si ter eum admonuerit scriptis, ne cum sua vxore loquatur, idq; fiat singulis vicibus coram tribus testibus fide dignis. 2374. b. 2326.c

Maritus si interficeret non vilem adulterum cum sua vxore repertum, non potest puniri homicidii pœna ordinaria, sed arbitraria. 2377.e

Maritus interficiens vxorem in adulterio deprehensam, cùm vtrumque interficere posset, aut adulterum solum parcendo vxori, si vilis erat, condemnabatur in perpetuum ad metalla; si autem honestior, in insulam relegabatur. 2378. c

Maritus vel pater quando impunè possunt adulterum aut vtrumque simul occidere, non possunt id alteri ad exequendum impunè mandare. 2383. a

quando Marito adulteræ ex adulterio cum vxore illius nullum damnum permanens est secutum, pro nuda iniuria seu iniustitia adulterii nulla ei debetur restitutio in foro conscientiæ. 2385. e

si Maritus post adulterium concessum adulterum vel adulteram interficiat, puniendus est non quidem pœna homicidii ordinaria, sed alia mitiori, quando scilicet non interuenit proditio. 2385. b

Maritus interficere licitè vxorem potest in adulterio deprehensam, simul & adulterum. 3047. b. 3056. b

lex Moysis permittebat Marito vxori dare libellum repudii, ne ex eius retentione maiora mala sequerentur. 3051. b

Vide Adulter, Interficere, Vxor.

Matrimonium.

quando Matrimonium reputatum fuit validum inter virum & mulierem aliquam, eaq; mulier cum alio post matrimonium est fornicata, si deinde probetur id matrimonium fuisse nullum, tunc maritus nec dotem aut quidquam aliud bonorum vxoris in pœnam ob fornicationem illius lucratur, neque illi fornicarii subiacebunt pœnæ ordinariæ pro adulterio statutæ. 2335. b. quid sit circa illum euentum in Hispania & Lusitania statutum. 2336. d. e

quando aliqui se fingebant coniugatos, & tales communiter reputabantur, non tamen inter ipsos nullus Matrimonii contractus interuenisset; tunc si mulier cum quodam tertio fornicetur, & de adulterio accusentur, neque illa neque ille puniuntur pœna mortis, sed alia arbitraria infra mortem. 2337. c

ex eo quòd quando Matrimonium fuit nullum, maritus accusare non possit vxorem fornicariam iure mariti, sed iure extranei, colligitur maritum non posse impunè interficere talem fornicariam ac fornicarium, repertos in flagranti delicto. 2337. e

quamuis maritus, detecta Matrimonii nullitate, accusare non possit iure mariti, hoc est cum prælatione aliis; tamen etiamsi matrimonium verum non fuerit, ad eum maritum, ita iure extranei accusantem, pertinet pœna bonorum iure ipsi applicata. 2338. d

Matrimonio illegitimo natum esse infamia est facti. 2492. e

Matrimonium iure humano canonico prohibitum est contrahi inter consanguineos in aliquibus gradibus, vt iure diuino positiuo contrahi erat prohibitum in veteri lege. 3199. b

Medicus.

Medicus qui nulla sua culpa aliquid fecit, vnde mors sit secuta, quia videlicet satis est peritus, vt id faceret, & nullam temeritatis culpam commisit, qua ea mors sequeretur, nec dedit operam rei illicitæ, irregularis non fit. 2214. e

Medicus si post susceptos ordines sacros medicinæ artem exerceat, & præter ipsius intentionem mortem alicuius acceleret, non incurrit irregularitatem, sed solum id est indecens statui ipsius. 2221. d

Melchisedec.

Melchisedec fuit Rex & sacerdos Dei. 3256. a

Melchisedec sacerdotium. 3082. d. e. 3083. a. b. typus fuit Christi. Ibid. c

Membrum.

Membrum sanum sibi quis abscindere potest pro sua & aliorum salute. 1750. b

Membri nomine quid comprehendatur, vt illud alteri abscindens, mutilare eum dicatur, irregularitatemq; incurrat. 2185. a

digitus neque dens propriè Membrum sunt, neque quæuis alia pars coadiuuans solùm ad principalem actum, ad quem membrum ordinatur. 2185. c

quando aliquis per indignationem aut alia via illicita partem Membri sibi abscindit, est irregularis, licèt crimen non sit notorium. 2195. a

si alicui ob suam culpam aut Membrum aut pars membri abscindatur, aut quia ipse occasio fuit rixæ, in qua ei abscissum est membrum, irregularis fit. 2195. b

Mensor agrorum.

Mensor agrorum fraudem faciens puniendus pœna iudicis arbitraria. 1314. c

Vide Ager.

Mensura.

Mensuris ac ponderibus falsis ementes aut vendentes crimen falsi incurrunt. 1313. c

Mens.

si aliquis sanæ Mentis commisit homicidium, atque in amentiam incidat, antequam ea pœna executioni mandetur, cessandum est ab executione sententiæ, nisi prius respiscat. 1952. d

Mercator, Merx.

Mercator fugiens cum pecunia apud eum deposita incurit pœnam raptoris. 1225. b

damna Mercibus aut naui ex eo secuta, quòd quis sua culpa nauem perforasset, lege Aquilia resarcienda sunt. 1274. e

Miles.

Militum exercitium dans damnum valde periculosè in loco ad id deputato, resarcire non tenetur miles, nisi alia culpa eius interuenerit: secùs si alibi illud det. 1267. c

damna iniusta, quæ Milites in exercitu dant, quando qui illa exsequuntur, & quãdo omnes teneãtur ea restituere, hoc est singuli ea integra, in defectu alio-

aliorum. 1591. d
Miles scienter progressus ad bellum ex parte sua iniustum & fugiens, an possit alium militem, à cuius parte iustum est bellum, ipsum insequentem, in sui defensionem occidere. 1767. b. & 1768. a
Militem iniusti belli ignorantia inuincibilis excusat. 1768. b
Milites conducti ad defendendam vitam aliquorum, si permittant quemquam occidi ex iis, quos ita defendere tenentur, contra iustitiam peccant. 1907. e
Militis stipendiarii militiam deserentis crimen morte non exstinguitur. 2003. e
Miles conducens prædia alsena negotiationis causa, infamiam ipso facto incurrit. 2503. e
Militi qui actu in sæculari militia versatur, licèt non subueniatur in delictis, quæ sunt contra ius naturale, aut quasi, si in aliquo tamen, ius ciuile ignorando, sibi ipsi præiudicet, etiam quo ad commoda, nedum quo ad damnum aliquod vitandum, ei subuenitur, indemnisq; omnino in eis seruatur. 3245. b

Ministri publici.

Ministri publici, qui eos, qui in pœnas iustè impositas inciderunt, condemnari non curant, aut qui negligentes sunt in illis inquirendis, vt eas soluant, de iustitiæ rigore restituere emolumentum earum tenentur illis, quibus erant applicandæ, si eo cum onere munus sit ipsis iniunctum. 1616. d
Ministros publicos, à quibus iniusta mors nobis imminet, nos aggredientes, an occidere liceat. 1766. e

Minor.

Minor, si infantiæ tempore, hoc est vsque ad septennium, homicidium aut aliud delictum committat, nullam incurrit pœnam. 1941. a. 3242. e
Minor pubertati proximus, committens homicidium, tenetur ex delicto homicidii. 1941. c. si talis confessus fuerit delictum suum, non sufficienter aliunde probatum, restitui in integrum potest aduersus suam confessionem, etiam iuramento confirmatam, vt sibi non noceat, sed reducatur ad statum, ac si similem confessionem non fecisset. Ibid. e
Minor pubertati proximus quando puniri non possit, & in quibus delictis. 1942. d. Nec est puniendus pro homicidio pœna mortis, sed alia minori arbitraria, at puberes puniendi sunt pro iudicis arbitrio. 1943. d
Minor quando deliquit in ætate, in qua puniri non potest, postea quando ad maiorem ætatem peruenit, puniri nequit pro delicto in minori ætate commisso. 1944. e
Minor viginti annis non potest esse arbiter. 1989. d. 2994. d
Minores quando compromittunt, requiritur autoritas testatoris aut curatoris, prout res fuerint, de quibus compromittunt, vt compromissum sit validum ad effectum obligandi minorem. 2999. a
Minor pubertati proximus pœnas incurrit pro delictis, & longè maiori cum ratione, si puberi am sit. 3242. a
Minori viginti quinque annis licèt non subueniatur in delictis, quæ sunt contra ius naturale, aut quasi, si in aliquo tamen, ius ciuile ignorando, sibi ipsi præiudicet, etiam quo ad commoda & compendia, nedum quo ad damnum & pœnam aliquam vitandam, ei subuenitur, indemnisq; omnino in eis seruatur. 3245. b

Minutio pœnæ.

propter multitudinem delinquentium non est detrahendum seueritati, nec proinde minuenda est pœna lege statuta. 1928. c
nulla potest statui certa regula, quando & quousque ob multitudinem delinquentium Minus pœna ordinaria delicti debeat, sed id relinquendum est prudentis arbitrio iudicis, spectatis circumstantiis omnibus concurrentibus. 1929. c

Missa.

Missæ sacrificium, quo ad formas consecrationis, instituit Christus. 3121. a

Moderamen inculpatæ tutelæ.

quid sit seruare Moderamen inculpatæ tutelæ, & quando aggressus id facere dicatur. 1754. e. 1757. b

Molendina.

Molendina construere quousque in eodem flumine liceat, etiam cum damno molendinorum priorum, & quousque ad illa extrahere liceat aquam de flumine publico. 1380. d
Molendinum in torrente quousque construere liceat. 1382. b
Molendinum super aquas catenis alligatum ad ripas quiuis efficere potest priuata autoritate in quacunque parte fluminis publici, nisi nauigationem impediat. Ibid. e
Molendinum qui prius ædificauit, an comprimere in suum commodum possit aquam cum detrimento alterius, qui posterius ædificauit. 1383. b

Monachi.

Monachi nomine qui censeantur, & qui priuilegio monachali gaudeant. 2105. b

Moneta falsa.

Monetam falsam quis cudere dicatur. 1316. c
Monetarius falsus strangulatus crematur, & bona eius confiscantur. Ibid. e
Monetariis falsis aliqua ratione cooperantes, subiacent pœnis iisdem quibus monetarius. 1317. d
Monetam falsam cudens in prouincia, in qua non expenditur, vt eam in aliam, in qua expenditur, transferat, deprehensus in prouincia, in qua illam cudit, solum punitur pœna arbitraria; deprehensus vero in prouincia, in quam illam transportat, puniur ordinaria pœna. 1318. b
Monetam falsam cudens in loco recognoscentis superiorem, qui tamen ius habet monetam cudendi, quam pœnam incurrat. 1318. c
Monetas radens, tondens, aut tingens, quas pœnas in Hispania incurrat. 1319. a
falsam Monetam cudens etiam iusti ponderis ac materiæ, lethaliter peccat, Principiq; restituere tenetur emolumentum, quo illum priuauit. 1320. c
Monetam falsam expendens quibus pœnis in Hispania & alibi subiaceat. 1319. d
Monetam falsam cudens detrahendo de pondere & de puritate metalli, vel illam tondens, radens, aut tingens, lethaliter peccat, & ad quam restitutionem teneatur. 1320. e
Monetam falsam scienter aut ignoranter expendens quousque restituere teneatur. 1321. a

Monstra.

Monstra & defectus particularium causarum naturalium sunt quidem peccata naturalia causarum, quo ad suos actus, sed non sunt in legibus Dei æternis. 3044. d

Mora-

Moralia præcepta.

non omnia præcepta Moralia fuerunt in veteri lege expressa, sed quædam relicta, vt per peritiores docerentur. 3135. c

alia præcepta Moralia præter decalogum partim dedit Deus per Moysen, & partim reliquit ea aliis sapientibus ex præceptis decalogi deducenda. 3136. d

quamuis peccata Moralia sint contra leges particulares Dei æternas, non tamen sunt contra Dei legem æternam. 3044. e

Morbus caducus.

Morbo caduco subiecti ordinari non possunt. 2192. c

Mors.

Morte corporali plectendum, ex eo quòd sit impœnitens, & interitus illius æternus sequeretur, non esse dimittendum. 1726. d

quòd pro delicto pœna Mortis sit infligenda, non consistit in indiuisibili, quo ad latitudinem culpæ delicti. 1810. e

cùm quis Morte est plectendus, nisi sibi crimen aliquod grauissimum imponeret, solum peccat venialiter, illud sibi imponendo, quando ex eo non sequitur notabile damnum aut scandalum. 2652. e. si quis tamen nihilominus imponendo sibi tale crimen condemnandus esset de hæresi, aut crimine simili; si verò non confiteretur id crimen illud sibi imponendo, sed tormenta sustineret, nihil horum ei esset cuentum. sed solùm esset condemnandus de suspecto in fide, tunc lethaliter peccaret, crimen id sibi imponendo. 2653. b. quando is, cui crimen hæresis, aut aliquid simile sufficienter est probatum, eius esset conditionis, de quo alioquin præsumptio non esset commisisse id crimen, timendum est eum incurrere culpam lethalem, tale crimen sibi imponendo, vt mortem eũaderet. 2654 b

Mortem intentans per asasinum & fugiens habetur pro diffidato, & licitè à quocunque potest interfici. 1823. e

Moyses.

Moyses fuit sequester inter Deum & populum. 3088. b. & legem accepit à Deo ministerio Angelorum. Ibid. c

Moyses fuit annorum octoginta, quando lex est lata. 3114. c. 3115. e

Moyses confregit tabulas legis à Deo acceptas, viso vitulo quem populus adorabat. 3136. a. fecit deinde sibi tabulas similes prioribus, in quibus Deus eandem legem scripsit. 3136. a

Mulier.

Mulier pro defensione pudicitiæ interficere potest se opprimere volentem, laudabilius tamen pateretur oppressionem continendo se à consensu in culpam lethalem, quàm vitam corporalem simul cum spirituali oppressori eripere. 1778. c

Mulier si aliquid ad aborsum facit, indeq; sequatur aborsus fœtus animati rationali anima, si coacta id fecit, non est punienda pœna mortis, sed is qui illam coëgit. 1838. a

de iure communi quando Mulier, cum qua habetur carnalis accessus, neque est nupta, neque virgo, neque vidua honesta, neque accessus ille sit cum iniuria patris familias domus, neque à famulo sit cum domestica domini sui, non punitur talis accessus carnalis. 2424. d

Mulier sui iuris, si ipsa consentiente matrimonii aut libidinis causa, domum egrediatur, & aliò cum quopiam fugiat, qui ipsam defendet ab amicis, qui id ægre ferent, non dicitur rapta. 2437. a

Mulier coniugata in adulterio deprehensa, etiamsi condemnata in adulterio non sit, infamiam iuris incurrit. 2495. e

Mulieri fit iniuria, si illa honestè viuat, atque aliquid fiat, quo pudicitia illius attentetur, verbo, scripto, nutu, competitq; pro ea actio iniuriarum, patri, sponso, aut marito pro conditione status. 2673. a

Mulier, quæ sciens se non esse prægnantem ex marito defuncto, fecit se mitti in possessionem bonorum mariti, ratione filii, quem à defuncto marito finxit se in ventre portare, lata sententia, infamiam iuris incurrit. 2512. c

Mulier non potest esse arbitrix: nisi ratione alicuius dominii. 2990. d

Mutilatio, Mutilare.

Mutilatio latè sumpta quid comprehendat. 1783. e

Mutilans alium & etiam se ipsum illicitè, fit irregularis. 2183. d

Mutilationis nomine, ad effectum incurrendi irregularitatem, quid intelligatur. 2184. a

Mutus.

rest ituere vt teneantur damna ab aliis data, tanquam concausæ indirectæ, qui nomine Muti, non obstantis, & non manifestantis intelligantur. 1593. e

Mutus non potest esse arbiter. 2989. d

N.

Nasus.

cui Nasus abscisus est, irregularis est ob deformitatem. 2197. b

Naufragium.

Naufragii res si occupentur animo retinendi, furtum est, excommunicatioq; ob illud bullæ Cœnæ Domini intenditur. 1194. b. 3236. e

Naufragii bona accipiens sibi, quæ nisi ipse eriperet, statim erant peritura, an excommunicationem incurrat. 1196. c

qui putat simpliciter Naufragii bona licitè posse accipi, & ea vsurpat, non incurrit excommunicationem. 1197. d

furtum ex Naufragio quomodo in Hispania puniatur. 1216. b

Nauis.

ad furtum in Naui commissum tenetur nauta, & ea actio transit ad hæredes damnum passi, non verò aduersus hæredes nautæ. 1484. d

Nazareni.

Nazareni hæretici voluerunt legem veterem seruandam vnà cum Euangelica. 3175. d

Nehemias.

Nehemias expostulat cum Deo ratione pacti, quod promisit populo suo. 3128. a

Nobilis.

Nobilis, vulnere, alapa, alióve conuitio affectus in continenti repercutiens aut interficiens, an puniendus veniat, & qua pœna. 1777. c

Nobiles homicidæ hodie etiam capite plectuntur. 1792. a

Nobiles olim qui in Hispania palinodiam cantabant, infamiam ipso facto incurrebant. 2505. b

Nocere.

si quis vtendo iure suo Noceat alteri, quamuis stãdo in solo iure naturali ad nihil ei teneatur, estò sinistra intentione animo illi nocendi id efficiat, quousque tamen iure humano actio de dolo aduersus eum competat, vt desistat, & vt rem ad pristinum reducat statum. 1573. a

Notitia, Notorium.

quando quis via iniusta, vel secreta auscultatione, aut violentia, in Notitiam alicuius delicti venit, non minore onere tenetur illud non manifestandi, quam si per secretum commissum illud agnouisset. 2480. e

Notorium crimen quid sit facti notorietate, & quam multis notorium sit oportet, vt possit licitè reuelari. 2609. a

quid sit Notorium notorietate iuris: quod etiam duplex est. 2610. a

quando aliquod crimen solum est ita Notorium iuris notorietate, quòd nondum lata est sententia, qua delinquens publicè de eo damnetur, nefas est illud detegere in loco, in quo is delinquens non laborat infamia. 2624. e. quando crimen aliquod damnatur publica quidem autoritate, sed vt Notitia criminis eius limites aliquos non egrediatur, tunc culpa est lethalis, cum quantitate infamiæ, eam notitiam vltra eos fines extendere. 2625. d

Nouitius religionis.

Nouitius approbatæ religionis, & exemptæ à iurisdictione ordinariorum, durante nouitiatu aliquem mutilans, vt persona est ecclesiastica, ita gaudet priuilegio fori, neque ad aliud tribunal tunc pertinet in criminalibus, quam ad tribunal sui prælati, perinde ac cæteri religiosi. 2102. c

Nouitius nondum per vota religioni astrictus, religionemq; egrediens, amittit priuilegium clericale. 2126. e

Nuntiatio noui operis.

Nuntiationis noui operis interdictũ quas tres partes contineat, & quot modis censeatur facta remissio nuntiationis noui operis. 1407. d

Nuntiationis noui operis interdictum etiam quoad secundam partem, vt scilicet nuntiatus destruat, quod post nuntiationem & ante illius remissionem ædificauerit, locum habet, etiamsi nuntiatus ius habuerit ad ædificandum. 1408. c. etiam locum habet quoad id quod nondum est ædificatum tempore nũtiationis factæ: secus quoad partem ædificatam. 1409. a

ædificatum ante factam Nuntiationem, vt interdicto quod vi aut clam destruatur, necesse est vt factum sit ignorante eo, qui nuntiare poterat, id fieri. 1411. b

ante Nuntiationem noui operis si aliquid factum sit in re, in qua alius erat in possessione, ignorante eo fieri, tunc interdictum etiam vti possidet is competit ei in continenti, quando id scit: antequam possessionem amittat, vt regrediatur ad pristinum statum. 1411, d

Nuntiatio noui operis locum habet non solum si quis paret ædificare fodiendo ad id terram, sed etiam si diruat aliquid in alterius præiudicium: non autem locum habet in plantis, siue seminet siue plantet, siue aliter plantas destruat. 1411. e

Nuntiatio noui operis locum in quibus non habet: locum tamen habeat interdictum quod vi aut clam: & in quibus neque interdictum quod vi aut clam locum habeat. 1412. b

Nuntiatio noui operis locum non habet, quando ædificatur aliquid in præiudicium seruitutis rusticæ, secùs si ædificetur in præiudicium vrbanæ. 1412. d. item aduersus fulcientem aut reficientem ædificium, si nihil addat aut detrahat, quominus in eodem statu maneat. 1413. e. Item aduersus purgare aut reficere volentem riuum vel cloacam, aut eam facientem, aut factam mittentem in publicam, etiam per alienа prædia: neque quando ex retardatione operis periculum magnum immineret, etiam priuatum. 1414. a

Nuntiatio noui operis locum habet, siue opus fiat in oppido, siue in villa, aut in agro, siue in loco priuato aut publico. 1415. b

Nuntiatio noui operis quibus ex causis iustè fiat, variæ etiam sanctiones circa ædificia. 1415. b

Nuntiatio noui operis intendendo ius proprium nostrum quibus ex causis fiat. 1417. c

Nuntiatio noui operis quot modis & qualiter fiat. 1418. a

Nuntians nouum opus primo modo possessionem amittit nuntiato eius, circa quod nuntiat, si illam habeat: non verò nuntians duobus aliis modis. Ibid. d

Nuntiare qui vult coram iudice, si iudex sit absens, & protestetur se coram illo velle nũtiare, & aduenient iudice coram illo nuntiet, censetur à puncto protestationis coram illo nuntiasse. 1419. b

Nuntiatio omni die fieri potest. 1419. c

Nuntiatio in rem, & non in solam personam dirigi debet, vt efficacior sit, etiam quoad ignorantes, & transeat in possessorem, & qui & quousq; tunc teneantur. 1419. d

Nuntiatio cur potiùs fieri debeat in loco, in quo ædificatur, aut ædificari paratur, quam extra eum locum: & opifices, qui ibi operantur, si non cessent, quousque teneantur, & quousque dominus. 1422. d

Nuntians quousque de loco publico aut priuato, in quo ædificatur, aut ædificari paratur, facere debeat mentionem aut de parte operis aut de toto opere. 1423. e

quando de diuersis operibus nuntiatur, distinctis in locis quæ fiunt, distinctæ Nuntiationes fieri debent. 1424. b

si Nuntiatio fiat de opere iam incepto, ne continuetur, expediens est, vt testes adhibeantur, quantum ante nuntiationem esset ædificatum. quin vt iudicis authoritate id mensuretur, vt postea sciatur reliquum, quod est demoliendum. 1424. c

Nuntiare circa res priuatas qui possint. Ibid. e

Nuntians, non habens ius ad id, ad quam restitutionem damnorum teneatur. 1425. a

Nuntiat dominus rei, circa quam est nuntiandum, aut prætendens se dominum esse, etiam habens vtile tantùm dominium, vt emphyteuta aut feudatarius; & nuntiant superficiarius, aut habens ibi seruitutem vrbanam realem. Ibid.

Nuntiare non competit vsufructuario comparatione proprietarii: & quæ actiones aduersus eum illi competant. Ibid. c

Nuntiat possidens rem: item cui subiecta est pignori aut hypothecæ. 1427. d

non Nuntiat conductor, nisi eandem rem habeat hypothecatam, saltem in vniuersali: neque quicunque

cunque alius, qui solum ius habet personale: & quæ actio conductori competat: tenetur verò monere ea de re locatorem. 1428. a

Nuntient valide quousque pupillus & vxor. Ibid. e

Nuntient qui nomine alieno, & qui eorum cauere de rato debeant. 1429. b

Nuntiat quiuis dominorum loci communis multis, ratione cuius nuntiatur: nuntiatio tamen facta ab vno non prodest aliis, nisi nomine eorum sit facta cauendo de rato aut ex mandato eorum 1430. d

Nuntiare non potest vnus condominorum, quando alter in re vtrique communi ædificare aggreditur. 1430. e

Nuntians nouum opus iurare tenetur de calumnia. 1431. d

Nuntiare opus nouum, ob locum publicum omnibus quo ad vsum communem, cuicunque de eo populo competit: quibus tamen id non competat. 1431. e

Nuntiatio noui operis cui fieri possit: si ob prædium multis commune vni eorum fiat, quousque eorum domini teneantur aut non teneantur. 1432. d

vt Nuntiet de nouo opere, qui in particulari est constitutus procurator aut tutor vel curator minoris, si remittat nuntiationem factam, quod postea fuerit ædificatum, non destruitur: & quatenus minor in integrum quoad id restituetur. Procuratoris verò generalis remissio non valet, vt, quod post renuntiationem sit ædificatum, non destruatur. 1433. d

Nuntiatum si per iudicem sit alicui opus nouum ad petitionem alicuius, concessio iudicis, vt ædificet, est sufficiens ad id remissio. 1434. c

Nuntiatum si sit in commodum priuati, etiam ne aliquid in loco publico fiat, vt remissio legis authoritate censeatur facta, satis est, si nuntiatus adhibeat fideiussores, quod si compertum fuerit non iure esse factum, id destruet, & soluet damna; aut sciens offerat, & per nuntiatum stet, quod illos non recipiat. Ibid. d

Nuntiato & nuntianti quatenus sufficienter sit cautum aut consultum ea remissione nuntiationis legis authoritate introducta. 1435. b

Nuntiatio si remittatur præstita cautione, aut promissione, quæ forma in eis præstandis idonea. Ibid. d

actio quatenus ad hæredes Nuntiati transeat, aut non. Ibid. e

Nuntiatus si solum post nuntiationem apposuerit fundamentum, ita vt id nuntianti non noceat, ad nihil tenetur, esto postea comperiatur non iure ædificasse. 1439. d

Nuntietur si multis ædificantibus opus nouum, singuli cauere debent: at si multi nuntient, singulis est cauendum, aut vni omnium loco, si omnes in eo conueniant. Ibid. e

Nuntiet si procurator opus nouum, & nũtiatus satisdet, ac procurator progrediatur impedire cõtinuationem ædificii, quæ actio aduersus eum competat, cogiturq; cauere iudicatum soluere, alioquin repellitur a iudicio. 1440. b

Nuntiatus si satisdedit aut obtulit satisdationem, & per nuntiantem stetit, vel si ratione loci publici fuit ei nuntiatum, & promisit, ac simul ostendit ius, quo id facere poterat, & impediatur, quo remedio ei subueniatur, & intra quantum tempus. 1440. d

Nuntiatus hodie de iure Codicis, esto cautionem offerat, si nuntians non velit illam acceptare, & ostendit se paratum ad probandum, nuntiatum non iure ædificare, non potest nuntiatus intra tres menses continuare ædificium, & cætera quæ quoad id sunt statuta. 1441. d

Nuntiatus si ante remissionem ædificet, competit aduersus eum non solum pars secunda interdicti de noui operis nuntiatione, sed etiam interdictum quod vi aut clam, & quanto tempore vnum & alterum competat. 1445. d

O

Obedientia, Obedire.

Obedientia gratior victimis. 3095. c
Ostenditur ex sacra scriptura Obediendum esse superioribus, sacerdotibusq;, & eorum potestas declaratur. 3257. c. d. & seq.

non minus peccatum est non Obedire præceptis summi Pontificis, quantum olim fuit non obedire legibus & imperio summi Sacerdotis. 3257. e

Objicere crimina.

quando vrbanitatis gratia licitè Objiciuntur vitia & defectus, licet cum pudore sustinentium, non spectat ad contumeliam, dummodo moderatè fiat. 2562. e

Obseruantia legis.

Obseruantiæ veteris legis ad præcepta ceremonialia pertinent. 3121. e

Occultare.

Occultum furtum, vide Furtum.

Occultantes consanguineum post crimen commissum, vt euaderet pœnam, puniendi non sunt, sed bene occultatores malefactorum. 1919. d.

Vide receptatores.

Occupator.

Occupans rem morte alterius domino vacantem, cum dubio an ad se vel ad alium pertineat, quam diligentiam facere debeat, vt intelligatur, ad quem pertineat, & qualiter cum illo se gerere debeat. 1548. a

iniustus Occupator quæ teneatur restituere, occupando rem, quæ quoad dominium ad alterum attinebat, 1554. a

Oculus.

maculam habens in Oculo, licèt bene videat, irregularis est. 2190. d

Odium Dei.

Odium Dei, si actus sit humanus, est suapte natura moraliter malus. 3146. d. e. & seqq.

Oeconomus.

si furto quid ablatum sit ex Oeconomo, curam habente rerum alterius, actio aduersus furem ad hunc quidem spectat, sed nomine eius cuius rem tuetur. 1251. b

Officium.

Officia si publica sint, & aliquid authoritatis habeant. non potest infamis adire, nec etiam beneficia ecclesiastica. 2528. e

Operæ.

quando ex interfecti Operis, ex negotiatione illius, nullus alius est passus damnum, tunc nulla consurgit obligatio restituendi emolumentum. 2266. d

non totus valor Operarum interfecti est restituendus iis, qui emolumento aliquo ex bonis iniustè interfecti priuati sunt, sed solus valor, quo vnusquisque iniustè inde fuit priuatus, tantũ præcise vnicuique in particulari restituendo, quanto iniustè fuit priuatus. 2269. c

Operarum integer valor restituendus intelligitur, si eo toto percussus priuatus sit, aliundeq; nihil possit compensare. 2293. a

quando qui iniustè priuatus est, ne Operas exerceat, eius est ingenii, quòd si lucraturus esset certam aliquam summam, sumeret aliam minorẽ, modo ei concederetur absque suo labore, tunc licitum est detrahere illi de valore operarũ, quantum arbitrio prudentis verisimiliter crederetur illum minus sumpturum in otio pro operis illis. 2293. e. sed si eius est ingenii, vt potius eligeret summam tanti valoris, quam laborando poterat lucrari, quàm vellet detrahi ipsi aliquid de illa, huic integre esset faciendа restitutio valoris earum operarum. 2294. b

quando iniustè percussus impeditur ea de causa ab Operis exercendis ad certum aliquod tempus, quia curatus manet sine lesione, tunc arbitrandum est, quantum damni toto eo tempore ea in re sit passus, illiúdque est ei restituendum: secùs vero si manet mutilatus in totam vitam. Ibid. d

Operæ occisi restituendæ sunt, quando ex illis lucrum aliquod erat aliis obuenturum ad sustentationem vel patrimonii augmentum. 2264. e. sed diuersa est ratio de operis, quibus occisus, post causam mortis acceptam, ratione talis causæ mortis carnit, dum adhuc viueret, & de operis, quas post punctum mortis fuisset facturus, si eam iniustam mortis causam non accepisset. 2266. a. Item computari cum operis debet, si quid interfectus lucrabatur negotiando. Ibid. b

quando iniuria corporali nullum datum esset damnum Operarum, neque ea iniuria causa fuisset alicuius lucri cessantis, aut damni inde emergentis, inferens nihil restituere tenetur. 2295. b

Opera bona.

Opera iusti cuiuscunque non sunt peccata, vt ait Lutherus. 3169. d

Oratio Dominica.

Oratio Dominica instituta, vt fideles quotidie ex corde contritionis remissionem peccatorum postularent. 3166. e

Ordines sacri.

quando aliquis post crimen commissum eos Ordines suscepit, per quos exemptionem a sæculari foro consequeretur, idq; sincerè, tunc illi ordines eum omnino eximunt a foro sæculari. 2099. a

si ante delictum ecclesiastici præcessit votum de Ordinibus suscipiendis, & post delictum commissum ad votum implendum Ordines suscipiantur, aut malef. actor religionem ingrediatur, liberatur tunc a foro sæculari. 2100. c

dummodo constituti in Ordinibus sacris per seipsos non exerceant chirurgiæ actus scindendi aut adurendi, non videtur eis prohibitum præbere consilium, vt per alios exerceantur. 2221. b

si quis ratione officii, quod habet in ecclesia, percutiat adolescentes in minoribus Ordinibus constitutos, tunc siue is laicus sit, siue ecclesiasticus, non est excommunicatus. 2135. e

Patres familias, qui aliquos de familia in minoribus Ordinibus constitutos percutiunt, itemq; alii propinqui, qui similes suos propinquos eisdem de causis percutiunt, excommunicationem non incurrunt. 2136. b

Ordinarius.

Ordinarius potest exercere suam iurisdictionem in quoscunque exemptos, quando delictum commissum est extra locum exemptum: secus autem, quando commissum est in loco exempto. 2762. a

Origenes.

Origenes ad castitatem conseruandam seipsum castrauit. 1735. b

Oscula.

non potest mulier ob Oscula amittere dotem, & puniri pœna adulterii. 2322. c

Oscula & amplexus, quando non fiunt à cubantibus simul, sed à stantibus vel sedentibus, in dicia non sunt sufficientia, quæ violentam efficiant præsumptionem adulterii, non possunt ob talem proinde præsumptionem condemnari adulterii, neque ad diuortium, nec ad pœnam ciuilem aut criminalem. 2325. e

Oseas Propheta.

Oseas propheta excusatur a fornicatione. 3156. c

P

Paciſci, Pactum.

qui Pactus est, ne aliqua actionum, ob quas infamia incurritur, sibi intentetur, infamiã incurrit, nisi pactum ex iudicis authoritate esset factum non gratuitum. *2514. b. quando aliquis ad redimendam suam vexationem Pactum non gratuitum fecit, ne ipsi intentetur actio de crimine iniusto, euitat infamiam. 2515. b. In Hispania & Lusitania non item. Ibid. e*

quando Pactum est in aliquos, vt arbitrentur ac iudicent aliquid, ita vt ei arbitrio partes stent, neq; ex forma pacti constat partes intendisse se obligare ad standum arbitrio, tunc partes intelligendæ sunt se intendisse obligari ad illi standum. 2917. c

qui nullo prævio Pacto partium componere eas circa suas controuersias moliuntur, dependenter à libero earundem partium consensu, similes sunt proxenetis. 2921. c

quid de obligatione Pacti nudi veteres leges sanciant. 2938. c

Pactum & fœdus quod pepigit Deus cum filiis Israel per Moysem & sanguinem victimarum. 3103. d

Pactum, quod inter Deum & populum Israeliticum pactum est in nouo Testamento, vocatur Testamentum. *3103. e. 3104. e. 3105. a. & b.*

Pactum quod pepigit Deus cum filiis Israel per Moysem nil aliud ex parte Dei fuit, quam prosecutio promissionis Abrahæ factæ. 3107. d

cur tempore veteris legis Pactum quod pepigit Deus cum Iudæis potius Fœdus *aut* pactum *appellatum fuerit, aut* Promissio facta Abrahæ, *quam* Testamentum: *& tempore legis gratiæ,* Testamentum. *3112. d*

Parentes.

Parentibus illata derisio, subsannatio, & illusio graue delictum est, & grauius si Deo inferatur. 2570. c

Paries.

infecti damni si de pariete caueat vnus alteri duorum, qui illum habent pro indiuiso, non tenetur ex ea cautione, nisi ipse solus onerauerit eum parietem, idq; in causa fuerit damni. 1337. d

si quis alteri cauit damni infecti circa demolitionem Parietis vtrique communis, quando ad damnum secutum teneatur demoliens, quando non item. 1338. b

Parricidium.

de Parricidio apud veteres lex nulla fuit. 1828. b

Parricidium vnde deriuetur, & quousque se id crimen extendat: & pœna proposita. 1828. d

Parricidii pœna quæ fuit in occidentes ascendentes statuta, postea fuit in occidentibus descendentes. 1829. d

Parricidii pœna quænam fuerit posterioribus temporibus. Ibid. b

Parricidii pœnæ locum habent etiam in illegitimis. 1832. c

Parricida cur culleo insutus in mare aut flumen projici debeat. 1830. d

Parricidii pœnæ non sunt modò in vsu, quæ olim, sed diuersis in locis diuersimodè puniuntur. 1831. b

ad Parricidium cooperatus, est ò non sit agnatus, in pœnas incidit parricidii secuto parricidio, in quas incidit is parricida, cum quo ita ad parricidium est cooperatus. 1833. b

Parricidii crimen eòdem modo delinquentis morte finitur, quo cætera delicta. 1834. b

Participare.

Participantium in furto varia genera quousque restituere teneantur. 1589. e

Partus.

Partum supponens crimen falsi incurrit. 1310. d

Partum supponendo falsi crimen incurrentes restituere debent in conscientiæ foro damna omnia subsecuta. 1311. e

Pater.

Pater & dominus quatenus peccare possint, si ex odio vel ira puniant filium aut mancipium. 1708. a

Pater & dominus qualiter condonare possint filio aut seruo, & quid si iuramento se astrinxissent se punituros. 1708. d

Pater & dominus punire non possunt filium aut seruum in sacris constitutum. 1708. e. & seqq.

Pater qui scit filium suum aliquem velle interficere, nec prohibet, si intuitu eius id fiat, tunc omnes pœnas incurrit, & tenetur ad damna secuta. 1908. d

Pater quando vxorem interfeciſſet, ex qua filius communis remaneret, filius admittendus est ad patrem accusandum: nec remissio sufficit filii, qua patri mortem matris remittit, sed requiritur etiam remissio consanguineorum. 2029. b

Pater non potest in filios in maioribus ordinibus constitutos violentas manus injicere correctionis gratia. 2136. d

Patri impune licebat interficere de iure communi quemcunque adulterum repertum cum sua filia in adulterio, est ò vilis non esset; sed requirebatur vt vtrumque simul interficiat. 2375. a. item vt is pater haberet tunc eam filiam in potestate, ita vt filia familias illius tunc esset. 2376. a. item vt illos adulteros deprehenderet in domo sua, aut in domo generi. 2377. a

Pater non potest in Hispania & Lusitania occidere filiam in adulterio deprehensam nec adulterum, quia eo ipso quòd aliqui matrimonium contrahunt, tam maritus quam vxor, patriam egrediuntur potestatem. 2377. c

Pater quando in testamento aliquid infame filio diceret, quia ibi maturo iudicio censeretur id dicere, & non iratus, contrahit filius infamiam facti. 2493. e

Pater filiæ defunctæ quando aliquem accusat, quòd eam interfecisset, non incurrit infamiam, scilicet quando tantùm ex suspicione accusauit. 2514. b

S. Paulus Apostolus.

S. Paulus circumcidit Timotheum. 3175. b

controuersia inter Paulum & Petrum Apostolos. 3178. c. 3180. b. & seqq.

S. Paulus immediatè fuit à Deo creatus Apostolus. Ibid. e. & seqq. contulit euangelium suum cum Apostolis. 3181. b

Paulo Apostolo licitum fuit seruare legalia ante sufficientem Euangelii promulgationem orbi factam. 3197. a

Pauperes.

quando aliqua in pœnam restituenda essent Pauperibus aut insumenda in operibus pijs, fieri circa illa potest compositio non solùm authoritate summi Pontificis, sed etiam alterius, qui eam condidisset legem. 1649. c

Peculatus.

Peculatus furtum quando committatur. 1143. c

Peculatus furtum quibus pœnis puniatur. 1229. b

Peculatus crimen quo ad monetas cudendas, destruendas, aut extrahendas de regno, quibus pœnis in Hispania puniatur. 1231. a

Peculatus crimen ministrorum regis, qui aliquid de bonis illius in Lusitania furatur, quomodo puniatur. 1231. e

Peculatus delictum morte delinquentis non extinguitur. 2003. d

Pelagia.

Pelagia quædam mulier Mediolanensis vnà cum filiabus suis seipsam per muros in profluentem præcipitem dedit. 1736. c

Percussio, Percutere.

siue vno ictu, siue multis, multæ Percussiones fiant, vno impetu, & non ex interuallo, vnicum delictum est in genere moris, ac proinde vna pœna percussionis puniendum. 1980. a

intendens Percutere seruum, inuitus omnino percutiat hominem liberum, non conceditur homini libero ita percusso actio iniuriarum aduersus percutientem. 1849. d

Percussio, mutilatio, homicidium in personis ecclesiasticis semper augetur ex circunstantiis, vt augeri pœna debeat arbitrio prudentis iudicis. 2085. e

Percutiens vnum, quem videbat esse clericum, errans tamen inuincibiliter circa eam personam, percussit alium clericum, incurrit excommunicationem. 2123. b

credens se Percutere vnum clericum, interficit alterum clericum, ignorando inuincibiliter eum esse clericum, posito quòd non esset prior, quia de nocte incedebat in veste laicali, in qua solebat posterior similiter de nocte incedere, non incurrit excommunicationem. 2123. d

Percutiens ecclesiasticum excommunicatum incurrit nihilominus excommunicationem. 2142. a

quando ex Percussione neque sequeretur detrimentum permanens in corpore, neque item in rebus externis, tunc licet a neutra parte teneretur percutiens ad restitutionem aliquam, tamen si inde resultet damnum in honore eam iniuriam passi, tenetur in conscientiæ foro id damnum restituere, qui illud iniustè dedit. 2299. b

Percussus fuste, alapa, aut ense si statim repercussit, aut aliud damnum intulit, cæterum excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, in foro conscientiæ ad nullam damnorum restitutionem tenetur. 2257. e

Percussus si transactione aut gratis remittat iniuriam vulneris accepti, secuta postea morte ex vulnere possunt hæredes delinquentem de ea morte accusare. 2034. c

Peregrinus.

Peregrinos ad vrbem deuotionis causa accedentes, vel ab ea recedentes, qui interficiunt, vulnerant, detinent, excommunicantur, & etiam ad id auxilium, consilium, vel fauorem dantes. 2178. e

Periculum.

Periculum mortis & articulus mortis qui differant. 2164. e

quando aliquis dicitur esse in Periculo mortis. 2161. e

Perusia.

Perusiæ homicida qui forensem occidit, pœna pecuniaria punitur. 1796. a

Pesquisidores.

Pesquisidores in Hispania neminem punire possunt, vel corporali vel pecuniaria pœna, qui vere innocens fuerit, aut quemquam vltra æquum punire. 1970. d

S. Petrus Apostolus.

controuersia inter Petrum & Paulum Apostolos 3178. e. 3180. b. & seqq.

S. Petrus peccauit venialiter deferens nimium gentilitati, & meritò à Paulo fuit reprehensus. 3182. c. eius humilitas in sustinenda reprehensione Pauli. 3183. b

Pharmacopola.

Pharmacopolæ qui temere ac sine præscripto medicorum medicamentum præbent, vnde mors facile potest sequi, morte secuta, puniuntur pœna ordinaria homicidæ. 1840. b

Pharmacopolæ crimen falsi incurrunt, qui vnum pro alio pharmacis miscent, & ad quantum restitutionem teneantur. 1312. c

Philtrum.

Philtrum amatorium. 1839. c.

Phrenetici.

Phrenetici ordinari non possunt. 2192. c

Pignus.

si Pignus furto à creditore, nondum finita pignoris obligatione, sit à quodam tertio ablatum, furti actio ad furem ei competit, & quid debitori inde reddere teneatur. 1244. e

Pignori si sit datum, lege Aquilia agit debitor cuius est, & quando creditor agat. 1284. e

Pinsere.

Pinsere panem licebat in Hispania cuiuis ante legem latam. 3218. d

Pirata.

Piratæ rapinam committunt interficiendo, excommunicatique sunt in bulla cœnæ Domini, ipsi & eorum receptatores, fautores, & opitulantes. 1191. d

Piratæ nomine qui intelligantur. 1192. b

Plagii crimen.

Plagii crimen quod, & quibus puniatur pœnis. 1145. e. 1232. b

Planta.

fluminis vi si delata fuerit Planta in prædium alienum, & ibi coaluerit, aut delatum fuerit crustum terræ, cedit domino prædii, nec extrahi potest. 1329. b

Poculum.

Poculum ad fœtum necandum. 1839. c

Pœna.

Pœna licèt statuatur ipso iure, aut ipso facto, cur subeunda in foro conscientiæ non sit ante latam sententiam. 1511. d

Pœna atrox quæ sit, & quousque parentes vel domini procedere possint in puniendis filiis aut mancipiis. 1707. c

Pœna iusta non consistit in indiuisibili, & quibus eius moderatio, arbitramentum, & determinatio relicta, & quo iure introductum, vt quis hac vel illa pœna puniatur. 1724. e

quando in aliquo delicto proceditur ad Pœnam merè criminalem, tunc morte delinquentis extinguitur omnino delictum, nec vlterius datur actio, siue lis cum delinquente fuerit contestata siue non. 2002. e

quando pars læsa agit ciuiliter ad Pœnam pecuniariam sibi pro aliquo delicto applicandam, tunc si delinquens moriatur ante litem cum eo contestatam formaliter, aut virtute, exspirat id debitum quoad eam pœnam, nec competit actio aduersus eius hæredes; secus verò si moriatur post litem cum eo contestatam. 2011. a

in delictis, vt furto, actione iniuriarum, &c. atq; in actione ob ea delicta ad Pœnam pecuniariam parti applicandam, si offensus moriatur ante litem cum delinquente contestatam, exspirat actio, nec transit ad hæredes offensi: secus verò si moriatur post litem cum delinquente contestatam. 2014. b

quando pro crimine aliquo priuato statuta esset Pœna pecuniaria fisco applicanda, potest ad eam pœnam accusare quilibet de populo. 2017. c

Pœnam pro aliquo delicto statutam non euadit, qui id delictum culpabiliter committit, licèt pœnam eam ignoret. 3236. d

Pollutio.

Pollutio contaminosa alterius coniugis cum quodam tertio aut tertia, & alii tactus impudici sine copula, non sunt sufficiens causa, vt coniux alter innocens possit diuortium facere, aut debitum negare. 2345. a

Pondera.

Pondera & mensuræ quæ sint in Hispania. 1313. d

Pontifex. summus.

Pontificem summum temere percutiens excommunicatur ipso facto, excommunicatione summo Pontifici reseruata, & quas pœnas ille promeruerit. 2165. b

summus Pontifex, summus in temporalibus, comparatione eorum, qui sibi in temporalibus sunt subditi, remittit infamiam. 2523. e

exempla Pontificiæ potestatis. 2748. e

Pontifici summo licet alios iurisdictionem restringere,

gere, alios ex toto ea priuare, & ad eum tanquam ad supremam potestatem sit in quacunque causa appellatio. 2750. d
Pontifex potest per seipsum in quibuscunque suorum inferiorum subditis exercere quidquid potestates inferiores exercere in illos possunt. Ibid. e. item potest à iurisdictione Episcoporum eximere, quos ab illorum iurisdictione iudicauerit eximi expedire. 2751. d
Pontifex non potest efficere, vt nulli omnino Episcopi aut parochi sint. 2752. a
Pontifices Rom. in crastino suæ confirmationis solent reuocare gratias omnes circa beneficia à suis anteceßoribus factas, quæ scilicet adhuc sunt integræ. 2833. d
quando aliquis a summo Pontifice est delegatus, vt procedat appellatione postposita, si is subdeleget, tunc subdelegatus non procedit appellatione postposita. 2837. e
causæ delegatæ a summo Pontifice audiri non possunt nisi in locis, vbi copia peritorum haberi possit. 2867. b. quando actor & reus eiusdem sunt ciuitatis aut diœcesis, causæ inter illos a sede Apostolica delegari non poßunt extra illam ciuitatem aut diœcesim, neque eorum aliquis conueniri secùs quando sunt diuersæ ciuitatis aut diœcesis. Ibid. c
Pontifex vt est index ordinarius in causis fidei, ita etiam delegat inquisitores fidei, vt iudices delegatos. 2882. d
Vide Delegatus, Subdelegare.
Pontifex summus eas leges condere potest, quas expedire iudicauerit ad finem supernaturalem: item potest leges sæcularium principum abrogare, quas vt minimè expedientes iudicauerit. 3023. e
Pontifex Romanus in votis & iuramentis dispensare non potest propria ac presse sumpta dispensatione. 3154. a
Pontificis Romani potestas de iure diuino est, & immediate a Deo. 3252. d
Vide, Leges Pontificiæ.

Possibilitas.

Possibilitas in lege humana quomodo intelligatur. 3115. d

Possessio, Possessor.

Poßessione nullus publica authoritate etiam rescripto principis ejicitur, nisi prius audiatur: ejectus verò restituitur. 1132. d
quibus modis potest esse affectus Possessor rei alienæ quoad bonam vel malam fidem, quòd sit aliena. 1534. c
bona fide, qui capit Possidere rem, & dubitare incipit an sit aliena, tenetur facere moralem diligentiam, vt id sciat; si id scire non possit, neque occurrat vnde id postea sciri possit, licitè eam retinet ac consumit. 1534. e
si quis Possessor rei alienæ & de ea dubitans, omittat facere eam diligentiam existente occasione id sciendi, & quòd elapsa sit ea occasio, spes pereat id sciendi, restituere tenetur partem valoris rei, pro quantitate similitudinis quæ erat, vt tunc id sciretur, & pro quantitate verisimilitudinis, quòd ea res aliena esset. 1535. a
Possessor malæ fidei rei, quam ad alium pertinere scit, ad quam restitutionem teneatur, quando res perseuerat, & ad quam, quando res perit. 1544. e
ex fructibus restituendis eius rei, quales expensas deducere debeat is malæ fidei rei illius Poßessor. 1554. b
Poßessor rei malæ fidei restituere tenetur fructus ex ea re perceptos, etiam si dominus non fuisset illos percepturus, & tam non existant. Ibid. e
iniustus rei alienæ Possessor, si res pereat, non tenetur restituere maiorem valorem, quem postea fuisset habitura. 1555. d. idem tenetur restituere rem in valore, quem habebat, quando periit, estò dominus venditurus eam antea fuisset in minori valore. 1556. b. Idem si res erat vsu consumptibilis, quæ sufficienter restituitur alia eiusdem speciei & bonitatis, eamq; vendidit quãdo plus valebat, & dein compertum est dominum illam fuisse seruaturum in tempus quo minus valet, sufficienter restituitur tempore quo minus valet alia eiusdem bonitatis. 1556. d. Si verò res non esset consumptibilis, quid sit in euentu hoc restituendum. 1557. a
Poßessori rei malæ fide, quæ expensæ in ea factæ sint soluendæ, quæ non item, & quas extrahere, & quousque possit. 1561. a
expensas quousque detrahere possit Poßessor malæ fidei in conscientiæ foro ante latam sententiam de valore rei restituendæ. 1561. e
quando aliquis rem alterius iniustè Possideret, tũc, si ex illo acciperetur, restituenda esset proprio domino: modo apertè constaret, rem ad illum, ex quo fuit accepta, non attinere, sed ad illum alium. 1627. e
quando qui non iniustè rem antea Possidebat, incipiat iniustè illam Possidere, quando tertius aliquis, si ad potestatem ipsius deueniret, posset illam tradere domino, & quando occultè eam poßet accipere & tradere domino. 1629. b
quamuis, qui bona fide Poßedit aliquid alienum ignorantia facti tanto tempore, quantum ad id præscribendum est necessarium, illud verè præscribat; qui tamen ignorantia iuris, etiam inuincibilis, quòd esset suum, illud possideret, id nõ præscriberet, & quamuis possessio illa in conscientiæ foro, seu quoad culpam sit bona fide, non est tamen bona fide ex dispositione iuris ciuilis ad præscribendum necessaria. 3243. c. d

Potestas.

Potestas dominorum & parentum in puniendis filios ac seruos an sit de iure naturali introducta. 1709. d
Potestas ordinis & iurisdictionis quomodo differant. 2740. e. & exempla quibus ostenditur potestas ordinis & potestas iurisdictionis. 2741. b
Potestas in orbe duplex, vna laicalis ad finem naturalem, altera ecclesiastica ad finem supernaturalem. 3252. d
Potestas viri in vxorem, patris in filios, reip. cuiusque in potestates ipsius, est de iure naturali. Ibid.
Potestas domini in seruos non est de iure naturali. Ibid.
Potestas regum & aliorum supremorum moderatorum in Aristocratiis & Democratiis, quamuis de iure naturali non sit, est tamen de iure naturali, vt partes eius reip. supremis ipsorum legitimis moderatoribus pareant, quoad leges ab illis latas. 3253. d. e

Præcipere.

Præcipere interdum sumitur latè, interdum presse. 3050. d

Præceptum.
quintum decalogi Præceptum, non occides, explicatur. 1722. e
quinto Præcepto decalogi quæ occisio hominis sit prohibita, & quibus id declarandum relinquatur. 1725. d
tria sunt genera Præceptorum legis veteris, Moralia, Cærimonialia, Iudicialia, & quomodo inter se distinguuntur. 3118. c
cur Deus Israelitis Præcepta iudicialia dederit. 3120. e
Præcepta in veteri lege, spei, fidei, & caritatis supernaturalis, reducuntur ad præcepta moralia. 3121. e. 3122. a
Præceptorum moralium tres gradus. 3133. e
Vide Moralia.
Præcepta moralia extendunt se ad actus omnium virtutum. 3135. a
si aliquo Præcepto affirmatiuo præcipiatur actus virtutis, qua talis, ad implendum id præceptum requiritur, vt qui illud implet, habeat plenum iudicium rationis; deinde vt non faciat inuitus, nec propter inanem gloriam. 3158. a. b. & seqq.
Præceptum de restitutione facienda obligat ad actum virtutis iustitiæ commutatiuæ pro tempore, quo quis tenetur restituere. 3159. a
Præceptum caritatis erga Deum includit id quod ei est debitum ex caritate naturali, & quod est debitum ex supernaturali caritate. 3162. b
Præcepta caritatis Dei, proximi, ac nostri duobus modis intelliguntur. 3163. b
Præcepta caritatis non sunt decalogo formaliter expressa. 3164. b
Præceptum esse de caritate Dei probatur. 3167. a. b. c
Præceptum de diligendo Deo ex toto corde duobus modis intelligitur. 3169. a
non fuit vllum præceptum cæremoniale tempore legis naturæ in præcepto demptis nonnullis. 3171. e
Præcepta iudicialia & moralia cessarunt statim post legem gratiæ. 3177. e
Prædium.
actio ad duplum duplumq; ipsum pertinet ad eum, qui Prædium alienauit, si damnum datū sit antequam prædium alienaretur. 1297. c
Prædo.
in quo euentu Prædo restituendus est in possessionem rei alienæ, qua fuit spoliatus. 1628. e
Prægnans.
Prægnantem percutiens, metúmve illi incutiens, vt aborsus inde sequatur, an dicendus sit homicida voluntarius aut casualis. 1715. c
Prægnantē percutiens, & si inde aborsus sequatur fœtu iam animato rationabili anima, si prudētis arbitrio is aborsus censēdus sit dolo factus, puniēdus est pœna mortis, si vero culpa, licēt ea culpa lata sit, non est puniendus pœna mortis, sed alia arbitraria mitiori. 1836. c
Præiudicare.
Præiudicans alteri in bonis corporis, & in honore, is non solum peccat contra iustitiam commutatiuam circa bona corporis, sed etiam contra iustitiam commutatiuam circa bonum honoris, præcepto specie distincto. 2560. e
omne quod exterius sit, quod iniustè famæ alterius Præiudicet, id totum pertinet ad vitium in genere iustitiæ commutatiuæ circa bonum famæ contrarium: actus verò internus voluntatis, quo quis iniustè aliquid tale fieri consentiret, est peccatum interdum eiusdem vitii. 2580. e
Prælatus.
Prælatus non Episcopus, etsi alias iurisdictionem habeat quasi episcopalem, absoluere non potest ab excommunicatione incursa ob manuum violentarum iniectionem in clericum, etsi iniuria leuis fierit. 2148. b
Prælati detrahentium, quòniam tenentur suos subditos corrigere, facile culpam incurrunt lethalem, si subditos suos lethaliter detrahentes non cohibeant. 2628. e. item non cohibentes subditos detrahentes peccant lethaliter, & tenentur ad restitutionem damni, in defectum eius, qui tanquam causa magis principalis illud dedit. 2629. a
Prælati, qui suam famam regendis suis subditis obstrictam habent, contra iustitiam peccarent, seipsos infamando. 2645. b
Prælati inferiores Episcopis regulariter non habent ea quæ sunt imperii, nisi quæ sunt de minori & minimo imperio. 2760. c
Prælati religiosorum possunt punire subditos iuxta statuta suarum religionum, at non licet eis degradare. Ibid. d
Prælati religiosorum suos subditos ad triremes damnare possunt. 2761. b
Prælati inferiores dispensare possunt in legibus suorum superiorum, non vero possunt eas abrogare. 3145. b
Præscribere pœnam.
si is qui prior offendit Præscripsit pœnam, ad quam tenebatur, dum intra certum tempus ex ipso non petitur, obligatio autem restituendi damna, cum scientia quod data sint, nullo tempore præscribitur. Pœna quidem præscribitur illo tempore ad effectum, vt exigi e delinquente non possit, non tamen præscribitur ad effectum, vt qui prius fuit offensus delicto, non possit excipere. se ex circunstantia alterius delicti non teneri ad restitutionem eorum damnorum. 2259. d
Præsumptio.
Præsumptio quid sit. 2541. b. duplex est, rationabilis & irrationabilis; rationabilis item diuiditur in leuem, vehementem, & violentam. Ibid. e. item in præsumptionem iuris, & præsumptionem hominis. 2542. e
Præsumptio quomodo differat à suspicione. 2542. d
Præsumptio iuris subdiuiditur in eam quæ dicitur præsumptio iuris de iure, & in eam quæ dicitur iuris tantum. 2543. a
Præsumptio hominis quid sit. Ibid. e
quo grauius crimen est, eo præsumptio maior esse debet, & indicia vehementiora, vt præsumptio violenta censeatur. 2544. d
maior Præsumptio requiritur ad aliquem damnandum criminaliter, quam ad damnandum ciuiliter, id alteri adiudicando, de quo inter eos est contentio. 2544. e
datur latitudo in leui Præsumptione, vehementi, & violenta. 2546. d
vna Præsumptio eneruat aliam, quæ erit in contrarium. 2545. c
in Indicia ad Præsumptionem iuuant se inuicem, vt quod vnum solum non potest, plura simul possint. 2546. d
Pretium accipere.
Pretio accepto in certamen cum aliquo descendens, vel pretium accipiens vt aliquem interficiat,

ipso facto subit infamiam. 2503. a

Princeps.

Princeps vel resp. habet potestatem à Deo naturaliter descendentem exponendi periculis vitam suorum subditorum, eamq; ab eis auferendi, legitima causa subsistente. 1697. e

Princeps, ministriq; publici, tributa aliáque stipendia ad suos subditos defendendos accipiunt. 1781. b

licet ad Principem spectet condonare, aut pœnam criminalem in mitiorem mutare, post latam ea de re vltimam sententiam: quando tamen accusauit aliquis, qui circa id crimen suam iniuriam est prosecutus, nec crimen remisit, non debet Princeps de pœna remittere, sine talium consensu. 2054. d

Princeps in particulari sæpe demittit delictum propter ministerium aliquod dignum, & præclarum facinus delinquentis, aut patris aut aui eius. 2073. c

non expedit Principem remittere delicta, quando reus accusatores habet, qui iniuriam prosequũtur: itemq; quando reus accusatores tales non habet, cæterum crimen est tale, vt resp. minimè expediat, attentis circumstantiis, illud manere impunitum, &c. Ibid. e

quid circa generales remissiones Principum in Hispania sit statutum. 2074. e. & seqq.

quando crimina remittuntur à Principe ante sententiam latam, censentur omnia condonata, quæ ob illud crimen incurruntur, nisi aliud exprimatur. 2079. a. sed quando remittuntur post latam sententiam, si solum dicat se remittere id delictum, & nihil aliud addat, solum censetur illi remittere pœnam corporalem, non verò aliam pecuniariam, nec pœnam infamiæ. Ibid. d. e

Princeps delictum condonans si dicat, se in integrum restituere reum, tunc etiam omnis pœna pecuniaria censetur ei remissa, etiam confiscationis. 2080. b

quando princeps delinquentem in integrum restituit, cui bona erant confiscata, tunc restituenda sunt illi omnia bona illius, quæ apud fiscum fuerunt reperta, non autem ea quæ tempore restitutionis fuerunt à fisco alienata. 2081. e

Princeps licèt alicui totam iurisdictionem ciuilem alicuius loci concedat, & etiam criminalem cum mero & mixto imperio, non ideo tamen concedit illi, quæ propria sunt Principis ratione suæ supremæ potestatis. 2757. d

Vide delegatus a Principe.

Principi debentur fidelitas, reuerentia, & famulatus. 3140. a

Priuilegium clericale.

qui censeantur gaudere Priuilegio clericali quoad interfectionem. Vide Clericus, Ecclesiasticus, Excommunicatio, Irregularis, Percutere.

Proditoriè occidere.

quando qui alium Proditoriè aggreditur, eum nõ interficit, sed vel vulnerat, vel alia iniuria illum afficit, tunc pœna qualificata ei imponitur, quæ arbitrio iudicis est augenda ac qualificanda. 1802. e

Proditoriè aliquem interimens, vulnerans, aut percutiens non gaudet immunitate ecclesiæ. 1804. a

qui alteri Proditoriè occidenti socius fuit, licèt non vulnerauerit alterum, puniendus eadem pœna mortis qua principalis, eademq; modo qualificata. Ibid. c

Proles.

Proles si concipiatur & nascatur ex adulterio cum muliere coniugata, tria damna in bonis externis nata sunt aliis iniustè sequi. 2391. e

quando vxor cum viro habitabat, Proles ab ea tunc concepta in foro exteriori præsumitur esse ex marito, nisi constet apertè eam non fuisse mariti. 2392. c

quando Proles genita ex adulterio, aut etiam ex muliere non coniugata, alicubi exponitur, & sumptibus hospitalis alicuius alitur, licite fit ad crimen occultandum, tum si parentes sunt diuites, tenentur restituere hospitali sumptus, quos in ea prole alenda fecerit, & præsertim pater. 2418. d

Proles ex mancipio & nobili matrona nata amittit nobilitatem, neque matri ex testamento succedit. 2422. d

Promittere, Promissa.

si res alteri Promissa furto esset ablata ex potestate promissoris, ad promissorem spectaret agere aduersus furem condictione furtiua, & furti actione, tradereq; illi, cui illam promiserat, debet rem promissam, aut æstimationem illius, non verò pœnam furti, etiamsi per promissorem stetisset, quominus eam tempore congruo tradidisset. 1253. c

quando aliquis promissis virginem ad stuprum illexit, ei implere tenetur omnes eas pollicitationes in stuprum, nisi animo non implendi absque iuramento illi pollicitus fuerit adeò inæquale, vt merito ipsa attendere debuerit, illum id polliceri absque animo adimplendi. 2459. c

is qui animo implendi Pollicitus est se ducturum aliquam in vxorem, si illa in stuprum consentiret; item is qui animo eam decipiendi illi idem promisit, tenetur ducere eam vxorem, quæ in stuprum eo modo consensit. 2460. b

si is, qui post primam validam Promissionem culpa sua se impotentem reddidit ad illam implendam, iterum potens illam implere reddatur, tenetur eam promissionem implere, si mulier, cui facta est, id velit, nisi cum ea prius transegerit. 2462. d

qui sciens aliquam esse corruptam, ei Promisit se ducturum eam vxorem, si in copulam consentiret, tunc si illa consentit, perinde tenetur illam ducere vxorem, ac si illa, quando consensit, virgo esset. 2464. d

qui ei, quam credebat virginem, Promisit ducturum eam vxorem, si in copulam consentiret, non tenetur eam ducere vxorem, si illam corruptam inuenit. 2467. e

pacto promittens se non manifestaturum rem aliquam, vi talis promissionis inducit super se obligationem id non reuelandi, nisi cum peccato. 2476. a

qui Promisit iureiurando se aliquid facturum aut impleturum, neque impleuit, quando potuit, & tamen iuramentum ad id ipsum obligabat, infamis est ipso facto. 2504. b

Promissio bonorum temporalium seruantibus legem in lege veteri expediens fuit, item comminatio pœnarum. 3125. d

Promissio bonorum temporalium Israelitis facta defit, quando lex abolita est, quod accidit

dit in aduentu Christi. 3128. d. & seqq.
Promissiones pro tempore legis gratiæ in veteri testamento factæ, in nouo sunt adimpletæ. 3209. a

Promulgatio legis.

Promulgatio est de essentia legis. 3188. d
Promulgationis legis nomine quid intelligatur. 3222. d

Proprietarius.

Proprietarius vi ejiciens vsufructuarium, emphyteutam, aut vassallum a re vsufructuaria, aut feudali, in quas pœnas incidat. 1135. b

Proselyti.

Proselyti vocabãtur Iudæi, qui à gentilismo ad circumcisionem erant conuersi. 3099. b

Prosequi iniuriam.

Prosequentes suam aut suorum iniuriam, accipere possunt pro condonanda iniuria præcisè sumpta competens Pretium. 2070. b. Vide Iniuria.

Prouinciarum Præsides.

Prouinciarum præsides & alii iudices ordinarii habent imperium merum in secundo gradu. 2757. e

Proximus.

Proximum diligere, vide Charitas.

Prudentia.

Prudentia duplex, vna monastica, altera politica. 3026. e
Politica item duplex, regitiua & presè sumpta. Ibid. & 3027. a
Prudentia non vno tantùm modo concurrit in supremis reip. ciuilis gubernatoribus ad leges condendas sed multis. 3028. c

Pudicitiam euertere.

Pudicitiæ vis inferri dicitur, quando femina aliqua iniustè opprimitur, aut saltem per metum cogitur pati turpitudinem, in eamq; consentire: & quomodo sese habeat vis illata pudicitiæ & raptus. 2440. b
quando aliquis tentat euertere Pudicitiam alicuius mulieris, quoad id inuita, & in causa est vt illa infametur, vel vt aliud damnum incurrat, tenetur ei restituere omnia damna ea via ei secuta, esto nihil omnino ex illa obtineat. 2465. b

Puer.

Puer septennis damnum inferens culpa lethali, tenetur resarcire. 1260. b
Pueri ecclesiastici si se inuicem in rixa ex ira percutiant, ita tamen vt non pertingant ad culpam lethalem, non incurrunt excommunicationem, nec regulariter incurrunt pueri clerici impuberes intee se inuicem rixantes, nisi alterutrum mutilando peccent lethaliter. 2116. d
Pueri ante septennium non tenentur ad vllam legem humanam. 3065. b. at bene ad leges diuinas & naturales, vt ad suscipiendum baptismum & alios similes. Ibid. c
Pueri post promulgationem euangelii non iustificabantur nisi per Baptismum, sed bene ante eius promulgationem. 3194. c. d. Plura in Impubes, & Minor.

Pugnare, Pugna.

quando multi Pugnarunt cum occiso, isque vnum tantùm vulnus lethale accepit, ex quo mortuus est, ignoratur verò à quo id fuerit inflictum, tunc siue alii percusserint simul non lethaliter, siue nullum aliud vulnus ille acceperit, nullus eorum puniendus est pœna homicidii ordinaria, neque omnes. 1926. e
qui operas suas locant, vt Pugnent cum bestia fera, licèt de facto non pugnent, infamiam incurrunt. 2502. e

Puluis sulphureus.

Puluerem sulphureum adulterantes & bello inutilem reddentes, crimen falsi incurrunt. 1312. e

Punire.

quæ personæ tam ecclesiasticæ, quàm laicæ habeant potestatem Puniendi, & quas pœnæ possint infligere. 1708. d
in puniendis omnibus criminibus, pro quibus pœna certa lege non est statuta, pœna est arbitraria, pẽsata qualitate ac quãtitate in se, atq; ex circunstantiis omnibus concurrentibus. 1969. d
ex officio Punientes, si percutiendo ecclesiasticas personas excedant notabiliter, excommunicationem incurrunt. 2141. a
licèt quis Punientium ex odio ecclesiasticam personam puniat, non incurrit excommunicationem. 2141. d

Pupillus.

Pupillo si sit facta iniuria, ad tutorem attinet agere actione iniuriarum loco & nomine illius. 1702. c
Pupillus maior infante si transactionem faciat cum authoritate tutoris, valida est quoad remissionem iniuriæ, neque necesse est vt interueniat ad id iudicis decretum, secus si pupillus infans sit. 2029. e

Purgatio moræ.

Purgatio moræ in soluendo arbitrio dato certo termino post tempus elapsum locum non habet, sed potest damnatus cogi soluere pœnam. 3018. a.
quando non est locus purgationi moræ, si post pœnam incursam reus impleat sententiam, & actor solutionem recipiat, nihil protestando, quod nihilominus solum ipsi maneat ius ad exigendam pœnam, locum tunc non habet agere insuper posse ad pœnam. Ibid. c

Puteus.

repertus in Puteo mortuus, non est censendus seipsum interfecisse, nec deneganda ipsi ecclesiastica sepultura. 1789. c

Q

Quadragesima.

Quadragesimale ieiunium semper in ecclesia in conscientiæ foro sub reatu culpæ lethalis obliganit. 3260. d

Quadringenti triginta anni, 3. Gal.

Quadringenti illi triginta anni, de quibus Paulus ad Galat. 3, computari debent à puncto promissionis illius Abrahamo factæ, quod in semine illius benedicendæ essent vniuersæ gentes. 3113. d. & quomodo illi anni supputentur. 3115. e

Quasi delicta.

Quasi delicta quæ. 1480. c

Quatuor ordines Reip.

Quatuor ordines Reipublicæ. 3199. d

Rapi-

R

Rapina.

Rapina sola vi à furto differt. 1125. c
Rapina quot modis accipiatur. 1138. c
Rapinæ presse sumptæ definitio. 1138. d
pœna pro Rapina vive bonorum raptorum in quibus bonis locum non habeat, sed solum pœna de vi publica aut priuata. 1139. b
quando Rapina interueniat cum consensu inuoluntario mixtè illam patientis. 1139. e
Rapina non censetur in foro exteriori ob metum nisi cadens sit in virum constantem, neque ita acceptum restitui iubetur. In conscientia verò restituendum est, si inuoluntariè mixtè ex quocunque metu sit datum. 1140. b.
Rapina specie distinguitur à furto, tanquam includens rationem furti. 1140. d
Rapina aduersus quos committatur. 1141. c
Rapinarei de potestate eius qui illam tenet, si cum iniuria personali eam tenentis sit facta, tunc actio iniuriarum ipsi competit, esto res illa nihil sua referat. 1254. d
Raptores, grassatores, & piratæ quibus pœnis iure communi puniantur. 1112. b
Raptorum bonorum actio, vide Actio.

Raptor, Raptus virginum.

circa Raptum, in quo adulterium non interuenit, valida est transactio. 2041. e
Raptor viduæ honestæ, aut virginis, aut coniugatæ, & eum adiuuantes puniuntur pœna mortis de iure communi, permittiturq; parentibus raptæ aut etiam consanguineis occidere raptores, comites, adiutoresq; eorum deprehensos in flagranti delicto. 2441. e
pœnæ statutæ Raptoribus locum non habent, si matrimonium rapta cum raptore legitimè contrahat, sed cessant eo ipso omnes pœnæ criminales, nisi parentes raptæ non peperciſſent. 2444. d
mulierem Rapiens ad fornicandum, aut matrimonium cum ea cõtrahendum, si ad finem optatum non peruenit, puniendus est æque pœna ordinaria raptus, & incurrit simul excommunicationem: secus si potuerit finem intentum assequi. 2446. d
mulier si inuenem libidinis causa Rapiat, non est punienda pœna mortis, neque confiscatione bonorum, sed alia pœna arbitraria infra mortem. 2448. d
Rapiens mulierem quæ nec virgo, nec nupta, nec vidua sit, tamen modo tempore raptus honestè se gesserit, esto antea inhonestè vixisset, incurrit pœnis raptoribus statutas: sed in Hispania tantum punitur pœna arbitraria infra mortem. 2449. d
Raptor ancillæ aut meretricis, aut vim inferenti pudicitiæ illius, intentari actio iniuriarum potest & ciuilis & criminalis. 2450. b
Raptor olim de iure canonico pœna seruitutis puniebatur, & quando mulierem inuitam rapiebat, fiebat seruus illius, sed poterat seipsum redimere soluendo competens pretium, si verò cum consensu mulieris rapuerat illam, fiebat seruus parentis mulieris. 2453. b
Rapta quando nubit cum raptore, non amittit bona aliqua ad se deuoluta. 2442. d
Raptus quando committatur. 2436. e
Raptus non est in foro ecclesiastico, non solũ quando sponsus per verba de futuro extrahit sponsam id ita volente de domo paterna ad celebrandum matrimonium, sed etiam, quando præcedente solum consensu in matrimoniũ futurum, aliquid de consensu eius, quæ cum eo vult matrimonium contrahere, illam extraheret ad consummandum id cum ea, inuitis parentibus. 2438. b
extractio de domo paterna de consensu puellæ si fiat ad celebrandum matrimonium non clandestinum, sed præsentibus parocho & duobus testibus, tunc illa extractio non est verè Raptus, neque proinde is extractor incurrit excommunicationem, & alias pœnas raptoribus statutas: & matrimonium hoc modo celebratum est planè validum. 2439. d
si præcedentibus sponsalibus aut tractatu contrahendi matrimonium aliqua Raperetur de domo paterna, de voluntate quidem raptæ, atque ad celebrandum verè cum ea matrimonium, cæterum inuito patre, non incurrit quidem pœnam capitis, est tamen graue delictum. 2445. e
Raptus quando cedit in iniuriam Principis, tunc pœna mortis imponitur, etiamsi de consensu raptæ extraheretur de domo Regis, imo etiam si præcedentibus sponsalibus inter ipsos clam aut præcedente tractatu matrimonii extraheretur ad matrimonium celebrandum. 2445. c
quando ex Raptu solum sequitur iniuria præcisa à damno dato, tunc nulla est obligatio restituendi quidquam ratione raptus ante latam sententiam. 2465. a

Ratum habere, Ratihabitio.

Ratum habens delictum nomine ipsius factum, pœnam spiritualem, vt excommunicationis, pro eo impositam incurrit: non tamen retrotrahitur, vt incurratur à puncto commissi delicti. 1679. d. sed necesse est, vt quando delictum fuit patratũ, fuerit in statu, vt potuerit illud percipere. 1579. e
vt Ratihabitio delicti commissi ad pœnam ratũ habeat impotentia, tria sunt necessaria. 1895. a
ex homicidio, cuius quando fiebat, aliquis nulla ratione causa fuit, esto factum nomine ipsius fuerit, sequaturq; post illud patratum Ratihabitio eiusdem, incurrit irregularitatem, qui illud nomine ipsius factum ratum habet. 1896. d. & contraria sententia refellitur. 1897. a
Ratihabitio delicti intuitu alicuius facti, licèt retrotrahat, ita vt delictum de mandato eiusdem à puncto quo fuit patratum censeatur factum, eiq; imputetur, non tamen retrotrahit, vt pœna excommunicationis aut irregularitatis incursa censeatur à puncto patrati delicti, quia solum incurritur a puncto culpæ ratihabitionis. 1898. b
Ratum habens homicidium nomine ipsius patratum, pœna ordinaria homicidii puniendus est. 1899. d
quando aliquis neque tacito neque expresso mandato mandantis, nomine tamen ipsius, violentas manus in gaudentem priuilegio injiceret, si is cuius nomine fuit factum, postquam sciuit, Ratum habuit, incidit in excommunicationem. 2119. e
tria sunt necessaria, vt Ratum habens manuum iniectionem in clericum, ob eam ratihabitionem excommunicationem incurrat. 2120. d

Ratio.

quando aliquis absque sua culpa vsum Rationis non habet, si tunc occidat aut mutilet, irregularitatem ea de causa non incurrit. 2196. c
Vide Amens, furiosus.

Raziæ militis seipsum in medias hostium acies conjicientis robur declaratur. 1736. b. 1747. b. 3156. b

Receptator Malefici.

Receptatores piratarum, necessitate ad euadenda grauia mala non peccant, neque excommunicationem incurrunt. 1195. c

Recipiens dolosè aut occultans mancipium Regis patrimoniale, soluere cogitur in pœnam libram auri. 1149. b

Recipientes Turcas aut alios infideles piratas an excommunicationem incurrant. 1193. d

furium Receptatores pœnis furium puniuntur, quãdo fures cum rebus furtiuis aut furtiuas res scienter recipiunt, & quid, quando fures sine rebus furtiuis recipiunt. 1236. d

Receptatores malefactorum si participent in crimine, tunc siue extranei sunt, siue affines, puniendi sunt eadem pœna cum principali eius criminis patratore: si verò non participent, & dum malefactores inquiruntur, non continuo eos tradant, tunc, si eiusmodi receptatores propinqui non sint malefactorum, puniuntur pro quantitate culpæ, attenta etiam qualitate criminis principalis malefactoris, & pro quantitate personæ recipientis, maiori vel minori. 1916. c

Receptator quis dicatur, vt tanquam concausa restituere teneatur ablata, damnáve data, etiam concausando ne restitutio fiat. 1588. c

Vide Occultare.

Receptatores ad ludum, ad comeßationes, & ad similia tanquam concausæ, quòd aliena ibi consumantur, quousque restituere teneantur. 1588. e

Reconuentio.

Reconuentio coram arbitro compromissario locum non habet; at bene coram arbitro iuris. 3016. b

Refectio, Reficere.

Refectione si indigeat res ad multos pertinens, quãdo magis idoneus expensis omnibus, & quando simul omnes sint admittendi. 1338. b

Reficere viam publicam nullus impunè prohiberi potest. 1462. c

Refectio aquæductus communis ad quem pertineat. 1364. a

Regnum cælorum.

Regnum cælorum vim paßum est à tempore Ioannis Baptistæ. 3193. b

Religio.

Religionis ingressus si plus adiuuet, quàm impediat, vt debita soluantur, debitor licitè ingredi religionem potest. 1684. c

Religionem debitor ingredi non poßet, nisi impleto prius iuramento, aut obtenta remissione ab eo cui se obligasset, qui ad aliquid licitum se alicui sub iureiurando obligasset. 1685. b

cogentibus ingredi Religionem mulieres, & impedientibus illas volentes religionem ingredi, excommunicantur ipso facto ex decreto Concil. Trident. 2736. d

Religiosus.

sufficiens quantitas vt Religiosus censeatur incidisse in culpam lethalem contra votum paupertatis. 1169. d

Religiosis quousque prohibitum suadere, ne legata fiant ecclesiis matricibus, suadendo vt ipsis potius aut suis fiant. 1570. e

Religioso si sit facta iniuria, iniuriarum actio pertinet ad prælatum, seu ad monasterium, & non ad ipsum religiosum. 1703. e

Religiosus iniuriam si passus sit, remittere eam non potest, vt actio ceßet, sed requiritur remissio prælati aut monasterii. 1704. a

Religiosus si interficiatur iniustè, estò patrem habeat, non ad patrem, nisi in defectum monasterii, sed ad monasterium, in quo erat religiosus, pertinet accusare eam mortem, eamq; remittere. 2034. a

si vnus Religiosus manus violentas iniecerit in alium religiosum eiusdem monasterii, absolui potest ab Abbate. 2149. c

Religiosus percutiens clericum sæcularem, potest ab Episcopo absolui. 2150. b

quando Religiosus monasterii vnius manus violentas iniecit in religiosum alterius monasteri, tunc ille excommunicatus absolui debet a suo superiore, & a superiore alterius, concurrente vtroque simul. 2150. c

Religiosi omnes hodie etiam in graui iniuria absoluuntur a suis superioribus. 2151. a

retrahens Religiosum nondum professum à religione absque vi, metu, fraude, ac deceptionibus, vel ei qui nondum religione erat ingreßus simili modo dißuadet ingressum, ad nullam restitutionem tenetur, sed grauiter peccat, si absque iusta causa id faciat, non tamen peccat, si ex bona causa id faciat. 2726. e. sed qui eo modo a religione retrahat professum in ea, tenetur religioni ad restitutionem damni inde secuti, & ad restitutionem emolumenti, quod ea ratione religio amittit. 2729. c. & tenetur omni ratione eum conari inducere, vt ad religionem intret, si alter nolit, quærat alium eius loco, æque idoneum, si nec hoc possit, ipse religionem ingrediatur. 2733. c. quando damnum permanens religioni ex ea religiosi extractione esset secutum, teneretur extrahens illud integre resarcire, saltem compensando illud aliis bonis, vel remissionem eius damni ex religione obtinere. 2734. b. quando is qui prædicto modo fuit causa damni notabilis, in quo religio ob egreßum sui religiosi manet, non potest illud alio modo resarcire, quàm suo ingreßu. Ibid. e

qui absque iusta causa aliquem ab ingressu Religionis impedit, aut iam ingreßum inde extrahit, tenetur ad restitutionem tum religioni, tum impedito, auferendo ab illo impedimenta, quæ illi apposuit, liberumq; omnino relinquendo, vt religionem ingrediatur, & insuper ei resarciendo si quod aliud damnum sit inde ei subsecutum, quod ille per seipsum, si velit non possit resarcire. 2735. e

Religiosi commorantes extra suum monasterium in causis ciuilibus conueniri possunt coram ordinario eius loci, in quo commorantur, quando religiosus censeatur extra monasterium commorari. 2762. d

quando Religiosis conceditur facultas aliquid faciendi, est gratia & priuilegium, quod morte concedentis non expiret, etiam quoad ea quæ integra adhuc sunt. 2831. e

Religiosus non potest esse arbiter, sed arbitrator. 2991. a

Remigare.

Christiani Remigare possunt in triremibus Turcarum

rum, etiamsi Turcæ Christianos insequuntur. 1752. e

Remissio culpæ.

quando multi in foro conscientiæ restituere aliquid tenentur, quando Remissio facta vni à creditore, alios deobligeat, quando non item. 1610. a

Remissio pœnæ, qua multi in foro exteriori tenentur pro eodem delicto, si fiat vni, non deobligat alios a pœnæ debito. 1611. a

Remissio si facta sit ei, in cuius defectum alii tenebantur id soluere, si idem debitum à concanssis in foro exteriori petatur, committitur contra eos peccatum contra iustitiam, cum restituendi onere, quod ita soluerint, & damna ea via illis data. 1611. c

nihil impediente Remissione partis offensæ, nihilq; impediente transactione cum reo circa id delictum ab ea facta, alii etiam ad accusandum admittuntur, & iudex ex suo officio procedit ad imponendam totam pœnam ordinariam pro eo delicto statutam. 2961. c

Remissio delictorum a Principe facta duplex est, quædam generalis, & quædam particularis. 2072. d

Remissio ex misericordia in criminibus facta à Principe quomodo distinguatur a remissione facta ex gratia. 2082. e

quando qui causam mortis iniustè accepit, antequã ex ea moreretur, dixit se Remittere iniuriam, & mortem si inde sequatur, intelligitur id interdũ quoad solum rancorẽ & odiũ, interdum verò quoad actionem ac pœnam, quæ aduersus illum nomine defuncti poterat intentari. 2284. d

si qui causam iniustam mortis accepit sufficienter exprimat, se Remittere homicidæ damnum corporale mortis sibi illatum iniustè, ad nullam ipsius restitutionem tenetur homicida in conscientiæ foro. 2285. b

in locis, in quibus permittitur parentibus libere filios exhæredare, si is qui causam mortis iniustam accepit, Remittat homicidæ eam obligationem, liber ille ab ea in foro conscientiæ manebit. 2286. d. quando ea remissio redundaret in damnum vxoris, facienda non esset sine vxoris consensu, nisi qui illam faceret, ipsam integre sumeret in partem, quæ ipsum contingit. Ibid. e

quando Princeps crimen Remittit ante latam sententiam aduersus delinquentem, tunc censetur ei omnis pœna condonata, & in pristinum statum restituitus. 2525. c

quando aliquis delictum commisit, ob quod infamiam iuris incurrit, tunc Princeps Remittens crimen aut pœnam criminis, solum censeretur illud remittere quoad pœnam, non verò abolere infamiam. 2524. e

Represalia.

Represalia propter damna illata ex alia republica quousque locum habeant autoritate reip. quæ damnum est passa. 1134. d

Repudium.

Repudii libellum si maritus vxori dedit, dum ambo infideles erant, nondum ad fidem conuersi, illaq; alteri nupserat, si ambo ad fidem conuertantur, tenetur maritus vxorem ad matrimonium admittere. 2352. c

Vide Diuortium, Moyses, Maritus.

lex Moysi permittebat marito dare libellum Repudii. 3051. b

Res.

Res quid sit in definitione furti. 1121. a

Res iniustè detenta si accreuit in valore, postquam cæpit iniustè detineri, & postea decreuit, si dominus illã vendidisset in illo maiori valore, aut illa excussasset æqualem sumptum, si tempore quo plus valuit fuisset ei restituta, in eo maiori valore est ei restituenda, esto, si detenta iniustè non fuisset, illam vendidisset antea minori pretio. 1557. d

Res iniustè detenta si perlit, aut reddita est deterior, dum ita iniustè retinetur, neque constat, idem omnino rei illi similiter euenturum in potestate domini, restituenda illi est integre: si autem esset reddita deterior, in optione domini esset vel petere integrum rei valorem, & nolle illam, vel petere illam, & æstimationem deterioramenti. 1558. b

Res iniustè detenta si erat peritura in potestate domini, ad nihil illi in conscientiæ foro ratione illius tenetur iniustus detentor: & quid in foro exteriori. 1559. a

sciens Rem aliquam alienum esse, & dubitans ad quem trium pertineat, restituere illam tenetur, distribuendo illam inter eos, iuxta probabilitatem, quæ est ad vnum verisimilius, quam ad alium eam pertinere. 1604. d

Reseruati casus.

à casibus Reseruatis non potest in mortis articulo simplex sacerdos absoluere, quando legitimus confessarius adest. 2118. d

Respublica.

Respublica coalescit ex coniunctione hominum in vnum populum ad conuiuendum. 1701. a

Reip. concessa potestas iure naturali puniendi singulorum delicta, & præcipiendi singulis quæ in commune bonum expediunt, illos vitæ periculo obiiciendo. 1751. d

quatuor ordines Reip. 3199. d

Resp. melius gubernatur legibus, quàm prudentia præpositorum sine legibus. 3213. d

Restitutio.

Restitutio tribus modis vsurpatur: in duobus prioribus esse potest actus iustitiæ etiam distributiuæ: in tertio solum est actus iustitiæ commutatiuæ. 1501. a

Restitutio latissimè & precisè quid. 1502. e

Restitutio vnde dicta. 1503. b

Restitutio precisissimè quid. 1504. b

Restituendi ac compensandi ad æqualitatem damna data iniustè obligatio est in foro conscientiæ nulla expectata sententia. Iniuria verò ac offensa, sumptis præcisè à damno dato, non restitutio sed pœna respondet, quam subire obligatio non est in foro conscientiæ ante latam sententiam. 1506. d

Restituendi obligatio consurgit ex damno solo, & non ex iniuria & offensa, sed pro his petenda est venia, si offensus inde sit commotus, & debetur pœna solùm post latam sententiam: & quousque offendens licitè se possit defendere in iudicio, ne sibi imponatur. 1508. e

discrimen inter Restitutionem & satisfactionem sacramentalem, 1512. c

Restitutio necessaria est ad salutem, eo modo quo præceptorum decalogi obseruatio est ad salutem necessaria. 1513. e

Restituendi præceptum in septimo decalogi præcepto includitur. 1515. a

Restituendi præceptum in quo sensu ad semper obliget. 1516. a

duæ radices vnde Restituendi obligatio oritur, sumpta restitutione presse. 1522. b

Restitutionis late & pressius sumpta variæ radices ac tituli. Ibid. d

Restitutio ex parte solius rei ad alterum attinentis, quousque, & quoad quæ, facienda aut non facienda: & quousque præscriptio eam facere excuset, maximè quoad fructus inde perceptos. 1524. a

Restituendi obligatio ex tribus generibus iniustitiæ oritur. 1550. d

Restituendi obligatio quando resultet ex iniusta retentione rei, quæ ad alterum quoad dominium iam spectat. 1553. d

Restitutionis pressa ex parte iniustæ acceptionis, tanquam concausas, quos obligatio constringat. 1577. a

Restitutio ei regulariter est facienda, à quo res est ablata, aut in cuius potestate damnum est datum. 1627. b

Restitutio ei est facienda, qui non iniustè rem tenebat, estò ad alium quoad dominium attineret, & restituenda ei sunt omnia damna ex ablatione eius rei illi secuta, etiamsi restituta sit proprio domino. Ibid. c

Restitutio eorum, quæ ex eis, quia administratores eorum non sunt, accepta sunt, non ipsis, sed legitimis earum rerum administratoribus est facienda. 1629. d

Restitutio accepti illicitè, tam quando dans illicitè dedit, quam quando dedit licitè, cui facienda. 1630. e

Restitutio qualiter inter hæredes, aut simul etiam inter alios, distribui debeat. 1631. e

Restitutio direpti ex aliqua ciuitate bello iniusto, quando ignoratur, cuius id fuerit, quomodo facienda. 1638. b

Restitutionis obligatio cessat, quando res debebatur determinata in individuo, & periit, aut ad creditorem non peruenit absque culpa debitoris, & nec contractu nec iuris dispositione tenebatur ad id detrimentum. 1658. d

Restituendi obligatio quando oritur ex iniusta acceptione, iniusta ve retentione, fieri restitutio statim debet, sub reatu culpæ lethalis, continuationisq; eiusdem peccati iniustæ acceptionis. 1664. b

Restitutio dum longo tempore non fit, quando interueniat vnum numero peccatum, & quando ob interruptionem interueniant multa numero: & qualiter de ea re examinandus sit pœnitens. 1665. c

Restitutio si fiat post tempus aliquod, ob eam omissam restitui etiam debet lucrum cessans ac damnum emergens ex ea iniusta dilatione restitutionis: pro iniuria verò toto eo tempore ea dilatione facta, sumpta præcisè a damno dato, restitutio non debetur. 1667. e

Restitutionis dilatio culpabilis non est, si de voluntate creditoris, præsumpta saltem absque vllo dubio, fiat: in dubio autem vel statim est facienda, vel obtinenda est a creditore facultas. Ignorantia etiam inuincibilis, quod obligatio sit restituendi, a culpa excusat. 1668.

Restitutio quousque licitè differri possit propter impotentiam. Ibid. d

Restitutio etiam si licitè differatur ob graue detrimentum, tenetur debitor restituere creditori, si quod lucrum ei cessauit, aut damnum emersit ex tali restitutionis dilatione. 1673. c

Restitutio quando cederet in peccatum iniustitiæ eius, cui fieri deberet, potest & licitè differri, & obligatio esset sub culpa lethali eam differendi, nisi ex tali dilatione sequeretur graue damnum proprium aut tertii. 1674. e

Restitutio quando esset in damnum notabile corporis eius, cui est facienda, culpa esset lethalis eam non differre, nisi ex tali dilatione notabile damnum eam differenti immineret. 1676. b

Restitutio differri debet sub culpa lethali, quando restitutio cedet in peccatum lethale eius contra solam caritatem, cui est facienda, si ea ratione peccata impedientur, & id fieri possit sine notabili detrimento differentis solutionem & aliorum. 1676. d

Restitutionem differre quando ita ad vitanda peccata licet, si ex ea dilatione damnum creditori sequatur, obligatio non est illud ei restituendi. 1677. c

Restitutio quando licitè differtur, necesse non est petere ad id facultatem a creditore. Ibid. d

Restituendi ab onere vt debitor remissione creditoris liberetur, non est necesse offerri pecuniam debitam creditori: interdumq; consilium est, nec illi ostendi nec offerri. 1681. b

Restitutio vt fiat, impedimentum non est, creditorem esse excommunicatum, maximè si denuntiatus non sit, nec sit notorius percussor clerici. 1687. c

nihil Restitutionis debetur nec iniungi debet pro iniuria, quam iniustè infamatus passus est tempore toto quo infamiam sustinuit, interim dum fama illi non fuit restituta, aut interim dum infamia illa alia ratione non fuit abolita. 1689. a

Restitutio bonorum certorum præponenda non est restitutioni bonorum incertorum. Ibid. c

Restitutio quo ordine fiat. 1690. d

vt quis ex eo ad Restitutionem aliquam teneatur, quia occiderit, mutilauerit, aut percusserit, necesse est, vt id efficiat interueniente aliquo ipsius peccato contra iustitiam, neque satis est ad id, si peccatum aliquod ipsius contra solam caritatem interueniat. 2254. c

Restitutiones facienda ob mortem alicui iniustè datam melius perducuntur ad effectum facta compositione cum iis, quibus restitutio est facienda. 2271. c

quando homicida non excusatur à restitutione facienda, tenetur quo ad damna in bonis externis, eo homicidio data, omnia Restituere: & quænam inter hæc damna computentur. 2263. a. b

hæredibus interfecti non est facienda Restitutio emolumenti, quod plus in hæreditate fuisset, si interfectus non ita iniusta morte fuisset præuentus, quia nullum damnum est eis illatum ea morte iniusta. 2267. e

obligatio Restituendi damnum ex iniuria corporali transit ad hæredes eius, qui talem iniuriam intulit, cùm ille, dum viueret, non restituit. 2295. d

Restitutiones, quæ ex damno corporis consurgunt, si fiant viuente eo, qui id damnum est passus, nec fieri possint bono eiusdem generis, fieri debent in pecunia, nisi iniuria affectus contentus sit bono alterius generis. 1299. d

ex solo damno iniustè dato ac permanente consurgit

git obligatio Restituendi ex iustitia commutatiua; pro iniuria verò sumpta præcisè a damno dato permanente non consurgit obligatio restituendi, sed illa est obiectum iustitiæ vindicatiuæ, ob quam condigna pœna imponenda a potestatibus publicis veniat per iustitiam vindicatiuam. 2387. b

Restitutio ex stupro, vide in Stuprum. 2460

Restituere.

fama alicuius cùm iniustè læsa est ob aliquod falsum ei impositum, sufficienter ei Restituitur fama, si qui id falsum imposuit, coram illos, apud quos ita infamauit, dicat se falsum ea in re dixisse, vt ita malam opinionem de proximo suo prorsus à mentibus illorum eximat.. 2686. a

Restitutio famæ non transit ad hæredes illius, cui iniustè fuit læsa, sed debet fieri defuncto, nisi constet eum esse in inferno. 2701. a

modus Restitutionis famæ iniustè læsæ. 2706. c

Restitutio famæ quando fieri deberet in eo ipso bono, in quo quis damnum accepit, tunc peccaret lethaliter, qui remitteret restitutionem talis famæ: nisi ex restitutione similia damna sequerentur ex parte eius, qui restituere deberet. 2714. b. sed si fama non esset necessaria, tunc remittere illius restitutionem nullum regulariter est peccatum, sed meritum. 2715. a. Is, cui remittitur obligatio restituendi famam, non peccat, si post eam remissionem illam non restituat, nisi quando posset sine suo notabili detrimento illam restituere. Ibid. b

Restituere quis teneatur ex parte rei ad alterum attinentis, quantum inde factus est locupletior, quando res aut aliquid illius iam non existit, modo non excedat valorem eius, quod non existit. 1525. b

Restituere tenetur legitimo hæredi, qui credens se legitimum hæredem, lucratus est aliquid vltra rei valorem ex re ad hæreditatem attinente. 1526. d

Restituenda est res ab eo, qui possessor illius fuerat bona fide, cum omnibus fructibus illius, qui sint fructus rei si existant, & quantum ex non existentibus factus fuerit locupletior, deducendæq; inde sunt expensæ. 1528. d

Restitui debet ab eodem bonæ fidei possessore pretium vsus torquis ad ornatum ab eo locati. 1529. c

quousque quis Restituere teneatur, aut non teneatur, ex re, quam bona fide consumpsit, aut qua est vsus, & quousque censeatur factus inde locupletior, aut non censeatur, vt id restituere teneatur, in quo, in punctо scientiæ, se inuenit locupletiorem. 1530. a

Restituere tenentur integrum incrementum iniustum, aut integrum damnum datum ex parte iniustæ acceptionis, qui ex crassa ignorantia, quæ ad culpam theologicam spectatis circumstantiis concurrentibus sufficiat, contractu aut alia ratione, aliquid iniustum acceperunt, aut damnum aliquod dederunt. 1531. d

Restituere non tenetur rem alienam, qui sine crassa ignorantia existimans esse suam, illam prodigè destruit, aut ex ignauia amittit. 1532. b

Restituere non tenetur quidquam, qui rem alienam bona fide emit, ac vendidit, si non plus pro ea accepit, quam pro illa dedit, aut si plus accepit, illud fuit fructus sui laboris. 1535. c

Restituere tenetur integram rem, qui dubius, an ad se pertineat, alterum spoliat illa, qui bona fide cæperat illam possidere. 1547. a

Restituere qui tenetur ob moram tradendi debitum, quod ad creditorem nondum quo ad dominium spectat, restituere tenetur integrum debitum, & lucrum cessans ob eam moram. 1550. e

damnum datum in re, quæ ab alio erat destruenda iniustè, aut diripienda, integre debet Restitui: itemq; quod damnum est in re, quæ erat peritura, quando de eo euentu erat ignorantia: si verò sciatur periculum, non plus est restituendum, quam valeat constituta in eo periculo. 1563. b

Restituere tenetur, qui contraueniendo iuri, quod alius habet, vt recipiat, quod alii liberaliter dare ei voluerint, vel vt aliquid ipse faciat, illum impedit ab aliquo bono assequendo; solum tamen quantum id bonum, prout adhuc erat in illo statu, æstimabitur. 1573. e

Restituere non tenetur damnum iniustè datum, qui ratum postea habet nomine ipsius esse datum: tametsi decens sit, vt illud restituat. 1579. b

Restituere in defectum executoris quis vt adulator debeat. 1588. b

Restituere vnus non tenetur partes aliorum, quando solum fuit occasio, vt alii simul furarentur: secus quando fuit causa. 1590. e

Restituere tenetur pro quantitate dubii remanentis, qui ex sua parte cooperatus est ad damnum iniustum, & facta debita diligentia, an verè sua causalitate attigerit id damnum, dubius manet. 1603. e

Restituere ex concausis damni iniusti qui ante quos teneatur, & qualiter quidam contribuere teneantur, & restitui debeat ei, qui loco aliorum restituit. 1605. b

quando aliquis restituit, quod alius restituere tenebatur, qui ita tenebatur, restituere et tenetur, qui loco ipsius restituit. 1608. b

Restituere si tenerentur tres contribuendo partes suas, & vnus restituat loco aliorum, secundus, qui restituere accesserit, tenetur primo restituere, non solum partem suam, sed etiam dimidiam partem eius, qui nondum restituit. 1608. d

Restitui debet eadem numero res, quæ debetur, si res determinata in singulari debeatur, restituiq; possit, & is, cui debetur, contentus non sit æquinalenti: quando debetur res indeterminata in individuo, æquivalenter restitui debet. 1657. e

si debebatur res determinata in individuo, interuenitq; iniusta illius detentio, quæ occasio fuit, quod res periret, aut non deueniret ad creditorem, Restituenda illi est. 1659. b. nec prius censetur ei debito satisfactum, quam tradatur creditori aut alteri, qui vices ad id a creditore habeat. 1659. e

Restituendum præcisè quia fuit inuentum, casuq; deuenit ad manus alicuius, aut comperitur ad alium pertinere præcedente bona fide, ibi est soluendum, vbi reperitur: sin autem sit ad eum mittendum, ad quem attinet, expensis illius est id faciendum. 1660. d

Restituendum aut soluendum si sit aliquid ex contractu, & locus fuit designatus, ibi facienda est solutio: alioquin in loco, vbi credebatur debitorem tempore solutionis habiturum domicilium.

lium. 1661. d
Restituere qui cùm possint, restitutionem in tempus mortis reseruant, item qui dubitant an aliqua iustè possideant, & differunt in tempus mortis examinare an verum sit, quiq; cum mortis tempore possint restituere, executionem committunt in testamento hæredibus, in quanto periculo versentur. 1678. d
Restituere iussus in vna confessione, si in alia accedat, id sua culpa opere non impleto, quomodo cum illo se gerere debeat confessarius. 1679. a
in Restituendo quis ordo seruandus sit, quando sufficientia bona non sunt ad creditoribus omnibus satisfaciendum. 1688. e
non omnibus, qui morte iniusta interfecti priuati sunt emolumento aliquo, tenetur homicida Restituere valorem eius emolumenti: sed illis solum, qui ius habebant percipiendi emolumentum illud, quia illis erat quasi debitum. 2266. e
Restituere vt quis famam alienam teneatur, requiritur, vt alienam famam abstulerit. 2681. d. deinde vt contra iustitiam peccauerit eam ledendo, non solum materialiter sed etiam formaliter iustitiam transgrediendo. Ibid. e. tertio, vt infamatus alia via famam amissam non recuperauerit. 2684. b
nullus cum periculo vitæ propriæ tenetur Restituere damna honoris, quæ prudentis arbitrio longè inferiora sunt vita eius, qui eam restitutionem deberet efficere. 2711. e. sed quando cum fama proximi, eiusdem vita periclitatur, vel damnum honoris æquiparatur vitæ illius, qui ea damna dedit, tenetur tunc infamiam inferens cum periculo propriæ vitæ eam famam restituere. 2712. b

Resurrectio mortuorum.

Resurrectionem negabant mortuorum Saducæi. 3108. c

Reuelare secretum.

Reuelare crimen & secretum, vide in Manifestare.

Rex, regina.

Regios reditus recipiendi curam habens, si plus aut noua tributa exigit, vis publicæ crimen incurrit. 1128. d
adulterium committens cum Regina aut vxore Principis regni hæredis, item cum filia eius, incidunt in crimen læsæ maiestatis. 2306. d
Rex distinctas habens prouincias, quarum singulæ suum habent regimen, non debet iudices constituere hominibus de vna prouincia in alia: sed in sua propria prouincia debet illis iudices statuere. 2819. a
Rex variè comparat dominium diuersarum prouinciarum. 2819. b
Rex si hæreses suspectus sit, prudentis inquisitoris erit aduersus eum non procedere, sed Pontificem consulat. 2903. b
Rex quomodo differat à tyranno. 3247. c
Regia potestas non est contra ius naturale. 3256. a

Ripa.

Ripæ quando priuatæ quo ad dominium, eorum videlicet dominorum, quorum sunt prædia, quæ ad illas terminantur, & quando publicæ, communes omnibus quo ad vsum. 1364. d
Ripa fluminis est locus saltem quo ad vsum. 1365. e

Riuus.

Riuus presè sumptus quid sit. 1365. c
Riuus latè sumptus pro viis quibus aqua ducitur. 1378. b
Riuis annexa, circa quæ reficienda ac purganda competit quartum genus interdicti, sunt specus, septa, incile, cuniculi vaporum. 1392. c
Riuos & illis annexa, per quæ quis est in possessione ducendi aquam quotidianam aut æstiuam, si aliquis reficere impediatur, ei statim subueniatur, esto ius non ostendat, quod ad id habet, ad reficiendum verò iter, quod illi seruit, ius simul ostendat necesse est. 1393. a
Riuos, quo ad modum & qualitates, quousque fas sit aut non sit mutare. 1394. a
Riuos reficienti aut purganti, dum aduersus impedientem subuenitur interdicto de riuis, locum aduersus eum non habet noui operis nuntiatio. 1395. a
Riuos reficere quid & ad quæ se extendat. Purgare quid & ad quæ se extendat. 1393. d

Rixari, Rixa.

Rixantes si interficiunt tertium aliquem, si tunc interfector illum interficit ex intentione, tenetur pœna ordinaria homicidii, eo quòd dolus iam in eo homicidio interueniat, neque calore iracundiæ excusandus est a pœna ordinaria, si ex intentione id fecit. 1851. e
quando vterque Rixantium fuit in culpa rixæ, tunc quicunque eorum, qui tertium absque dolo interficiat, tenetur ad damna subsecuta, & puniendus pœna arbitraria. 1852. e
quando vnus Rixantium, vt alterius ictum fugeret, se protexit tertio aliquo intermedio, fuga sua illum medium constituendo, qui eo ictu aduersarii interfectus fuit, tunc ictum declinans, dummodo vi alterum illum non constitueret medium, nullam commisit culpam: sed si is autor fuit rixæ, puniendus est pœna arbitraria. 1853.
quando in Rixa nullo præuio consilio multi percusserunt eundem, & constat quis lethaliter eum percusserit, reliquosq; lethaliter eum non percussisse, tunc solus lethaliter percutiens puniendus est pœna homicidii ordinaria, & sit irregularis, cæteri verò minimè. 1922. c
quando in subita Rixa vnus aliquid fecit, quo alius interficeret, vel arma præbendo interfectori, vel impediendo ne alii intercurrerent ad liberandum interficiendum, vterque secuto homicidio tenetur pœna homicidii ordinaria, sitq; irregularis. 1921. e
quando aliquis sua aliqua iniustitia causa fuit Rixæ; oborta autem ea rixa iustè est illam prosecutus in sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; tunc si alius iniustè est ipsum insecutus, ad nullam restitutionem tenetur damni, quod in sui defensionem ita dedit. 2255. c
quando aliquis sua aliqua iniustitia causa fuit Rixæ aut pugnæ, esto postea illam iustè prosequatur, aliumq; interficiat, si tamen ita interfectus iusto errore rixam prosequebatur, tenetur ita occidens ad restitutionem damni dati. 2255. e
quãdo qui Rixæ occasionem dedit, iniustè interfecit, aut aliud damnum dedit, tunc ad restitutionem omnium damnorum tenetur. 2256. c
quando qui causa fuit Rixæ damnum ab altero accipit, tunc si is, qui illud dedit, id in iustam defensionem fecit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad nullam restitutionem tenetur. 2256. d. quando

do verò tantùm id fecit in compensationem damni accepti ab eo, qui fuit causa rixæ, & simul in pœnam sui delicti, in exteriori foro iuris sententia is absoluitur, qui damnum dedit, nec tenetur in foro conscientiæ ad vllam restitutionem damnorum. Ibid.e

Roboam Rex Israël.

Roboam Rex Israël superbus, & ideo eum decem tribus reliquerunt. 2024.c

Romani.

Romani & Græci turpia spectacula licitè exhibebant. 2501.e

Rumor.

Rumor & fama quomodo distinguantur. 2491.c

Rusticus.

Rusticis, si rudes sint, & in agris versentur, & leges ignorent, subuenitur. 3245.c

S

Sabbathum.

Sabbathi obseruatio in memoriam eius, quòd Deus septimo die quieuerit. 3090.a

Sabbathi obseruatio cessauit omnino post legem gratiæ. 3177. d

Sacerdos.

Sacerdos si in aliquo euentu teneretur aliquid sanare sub reatu peccati mortalis, quia ita esset necessarium, non incurreret irregularitatem, esto mors inde sequeretur. 2216. d

Sacerdotium.

Sacerdotium Melchisedec, Aaron, & Christi. 3082. d. 3083.a

Sacerdotium Aaronicum in Christi sacerdotium secundum ordinem Melchisedec fuit translatum. 3198.e

Sacra.

Sacra & festa veteris legis ad præcepta cæremonialia pertinent. 3121.d

Sacramenta.

Sacramenta legis gratiæ gratiam habent vi propria, tanquam quæ Christi institutione ex passione & meritis eius vim ad id habent. 3085. b. Item, quando antecedunt peccata lethalia actualia in eo qui illa suscipit, ex attrito efficiunt contritum. Ibid.d

Sacramenta veteris legis ad præcepta cæremonialia pertinent. 3121. c. & quænam illa sint. Ibid.

Sacramenta nouæ legis instituit Christus, quo ad formas & substantialia. 3121.b

adultis vt minimum semel in anno Sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ percipere voluit Ecclesia. 3166. d

Sacrificium.

Sacrificium laudis quid sit. 2468. c

Sacrificia ante legem Moysi datam oblata à sanctis patribus, oblata erant non aliis quidem præcepto astrictis, sed solo numine naturali ductis. 3092. b. sed quæ præcepto Deus sibi voluit offerri, fecit ad euitandam idololatriam, in quam populus iam inciderat. Ibid.

Sacrificia veteris legis erant Deo grata, licèt nonnullorum priuatorum euinuisa, ob delicta grauissima commissa. 3094. d. e

Sacrificia ad præcepta cæremonialia pertinent. 3121. b

Sacrilegium.

furtum quot modis Sacrilegii rationem sortiatur, specie distinctam à furto in ratione furti. 1143.b

Sacrilegum furtum si sit cum effractione loci sacri, incurritur pro illo excommunicatio. 1190.c

quomodo eiusmodi furtum iure Cæsareo puniatur. 1227. d

Sacrilegium & irreuerentia ad secundum præceptum decalogi reducitur. 3142. b

Saducæi.

Saducæi resurrectionem mortuorum negabant. 3108.c

Sampsæi.

Sampsæi hæretici. 3175. e

Sampson.

Sampsonis & aliorum, qui se ipsos interfecerunt, examinatur actus. 1735.e. 1736.a.b.c.d

Sampson permissu Dei seipsum interfecit. 3156. b

Sanguinis causa.

non est immiscere se causæ Sanguinis, quando aliquis coram iudice Ecclesiastico testificatur aut accusat de crimine, cuius cognitio spectat ad forum Ecclesiasticum. 1739. b

Sartores.

Sartorum pœna & aliorum qui à mercatoribus aliquid accipiunt, & mercatorum qui id eis dant, vt emptores ab ipsis potius quam ab aliis emant. 1184. d

Sata.

damnum in Satis, & in aliis similibus rebus, æstimatur, quantum tunc valent, nec plus est restituendum. 1565.b

Satisfactio.

Satisfactio quot modis vsurpetur, & in qua acceptione à restitutione præcisissimè sumpta distinguatur, & comprehendatur sub restitutione præcè. 1504. b

Satisfactio, qua Deo pro peccatis satisfacimus, quid. Actus est suo modo iustitiæ commutatiuæ ex parte nostra, Dei comparatione. 1505. a

Satisfactio, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ, quæ. 1505. e

Satisfactio pœnis, quæ in hoc sæculo à ministris publicis aut à Deo pro peccatis infliguntur, multum minuit de pœnis, quæ infligendæ erant in purgatorio. 1507. d

Scandalum.

si ex infamia alicuius propria tale aliorum Scandalum sequeretur, tunc culpa esset lethalis, se ipsum infamare. 2644. d

Schedula.

Schedulæ quæ de aliquo crimine occulto ad iudicem deferuntur, sub libellis famosis comprehenduntur. 2633. b

si de sinistra intentione infamandi aliquẽ per Schedulas sine causa constet, & de illarũ autore, tunc ille puniendus est pœna libellum famosum conficientis: secùs si constat schedulas non animo infamandi esse oblatas. 2635. b

Scire, scientia.

Sciens aliquod damnum fore nomine suo dandum, nec cohibens, cùm possit, restituere tenetur id damnum ipsius intuitu datum. 1580. c

Scientia sumitur & pro assensu & habitu cuiusque conclusionis, & pro collectione assensuum ac habituum multarum conclusionum ad vnum totale obiectum attinentium. 3048.c

Scripturæ.

quando Scripturæ in eodem portacollo, eodem die confe-

confecta sunt, illa censetur priùs confecta, quæ in superiori parte reperitur scripta. 1383. d

Secretum.

Secretorum varii modi, quod attinet ad obligationem ea non manifestandi. 2473. c

Secretum prodens cum proximi famæ læsione, peccat contra iustitiam, licet nulla obligatio interuenerit de illo non prodendo, teneturq; ad restitutionem. 2473. d

Secretum seruandi obligatio aliquando oritur ex eo, quòd qui id scit, iniustè venit in cognitionem eius, atque ideo peculiariter adhuc obligatur illud non manifestare. 2474. e

Secretum qui didicit ex apertione litterarum alicuius, tenetur illud seruare arctiùs, quàm si aliunde id didicisset. 2475. b

obligatio seruandi Secretum ex pacto quouis post agnitum quid promittit se non reuelaturum. 2475. e

quis sit gradus Secreti, cùm consurgit obligatio seruandi id ex expresso aut tacito pacto, quo secretum alicui ea lege reuelatur, vt illud alteri non manifestetur, sed omnino taceat. 2478. b.

Secretum sub tacito pacto non manifestandi censetur alicui reuelari, quando ei detegitur, qui remedium potest adhibere: quando autem amico detegitur, vel alicui qui remedium potest adhibere, tutum esset, antequam detegeretur, promissionem ab illo exigere. 2478. d. Hoc etiam locum habet, quando quidam tertius illud idem sub secreto commisso similiter alicui alteri manifestaret. 2479. e

Secretum seruare est ex iure naturali, non solùm quando necessitate aliqua detectum commissumq; est, sed etiam quando leuitate animi detectum commissumq; est. 2480. d

non est semper de iure naturali seruare Secretum commissum, maximè quando est circa delictum, vnde periculum reip. immineat, aut alicui priuato, quod aliter impediri non potest, quam detectione secreti commissi, & cæteris similibus. 2481. c

quando aliquis præuia sponsione seruandi Secretum, aut adhibito iuramento, admittitur ad interessendum alicui delicto, aut ad adiuuandum ad illud patrandum, tunc tenetur non secùs detegere, quàm si nulla sponsio aut iuramentum præcessisset. 2482. e

obligatio seruandi Secretum etiam consurgit ex lege diuina positiua, qua in bonum sacramenti pœnitentiæ salutisq; animarum prohibitum est illud reuelare. 2483. e

Secretum alicuius seruare, quando ad id tenemur, pertinet ad virtutem fidei. 2484. e

Secretum seruare absque vlla præuia promissione, sed obligatio illud seruandi consurgit solum ex natura ipsa rei, pertinet solum ad iustitiæ virtutem, & non ad fidei. 2485. d

seruare Secretum quando ad id tenemur, si solùm interueniat promissio illud seruandi, spectat ad virtutem fidei, & detectio contraria pertinet ad vitium infidelitatis. 2487. a

Secretum commissum seruare pertinet ad iustitiam & simul ad fidem, quæ iustitiæ est fundamentum: manifestatio vero illius ad iniustitiam spectat, & ad infidelitatem. Ibid. e

qui ex officio tenetur seruare Secretum, contra iustitiam peccat illud reuelando; & tenetur ad restitutionem. 2488. a

Secretum seruare rei propriæ pertinet ad caritatem, qua nos ipsos diligere debemus. 2488. d

Secreta reip. detegere non licet, quæ in notabile illius damnum vergant, etiam ad euadenda tormenta aut mortem. 2647. e

si ex reuelatione Secreti cõmissi, aut quod quis casu nouit, periclitaretur vita alicuius: ex eo verò quod celaretur, solùm honos vel bona externa eius periclitarentur, qui illud nouit, tum est prudentis arbitrio iudicandum, quidnam sequi oporteat. 2649. c. sed si solùm sequeretur damnum honoris aut bonorum alicuius, tunc non solùm fas esset scienti tale secretum illud reuelare ad euadendam suam vel aliorum mortem, sed etiam ad euadendum quodcunque notabile damnum honoris aut diuitiarum. 2650. a

qui per iniuriam nouit Secretum alicuius, tenetur cum æquali aut cum paulo suo maiori detrimento id seruare. 2650. e

Se ipsum infamare.

Se ipsum infamare nemo sine legitima causa potest absque peccato. 2642. e

Se ipsum infamare si præcisè spectetur quo ad solam infamiam, quam ipse inde contrahit, non est ex suo genere culpa lethalis, sed venialis. 2643. b

si dum quis Se ipsum infamat, interueniat periurium, quia iureiurando erat astrictus dicere verum, interuenit tum culpa lethalis periurii. 2644. b

aliquando aliquis licitè Se ipsum infamat, esto videat inde euenturum, vitam ab eo esse eripiendam, modo tamen iniustè se non infamet, sed detegendo crimen quod verè commisit, quodq; detegere non tenebatur. 2646. b. quando aliquis sine damni periculo detegeret crimen suum verum, de quo non iuridice interrogaretur, scilicet ad euitanda notabilia tormenta, tunc meritò posset absque peccato eo modo detegere, nihil impediente infamia quam inde contraheret. 2647. c

Se ipsum infamare nemo potest, iniustum sibi crimen imponendo, etiamsi id fiat ad euadenda grauissima tormenta. 2651. d

Se ipsum occidere.

Se ipsum occidere nulla de causa licitum, nisi manifesto Dei instinctu, & dissoluuntur argumenta in contrarium. 1733. b. 1736. e

causæ ob quas Se ipsum quis interficiat. 1784. d

Se ipsum interficiens vel infamans peccat contra bonum reip. 2470. d

Senatores.

Senatores, & cum iis Præses, quo ad ea, de quibus ex suo munere à Rege constituto ipsis iudicare incumbit, Iudices sunt ordinarii. 2811. a

Senex.

Senex si commisit delictum, ob quod mortis pœna est imponenda, senectus non est in causa, vt minui ea pœna debeat: nec etiam quando delictum commissum non est puniendum pœna mortis, minuendum est seni de pœna ob senectutem. 1945. d

Senex quando puniendus est pœna infra mortem, tũc si ex pœna, qua alioquin puniendus esset, periclitaretur vita senis, aut debilitaretur, minuendum est de pœna. 1946. b

Sententia Iudicis.

quando Sententia aliqua in rem iudicatam transiuit, si compromittatur circa dubia quo ad illam orta, id compromissum intelligitur de dubiis, quæ post sententiam sunt orta. 2997. c

Seon Rex.
Seon Rex Amorrhæorum transitum per vias publicas sui regni absque iusta causa denegauit filiis Israel. 1450. e
Septuaginta anni captiuitatis Iudaicæ.
post Septuaginta annos iuxta vaticinium Ieremiæ erant Israelitæ liberandi à captiuitate Babylonica, quod contigit primo anno Cyri. 3128. d
Sepulcrorum violatio.
Sepulcrorum violatores puniuntur pœna decem librarum auri fisco Regis persoluendarum. 2675. a
Sepulcra gentilium aut paganorum impunè violantur. 2676. c
Vide Violator sepulcri.
Seruitus alicuius rei.
Seruitus, aut quasi seruitus, vt præscribatur aduersus rem aliquam publicam, etiamsi continua sit, non minus tempus requiritur, quam de cuius initio non extet memoria. 1368. e
Seruitus esse potest in prædio distante, non existente in intermediis, etiam non impedita quo ad vsum, quando vsus ab intermediis non pendet, aut obtinetur facultas vtendi ad eum effectum intermediis. 1387. c
Seruitutem in prædio valide siue proprietario non concedunt vsufructuarius, emphyteuta, aut feudatarius. 1397. e
Seruitus si concederetur in prædio vendito cum pacto adiectionis in diem, aut cum alio suspendente alienationem, tunc consensus simul emptoris & venditoris esset necessarius, vt firma omnino esset. 1398. b
Seruitus altius non tollendi ædificium, non potest excedi, nec aliquid fieri quod contra eam sit, nempe ædificando, non verò plantando. 1474. b
Seruitus ne luminibus officiatur, intelligitur quacunque re, etiam plantis. 1474. c
Seruitutem ne se attollat, aut ne fenestram faciat, potest quis cogi vendere monasterio, quando inde notabile damnum sequeretur monasterio. 1476. d
Seruus.
lite contestata ob delictum Serui, si seruus moriatur, & constabat id delictum commisisse, cogitur dominus soluere damnum ac pœnam. 1487. b
sciens Seruum fugitiuum esse, & nihilominus domi recipit aut celat in suo prædio, incidit in pœnam soluendi fisco centum solidos. 1147. e
Seruus fugitiuus etiamsi ad suos transeat, nunquam præscribit libertatem aduersus suum dominum. 1149. e
Seruum corrumpens consilio aut alia ratione ad quid teneatur. 1150. a
si quis per compassionem Seruum alienum soluat, tenetur domino ad damna inde secuta, atque ad æstimationem serui si fugiat, nec recuperetur, id q. actione legis Aquiliæ. 1270. e. Si verò ex odio domini soluat, tenetur ex furto. 1271. a
damnum si datum sit in Seruo legato in singulari, post delatam hæreditatem, & ante eam aditam, ad quem actio legis Aquiliæ ratione eius damni attineat. 1284. e
infecti damni si Seruus communis duobus stipuletur quo ad domum vtrique communem, censetur pro vnoquoque eorũ stipulatus, quo ad partem, quam in ea domo habet. 1340. d
actio ciuilis in Seruum, etiam ad pœnã pecuniariam, cum domino & non cum seruo intentatur: tenetur verò dominus vel iudicatum soluere, vel seruum noxæ dare: criminalis verò actio in seruum intentatur. 1486. a
Seruum delinquentem potest dominus defendere: secuta verò condemnatione, tenetur vel iudicatum soluere, vel seruum noxæ dare. 1486. e
Seruus non potest esse arbiter aut arbitrator. 2989. d
Vide Mancipium.
Simon Magus.
Simon Magus legem veterem reiecit. 3075. d
Sinistra opinio.
quando de aliquo apud graues viros concipitur sinistra opinio quo ad mores illius, contrahit ille infamiam facti. 2494. b
aliud est timere Sinistrum quid de proximo, aliud verò statuere sinistrum aliquid de proximo: timere licet, statuere non licet. 2535. a
timere licet Sinistrum quid de proximo ad remedium adhibendum: quod & aliquando necessarium est: nimietas tamen in eo genere est vitanda. 2536. e
Vide Temerarium iudicium.
Sinus Abrahæ.
Sinus Abrahæ erat locus, in quem iusti morientes vsque ad Christi aduentum descendebant. 3107. c
Solutio.
damnum eueniens ex dilatione Solutionis in tempore præfixo tenetur debitor soluere creditori, etiam si absque sua culpa solutionem distulerit. Et quando lethalis culpa interueniat ex culpabili dilatione solutionis. 1567. a
Soluenda si sit res in vno loco, & per debitorem stet, quod ibi non soluatur, quæ actio aduersus illum creditori competat: si verò stat per creditorem, quæ actio aduersus eum debitori competat. 1662. a
Soluere mutuarius aut commodatarius non tenentur mutuum aut commodatum ante tempus contractu præfixum, neque in alio loco. 1662. b
Soluere si quis ex delicto tenetur aliquid, seruare omnino indemnem tenetur creditorem, ita vt suis expensis illud creditori tradat, demendo, si quid creditor erat insumpturus, in ea re transportanda. 1662. e
Solutio in foro solo conscientiæ tunc à debitore licitè fit creditori sui creditoris occultè, quando is secundus creditor licitè poterat facere occultam compensationem ex illo creditore debitoris. 1634. c
Solutio debiti ex contractu quando facienda: ex dilatione verò solutionis quando debitor cõdemnandus non sit culpæ lethalis. 1663. c
qui aliquid Soluit, quod suum iam simpliciter erat, aut ad se iam omnino pertinebat, vel illud remisit, si ex ignorantia id fecit, siue illa iuris esset siue facti, modo alter aduersus eum illud iam præscripsisset; illud iure repetit, nec proinde talis ignorantia ei nocet. 3245. a
Societas Iesu.
Societatis Iesu religiosus si aliquid accipiat promissis aut aliis ministeriis, contra votum peccat paupertatis. 1170. b
Societatis Iesu religiosi si quid delinquant, quomodo puniantur. 2103. d
Societatis Iesu religiosi omnes priuilegio monachali gaudent, vt omnes, qui eos mutilãt, excommunicationem incurrant. 2105. c
Societatis Iesu professorum votum, quod Pontifici sit valde

valde arduum, est. 3216. c
regulæ Societatis Iesu non obligant ad culpam lethalem aut venialem. 3256.

Sodomita.

Sodomita infamiam subit. 2505. a

Stipulatio.

Stipulatio inter partes compromittentes, vide Compromissum.

Spiritualia bona.

inter bona Spiritualia quædam sunt naturalia, quædam vero non. 2718. e
qui culpa alterius per ignorantiam decepti damnum in Spiritualibus paterentur, certè cum iniuria ob inuoluntarium mixtum ratione ignorantiæ illud paterentur, ac proinde de iustitia teneretur ille auferre ab iis eam deceptionis causam, & illis & aliis restituere damna omnia ex ea iniusta causa ita subsequuta, tunc de rigore iustitiæ tenebitur aliquid de satisfactionibus suis propriis offerre Deo pro satisfactione culpæ illorum. 2721. c
quando causa Spiritualis compromittitur in aliquos, possunt arbitri ita pronuntiare, quando dubiam causam reperiunt, vt inter partem vtramque moderamen adhibeant. 2998. b

Sponsus, sponsa.

Sponsa duplex est. 2328. d
quicunque cum Sponsa per verba de præsenti adulteratur, ipse & sponsa incurrunt pœnas ordinarias pro adulterio statutas. 2328. e. Si liberi ex eo genere adulterii deuenerint, bona adulterorum ad eos liberos deuenient, nec subiacebunt dispositioni mariti adulteræ. 2329. c
Sponsa per verba de præsenti adulterans, vt pœnas adulterii incurrere possit, exigitur vt sit duodecim annorum & sponsus quatuordecim. 2329. e
si quis cum Sponsa per verba de futuro fornicetur, ille nec illa pœnas ordinarias adulterii incurrunt. 2331. b. nec etiam iura ciuilia docent illam copulam esse adulterium proprie & proprie sumptum, aut ob illam adulterii pœnas incurri. 2331. e
Sponsus opprimens sponsam, vel maritus eam, quam duxerit per verba de præsenti, interim dum perseuerat tempus ei à iure concessum, vt non teneatur consummare matrimonium, censeretur vis illata pudicitiæ, si iniuriarum vtraque agere vellet. 2441. b

Sponsalia.

quando inter aliquos præcesserunt Sponsalia absque conditione aliqua consensus in aliquid inhonestum, vterque tenetur contrahere cum altero tempore congruo, iuxta id quod tunc in animo habebant, saltem quasi habitualiter: si tamen alter alteri remittat obligationem, tunc is, cui remissa obligatio fuerit, non tenebitur contrahere cum illo, esto sponsalia iuramento fuissent confirmata. 2465. c
qui vel quæ bina Sponsalia aut bina matrimonia aut sponsalia & matrimonium cum duobus simul contrahit, non iussus ab eo, sub cuius est potestate, incurrit ipso facto infamiam. 2500. c

Spurij.

Spurii committunt etiam parricidium. 1832. c
Spurius filius admittitur ad accusandum mortem patris iure sanguinis, & eius remissio necessaria est. 2033. c
Spurii ad dignitates promouentur, quando non est competitor idoneus. 2527. a
licèt in foro exteriori non stetur dicto matris asserentis filium à se genitum non esse legitimum, sed esse Spurium, vt talis reputetur & priuetur hæreditate mariti eius vxoris, nihilominus in foro conscientiæ, quando filius meritò sibi omnino persuadet, se esse spurium, & quia non est vnde dubitet, rem ita se habere, attenta probitate matris, neque ei occurrunt circumstantiæ, vnde dubitare possit, tenetur cedere hæreditati paternæ, cuius ipse ea de causa esset incapax. 2394. b

Stellionatus crimen.

ad Stellionatus crimen puniendum vel agitur criminaliter, vel ciuiliter circa id, in quo stellionatus crimen interuenit. 2521. d

Strada.

Strada *Lusitanis quæcunque via publica dicitur. 1148. a*

Stuprum, Stuprari.

ex Stupro filiæ familias iniustitia & iniuria infertur illis, sub quorum cura est. 1783. c
circa Stuprum non fit transactio. 2042. c
Stuprum sumitur latè pro quouis concubitu cum vidua, & fornicatione: & presse, pro sola defloratione virginis illicita. 2421. c
Stuprum etiam cum vidua honesta punitur de iure ciuili communi, si stuprator quidem persona sit honesta, pœna confiscationis mediet atis bonorum eius: si verò persona sit humilis, pœna correctionis corporis cum relegatione. 2421. e
de Stupri crimine accusari solum potest intra quinquennium à commisso delicto, & puniri potest reus à iudice ex officio. 2422. b
Stuprator vltra pœnas ordinarias puniendus est adhuc in foro Ecclesiastico pœna aliqua arbitraria, licèt nec cogendus sit ducere illam vxorem, nec ei dare dotem. 2427. c
si, dum aduersus Stupratorem agitur ad pœnas pro stupro presse sumpto statutas, excipiat ille in sui defensionem, illam non fuisse virginem, quando illam carnaliter cognouit; tunc ad ipsum spectat id probare, non verò ad stupratam attinet probare se tunc virginem fuisse. 2428. d
Stuprata, cui dos esset soluenda in pœnam stupri, si nuberet alteri æque bene ac si stuprata non fuisset, tenetur nihilominus stuprator adhuc illi soluere dotem, si ante contractum id matrimonium certa quantitas dotis fuisset illi adiudicata, vt stuprator eam illi solueret. 2429. e
Stuprum quando fuit omnino occultum, mulierq; illa nullam contraxit infamiam, æqueq; bene nupsit, atque si stuprata non fuisset, tenetur tamen stuprator illi ad restitutionem aliquam. 2463. b
Stuprum quando per vim aut fraudem factum est, aut quando mulier inuoluntariè fuit stuprata, tenetur stuprator ei ad restitutionem damnorum omnium; patri verò ad nullam restitutionem tenetur. 2467. c

Suasio.

Suasio ad malum spectat ad consilium. 1875. c

Subsannatio.

Subsannatio quid sit. 2569. c

Subdelegare, Subdelegatus.

delegatus vel Subdelegat totam causam, vt nihil sibi reseruet: vel partem causæ, reseruando sibi par-

tem illius: in priori, reassumere potest sibi causam. 2834. c

delegatus si partem causæ Subdeleget, reseruando sibi alteram, tunc per eam subdelegationem non exspirat in eo iurisdictio, etiam re non integra. 2835. e

delegatus quando integre causam Subdelegauit, si à subdelegato appelletur, erit appellandum non ad subdelegantem, sed ad primum delegantem. 2836. b

Plura vide in Delegatus summi Pontificis.

Successor.

Succedens in re alteri, quam ille alius bona fide cæpit possidere, estò tempore, quo ita succedit, dubium habeat, an ad alium pertineat, ad nullam restitutionem tenetur, sed solùm ad faciendam moralem diligentiam, an verè & certò ad illum alium pertineat. 1548. d

Suffocata.

Suffocata concedere etiam in lege naturæ fuit prohibitum. 3172. a

Suffragium.

Suffragium ferens ad quoddam damnum, tantum tenetur ad restitutionem, quantum consulens. 1585. a

Suffragia ferens, postquam aliquid independenter a posterioribus suffragiis irreuocabiliter est decretum iniustè, non tenetur ad damnum plenè iam per anteriores datum. 1586. a

Suffragium dans ante damnum integre datum non excusatur à resarciendo damno, estò sciat, si ipse non suffragetur, alios postea id damnum plenè suis suffragiis daturos. 1587. b

Suffragia sua qui capitulo renuntiant, quibus impediuissent damnum ab aliis datum, & qui tacent, quæ ibi proponere tenebantur, quibus damnum id impediuissent, restituere illud tenentur. 1587. d

Suggestio.

Suggestio ad malum spectat ad consilium. 1875. c

Superior loci.

Superior monasterii religiosorum absoluere potest nõ solùm nouitium, qui post ingressum in nouitiatum manus violentas in clericum iniecit, sed etiam eum, qui ante ingressum eas iniecerat, modò iniuria non fuerit grauis. 2149. e

quando Superior religiosi exempti ab Episcopo facultatem habet absoluendi suum subditum per se vel per alium ex ipsius commissione, absolui non potest ab Episcopo de consensu soliùs religiosi: potest tamen absolui ab Episcopo de consensu superioris eius religiosi, vel ex peculiari Pontificis concessione. 2152. e

Surdus.

Surdus & mutus à natiuitate puniendus est pœna delicti ordinaria, si iudicio polleat, sitq; legitimæ ætatis; non tamen potest torqueri. 1946. e

Surdus non potest esse arbiter. 2989. d

Suspensio.

Suspensio est vna ex censuris Ecclesiæ. 2244. c.

Suspicio.

ex sola Suspicione etiam vehementi iniustam mortem parari, nefas est interficere eum, de quo est suspicio. 1758. e

Suspicio de re graui, licèt aliqua in eo interueniat temeritas, non est culpa lethalis; esse tamen aliquando potest. 2554. e

Susurratio, Susurro.

Susurratio & susurro quid sit, & quomodo à detractore differat. 2587. e

Sususurro aliquando sine vitio detractionis potest peccare contra caritatem, tum eius cui illa detegit, tum eius de quo ita susurrat, dum occasio est, vt detrimenta illi sequantur. 2589. a

Susurratio, quæ præiudicium iniustè amicitiæ affert, est species infamiæ. 2589. d

Susurronum vitium in suo genere grauius est quàm contumelia & detractio. 2594. b

Symbolum Apostolorum.

Symbolum Apostolorum complectitur summatim, quæ sunt credenda. 3137. a

Syndieresis.

Syndieresis est potentia intellectus, quæ vi sua naturaliter cognoscit principia moralia, & proinde discernit, quid in iis bonum quid malum sit. 3061. c

T

Tabulæ Decalogi.

Tabulæ lapideæ præceptorum decalogi quomodo fuerint distinctæ. 3140. e. & seqq.

Talionis pœna.

quondam lege XII Tabularum Talionis pœna pro iniuria membri abscissi fuerat statuta, at lex illa abolita est, & alia introducta, vt scilicet, attenta quantitate iniuriæ, pœna statueretur iniuriæ commensurata; arbitrioq; prudentis æqualis. 1965. b

vbicunque pro homicidio statuta est Talionis pœna, vt scilicet homicida in pœnam eius delicti interficiatur, debet homicida patienter ferre eam mortem, eoq; modo satisfaciet ad aliam restitutionem: vbi verò ista pœna statuta non est, non debet ipse sibi homicida manus violentas inferre. 2275. e

Talionis pœna in veteri lege à Deo permissa, sed in Euangelio Christus suos patientiam docuit. 3096. a

Templum Salomonis.

Templum Salomonis licèt post legis cessationem nec sanctum nec Dei templum esset, tamen sacrilegia, quæ in eo committebantur, non ideo erant licita, interim dum existimabant illud sanctum esse. 3132. c

Temerarium iudicium.

quamdiu res adhuc in intellectu peragitur, voluntate nondum præbente assensum, non est cur timeatur culpa lethalis Temerarii iudicii. 2553. c

viri timorati rarò incidunt in culpam lethalem Temerarii iudicii, quia non perueniunt ad consensum, vel si repentinus aduenit consensus, non est deliberatus, ac sufficiens ad culpam lethalem. 2533. d

minora inductiua requiruntur ad non Temere suspicandum, quàm ad non temere opinandum. 2540. d

qui in re graui & cum sufficienti deliberatione voluntatis Temere dubitat circa sinistrum quid de proximo, idq; vacillanter, non peccat lethaliter, sed is qui firmiter iudicat sine vlla hæsitatione. 2550. a

Temerarium iudicium de re, quæ proximi famæ præiudicat, ex suo genere est culpa lethalis. 2550. d

Temerarium iudicium vt peccatum mortale sit, requiritur, vt sit actus voluntatis planè deliberatus.

ratus.2551.c.Et deinde vt sit in re graui, quæ tantum præiudicet famæ illius, vt id ad lethalem in materia iustitiæ sufficiat. 2552.a. vt tanta etiam interueniat temeritas in eo iudicio firmando, quæ prudentis arbitrio ad culpam sufficiat lethalem. 2553.c

Temerarium iudicium quando est circa rem, quam non temere quis iudicat inesse alicui, licèt temere iudicet illam in se esse culpam lethalem, aut aliquid aliud infamans, cùm tamen ex ignorantia erret, non est culpa lethalis. 2554.c

ob magnitudinem iudiciorum & inductiuorum ad id credendum aliquando tam parum temeritatis est in aliquo iudicio Temerario, vt licèt sit de re graui, ad culpam non pertingat lethalem, sed solùm sit culpa venialis. 2554.d

non tenemur, licèt Temere iudicando in malam partem interpretemur, bonam existimationem de proximo habere; sed satis est, si abstineamus à sinistre illa in re iudicando. 2558.a. & seqq.

maior culpa est in iudicio Temerario, quam in detectione peccati alterius occulti vni tantùm, qui id aliis non deteget. 2604.d

Vide Sinistra opinio.

Tertia persona.

Tertius quis iniustum aggressorem interficere potest in defensionem bonorum externorum & vitæ proximi, siue in absentia siue in præsentia, secluso omni alio medio necessario. 1779.c

Vide Rixa.

Testamentum Dei.

Testamentum vetus & nouum distinguitur. 3103.c

Testamentum *vocatur pactum quod pepigit Deus cum Israelitis. 3103.c. 3104.c. 3105.a.b*

de nomine Testamenti varie disputatur. 3104.a. & 3105.a.b

Testamentum vertitur apud Græcos διαθήκη. *3105.c*

διαθήκη *etiam sumitur pro dispositione & pacto. 3106.b*

promissio æternæ hæreditatis Abrahamo & semini eius facta, ex parte Dei propriissimè habet rationem Testamenti; sub conditione tamen, si legem à Deo ipsis pro temporum varietate traditam seruarent, & gratiam vsque ad finem vitæ conseruarent. 3106.c. 3107.a.

Testamentum nouum, quia in morte & sanguine Christi re ipsa exhibitis dicatum fuit, statim fuit confirmatum ac morte eius stabilitum: at veteris confirmatio dependebat à morte Christi. 3112.a.b

Testamentum nouum morte Christi fuit consummatum. 3186.b.c

vetus Testamentum non pugnat cum Euangelio. 3090.a

Testamentum vetus cæpit in Abrahamo, & data lege tempore Moysis fuit innouatum, & inter Deum & Israeliticum populum stabilitum. 3102.d

Testator.

restitutio aut distributio aliquorum bonorum, quando à Testatore iussa est fieri per aliquos, per illos est executioni mandanda: & quando culpa non esset lethalis, hæredem per se ipsum id fideliter exequi, & quando nullum esset peccatum. 1632.d

Testimonium.

Testimonium alicuius infamis non est vsque quaque admittendum. 2505.d

præcepta & obseruationes præceptorum vocantur in scriptura Testimonia. 3124.c

Testis.

terrens Testes aut iudicem, aut aliter perturbans minis iudicium, sententiam obtinet, vis publica crimen incurrit, licèt id faciat inermis. 1128.d

Testis, iussus testificari, veritatem subticens, crimen falsi incurrit, non tamen tenetur ad restitutionem damni ei, quem non adiuuit. 3102.e

quando Testes exprimunt, quod genus veneni homicida defuncto dederit, & de eo genere veneni constat sufficiens fuisse ad necandum, & testes sunt omni exceptione maiores, neque signa, quæ interueniunt post venenum sumptum, vsque ad mortem & post mortem, non repugnant depositioni illi testium, tunc sufficiens est illa prolatio ad reum, etiam delictum negantem, condemnandum: nec opus est tunc ad medicos recurrere, qui corrupti fortè contrarium aserent. 1818.d

Thesaurus.

Thesaurum alicuius occultum qui reuelat, si inde furtum sequatur, peccat, cogiturq; damnum reparare. 2473.e

Tobias.

Tobias à Deo aduersitatibus pressus, vt amicus Dei. 3132.e

Tormenta.

quando aliquis, ad euadenda quæcunque Tormenta, crimen sibi imponit, ob quod est morte plectendus, peccat lethaliter. 2654.e

confessio criminis Tormentis extorta non infamat, confitentem non intelligendo de confessione iuridicè extorta. 2660.b

Torrens.

Torrens pressè quid sit. 1365.c

Torrentis aquam fas est auertere opere facto in proprio prædio, licèt per accidens cum damno alterius, modò id non fiat animo aliis nocendi. 1368.d

Torrens quando locus publicus reputetur. 1382.c

Transigere, Transactio.

in publicis criminibus & priuatis, vnde mors imminet, licitum est delinquenti cum accusante Transigere, aliquid ei dando vt accusare desistat. 2037.c

Transactio locum non habet in delicto sola tortura digno, & in aliis criminibus. 2039.b

Transigere potest pater in causa sanguinis filii, neque ex tali transactione inducitur probatio delicti filii. 2040.a

in criminibus capitalibus, si talia sint, vt sciens teneatur ea detegere, quia id præcipitur, vt ea pœna puniatur, non est licita Transactio, neque gratuita remissio. 2047.c

quando circa crimen agitur criminaliter, Transactio circa illud est nulla, reusq; transigens habetur pro confesso. 2048.c

Transactio & gratuita pactio seu remissio quomodo differant in criminibus capitalibus. 2049.d

Transactio quomodo in criminibus capitalibus in Castella fiat, idq; ex ipsa lege ostenditur. 2062.b. 2063. 2065.

pro criminibus, pro quibus non imponitur pœna sanguinis, licita non est Transactio, quin potiùs reus circa illa transigens habetur pro confesso id crimen, & puniri debet pœna criminis ordinaria. 2047.e

in euentibus, in quibus valida est Transactio ex parte rei, si facta est non cum extraneo, sed cum eo,

cui accusare reum incumbit; tunc ea transactio liberat talem reum, ita vt transactores deinceps eum accusare nequeant; sed iudex potest adhuc ex suo officio vlterius procedere. 2051. e

Transactio quando valida est, intelligendum est id esse, modo fiat antequam aduersus reum lata sit sententia ob id crimen, quæ in rem transeat iudicatam. 2053. d

euentus in quibus in Castella non sufficiat Transactio cum reo, aut gratuita remissio, vt non sit reo imponenda pœna sanguinis, sed in quibus nihil impediente tali transactione tenetur iudex imponere pœnam sanguinis, atque ordinariam pro eo delicto statutam. 2067. b

omnis qui Transigere potest, potest & compromittere, excipitur circa res spirituales, circa quas inualida est transactio. 2997. e

Tridentinum concilium.

concilii Tridentini locus explicatus de homicidio. 1714. a

examinatur canon concil. Trident. circa dispensationem irregularitatis contractæ ex homicidio casuali. 2240. b

concil. Tridentinum quid de raptore statuat, & matrimonio cum rapta. 2453. c

Tutor, Tutela.

Tutor furtum committit, si rem pupilli eo inuito vsurpet. 1120. c

Tutor & curator occupantes possessionem nomine minorum pœnas de vi incurrunt, soluendo de suo, nec restituunt. 1132. d

si res furto ablata est a Tutore & curatore, aduersus furem actio ad hos quidem pertinet, sed non nomine proprio, sed eius, cuius bona administrant. 1251. b

Tutor quando stuprauit eam, cuius fuerat tutor, deportatur, & confiscantur omnia eius bona. 2422. c

Tutelæ actione dolo intercueniente damnatus, vt aliquid minori aut successoribus eius soluat, infamiam incurrit. 2519. e.

Tyrannus.

Tyrannus duplex. 1729. b

Tyrannos quousque occidere fas sit. 1729. c. d. e

Tyrannus quomodo differat a Rege. 3247. c

V

Veedores in Hispania.

Veedores *in Hispania qui sint, & quod eorum munus, & alia eiusmodi munia, quæ sunt opificii cuiusque in particulari. 2766. c*

Venæ aquarum.

aquæ Venas si quis præscindat in suo fundo, quæ deriuabantur in alienum, aut puteum fodiat, quo cõfluant aquæ ex fundo alterius, nulla actio aduersus eum competit. 1371. b

Venam aperire.

Venæ apertio non est actus chirurgiæ, ac proinde iure humano prohibitus non est initiatis ordinibus sanis. 2220. e

Vendere, Venditor.

si res Vendita nec tradita ablata esset, ita vt periculum ad emptorem spectaret, teneretur venditor agere aduersus furem condictione furtiua, & actione furtiua, totumq; emolumentum tradere emptori, deductis expensis, aut cedere emptori actiones aduersus furem. Si autem culpa venditoris res fuisset furto ablata, nec redderetur, teneretur emptori ad damna. 1252. d

cautionem damni infecti petere ad Venditorémne an ad emptorem rei, cui damnum imminet, interim dum res emptori non est tradita, spectet, & alia circa id. 1341. d

quando aliquis puniendus esset, quod Vendendo pretium lege taxatum esset transgressus, vel in pondere & mensura defraudasset, tunc licèt sæpius in id crimen incidisset, non esset puniendus totidem pœnis, quot essent ea numero delicta, sed vnica tantum lege statuta. 1986. c. Vide Mensura.

Venenum.

Veneno aliquem scienter (occiso ignorante sibi id parari) occidere grauius, quam aliquem gladio ex proposito occidere: & huius facti reus non gaudet immunitate Ecclesiæ. 1806. a

Veneno interficiente de iure communi mortis pœna erat statuta, vt bestius obiceretur, ac sepultura careret. Ibid. d

quando aliqui Veneno interficiunt consanguineum in carcere detentum, ne supplicium illius ipsis cedat in ignominiam, incurrunt crimen parricidii. 1807. a

qui Veneno interficere tentat, nec tamen effectus est secutus, puniendus est pœna ordinaria pro eodem delicto statuta. Ibid. d

Venenum emens ad aliquem interficiendum, pœna mortis non est puniendus, si vlterius non sit progressus. 1814. e

Veneno conans interficere, nec effectu potitus, pœna mortis tenetur, etiam legibus Hispanicis. 1815. b

Venenum conficiens, vendens, dans, vel emens, vel accipiens ad necandum alium, esto effectus non sequatur, incidunt in pœnam homicidii ordinariam. 1816. e. item docens genus veneni, aut modum conficiendi, item consilium dans alium veneno interficiendi. 1817. a

Vide Pharmacopola.

Verbales iniuriæ.

in iniuriis Verbalibus non potest iudex ex officio procedere ad inquirendum de illis, quando ad arma non est deuentum, sed solum ad petitionem coram ipso partis læsæ. 1990. e

si quis vno impetu, sine morali interruptione, plures Verbales iniurias aduersus aliquem dicat, diuersas res fœdas & ignominiosas significantes, is non committit plura delicta, sed vnum numero, vnicaq; pœna arbitraria est puniendus. 1891. d

Vestitus.

etiamsi Vestitus cum vestita reperiantur simul iacentes in eodem lecto, & sese mutuo lasciuè amplexantes, maximè si locus sit absconditus, ea indicia sæpe prudentis arbitrio efficiunt violentam præsumptionem adulterii, vt illi pœna adulterii ordinaria puniantur. 2324. e

Via.

Via publica & iter publicum non differunt. 1447. e

Via lapidibus strata dicitur strata. Ibid.

Via vicinalis inter aliquas domus quando publica quo ad solum, ita vt claudi non possit, nec negari aliis transitus: & quando priuata, vt claudi possit. Et quando ad vtrumque vicinum & quando ad vnum tantùm pertineat. 1461. d

Viam immittens per agrum alienum, ad damnum datum tenetur, & vendicatur ea pars agri. 1462. e

Via & iter, vt seruitutes sunt, in quo differant. 1464. e

Viæ seruitus ad quæ se extendat. 1466. b

Viæ seruitus quàm latè esse debeat, quando aliud non fuit conuentum. Itineris latitudo arbitris est definienda, quando pacto non fuit definita; nec partes conueniunt. Ibid. c

Via, itinere, aut actu per alienum prædium, non vi, clam, nec precario, qui intra annum computatum vsque ad litem contestatam triginta diebus, saltem interpolatis, est vsus, quo interdicto aduersus impedientem vlterius eadem seruitute vt subueniatur. 1466. e

Via, itinere, aut actu, qui ita triginta diebus est vsus, vt ei concedatur prædictum interdictum, necesse est vt fuerit vsus cum credulitate, quòd seruitutem, quam intendit, haberet. 1467. b

Via, itenere, aut actu satis est aliquem vsum esse triginta diebus, per suum familiarem, aut quemcunque alium nomine ipsius transeuntem, vt id interdictum ei competit. 1468. b

Via, iter, actus si impedita fuerint, aut is, qui eis erat vsurus, legitimè fuit impeditus, ne eis vteretur, atque intra annum retro vsque ad punctum, quo impedimentum capit, vsus est eis triginta diebus, per restitutionem in integrum conceditur ei hoc interdictum. Ibid. d

Via, itinere, aut actu quòd precario vtantur familiares domini prædii dominantis, aut is cui precario ipse suum prædium dominans concesserat, non impedit quominus domino prædii dominantis competat idem interdictum, etiam per eum illorum vsum, quando ipse tanquam re sibi debita intendebat se illoſq; vti. Ibid. e

Via, itinere, aut actu, si quis in prædio dominante, vsus est triginta diebus intra eum annum, tanquam seruitute debita, quod postea in eodem anno vtatur precario, nõ impedit, quominus ei competat id interdictum. 1469. b

Via, itinere, aut actu si quis sit prohibitus vti per se, aut per suum domesticum, & postea continuetur vsus, censetur vsus vi aut clam. Ibid. e

Via, itinere, aut actu, si quis aliquem vti prohibuit, & postea successor quoque prohibeat, comparatione neutrius competit hoc interdictum. 1470. a

Via, itinere, aut actu, si partim dominus prædii dominantis, & postea successor illius vtantur triginta diebus, successori illi competit hoc interdictum aduersus prohibentem. Ibid. b

Viam, iter, aut actum reficere volens, si impediatur efficere, quantum iure sibi competit, quo interdicto ei subueniatur, modo si dubium sit, probet se vsum illis fuisse eo anno triginta diebus. Ibid. e

Viæ aut itineris qui probat ius habere, agere potest confessoria, vt sibi permittatur ea reficere, estò eo anno illis non fuerit vsus. 1471. c

Viæ refectio qualis & quanta permittenda. Ibid. d

Viæ & itineris interdictum, quibus, & in quos competat. 1472. c

Via publica.

Via alia publica, alia priuata, & alia vicinalis. 1448. a

Via publica interdum latè sumitur pro via regia, interdum præsè pro omni ea, cuius solum publicum est. Via priuata interdum sumitur latè pro omni ea, quæ non est publica: quæ sint viæ vicinales. 1448. b. c. 1449. b. c. d

Viæ publicæ quo ad vsum sunt omnibus communes, etiam exteris, quo ad dominium sunt Principis, non recognoscentis superiorem: item plateæ, flumina publica. 1450. b

Viæ publicæ communes sunt omnibus gentibus, etiam exteris. Ibid. e

Via in publica, quæ extra oppidum est, ne aliquid fiat quo deterior fiat, & vt, si factum sit, redigatur ad pristinum statum, atque vt vsus earum viarum aliis non impediatur, quo interdicto sit subuentum. 1459. d

Via in publica quousque sit vetitum facere scalas domibus adhærentes, quibus ad domus scandatur. 1460. e

Via in publica oppidi quousque fieri possit canalis. 1461. b

quid circa Vias publicas ædilibus esset iniunctum, vt curarent, & quatenus curari debeant. 1462. a

Via publica quando impedita est, qui prædium iuxta eam viæ partem habet, transitum concedere debet per suum prædium, donec id impedimentum cesset. 1467. e

Vicarii.

Vicariorum iurisdictio exspirat, mortuo Principe, aut illo remoto ab officio ac iurisdictione. 2777. d

Vicarius si sit talis, vt expresso vel citato Principis aut reipubl. consensu a iudice ordinario loco suo constituatur, iudex est non delegatus, sed ordinarius. 2777. b. Eiusmodi sunt vicarii generales Episcoporum. 2778. a

Vicarii foranei Episcoporum non sunt iudices ordinarii, sed delegati ab Episcopo aut ab ipsius vicario. 2778. b

dummodo aliquis Vicarius constituatur, vt in loco Episcopi iudicet, censetur is iudex ordinarius, licet illi non concedatur iurisdictio in totam diœcesim. 2778. d

Vicarius vt sit iudex ordinarius, debet de consensu expresso vel tacito legis, Principis, aut reipubl. a principali iudice ordinario constitui. 2779. e

Vicarii ipsi non possunt loco sui creare alios vicarios generales pro libito suo. 2780. a

Vicarius generalis Episcopi solum iudicat de causis omnibus ciuilibus, beneficialibus, matrimonialibus, idq; ex eo, quòd id munus generaliter ei committatur. 2780. c

licèt aliquis ità Vicarius ab Episcopo constituatur, vt omnia possit efficere, quæ ipse Episcopus, non consequitur tamen ille vi solius clausulæ illius generalis potestatem ad quidquam eorum efficiendum, quæ speciale requirant mandatum. 2781. a

Vicarius aliquibus in locis simul est ordinarius. 2782. b

potestatem quam habent Vicarii Episcoporum, habent etiam vicarii aliorum prælatorum, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent. 2783. b

Vicarius alterius dicitur aliquis duobus modis. 2784. b

Vicariorum foraneorum ab Episcopo ad vniuersitatem aliquam causarum delegatarum potestas non exspirat, si antequam iurisdictio in Episcopo cessaret, vti suo munere cœperant. 2787. a

Vicarius ordinarii, qui vnum tribunal efficit cum

tum ordinario, potest exequi sententiam tam in iure ciuili, quam canonico. 2876.c

Vidua.

Vidua ad secundas nuptias transiens intra annum luctus, computatum à morte prioris mariti, infamiam iuris incurrit, itidem pater eius, qui illam sciens nuptui tradidit, item illam ducens. 2496.b. sed permittitur à principe remissionem infamiæ. 2498.b

Vidua, quæ sine facultate Regis transibat ad secundas nuptias intra annum luctus, amittebat omnia, quæ ei obuenerant ex priori marito, siue ratione matrimonii, siue testamento illius, illaq; obtinebant filii. 2497.d. sed iure canonico pœnæ & infamia soluta est. 2498.d

Viduæ quæ cum aliquo intra annum luctus fornicantur, easdem pœnas incurrunt, quas viduæ quæ intra annum luctus nubunt. 2499.b

Vidua quæ susceptæ tutelæ filiorum prioris matrimonii, præstitoq; iuramento se non transituram ad secundas nuptias, nisi prius tutorem peteret filiis, ad easdem nihilominus transit, amittit omnia quæ ei obuenerant ex priori marito. 2499.d

Violator sepulchri.

Violatores sepulchrorũ quam pœnam incurrãt. 1705.d. 1708.a

Violator sepulchri infamiam lata sententia incurrit. 2514. a

Vide Sepulchrum.

Virgo, virginitas.

Virginitatis claustrum aperiens, aperiri permittens, vel voluntatem ad id habens, peccant non solum contra sextum decalogi præceptum, sed etiam contra quintum. 1697.a

Virginem corrumpens parentibus eius iniuriam infert. 1701.e

Virginem corrumpens, dotabit illam & habebit illam vxorem: si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis virginalis. 2425.b

Virginem corrumpens se illi ad id offerentem, aut consentientem ad simplicem ad id petitionem, non incurrit pœnas ordinarias vitiantis, si nullæ ad id suasiones ex parte stupratoris interuenerunt: secus si suasiones interuenerunt. 2426.e

Virginem vitiatam semper præsumitur esse seductam, nisi contrarium à stupratore probetur. 2427.a

Virgo si se ad stuprum obtulit, aut facilè ad id consensit, & si sub patria erat potestate, patri censetur facta iniuria, ac proinde nomine suo & non filiæ agere poterit iniuriarum actione aduersus stuprantem, ciuiliter aut criminaliter: si item sit sub tutore, iniuria in ipsum redundat, agereq; poterit iniuriarum nomine proprio. 2427.d

Virgo si concipiat sine claustri apertione, & sequatur partus, quo claustrum aperitur, stuprator incidit in pœnas adulterii. 2428. d

conatus vitiare Virginem immaturam aut vitians, si solum sit conatus, non punitur pœna mortis, sed alia satis graui: si verò claustrum fregerit, non euadat supplicium extremum: si verò vim addiderit, incidit in pœnam deportationis perpetuæ. 2431.a

Virginem repertam in domo patris aut in alia domo si quis non educat de illa domo, sed vi illam trahit ad aliud cubiculum, ibiq; illam stuprat, non dicitur raptum committere, sed stuprum cum vi. 2437. e

Virginem immaturam rapiens & illam corrumpens, erit puniendus pœnis legis longè maiori cum ratione, quam si illa esset virgo matura. Etsi illam rapuerit animo illam corrumpendi, & tentauerit, sed non potuerit, & maximè si læsio aliqua in clausstro illius reperiatur, iisdem pœnis puniendus est. 2448. e

Virgo quæ sub patris est potestate, quando absque vi & fraude libere consensit in stuprum gratis aut pretio accepto, ad nullam restitutionem tenetur stuprator; modo tamen adducta ad consentiendum non fuerit inuoluntariè ex verecundia, quod ausa non fuerit denegare, inuoluntarieq; consensit, quia tunc ad restitutionè teneretur illi stuprator. 2456.b. Nec tunc debetur vlla restitutio patri virginis stupratæ, maximè quando stuprum incausa non fuit, vt pater dotem augeret ad illam maritandam. 2457.d

Virginem stuprans illi promittendo se ducturum illam vxorem, & post stuprum comperit, eam copiam sui corporis alteri feciſſe, neque tenetur eam ducere vxorem, neque quidquam illi restituere. 2464.b

Vide Promissum.

Virtus.

actus cuiusque Virtutis moralis duobus modis potest spectari. 3027.b

tria requiruntur ad actum Virtutis, id est, vt actus sit ab habente eam virtutem. 3157.c

quamuis non omnes actus Virtutum omnium naturalium sub præcepto & lege cadant, sed multi eorum sint opera consilii, eatenus tamen ad legem naturalem pertinent, quatenus lumen ipsum naturæ vel intellectus non minus ad eum finem eos eliciendos docet, quam doceat efficiendos eos esse ad culpam vitandam, qui sub præceptum ac legem cadunt. 3066.b

duobus modis dicitur aliquid modus actus Virtutis alicuius, vnus est intrinsecus, alter extrinsecus. 3168.b.c

habitus non requiritur ad naturam & bonitatem moralem actus Virtutis: ideo habitus non cadit sub præcepto, quo actus virtutis alicuius præcipitur. 3157.d

Vis.

Vis latius patet quàm violentia, quid sit vis & violentia. 1125.d

Vis publica & priuata quid, & in quo differant. 1126.b

Vis publica quot modis fiat. 1126.d

Vim in aliquibus euentibus inferens in Lusitania quomodo puniatur. 1127. b

Vis publicæ crimen incurrens resarcire tenetur omnia damna data, & quibus pœnis subiaceat. 1129.b

Vis publicæ pœna hodie est arbitraria. Ibid. e

Vim priuatam inferens resarcire tenetur omnia damna, & quas pœnas incurrat. 1130.b

Vim priuatam inferens punitur regulariter hodie pœna arbitraria. Ibid. c

Vi occupans propria autoritate possessionem rei, in qua alius erat; illam restituere cogitur cum fructibus & damnis, & quas pœnas insuper incurrat. 1131. c

aduersus Vi occupantẽ possessionem potest eiectus non solũ agere interdicto vnde vi, ad recuperandam rem cum fructibus & dãnis subsecutis, sed etiam ad

ad pœnam legis Iuliæ de vi priuata aut publica. Ibid. d

Vi ejiciens à possessione, etiam si miles, rusticus, vel prodigus sit, in pœnas dictas incurrit. Non verò amens, aut impubes, sed minor pubes: neque parens intrans res filii, neque patronus intrans res liberti. 1132. b

si missus in possessionẽ ex primo decreto Vi ex ea dejiciatur, dejiciens non incidit in pœnam, Si quis in tantam, *sed punitur pœna arbitraria, & tenetur ad damna resarcienda. 1133. a*

Vi expellens à iurisdictione, quas pœnas incurrit. 1136. b

Vis illata foribus alicuius, sine vi illata personæ, ac sine animo eam personæ inferendi, furtum non rapina est. 1140. c

Vis, quo ad interdictum, quod vi aut clàm, *quàm latè sumatur. Et quam latè sumatur in eo clàm aliquid efficere. 1410. a*

qui feminam violenter violat aut puerum, Vis publicæ crimen incurrit, licèt sine armis id efficiat. 1128. e

mulier si iustè opprimatur, non est Vis illata honori. 2441. a

Vim pudicitiæ alicuius inferens, estò sine armis inferatur, de iure communi pœnam legis Iuliæ de vi publica incurrit. 2452. a

qui Vi corruptam cognoscit, si inde ei detrimentum non sequatur in fama, & æquè bene nubere potest, ac si id non esset passa, ad nullam restitutionem tenetur, neque alia via damnum aliud incurrit, licèt ea mulier sit coniugata. 2464. e

Vita.

quando Vita alicuius periclitaretur omnino, nisi is aliquid adeò bene faceret, vt sub lethali culpa, ad mortem aut ad membri abscissionem euadendam, teneretur id efficere, tunc a quocunque lege caritatis ad id cogi posset, & quiuis hoc posset exequi. 1699. c

Vitium, Vitiatus.

Vitiatus corpore esse poterit irregularis, abscissa sola parte membri, cùm tamen id non sit sufficiens, vt illam abscindens mutilator dicatur. 2188. a

si Vitium corporis absque culpa eo vitiati altaris ministerium impediat, vel scandalum generet, propter notabilem indecentiam, efficit irregularem eo modo corpore vitiatum. 2189. e

quando aliquis absque sua culpa ita corpore est Vitiatus, vt id vitium neque impediat tractare ac frangere sacram Eucharistiam, neque indecentiam in eo efficiat ad administrandum in altari, tunc licèt mutilatus sit aliquo membro, non est irregularis. 2194. b

quando quis sua culpa est Vitiatus, tunc non solùm si integrum membrum ei desit, est irregularis, sed etiam si pars membri. 2194. e

Voluntas.

Voluntas alicuius rei præceptis prohibitæ exequendæ est peccatum. 3143. a

Votum.

Votum paupertatis Religiosorum quomodo infringatur in religionibus omnibus. 1166. e

Votorum transgressio reducitur ad præceptum secundum decalogi. 3142. b

in Voto facilius dispensatur quàm in lege. 3144. d

in Voto quando dispensari possit. 3144. d

Vsufructuarius.

si res mobilis furto auferatur ex Vsufructuario, agit vsufructuarius aduersus furem, quo ad valorem præcisè vsus-fructus, & proprietarius quo ad valorem præcisè proprietatis. Fructus si auferantur à re immobili, cuius vsus-fructus ad aliquẽ spectat, actio furti soli vsufructuario competit. 1251. d.

Vsurarius.

Vsurarius infamiam ipso facto subit. 2504. a

Waldenses.

VValdenses & VVicleffitæ dicunt in Ecclesia non esse potestatem condendi leges, quæ in conscientiæ foro obligent. 3249. b

Vulnus, vulnerare.

quando aliquis lethaliter fuit Vulneratus, & ex vulnere alterius superueniente fuit omnino occisus, vterque pœna homicidii ordinaria tenetur, & vterque sit irregularis: secùs, si dubium est, an vulnus prius lethale fuerit nec ne. 1923. b

Vulnus inferens, restituere tenetur omnes rationabiles expensas, quæ sunt factæ in medicatione iniustè accepti vulneris, item omnes operas, quibus vulneratus ideo fuit priuatus. 2291. c

Vulnerans alium tenetur restituere integrum valorem operarum, quo percussus interea caruit, & non solum valorem emolumenti, quod inde aliis erat prouenturum. 2291. e

quando constat Vulnus illatum vel aliam mortis causam fuisse lethalia, tunc tenetur homicida pœna ordinaria homicidii, nihil impediente, quòd prætermissa esset curatio. 1863. b

si constet Vulnus non fuisse lethale, tunc si ex neglecta curatione ille interierit, non tenetur vulnerans de occiso, sed solum de vulnerato. 1864. c

si non constet an Vulnus fuerit lethale nec ne, tunc si non constet de negligentia in medicando ita affecto, præsumendum est causam illam eius mortis iniustam datam fuisse lethalem, & proinde delinquens puniendus erit pœna homicidii ordinaria. 1865. c

iudicium num Vulnus fuerit lethale nec ne spectat ad medicos & chirurgos & expertos in ea arte, nisi adsint circumstantiæ, quæ contrarium persuadeant. 1867. c

in iudicio, num Vulnus lethale sit nec ne, satis est si duo medici adhibeantur, nisi sit aliquis ad id publicè deputatus cum stipendio, aut nisi circumstantiæ concurrentes suaderent, sufficere iudicium vnius. 1868. e

quando aliqui medici iudicassent Vulnus aliquod fuisse lethale, & admitteretur reus ad probandum non fuisse lethale testimonio magis peritorum, id, ante sententiam, quæ alioquin non transiret in rem iudicatam, tunc ea probatio admittitur ad retractandum sententiam, quæ alioquin transiret in rem iudicatam. 1869. d

quando aliquis Vulnus lethale ab aliquo accepit, & antequam ex illo obiret, casu alio interiit, tunc puniendus est vulnerans pœna homicidii voluntaria, quando certum est vulnus fuisse lethale. 1925. c

si ex Vulnere maneat aliqua deformitas, ob quam mancipium vilioris pretii reddatur, tunc tenetur percutiens restituere in conscientiæ foro, quantum minus id mancipium ea de causa valet. 2298. c

Vxor.

Vxor si in testamento mariti scriberet, vt dos

ei statim mortuo marito solueretur, sua debita non amittit, ob id tamen testamentum anticipanda ei non est solutio. 1308.a

Vxorem partum supponentem accusare possunt vir & successores eius de crimine falsi. 1310.e

Vxori alicuius si sit facta iniuria, actio iniuriarum conceditur vxori, & patri, reliquisq; ascendentibus illius per lineam masculinam. 1702.e

Vxori quando facta est iniuria, actio iniuriarum conceditur vxori, patri, & reliquis ascendentibus per lineam masculinam, item marito & socero talis vxoris. 1702.e

Vxor defuncti si concurrat ad accusandum cum aliis consanguineis mariti, aut cum hæredibus illius extraneis, quando illa sola non esset hæres mariti, hæredes mariti ex testamento aut ab intestato admittendi sunt vna cum illa ad accusandum, neque sufficit remissio talis vxoris, sine remissione hæredum; & è contra. 2028.d

Vxorem prægnãtem in adulterio deprehensam marito impunè occidere non licet, sed puniendus est pœna homicidii ordinaria, aut etiam parricidii, si sciebat fœtum iam esse rationali anima animatum. 2381.d

Vxorem alicuius ad adulterium si quis solicitet, & illa id marito detegat: potest impunè se fingere velle, vt, accedente illo ad adulterium patrandum, impunè percutiatur à marito. 2384.c

Vide Adultera, Maritus.

Z

Zelotæ.

Zelotæ erant Iudæi, qui duce Floro Præside in templo sacrilegia commiserunt. 3131.e

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

MOLINA
DE IUSTITIA
ET IURE
TOM. IV. V. VI

139297